Digitized by Google

37
46 E
8

ORBIS SERAPHICI

DE GVBERNATIS

TOMVS IV.

STATVS POLITICI

PARS II.

Pertinet ad Bibliothecam Conventus S. Liberatæ S. Angeli in Monte Catria, nunc ad Bibliothecam S. Mariæ de Aracæli.

2

ORBIS SERAPHICVS HISTORIA

DE TRIBVS ORDINIBVS

A Seraphico Patriarcha S. FRANCISCO inſtitutis,
Deque eorum Progreſſibus, & Honoribus per Quatuor
Mundi Partes,

SCILICET

EVROPAM, ASIAM, APHRICAM, ET AMERICAM,
In obſequium IESV CHRISTI, & Eccleſiæ Romanæ,
atque in Fidei Catholicæ defenſionem,
& dilatationem reportatis.

PER FR. DOMINICVM DE GVBERNATIS A SOSPITELLO
Ordin. Min. Strict. Obſeru. Reform. Prouinciæ D. Thomæ Patrem,
& totius Ordinis Chronologum deſcripta.

TOMVS QVARTVS.

Statum Politicum Religionis eiuſdem complectens.



ROMÆ, Apud Nicolaum Angelum Tinaſſium Impreſſorem Cameralem. 1685.
SVPERIORVM LICENTIA.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. DD.

FR. ANTONIO TORTORELLI

SANCTAE TRIVENTINAE ECCLESIAE EPISCOPO,

Ex Ordine Minorum de Obſeruantia aſſumpto.

NON ſterilis Elephas, etſi ſerò pariat, qui diù parturit: debitum, qui differt, non negat: nec peccat, ex cauſa ſi differat. Olea non carpitur, quòd fructus ſuos in alterum protrahat annum, imo gratior, quia producit vberiùs. Aduenio tandem, Illuſtriſsime Præſul, & debitum ſimul redditurus, & votum. Non faciet mora interpoſita reum, quem cognita tibi cauſa ineuitabilis excuſat: Immo in altiori iam ſolio emicantem dum te intueor, ex multiplicato titulo Te Seraphicæ Religionis honori, ac emolumento natum non commendare non poſſum: Virtutum præconia dignitas adaucta deprædicat. Hominem quæro, aiebat Cynicus ille Diogenes, Stoicæ diſciplinæ clariſsimum iubar, dum admoto accenſæ lampadis lumine, amplis-

ampliſsimas Athenarum vias, atque platæas in clariori meridie perluſtraret. Mirabile quidem, quòd in Vrbe primaria ſcientiarum Magiſtra inſignis Philoſophus quæreret hominem; vbi quod in homine præcipuum eſt, nempe intellectus ſcientiarum ſplendore illuſtratus tanta maieſtate in plurimis eﬄoreſcere cernebatur, niſi ſtoicæ diſciplinæ profeſſorem acerrimum interpretari velimus, quòd hominem quæreret, qui non tantùm vana (vbi ſola ſit) ſcientiarum claritate, quantùm integritate morum, vitæque inculpatæ ſolidiori Philoſophia coruſcaret. Fæliciorem certè Ordinem Seraphicum! qui cum generalibus in Comitijs Primicerium omnibus numeris abſolutum ſibi præficere deberet; non vnum aliquem de ſuis, qui tanto oneri ſufficeret, accenſa lucerna perquirere, ſed ex plurimis vtraque perfectione conſpicuis, quibus affluebat, quem potiſsimum præeligeret, examinare debebat. Huiuſmodi in anguſtia conſtituti Patres in Peruſina Synodo anno 1464. dum B. Iacobum à Marchia ſcientiarum eminentia, famaque Sanctitatis tunc in Orbe clariſsimum conſuluiſſent, quemnam ipſius de conſilio cæteris præferre deberent, reſponſum iſtud à pijſsimo Sene receperunt?

Vvad. tom. 6. anno 1464. num. 9.

Habetis Franciſcum Sauonenſem, quem Miniſtrum Generalem, S. R. E. Cardinalem, Summumque Pontificem me fore veneraturum non diffido.

Vvad. tom. 2. anno 1256.

Nec difformiter Romanis in Comitijs anno 1256. coram Alexandro IV. Pontifice, cum plurimos inter doctiſsimos, æquè, ac pijſsimos Heroes, quibus aurea illa Minorum prima ætas abundabat, quis cæteris eſſet præferendus, non facilè appareret, rogantibus ſuper hoc Comitiorum Patribus reſpondit B. Ioannes Parmenſis,

qui

qui tunc Generalatu ſponte ſe abdicauerat, Bonauenturam à Balneo regio à Comitijs abſentem, & in Sorbonica lectura hærentem (qui demum Doctor Seraphicus fuit Catalogo Sanctorum adſcriptus) reliquo Patrum quantumcumque eminentium cætui eſſe præponendum; quod & maximo Religionis bono effecerunt. Tales ex multis ſeligebat in Primicerios Religio Seraphica.

Auitam Patrum noſtrorum fælicitatem fælicisſima in aſſumptione tua quando ad Ordinis clauum in hac familia Nauarchus aſcendiſti, Reuerendisſime Pater, quaſi per omnia nobis renouatam quis non conſideret? quis non miretur? quis non applaudat? hanc illis ad ſingula ferè puncta conformem cæcis etiam demonſtrare liceret, niſi maxima tua modeſtia prohiberet. Siquidem plurimos inter, eoſque omnibus meritorum titulis non vulgariter conſpicuos, tum de Regulari, tum de Strictiori Obſeruantia Candidatos, tu ſolus non quidem omnino abſens, vt Bonauentura, ſed toto ſpiritu alienus, imò & quaſi non dixi (quod meliùs dixiſſem) huius ferè negotiationis inſcius, ad maximæ in ampliſsima Religione dignitatis apicem concordi Patrum acclamatione, nec non Curiæ Apoſtolicæ plauſibili aſſenſu aſſumptus fuiſſe comprobaris.

Verumtamen, ſi quibus alis aſcenderis, Promotores interrogem? Icarias non proferent. Aquila generoſa non niſi proprijs prægrandium virium titulis euolare conſueuit. Hæreditarium Proauorum tuorum vtriuſque literaturæ ſplendorem, cæteraſque auiti ſanguinis glorias vltro dimitto; in Seraphica Religione poeticum illud

effa-

Horat. eſſatum exceptionem non habet; *quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra voco.* Inſigne illud adoleſcentiæ ornamentum ſingularis omnino modeſtia, morum ſuauitas, vitæ integritas, mentis candor, Sacris in ſtudijs rarus inter plurimos profectus, demum, vt cætera taceam, perpetuus Regularis Obſeruantiæ zelus; quæ omnia vix à Sacro habitu ſuſcepto, per vniuerſa ſtudiorum, & officiorum curricula inoffenſo pede, etiam in Alma Vrbe, ideſt in oculis totius Ordinis Prælatorum, rara ſingularitate conſeruaſti; hæc omnia eminenti Sacrarum literarum ornamento coniuncta; hæc inquam ſunt, quæ altè conſiderantur in Religione Seraphica: hæc ſunt, quæ vix ab adoleſcentia digreſſum ad erudiendos adoleſcentes, ad primarias Cathedras, & adepta toto rigore Iubilatione, ad regendos conſodales, denique poſt omnia in tua Prouincia, tanta cum laude exercita munia, ad ſupremam in hac ampliſsima Familia Prælaturam gloriosè promouerunt; parum erat, ad Ordinis Clauum promoueri; niſi promoti gubernium cum laude prædicaretur. Sergius Galba omnium opinione dignus imperio, niſi imperaſſet. Inſigni modeſtiæ tuæ donetur, ſi Prouinciarum omnium vel confortatam, vel reſtitutam pacem, Regulariſque Obſeruantiæ perfectionem, Si Patrum, & Fratrum, etiam minimorum in noſtra Religione concordes tuo regimini applauſus non produco: Vniuerſos noſtræ Familiæ conſodales appello, maximè Prælatos, qui non vt Gabini Tarquinium dono Deum ſibi miſſum putantes; Non vt Troiani à Sinone decepti Equum in Arcem ſub ſpe ſalutis publicæ deducentes, in ſua ſpe infauſtè

delusi;

delufi; ſed fauſta pro exitu fæliciſſimo concorditer acclamantes, pro vniuerſali Religionis emolumento diuturnum tibi, & quale Bonauenturæ fuit, adprecabantur regimen. Grande quidem illud commendatiſsimæ virtutis teſtimonium, quod, vt dixi, inter Primarios Ordinis ampliſsimi Candidatos, vnus tu à Patribus Capitularibus electus fueris Atlas ad portandum hac in Familia; inuicta prudentiæ ſtabilitate Orbem Seraphicum; Vnus, inquam, non vt Romulus ex plurium auium aſpectu; non vt Darius ex præuenientis equi artificiato hinnitu, ſed ex Dei prouidentia, veluti Dauid ex inſignium multitudine fratrum ad regendum Franciſcanum Iſraelem: Longè tamen ad conteſtandam Orbi Chriſtiano grandium meritorum celſitudinem euincit, quòd à potentiſsimo, atque pijſsimo Hiſpaniarum Monarcha inter plurimas Heroum cohortes, Tu vnicus delectus, & præſentatus fueris ad gubernandam inſignem, atque priuilegiatam Triuentinam Eccleſiam, & Sanctorum, & doctiſsimorum Præſulum Sedem antiquiſsimam, & à Sanctiſsimo DD. omnium fidelium Patre Innocentio XI. qui promouendos omnes lincæis oculis exactiſsimè perſcrutatur, etiam ſingulari cum ſuæ ſatisfactionis expreſsione, fueris ad tantum Præſulatum approbatus, gratiſsimè confirmatus, Eccleſiæque Tuæ cum vniuerſali acclamatione conſecratus; maiorem meritorum tuorum recognitionem ſperandi fortiſsimum nobis argumentum. Ingenuus animi candor, innocentia vitæ, decantata prudentia Scientiarum omnium congerie vallata, amabilis cum grauitate rara manſuetudo, quibus in Ordinis gubernio coruſcaſti, ſæculo

etiam non effulgere cum non potuerint, Te fælici Tuo Gregi adeo deſiderabilem, totque tandem, ac tantis cum acclamationibus acceptum reddiderunt. At quid boni eis ſperare non liceat, vnde tuo in aduentu tripudiarent? *Vlmus* namque tua Gentilitia plantata ſecus decurſus aquarum, maritandis vitibus, vt ait Plinius, apta copioſiſsimam in vtroque homine fælicitatem Eccleſiæ tuæ promittit; quæ in vlnis Tuis, in viſceribus, in corde ſuſcepta, Sanctiſsimos diuinæ charitatis, & Sanctorum operum fructus productura fore non dubitatur. Nec enim Tu, qui iuxta optimum *Turturum* in *Vlmo* Gentilitia quieſcentium omen te totum olim Religionis Tuæ commodis abſque vlla reſeruatione donaſti; nunc in altiori perfectionis gradu coruſcans, à *Turturis* fidelitate recedere potes, vt Tibi viuens ſubditorum fælicitatem vel in minimo dimittas. Solonis effatum habuiſti ſemper in ore, vt ad Principatum euectus, oblitus Tui, Tuorum commodo totus incumbas: Nullus vel de minimis illud Vetulæ improperare tibi potuit; *Si non vis audire, deſine regnare*; Curas enim officij tuis etiam infirmitatibus præferens cum Cæſare illo dicere ſolebas; *Stantem mori decet Imperatorem.*

Debebam itaque iam tum Patri optimo, ego præſertim protectionis, & beneuolentiæ tota ſingularitate deuinctus debebam Prælato tunc noſtro Vigilantiſsimo, legique animatæ mutum Legiſlatorem, ideſt Minoriticarum legum Seriem vniuerſam, quam Te iubente, Te promouente, Te cooperante, collegeram conſecrare. Quod autem iam tum debui, iam tum decreui, cognitiſque Tibi de cauſis non differre non potui, nunc com-

pede

pede ſoluto lætiſſimus offero, rogans humiliter cum Euangelica illa paupercula nil præter obolum habente, vt inculpabilem dilationem ſolita benignitate condonare, deuotique animi tenue licèt obſequium multiplici ex obligationum titulo offerentem vnà cum ſuo munuſculo benigniori ſemper oculo reſpicere, protegere, atque confouere non dedigneris.

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Dominationis Tuæ

Ex Almo S. Petri Cænobio in Monte Ianiculo hac die 1. Ianuarij 1685.

Humill. & Addict. in Chriſto Seruus
Frater Dominicus à Soſpitello.

Fr. Ioſeph Ximenez Samaniego totius Ordinis Fratrum Minorum Seraphici P.N.S.Franciſci Miniſter Generalis,&Seruus: Dilecto nobis in Chriſto Patri Fratri Dominico de Gubernatis Sacræ Theologiæ Lectori, & Prædicatori generali, totius Religionis noſtræ Cronologo,necnon Prouinciæ noſtræ Sancti Thomæ Taurinenſis Reformatæ Alumno, Salutem in Domino ſempiternam.

CVm prima pars Hiſtoriæ Seraphicæ prænotatæ *Orbis Seraphicus, ſeu de tripartitæ Religionis Franciſcanæ ortu & progreſſibus, laboribus, & fructibus, per quatuor Mundi partes, pro aſſerenda, defendenda, & propaganda Sancta Romana Eccleſia, eiuſque Fide Catholica*, à te compoſita, & à Theologis Ordinis noſtri, quibus id commiſimus, reuiſa, & approbata fuerit; Vt ipſam typis mandare poſſis; Præſentium tenore, quantum in Nobis eſt, facultatem concedimus, ſeruatis de reliquo ſeruandis. Dat. ex noſtro Conuentu Sancti Franciſci Matritenſi die 28. Menſis Auguſti, anni 1681.

Fr. Ioſeph Miniſter Generalis.

Reg. tit. Prouinciæ.

De mandato Suæ Reuerendiſſ. Paternitatis

Fr. Petrus Antonius à Canturio Sec. Gen. Ord.

PAter Laurentius de Suetia, & P. Carolus Franciſcus de Variſio videant, & examinet Tomum Tertium, & Quartum Orbis Seraphici à P.Dominico de Soſpitello continuatum:quorum conſcientiam in hoc oneramus: & in ſcriptis referant.Dat.ex noſtro Ara-cœlitano Conuentu die 9. Iulij 1681.

Fr. Antonius de S. Ioanne Commiſs. Generalis.

Loco † Sigilli

CEN-

ORbis Seraphici Tomum quartum à P. Dominico à Soſpello Ord. Chronografo ingenioſè atque accuratè digeſtum, iubente Reuerendiſſimo P. Antonio à Sancto Ioanne Ciſmontanæ Familiæ Commiſsario Generale, perlegi, & attentè obſeruaui materiæ congeriem circa Capitula, & Congregationes noſtri inſtituti omnia collecta, ac diſpoſita inueniri, vt exinde Chronologiæ Seraphicæ ornatus quidam, & his quæ in eadem deſiderantur, ex Archiuijs, ac Regeſtis maximum augmentum ac lumen acceſſerit. Quamobrem eundem Tomum non minus vtilem quàm neceſſarium Reuerendiſſimæ Paternitatis ſuæ approbatione commendandum iudicaui, quò in lucem publicam emitti poſſit, cùm etiam nihil Fidei aut moribus diſſonum contineat. Romæ die 13. Octobris 1681.

Fr. Laurentius à S. Paulo ex Suetia.

ADdidit meis votis obedientia fructum, dum in mandatis accepi à Reuerendiſſimo Patre Antonio de S. Ioanne in hac Ciſmontana Familia Commiſſario Gen. vt recognoſcerem, ac examinarem additiones, quas ſtudium, & labor R. A. P. Dominici à Soſpitello collegit, faciendas Chronologiæ Seraphicæ iamdudum typis editæ, ſed nimium diminutæ (vtpotè ocyùs conceptæ, ac immaturè emiſſæ) cum in ea deſiderentur quamplurima ſcitu, & notatu digna ex Capitulis, & Congregationibus generalibus ante illius impreſſionem celebratis, deſintque eidem cuncta, quæ itidem in Capitulis, & Congregationibus poſt illius editionem ſtatuta, ac determinata fuere; quæ omnia opus ipſum pro complemento ſibi addenda requirit. Id ego ipſe p'uries optaui, immo non ſemel animo reuolui, vt Superioribus Generalibus ſupplicarem, quatenùs pro neceſſitate, ne dum vtilitate iſtius operis, committerent illud vel mihi, vel alteri perficiendum. Præuenit mea vota P. Chronologi diligentia, cui multum debebit totus Seraphicus Ordo, cum ex his, quæ in duo volumina redegit, poſſimus agenda videre, & ad implenda, quæ viderimus, tutò procedere. Attentè legi, accuratè cognoui, diſtrictè examinaui, iuxtà mandatum, præfatas additiones, ex Regeſtis Archiuij Aracœlitani, necnon ad S. Iſydori de Vrbe, (vbi huçuſque ignotæ latuerunt) decerptas, quas eſſe præinſertis adamuſsìm concordes, appoſitæ vbique notæ demonſtrant. Nhil in eis percurri, quod S. Fidei, vel bonis moribus aduerſetur, quin potius omnia ad componendos mores ipſos, dirigendaſque actiones tam Superiorum, quàm ſubditorum valdè vtilia, ne dicam apprimè neceſſaria inſpexi; vt proindè prælo digniſſima exiſtimem. Datum Romæ in Conuentu S. Petri Montis aurei die 13. Octobris 1681.

Fr. Carolus Franciſcus à Variſio in præfato Conuentu Controuerſiarum Fidei Lector, & S. R. Inquiſitionis Qualificator.

Fr.

Fr. Antonius de Sancto Ioanne Ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ Seraphici P.N. Sancti Franciſci in hac Ciſmontana Familia Obſeruantium, & Reformatorum Commiſſarius Generalis,& Seruus. Dilecto nobis in Chriſto Patri Fratri Dominico de Gubernatis Lectori Theologo, Concionatori generali,Prouinciæ noſtræ Reformatæ S. Thomæ Apoſtoli Patri,& pro Seraphica Religione Chronologo generali, Salutem in Domino ſempiternam.

CVm quartus hiſtoriæ Seraphicæ tomus ſeriem omnium Capitulorum, & Congregationum generalium,vniuerſaque in ipſis edita à principio Religionis noſtræ in hanc vſque diem Statuta ex integro complectens à Te compoſitus,& à Theologis Ordinis noſtri, quibus id commiſimus, reuiſus, & approbatus fuerit; vt ipſum typis mandare poſſis, præſentium noſtrarum tenore, quantum in Nobis eſt,facultatem concedimus,ſeruatis cœteroquin ſeruandis. Vale,& tuis in orationibus Deum pro nobis exorare memento. Datum Romæ ex Aracœlitano noſtro Conuentu die 19. Octobris. 1681.

Fr. Antonius de S.Ioanne Comm.Generalis.

Reg. fol. 157.

De mandato ſuæ Reuerendiſſimæ Paternitatis.

F.Paſqualis à Tropæa Secr.Gen.

ORbis Seraphici leges omnes tum nuperas, tum ex antiquitatis ruderibus erutas ad totius Ordinis Gubernium Gurbernatis noſter hoc tertio,& quarto Tomo complectitur. Pandecta hæc Minoritica ſunt; in his varia pro temporibus, & moribus firmata,infirmata,formata, & reformata plura videbis, prouida tamen ſemper prudentia, & zelo tum ſtatuta, tum mutata. Non miraberis in hoc Lector. Inſtabilis hominum voluntas verſatiles, quibus coerceatur, leges poſcit. Alterandum ſanctionum quid cauſam dederit,hiſtorica Auctoris clara pandet pro ſingulis Generalibus Comitijs Anacephaleoſis. Ex hac habebit beneuolus legens,ex præteritis quomodo ſe ordinare queat circa futura. Prodeat ergo ad plurium vtilitatem liber hic liber verè ab omni næuo, qui ipſius impreſſionem poſſet retardare. Ita, quantum mea intereſt, iudico ego, cui à Reuerendiſſimo P. Miniſtro Generali demandata fuit reuiſio. Datum in Conuentu S. Petri in Monteaureo de Vrbe die 24.Ianuarij 1684.

Fr.Ludouicus Maria ab Ameno Sac.Theol.Lect.Emeritus.

Fr.Pe-

Fr. Petrus Marinus Sormannus de Mediolano Ex-guardianus Sacri Montis Sion, totius Ordinis Fratrum Minorum Seraphici Patris Noſtri Sancti Franciſci Miniſter Generalis, & Seruus. Dilecto nobis plurimum in Christo Patri Fratri Dominico de Gubernatis Lectori Theologo, Prouinciæ noſtræ Reformatæ S. Thomæ Apoſtoli Patri, & pro Seraphica Religione Chronologo Generali, ſalutem in Domino ſempiternam.

CVM Tomos tertium, & quartum Orbis Seraphici, ſeu Hiſtoriæ vniuerſalis Franciſcanæ, quam cum ingenti labore, & laudabili fructu de Religionis eiuſdem mandato conſcribendam ſuſcepiſti, iam Deo dante, abſolueris, à Patribus Theologis eiuſdem Ordinis noſtri, magna cum ſatisfactione approbatos; Nos harumq́ ſerie, & cum ſalutaris Obedientiæ merito, vt ſeruatis aliàs de iure ſeruandis, ipſos Typis euulgare valeas, facultatem Tibi, & benedictionem noſtram ſpecialem impertimur. Datum Romæ ex Aracœli die 29. Aprilis 1684.

Fr. Petrus Marinus Miniſter Generalis.

De mandato Suæ Reuerendiſſimæ Paternitatis.

Fr. Clemens Caprettus à Mediolano Secr. Gen. Ord.

Ex

EX Commiſſione Reuerendiſſimi Patris Sacri Apoſtolici Palatij Magiſtri ego infraſcriptus vidi, & legi quartum tomum Orbis Seraphici &c. ab Adm. Reu. P. Dominico de Gubernatis Ordinis de Obſeruantia compoſitum. Cùm autem nihil in eo mihi occurrerit dignum Cenſura, ſed potiùs omnia in eo contenta Religioſæ diſciplinæ maximè ſint conſona, propterea iudico, prædictum tomum typis edi poſſe. Datum ex Conu. S. Auguſt. de Vrbe &c.

Ego Fr. Ioſephus Sabatino Ordinis S.P. Auguſtini.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſt.

I. de Angelis Archiepiſcopus Vrbin. Viceſgerens.

Imprimatur;

Fr. Ioſeph Clarionus Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac Reuerendiſs. P. Fr. Dominici Mariæ Puteobonelli Sac. Palatij Apoſt. Mag. Socius, Ord. Prædic.

AD-

ADMODVM RR. PATRIBVS
IN ORDINE MINORVM PRAELATIS
Eiuſdem regimini præpoſitis

SEraphicæ noſtræ Matri, qui vitam ipſi me debere profiteor, ad mortem vſque non adlaborare non poſſum; eo vel maximè, quòd nihil de meo tribuam, cum vel aliquid contribuo. Quod in ſuprema Petri Cathedra Sanctiſſimus Petri ſucceſſor Sixtus IV. in literis etiam Apoſtolicis confiteri non erubuit, longè maiori fundamento gloriari poſſum & ego, nec formica quidem illius in conſpectu maximi Elephantis; Si quid in Religione colligere licuit, omnia Religioni pleno iure deberi, Grande quidem opus, ac meæ tenuitatis omnino ſupra vires, de ſolius obedientiæ merito præſumens, aſſumpſi, de Seraphicæ Religionis ortu, progreſſibus, fructibuſque ſanctiſſimis, in Tomos plurimos diſtribuendum Reuerendiſſimi, primùm P. Ioſeph Ximenes Samaniego tunc Ordinem ſanctiſſimè regentis (iam ad præclariſſimas Eccleſiæ Placentinæ in Hiſpan. infulas vel promoti, vel coacti) de mandato; iubente demum, viuidèq; protegente, atque fauente Reuer. P. Petro Marino de Sormannis Mediolanenſi illius in ſuprema Ordinis Præfectura digniſſimo ſucceſſore, Deo dante, fæliciter inchoaui: obedientiæ merito proſequente non intermitto: Si tamen, Deo aliter diſponente, complere mihi non dabitur, complendi via cœteris proculdubio ſtabit aperta. Nihil de meo præter errores, cœtera omnia veſtra comperietis in eis. Glorioſiſſimi Patrum noſtrorum labores, ſanctiſſimique fructus vel ex nouo, vel ex veteri Orbe in horreum Domini congregati, non quidem per annorum ſeries digeſti (quod maxima ex parte, gloria inæquabili noſter perfecit pijſſimus æquè, ac doctiſſimus P. Lucas Vvadingus) ſed ab Ordinis initio ad hæc vſque tempora per claſſes proprias diſtributi ad ſpiritualem ſæculi ædificationem, ad ſucceſſorum noſtrorum forte incitamentum, Ordiniſque Franciſcani decorem magna ſaltem cum facilitate, atque claritate perquirentibus occurrent.

Speciale tamen quoddam eſt, quod ad abſtergendam omnem admirationis cauſam, dum laborum ipſorum narratio differri videtur, aduertere debeo: Orbis namque Seraphici poſiturus antea fundamentum; cum eſſe intrinſecum phyſicum, vel quaſi phyſicum Religionis eiuſdem duobus primis Tomis abſoluerim; ſic in tertio, & quarto de ipſius eſſe politico, de legibus quibus gubernatur, agendum non negabitis; vt deinde clariùs ad explicandas operationes eius procedere valeamus. Quod ergo tertius iſte, & quartus vt enſes Achilli, ad vos ò RR. Adm. Patres, ſpecialiùs attineant, dubitari omnino non licet, vtpote quorum vigilantiæ zelo, & doctrinæ gubernium Ordinis noſcitur eſſe commiſſum. Verùm ſi Statutorum ſeriem habemus, quibus in præſenti eſt inhærendum; ad quid antiqua tanto labore perquiſita reproducere? non quidem inaniter. Cum enim Statutorum in nulla compilatione caſus omnes, qui euenire poſſunt, liceat expreſſos habere; ad dubiorum elucidationem, ad deficientium ſupplementum, & ad coniectandam Ordinis mentem recurrere debemus ad antiqua, vt optimè notauit doctiſſimus P. Sanctorius in ſuis commen. ad conſtit. c. 12. Sta. 12. Iamque olim ſanxerat Iuſtinianus in ſecunda confirmatione ff. §. 18. dicens; *vt ſi quid præter id, quod hic ordinatum, eſt, emerſerit, illud conari decidere ſecundùm eorum, quæ iam ordinata ſunt, conſequentiam, & imitationem.*

Hoc igitur inter cœtera vigilantiſſimo, ſemperque indefeſſo zelo Reuerendiſſimi P. N. Miniſtri Generalis Petri Marini debebimus, quòd conquieſcere noluerit, donec id, quod à Reuerendiſs. Samaniego ſuo commendatiſſimo prædeceſſore fuerat ſuper omnia con-

cupitum, & efficaciſſimè commendatum, pro integra Religionis incolumitate, viderit opere completum. Iam in Annalibus Vvadingi plurima fuerant ſparſim inſinuata; integram illorum ſeriem ſe daturum ſperabat, & optimè dediſſet, ſi vita ſuperſtite diutiùs laborare licuiſſet. Iam in Chronologia Ordinis Hiſtorico-legali perplurima fuerant congregata; plurima verò adhuc ad Aram-Cœli & ad S. Iſydori de Vrbe latebant in Regiſtris; ecce tandem omnia prorſus ab Ordinis initio, quatenus per diligentias poſſibiles licuit, ad ſanctiùs dirigendum noſtræ Religionis in communi gubernium, ad hæc vſque tempora edita Statuta, proprijs in locis appoſita, duobuſque Tomis comprehenſa (vnicus enim immoderatam excreuiſſet in molem) habetis; has ergo Seruuli veſtri qualeſcumque vigilias deuotiſſimum obſequij teſtimonium benignè recipere ne grauemini.

PROTESTATIO AVTHORIS.

CVM S.D.N. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij 1625. in Sacra Congregatione Sac. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iulij anno 1634. quo inhibuit, imprimi libros hominum, qui Sanctitate, ſeu Martyrij fama celebres è vita migrauerunt, geſta, miracula, vel reuelationes, ſeu quæcumque beneficia, tamquam ipſorum interceſſionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata. Idem autem Sanctiſſimus die 5. Iulij anno 1631. ita explicauerit, vt nimirum non admittantur Elogia Sancti, vel Beati abſolutè, & ea, quæ cadunt ſuper perſonam, benè tamen ea, quæ cadunt ſuper mores, & opinionem, cum proteſtatione in principio, quòd ijs nulla adſit authoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantùm ſit pœnes Authorem. Huic decreto, eiuſque confirmationi, & declarationi, obſeruantia, & reuerentia, qua par eſt, inſiſtendo, profiteor me, haud alio ſenſu, quicquid in hoc Libro refero, accipere, aut accipi ab vllo velle, quàm quo ea ſolent, quæ humana dumtaxat authoritate, non autem Diuina, vel Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut Sedis Apoſtolicæ nituntur, ijs tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes, Beatorum, aut Martyrum cathalogo adſcripſit.

BENE-

BENEVOLE LECTOR.

DVM exurgentibus Imperij Romani primis initijs libros nouem (cum Communiori loquimur) Vrbis fata continentes, vt putabant, atque pro tuenda, & amplianda Romanorum fœlicitate docentes à Sybilla Cumæa Tarquinio Superbo dominanti oblatos fuiſſe, commemorant hiſtorici, controuerſiam poſteris hùcuſque non deciſam excitarunt; Vtrum videlicet, in ſex illorum voluminum ob pretij repulſam igne conſumptis maior arcanorum pars abſumpta perierit; vel omnia in tribus, quæ remanſerunt, continerentur ex integro? Continuatum hunc quartum Orbis Seraphici tomum cum tertio præcedenti, nec tantùm ordine hiſtorico, ſed veluti partem illius eidem neceſſario adnecti iam in præcedenti prænotauimus, dicendo vnicum pro vtroque hìc apponendum fore Indicem Materiarum. Quid autem, ſi quiſpiam interroget, an eadem, vel diuerſa ſit vtriuſque materia? non equidem, vt de Sybillinis interminatam quæſtionem eſſe reſpondebo; ſed eandem ſimul, & diuerſam eſſe ſubiungam. Omnia, & quæcumque in Generalibus Ordinis Comitijs ab Ordinis exordio pro firmiori eiuſdem gubernio conſtituta fuiſſe legimus, quæ hoc duplici volumine continentur, vnico ab obiecto ad vnitatem conuenire diximus ibidem; licèt enim materias omnino quamplurimas, & ipſas inter ſe quàmmaximè diſparatas indubiè contineant; ad vnum tamen, & idem conſpirare non dubitatur, nempe pro fœliciori, ſanctiori, atque ſinceriori Regulæ Obſeruantia. Cum verò plurima iam in præcedentibus deſcripta, hìc repetita leguntur; haud ideo inferendum credas, eandem prorſus, & eodem modo replicari materiam. Cum etenim caſus humani varientur hìc, & nunc in infinitum, impoſſibile prorsùs eſt omnibus, & ſingulis, quæ in dies accidere ſolent, aut poſſunt, vnica legis diſpoſitione in perpetuum occurrere. Summa quis ignorat à Cadmo primùm, & deinde ab Epaminonda prudentia ſub optimis legibus conſtitutos fuiſſe Thebanos, Athenienſes à Solone, Spartanos à Licurgo, Romanos à Numa? Quis tamen inficiari audebit, quotidianas fuiſſe apud eoſdem legum mutationes, & additamenta? Romæ cum non ſufficerent in infinitum multiplicata Senatus conſulta, Plebiſcita, Patrumque reſponſa, à Græcis etiam leges decem tabularum mutuari non erubuit illa Reſpublica Sapientiſſimis viris abundans. Ipſamet Diuina Sapientia, quæ attingit à fine vſque ad finem fortitèr, ſuauitèrque diſponit omnia, quo lento gradu in promulgandis humano generi legibus ante Moyſen, ſub Moyſe, nec non in lege gratiæ proceſſerit, vt & in reuelandis noſtræ fidei myſterijs, habemus in Sacris litteris luculenter. Haud ita tamen, quòd ipſa per ſe proficiendo variaret, ſed quòd humanæ fragilitati, debilique capacitati ſe ſe accommodare voluerit. Hoc idem in condendis, explicandis, multiplicandis, & mutandis ſacris legibus Sancta Romana paſſim imitatur Eccleſia. Nec difformiter in Seraphica Religione noſtra, quod ſemper concupitum fuit, pluries de-

cretum fuiſſe legimus, vt nouis condendis legibus vltima tandem manus apponeretur aliquandò. At fruſtrà concupitum, fruſtrà hoc decretum fuiſſe ineuitabiles rerum euentus comprobarunt. Ex caſibus nouiter in dies emergentibus, ex nouis Sacrarum Congregationum, imò, & immediatæ Sedis Apoſtolicæ conſtitutis, quæ iuſtiſſimis de cauſis antiqua Religionis ſtatuta mutarunt, fieri non potuit, quin antiquæ noſtræ leges ſæpiùs repetitæ, ſemper tamen cum aliqua, vel reſtrictionis, vel ampliationis, vel abrogationis, vel reſtitutionis nouitate in ſuccedentibus Comitijs habeantur. Haùd ergo amphibologicè dixi in tertio præcedenti, & hoc in quarto volumine eandem eſſe ſimul, & diuerſam omnino materiam. Quinimò cùm poſt abſoluta vltima Ordinis Comitia, nunquam otiante, vel oſcitante Reuerendiſſimi Patris Petri Marini Sormani Generalis Miniſtri prægrandi prudentia, compertum fuerit, adhùc dubia plurima, eaque grauiſſima, quæ in dies poſſunt occurrere, atque non contemnendas difficultates inuehere in ordinis gubernio, non fuiſſe hùc vſque diſcuſſa, vel definita, vel in ſerie ſtatutorum appoſita (quorum indicem ſtatim adnectimus) prudentiſſimè iudicatum eſt, vt poſt grauiſſimam doctiſſimorum Patrum diſcuſſionem reſoluta, & irrefragabili authoritate firmata hìc in calce ſtatutorum, vt pro lege deſeruiant, apponi deberent. Habes itaque Beneuole Lector hoc in quarto tomo completa Ordinis ſtatuta, tum in Capitulis totius Ordinis, tum in Congregationibus Generalibus vtriuſque familiæ ad hunc vſque diem condita, quæ ab anno 1639. in Chronologia Hiſtorico-legali deſiderabantur; habes, & dubia grauiſſima ad Ordinis gubernium attinentia, nouiſſimè definita; habes, & ampliſſimum, atque abſolutum vtriuſque ſtatutorum tomi indicem materierum; ita vt nihil vltrà deſiderandum ſupereſſe videatur: reliquum eſt, vt Reuerendiſſimi Patris Generalis hæc omnia inceſſanter ſollicitantis diligentiam, meumque laborem æqui, bonique conſulas. Vale.

INDEX CONSTITVTIONVM, ET DECRETORVM APOSTOLICORVM,

Et Emin. S. R. E. Cardinalium Ordinis Protectorum, atque Patrum Generalium, quæ in hiſce Tertio, & Quarto Tomis continentur.

Littera (a) *tomum tertium*, *littera* (e) *quartum indicat.*

Conſtitutiones Apoſtolicæ.

ADriani VI. pro confirmatione diuiſionis Prouinciæ Thuſciæ. *Ad hæc circa Regula is &c.* a.254.1.

Alexandri VII. confirmatio electionis Michaelis Angeli de Sambucca in Generalem. *Cum ſicut nobis &c.* e. 152.1.

Alex. VII. confirmatio ſtatutorum Capituli Toletani anni 1658. *Ad eximios &c.* e.160.2.

Alex. VII. conceſſio Indulgentiæ Plenariæ pro facientibus exercitia ſpiritualia. *Cum ſicut nobis &c.* e 161.2.

Alex. VII. confirmatio electionis Idelfonſi Salizanes Generalis. *Cum ſicut nobis &c.* e. 176.2.

Alex. VII. confirmatio concordati inter Obſeruantes, & Reformatos pro Commiſſario, & Definitoribus Generalibus. *Illius, qui charitas eſt &c.* e.184.1.

Alex. VII. declaratio de priuilegijs, quæ Regum Confeſſarijs, & Prædicatoribus competunt. *Exponi nobis nuper &c.* e.419.1.

Benedicti XII. pro ſuis conſtitutionibus Benedictinis. *Redemptor noſter &c.* a.27.2.

Clementis VII. Confirmatio erectionis Prouinciæ Flandriæ. *Romani Pontificis &c.* a.257.2.

Eiuſdem pro concordatis inter Prouincias Bohemiæ, atque Saxoniæ. *Romani Pontificis &c.* a.260.1.

Eiuſdem pro Vicarijs Generalibus Piſotto Generali ſubrogatis. *Nuper cupientes &c.* a 280.1.

Clementis VIII. Confirmatio Franciſci de Souſa Generalis electi. *Dilecte fili &c.* a.580.2.

Eiuſdem pro ſtudijs litterarijs in Ordine promouendis. *Decet Romanum Pontificem &c.* a.593.2.

Clemen. X. Confirmatio electionis Franciſci Mariæ Rhini Generalis. *Cum ſicut nobis &c.* e.194.1.

Clemen. X. Confirmatio ſtatuti de multiplicandis Definitoribus Generalibus. *Sacroſancti &c.* e.194.2.

Clemen. X. Declaratio de iuribus, & duratione Miniſtri Generalis. *Exponi nobis &c.* e.232.1.

Clemen. X. Benedictio Apoſtolica, & Indulgentiæ Plenariæ conceſſio pro Miſsionibus. *Cæleſtium Munerum &c.* e 334.2.

Innoc. X. Confirmatio Petri Maneri Generalis. *Cū ſicut nobis etc.* e.415.2.

Innocentij XI. Confirmatio electionis lo-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Ioſeph Ximénes Samaniego Generalis. *Cum ſicut nobis &c.* c. 216. 1.
Innocen. XI. Confirmatio ſpecialis cum inſertione ſtatutorum Capituli Romani anni 1676. *Militantis &c.* c. 217. 2.
Innocen. XI. pro pura obſeruantia Regulæ. *Solicitudo paſtoralis, &c.* c. 223. 1.
Innocen. XI. Indultum ad fauorem Lectorum Iubilatorum. *Exponi nobis &c.* c. 233. 2.
Innoc. XI. Benedictio Apoſtolica, & conceſſio Indulgentiæ Plenariæ pro Miſſionibus. *Vniuerſis &c.* c. 235. 1.
Innoc. XI. Confirmatio erectionis Seminarij pro Miſſionarijs. *Ex iniuncto &c.* c. 235. 2.
Innoc. XI. Confirmatio electionis Petri Marini Sormani de Mediolano Generalis. *Dilecte fili &c.* c. 252. 1.
Innoc. XI. in cauſa alternatiuæ in Prouincijs Indiarum, cum inſertione aliorum Breuium, & Decretorum Apoſtolicorum, ac Literarum Miniſtri Generalis. *Exponi nobis &c.* c. 305. 2.
Innoc. XI. pro erectione Cuſtodiæ in Inſula Maderę. *Innocentius Papa &c.* c. 315. 2.
Innoc. XI. Confirmatio deputationis Sebaſtiani de Atrojo in Commiſſarium Generalem Curiæ. *Religionis zelus &c.* c. 330. 2.
Innoc. XI. Confirmatio præcedentiæ Obſeruantium ſuper Capuccinos. *Nuper à Congregatione &c.* c. 333. 1.
Innoc. XI. pro erectione noui Seminarij Miſſionum in India. *Sacroſancti Apoſtolatus &c.* c. 336. 1.
Iulij III. Confirmatio Clementis de Monelia Generalis, & ſtatutorum Salmaticenſium. *Cum ſicut accepimus &c.* a. 300. 1.
Iulij III. Conceſſio facta Andreæ Inſulano Generali pro diuidendis Prouincijs Ordinis. *Cum ſicut accepimus &c.* c. 402. 1.
Leonis X. pro Reformatione totius Ordinis, quæ dicitur Bulla Vnionis. *Ite & vos &c.* a. 229. 1.
Eiuſdem pro ſpeciali regimine Conuentualium, & concordia cum Obſeruantibus; vnde & dicitur Bulla Concordiæ. *Omnipotens Deus &c.* a. 233. 2.
Nicolai IV. de non innonanda diuiſione, aut erectione Prouinciarum. *Quia Prouinciarum Ordinis veſtri &c.* c. 361. 1.
Pauli V. Conceſsio Indulgentiæ Plenariæ in omnibus Ordinis Eccleſijs pro Capitulo generali Toletano anni 1606. *Vniuerſis Chriſti fidelibus &c.* a. 602. 1.
Pauli V. contra recurrentes ad fauores, & contra Prælatos concedentes &c. *Admonemur &c.* c. 27. 2.
Sixti IV. de Vicariatu Prouinciali in Inſula Maderæ. *Sixtus Epiſcopus &c.* c. 310. 2.
Vrbani VIII. Confirmatio ſtatutorum Segobienſium; *Iniuncti nobis &c.* a. 704. 1.
Vrb. VIII. Diſpenſatio pro Bernardino de Senis Luſitano Commiſſario Generali, vt poſſit eligi in Miniſtrum Generalē. *Cum ſicut accepimus &c.* c. 2. 2.
Vrb. VIII. Confirmatio ſpecialis ſtatutorum Capituli Romani anni 1625. *Sacroſanctum &c.* c. 4. 1.
Vrb. VIII. Confirmatio Bernardini de Senis Miniſtri Generalis electi. *Cum in Capitulo &c.* c. 8. 2.
Vrb. VIII. Declaratio, quòd S. Eliſabeth Regina Portugalliæ fuit profeſſa in Tertio Ordine S. Franciſci. *Cum ſicut dilectus &c.* c. 9. 2.
Vrb. VIII. Confirmatio Ioannis Baptiſtæ de Campanea Generalis electi. *Dilecte fili &c.* c. 17. 2.
Vrb. VIII. Confirmatio ſtatutorum Capituli Toletani anni 1633. *Ad eximios &c.* c. 38. 2.
Vrb. VIII. Deputatio Officialium Ordinis, ſupplendo Congregationem Generalem anni 1636. *Cum ſicut*

cur accepimus &c. 39. 2.

Vrb. VIII. Confirmatio ſpecialis ſtatutorum Capituli Romani ann. 1639. cum ſtatutis in ea inſertis. *In ſupremo* &c. e. 42. 2.

Vrb. VIII. Conceſſio aliquarum gratiarum à Congregatione Romana anno 1642. poſtulatarũ. *Religioſos viros* &c. e. 87. 1.

Vrb. VIII. Erectio Cuſtodiarum Reformatarum in Prouincias. *Iniunctis nobis* &c. e. 87. 2.

Vrb. VIII. Confirmatio in forma ſpecifica ſtatutorum Reformatorũ. *Aliàs pro Congregatione* &c. e. 112. 2.

Vrbani VIII. Quod moriente Miniſtro Prouinciali primo anno ſui officij eligatur nouus Miniſter. *Creditum humilitatis* &c. e. 163. 1.

Vrb. VIII. Confirmatio conceſſionum Domorum Regularium de Obſeruantia Fratribus Reformatis S. Frãciſci quomodolibet factarum. *Ex iniuncti nobis* &c. e. 168. 2.

Vrb. VIII. Contra recurrentes ad fauores, & contra Prælatos intuitu fauorum concedentes officia &c. *Admonemur Paſtoralis* &c. e. 203. 1.

Bullæ plurimæ Summorum Pontificũ pro Prouincijs Braſilienſibus inſertæ in monitorio A. C. *Vniuerſis, & ſingulis* &c. e. 291. 1. & 301. 2.

Aliæ eodem modo. *Cunctis vbique patiat* &c. e. 303. 2.

Sequuntur Decreta Sacrarum Congregationum Emin. S. R. E. Cardinalium.

DEclaratio S. R. Congregationis, quòd S. Eliſabeth Regina Portugalliæ fuerit profeſſa in tertio Ordine S. Franciſci. *F. Ioannes de S. Bernardino* &c. e. 9. 2.

Decretum S. C. ſpecialis ſuper conſultationibus Ciſmontanæ familiȩ Ordinis Minorum de Obſeruantia. *In primis ſtatutum eſt* &c. e. 15. 2.

Decretum S. C. Epp. & Regul. pro ſtatutis Capituli Romani anni 1651. *Sacra Congregatio* &c. e. 144. 2.

Decretum pro electione Commiſſarij ad Capitulum generale mittendi. *Emmentiſſimi* &c. e. 162. 1.

Decretum, quòd Miniſter Prouincialis habeat votum deciſiuum in electionibus. *Sacra Congregatio* &c. e. 162. 2.

Decretum, quòd vacantia ſexennij &c. intelligatur de annis capitularibus. *Eminentiſſimi* &c. e. 162. 1.

Decretum, quòd in ſubrogationibus non requiratur vacãtia ſexennij. *Sacra Congregatio* &c. e. 162. 2.

Decretum, quòd in Prouincijs Strictioribus vacantia ſexennij reſtringatur ad triennium. *Cum à S. Congregatione* &c. e. 162. 2.

Decretum, quòd Epiſcopus in electione Abbatiſſæ non poſſit recipere vota ſuffragantium. *Die decima* &c. e. 163. 2.

Decretum, quòd Mendicantes non poſſint impediri ab Epiſcopo in quæſtuandis &c. *Sac. Congregatio* &c. e. 163. 2.

Decretum ſilentij perpetui pro electione Diſcretorum non facienda. *Sacra Congregatio* &c. e. 164. 1.

Decretum, quomodo Fratres Minores Obſeruantes ſint capaces legatorum perpetuorum. *Sacra Congregatio* &c. e. 164. 1.

Decretum, quòd Epiſcopi non limitent authoritatem Cõfeſſarijs. *Sacra Congregatio* &c. e. 164. 2.

Reſponſiones Sac. Congregationis ad quędam dubia. *Sacra Congregatio* &c. e. 165. 1.

Decretum, quibus competat abſolutio à reſeruatis in Religione. *In Congregatione* &c. e. 166. 1.

Decretum de non facienda ſubrogatione pro Definitore recuſante intereſſe. *Il Miniſtri* &c. e. 166. 1.

Monitorium A. C. pro obſeruantia decre-

cre-

cretorum ad ſepulturam ſpectātium. *Vniuerſis, & ſingulis* &c. c. 166. 2.
Decretum pro deputandis Iudicibus ad expellendos incorrigibiles. *Inhærendo* &c. c. 203. 2.
Conceſſio recitandi officium Omnium Sanctorum noſtri Ordinis. *Sacra Rituum Congregatio.* &c. c. 232. 2.
Conceſſio pro officio, & Octaua S. Patris Dominici. *Sacra Rituum Congregatio* &c. c. 232. 2.
Reſponſiones S. R. C. ad quædam dubia *Pro parte Reuerendiſsimi* &c. c. 233. 1.
Decretum S. C. de non retinendis ſæcularibus in Conuentibus, aut recipiēdis cum armis &c. *Sacra Congregatio.* &c. c. 250. 2.
Conceſsio officij B. Catharinæ de Bononia. *Sac. Rituum Congregatio* &c. c. 251. 1.
Decretum de non commodanda extra Conuentum Sacra ſuppellectile. *Sac. Congregatio* &c. c. 251. 1.
Conceſſio officij cum octaua B. Roſæ Viterbiēſis. *Supplicante* &c. c. 251. 2.
Decretum S C. præcedentia Obſeruantium ſuper Capuccinos. *Facta relatione* &c. c. 332. 2.
Aliud confirmatiuum eiuſdem cum ſilentio perpetuo. *Iterum per Eminen.* &c. c. 334. 1.
Decretum S. C. de propaganda fide pro facultatibus conceſſis à Pontifice Miſſionarijs in India. *Referente Eminentiſſimo* &c. c. 341. 1.

Decreta Emin. Cardinalium Ordinis Prædicatorum.

IOannis Ceruantes Cardin. S. Petri ad Vincula, Legati, & Præſidis Apoſtolici pro conſtitutionibus Martinianis. *Ioannes miſeratione Diuina* &c. a. 83. 1.
Rodulphi Cardin. de Carpo totius Ordinis Protectoris pro ſtatutis Salmaticenſibus. *Inter cætera* &c. a. 301. 1.
Eiuſdem pro Commiſſarijs generalibus Nationalibus, vltra Montes deſtinandis ex oraculo Papæ. *Vniuerſis, & ſingulis &c. die prima Ianuarii anno* 1555. a. 345. 2.
Eiuſdem aliud eodem modo pro non celebranda Congregatione generali intermedia. *Vniuerſis, et ſingulis* &c. ibid.
Alderani Cardin. Cybo Ordinis Protectoris approbatio decreti pro recurſu &c. à Commiſſario Generali ad Miniſtrum Generalem. *Attentis narratis* &c. c. 354. 2.
Franciſci Cardin. Barberini decretum de priuilegijs, quæ Regijs Confeſſarijs, & Prædicatoribus competunt. *Expoſuit nobis* &c. c. 418. 2.

Sequuntur litteræ enciclicæ Patrum Generalium pro bono publico Religionis.

EPiſtola S. P. Franciſci ad Sacerdotes ſui Ordinis. *In nomine Sanctæ Trinitatis* &c. a. 4. 1.
S. Bonauenturæ Generalis pro pura obſeruantia Regulæ. *Quoniam ad hoc* &c. a. 13. 2.
Arlotti Generalis ad eumdem finem. *Ne per ignorantiam* &c. a. 16. 2.
Ioannis de Murrho-Vallium Generalis ad eumdem finem. *Inter cœleſtium* &c. a. 19. 2.
Gerardi Odonis Generalis pro conſtitutionibus Benedictinis. *In Chriſto mihi cariſſimis* &c. a. 27. 1.
S. Bernardini Senenſis Vicarij Generalis pro pura obſeruantia Regulæ. *Cū nuper* &c. a. 92. 2.
Alia eiuſdem ad idem. *Volens mihi commiſſorum* &c. a. 93. 1.
B. Ioannis de Capiſtrano Vicarij Generalis pro conſtitutionibus Obſeruantium. *Quoniam vt ait Gregorius* &c. a. 95. 1.
Pauli Piſotti Generalis ad Prouinciam Siciliæ. *In Chriſto ſibi cariſſimis* &c. a. 273. 2.

Cle-

Clementis de Monelia Generalis pro Ordine reſtaurando, & pro Salmaticenſi compilatione ſtatutorum. *Perquirenti mihi* &c. a. 298. 2.

Franciſci de Toloſa Generalis pro reſtituenda Ordinis diſciplina. *Familia noſtra*. &c. a. 374. 2.

Bonauenturæ de Calatajerone Generalis pro ſtatutorum compilatione Valliſoletana. *Regularium conſtitutionum* &c. a. 411. 2.

Eiuſdem pro conſtitutionibus editis ad Reformatos Italiæ. *Poſtquam ſoli Dei gratia* &c. a. 561. 1.

Eiuſdem ad Gallos, & Belgas pro ſtabilienda Recollectione. *Quod à Sede Apoſtolica* &c. a. 568. 2.

Franciſci de Souſa Generalis ad Prouincias Ciſmontanas. *Cupientes nos* &c. a. 581. 1.

Ioannis Baptiſtæ de Campanea Generalis pro pura obſeruantia Regulæ. *Merito, & remiſſi* &c. e. 18. 1.

Ioannis de Neapoli pro ſtatutis Toletanis ann. 1645. *Non damus* &c. e. 114. 2.

Michaelis Angeli de Sambucca Generalis pro ſtatutis Romanis ann. 1651. *Ad Regularem* &c. e. 126. 1.

Petri Maneri Generalis pro iiſdem. *Leges multiplicare* &c. e. 126. 2.

Michaelis Angeli de Sambucca exhortatoria ad Ordinem. *Infin ta, & verè* &c. 152. 2.

Ildelfonſi Salizanes exhortatoria ad Ordinem. *Cum Altiſſimo* &c. e. 177. 1.

Franciſci Mariæ Rhini Generalis exhortatoria ad Ordinem. *Tenuitatis meæ* &c. e. 192. 1.

Ioſeph Ximenes Samaniego Generalis exhortatoria ad Ordinem. *Longè ſeriùs* &c. e. 216. 2.

Eiuſdem pro ſtatutis Congregationis Romanæ ann. 1679. *Ea eſt hominis* &c. e. 240. 1.

Eiuſdem de præcedentia Guardianorum in Conuentibus principalibus. *In cauſa* &c. e. 248. 1.

Antonij de S. Ioanne Commiſſarij Generalis de eleemoſynis Cõfeſſorum Monialium. *Quoniam Emin.* &c. e. 249. 1.

Eiuſdem decretum de prouentibus Cuſtodiæ Salariæ Romanæ. *Cum Emin.* &c. e. 250. 1.

Petri Marini Sormanni Generalis pro ſtatutis Toletanis ann. 1682. *Ad grauiſſimum* &c. e. 252. 2.

Eiuſdem exhortatoria ad Ordinem pro pura obſeruantia Regulæ. *Sollicitudo Paſtoris* &c. e. 273. 1.

Eiuſdem inſtructio pro fœliciori directione Nouitiatuum. *Conoſcendo Noi* &c. e. 277. 2.

Eiuſdem confirmatio pro Dominico à Soſpitello in Generalem Ordinis Chronologum. *Quoniam ſecundùm* &c. e. 284. 2.

Eiuſdem declaratio Patronatus Comitiorum Generalium Principis Sabelli. *Euangelicam paupertatem* &c. e. 287. 2.

Eiuſdem pro erectione Cuſtodiæ in Inſula Maderæ. *Cum ab exordio* &c. e. 314. 2.

Eiuſdem exhortatoria ad Fratres in Inſula Maderæ. *Vnus eſt Altiſſimus* &c. e. 317. 1.

Eiuſdem pro eadem cauſa ad Sereniſſ. Principem Regentem Luſitaniæ. *In occaſione* &c. e. 318. 1.

Eiuſdem declaratio dubiorum ſuper deputatione officialium Curiæ. *Viſis vnà cũ ſupplici libello* &c. e. 328. 1.

Eiuſdem deputatio Sebaſtiani de Arrojo in Commiſſarium Generalẽ Curiæ. *Fr. Petrus Marinus* &c. e. 350. 1.

Decretum eiuſdem ſuper recurſu &c. à Commiſſario Generali ad Miniſtrũ Generalem. *Concredita nobis* &c. e. 334. 1.

Decretum eiuſdem ſuper ordinanda ſerie Prouinciarum. *Inhærendo ſtatuto* &c. e. 393. 2.

Decretum eiuſdem ſuper obſeruantia ſtatut. de præcedentia Lectorum emeritorum inter Reformatos. *In controuerſia* &c. e. 410. 1.

Epi-

Epiſtola Petri Maneri Generalis exhortatoria ad Ordinem. *Altiſsimus ille* &c. c.416.1.

Epiſtola Imperatoris.

Leopoldi Imperatoris ad Patrem Marinum Sormanni Generalem Ordinis S.Franciſci pro eleemoſyna in ſubſidium Sacri belli. *Honorabilis, Religioſe, Deuote, Nobis Dilecte* &c. c.425.2.

Caroli II.Hiſpaniarum Regis pro Equitibus S.Sepulchri. *Illuſtris Comes de Melgar.*&c. c.426.2.

Index Capitulorum Generalium totius Ordinis, quæ in hiſce tomis tertio, & quarto continentur.

i. Aſiſij 1216. a. 1. 2.
ii. Aſſiſij 1219. a. 2. 2.
iii. Aſſiſij 1220. a. 3. 2.
iv. Aſſiſij 1221. a. 5. 1.
v. Aſſiſij 1223. a. 5. 1.
vi. Romæ 1227. a. 5. 2.
vii. Romæ 1230. a. 5. 2.
viii. Soriæ in Hiſpania 1233. a. 6. 1.
ix. Aſſiſij 1236. a. 6. 2.
x. Romæ 1239. a. 6. 2.
xi. Romæ 1239. a. 6. 2.
xii. Bononiæ 1242. a. 7. 2.
xiii. Genuæ 1244. a. 7. 2.
xiv. Auenione 1247. a. 8. 1.
xv. Metis in Gallia 1249. a. 8. 1.
xvi. Romæ 1256. a. 8. 2.
xvii. Narbonæ 1260. a. 9. 1.
xviii. Piſis 1263. a. 12. 1.
xix. Lutetiæ Pariſiorum 1266. a. 12. 2.
xx. Aſſiſij 1269. a. 14. 2.
xxi. Piſis 1272. a. 15. 1.
xxii. Lugduni 1274. a. 15. 1.
xxiii. Patauij 1277. a. 15. 2.
xxiv. Aſiſij 1279. a. 15. 2.
xxv. Argentinæ 1282. a. 16. 1.
xxvi. Mediolani 1285. a. 16. 2.
xxvii. Montis Peſſulani 1287. a. 17. 2.
xxviii. Reate 1289. a. 18. 1.
xxix. Pariſijs 1292. a. 18. 1.
xxx. Aſſiſij 1295. a. 18. 2.
xxxi. Anagniæ 1296. a. 19. 1.
xxxii. Lugduni 1299. a. 19. 1.
xxxiii. Genuæ 1302. a. 19. 1.
xxxiv. Aſſiſij 1304. a. 20. 2.
xxxv. Toloſæ 1307. a. 21. 2.
xxxvi. Patauij 1310. a. 21. 2.
xxxvii. Barchinone 1313. a. 22. 1.
xxxviii. Neapoli 1316. a. 22. 1.
xxxix. Maſſiliæ 1319. a. 23. 1.
xl. Peruſij 1322. a. 23. 1.
xli. Lugduni 1325. a. 23. 2.
xlii. Bononiæ 1328. a. 23. 2.
xliii. Pariſijs 1329. a. 25. 1.
xliv. Perpiniani 1331. a. 25. 2.
xlv. Aſſiſij 1333. a. 26. 2.
xlvi. Caturci in Aquitania 1337. a. 27. 1.
xlvii. Aſiſij 1340. a. 47. 2.
xlviii. Marſiliæ 1343. a. 47. 2.
xlix. Venetijs 1346. a. 48. 1.
l. Veronæ 1348. a. 48. 2.
li. Lugduni 1351. a. 48. 2.
lii. Aſſiſij 1354. a. 48. 2.
liii. Barchinone 1357. a. 73. 2.
liv. Genuæ 1359. a. 74. 1.
lv. Argentinæ 1362. a. 74. 1.
lvi. Florentiæ 1365. a. 74. 1.
lvii. Aſſiſij 1367. a. 74. 2.
lviii. Neapoli 1370. a. 74. 2.
lix. Toloſæ 1373. a. 74. 2.
lx. Aquilæ 1376. a. 75. 1.
lxi. Strigonij in Vngaria 1379. a. 75. 1.
lxii. Ferrariæ 1383. a. 76. 2.
lxiii. Patauij 1385. a. 76. 2.
lxiv. Florentiæ 1387. a. 77. 1.
lxv. Mantuæ 1390. a. 77. 1.
lxvi. Coloniæ Agrippinæ 1392. a. 77. 2.
lxvii. Arimini 1396. a. 77. 2.
lxviii. Aſſiſij 1399. a. 77. 2.
lxix. Aſſiſij 1402. a. 77. 2.
lxx. Monachij in Bauaria 1405. a. 77. 2.
lxxi. Aquilæ in Veſtinis 1408. a. 78. 1.

lxxii.

lxxii. .... 1411.a.78. 1.
lxxiii. Lauſannæ in Sabaudia 1414. a. 78. 1.
lxxiv. Mantuæ 1418. a. 81. 2.
lxxv. Ad Forum-liuij in Æmilia 1421. a. 81. 2.
lxxvi. Ferrariæ 1424. a. 82. 1.
lxxvii. Caſalis 1427. a. 82. 1.
lxxviii. Aſſiſij 1430. a. 82. 2.
lxxix. Bononiæ 1433. a. 91. 2.
lxxx. Toloſæ 1437. a. 92. 1.
lxxxi. Genuæ 1440. a. 94. 2.
lxxxii. Patauij 1443. a. 94. 2.
lxxxiii. Montis Peſſulani 1446. a. 107. 1.
lxxxiv. Florentiæ 1449. a. 110. 2.
lxxxv. Romæ 1450. a. 110. 2.
lxxxvi. Peruſij 1453. a. 111. 1.
lxxxvii. Bononiæ 1454. a. 111. 2.
lxxxviii. Mediolani 1457. a. 113. 2.
lxxxix. Romæ 1458. a. 114. 1.
xc. Diuinione in Burgundia 1461. a. 115. 1.
xci. Peruſij 1464. a. 116. 2.
xcii. Florentiæ 1467. a. 117. 2.
xciii. Venetijs 1469. a 119. 1.
xciv. Ferrariæ 1472. a. 121. 1.
xcv. Vrbini 1475. a. 122. 1.
xcvi. Romæ 1479. a. 124. 2.
xcvii. Brixiæ 1482. a. 129. 2.
xcviii. Caſalis 1485. a. 130. 2.
xcix. Cremonæ 1488. a. 133. 1.
c. Aſſiſij 1491. a. 134. 1.
ci. Bononiæ 1495. a. 136. 1.
cii. Mediolani 1498. a. 137. 1.
ciii. Interamne 1500. a. 138. 1.
civ. Trecis in Gallia 1503. a. 212. 2.
cv. Romæ 1506. a. 215. 1.
cvi. Romæ 1510. a. 217. 1.
cvii. Aſſiſij 1513. a. 220. 2.
cviii. Cherij 1516. a. 222. 1.
cix. Romæ 1517. a. 227. 2.
cx. Lugduni 1518. a. 238. 2.
cxi. In Conuentu Carp. 1521. a. 247. 1.
cxii. Burgis 1523. a. 251. 2.
cxiii. Parmæ 1529. a. 270. 1.
cxiv. Niciæ 1535. a. 281. 2.
cxv. Mantuæ 1541. a. 284. 1.
cxvi. Aſſiſij 1547. a. 288. 1.
cxvii. Salmanticæ 1553. a. 298. 1.
cxviii. Aquilæ 1559. a. 347. 1.
cxix. Valliſoleti 1565. a. 351. 1.
cxx. Romæ 1571. a. 354. 2.
cxxi. Pariſijs 1579. a. 361. 2.
cxxii. Romæ 1587. a. 366. 2.
cxxiii. Valliſoleti 1593. a. 397. 1.
cxxiv. Romæ 1600. a. 574. 2.
cxxv. Toleti 1606. a. 595. 1.
cxxvi. Romæ 1612. a. 603. 1.
cxxvii. Salmanticæ 1618. a. 616. 1.
cxxviii. Romæ 1625. c. 1. 1.
cxxix. Toleti 1633. c 16. 2.
cxxx. Romæ 1639. c. 40. 2.
cxxxi. Toleti 1645. c. 113. 2.
cxxxii. Romæ 1651. c. 126. 1.
Eius electionum tabula c. 414. 2.
cxxxiii. Toleti 1658. c. 149. 1.
cxxxiv. Romæ 1664. c. 173. 2.
cxxxv. Valliſoleti 1670. c. 187. 2.
cxxxvi. Romæ 1676. c. 214. 1.
cxxxvii. Toleti 1682. c. 252. 1.

Index Congregationum Generalium intermediarum, quæ in hiſce tomis tertio, & quarto continentur.

i. Burdigalæ 1520. a. 242. 2.
ii. Aſſiſij 1526. a. 265. 2.
iii. Meſſanæ 1532. a. 276. 1.
iv. Toloſæ 1532. a. 276. 2.
v. Congregatio intermedia Lunelli nõ fuit celebrata a. 283. 2.
vi. Congregatio intermedia Caluij non fuit celebrata. a. 288. 1.
vii. Congregatio intermedia Inſulani non fuit celebrata. a. 298. 1.
viii. Romæ 1557. a. 346. 1.
ix. Montis Aluernæ 1563. a. 350. 1.
x. Congregatio intermedia Aloyſij Putei non reperitur. a. 354. 2.
xi. Romæ 1575. a. 358. 2.
xii. Toleti 1583. a. 364. 2.

xiii. Neapoli 1590. a. 374. 1.
xiii. Congregatio intermedia Bonauēturæ Calatajerone non fuit celebrata. a. 574. 1.
xv. Romæ 1603. a. 584. 1.
xvi. Congregatio intermedia Archangeli de Meſſana non fuit celebrata. a. 603. 1.
xvii. Romæ 161 5. a. 612. 1.
xviii. In Conuentu Segobienſi 1621. a. 618.
xix. Romæ 1629. e. 11. 1.
xx. Congregatio intermedia Ioannis Baptiſtæ à Campanea non fuit celebrata. e. 39. 2.
xxi. Romæ 1642. e. 84. 2.
xxii. Victoriæ 1648. e. 122. 1.
xxiii. Romæ 1654. e. 144. 2.
xxiv. Valliſoleti 1661. e. 169. 2.
xxv. Romæ 1667. e. 184. 2.
xxvi. Toleti 1673. e. 205. 2.
xxvii. Romæ 1679. e. 239. 2.

Index Miniſtrorum Generalium, Vicariorum Generalium in vtraque Familia ante bullam vnionis, Commiſſariorum Generalium alterius tantùm familia, Officialium Curia, Diffinitorum Generalium, Lectorum, et Studiorum Generaliū Guardianorum Hieruſalem, aliorumq; Officialium, qui ſolent in generalibus Comitiis deputari, videri poſſet hic etiā adnectendus, vt et Capitulorum generalium Obſeruantia ſub Vicariis ante bullam Vnionis: quia tamen Catalogus Miniſtrorum Generalium in tomo 4. pag. 268. ex integro deſcriptus habetur. Capitula verò generalia ſub Vicariis recenſentur hic etiam in primo rerum Indice V. Capitulorum: cæteri verò Officiales in ipſis Comitiorum Tabulis ordinatè leguntur; non eſt cur fruſtanea repetitione librum implere debeamus.

Index Additionum in tomo Quarto.

Epiſtola Petri Marini Generalis exhortatoria ad Ordinem. e. 273. 1.
Epiſtola Petri Manero exhortatoria ad Ordinem. 416. 1.
De forma in receptione Nouitiorum ſeruanda. e. 277. 2.
De Patronatu Comitis de Chinchon in Comitijs Ordinis ad Principem Sabellom deuoluto. e. 285. 1.
De Chronologo Generali Ordinis. e. 284. 2.
Prouiſiones Apoſtolicæ, & Ordinis pro Prouincijs Braſilienſibus. e. 291. 1.
De noua Cuſtodia in Inſula Maderæ. e. 310. 1.
Declaratio nonnullarum difficultatum circa Officiales Curiæ occurrētium. e. 318. 2.
Inſtitutio P. Sebaſtiani de Arrojo in Commiſſarium Generalem Curiæ. e. 330. 2.
De Præcedentia Obſeruantium ſuper Capuccinos. e. 332. 2.
De nouo Miſſionum Seminario in Regno Mechiocan. e. 334. 1.
De Appellatione, ſeu Recurſu à Commiſſario Generali familiæ ad Miniſtrū Generalem Ordinis, & de huius authoritate in altera familia. e. 343. 2.
De Ex-miniſtro, et Ex-commiſſario Generali ad Epiſcopatum nominatis. e. 355. 1.
De Calendario nouo Ordinis. e. 356. 2.
Cauſa de ſubrogatione pro Diffinitore Generali defuncto. e. 357. 2.
De ordinanda ſerie Prouinciarum. e. 359. 2.
Defenſiones pro præeminentijs Lectorum emeritorum inter Reformatos. e. 402.
Statuta propria Salmaticenſia de anno 1553. e. 410. 2.
Tabula Capituli generalis ſub Petro Manero. e. 414. 2.
De Prædicatoribus, & Confeſſarijs Regum. e. 418. 2.
De recuperatione Sāctorum Locorum Terræ Sanctæ. e. 423. 1.
De eleemoſyna in ſubſidiū belli ſacri. e. ibidem.
De equitum S. Sepulchri priuilegijs. e. 426. 1.

ORBIS

37.46.E.8

ORBIS SERAPHICI

TOMVS QVARTVS.

Capitulorum, & Statutorum Generalium Ordinis.

PARS SECVNDA

Capitulum Generale CXXIX. Romæ ad Aramcœli anno Iubilai 1625.

INdicta fuerant generalia Ordinis Comitia, iuxta Leoninæ Conſtitutionis, quæ *Vnionis* dicitur, tenorem, pro anno Domini 1624. in quo Reuerendiſſimi P. Benigni ſexennium in generali Miniſteriatu terminabatur; quibus maiori cum honore celebrandis Gregorius XV. Papa Indulgentiæ plenariæ priuilegium indulſerat, eo modo, quem in primo Tomo deſcripſimus. Soli tamen de Ciſmontana Familia Reformati cum Obſeruantibus de vniuerſo Ordine conuenire debebant, Vltramontanis Diſcalceatis, atque Recollectis de ipſa Strictiori Obſeruantia in Ciſmontanos compromittentibus ad præſcriptum Bullæ Gregorij XV. *Onerosa Paſtoralis, &c.* quam ex Bullar. Ord. & Cherub. nos in tomo 2. deſcripſimus. Cum verò Vrbanus VIII. Sanctæ memoriæ poſt obitum Gregorij octauo Idus Auguſti 1623. ad Petri ſolium fuiſſet euectus, ardentique de zelo, eximioque fructu iam certus, quo Benignus Miniſter Generalis iuxta præfati Gregorij conſtituta pro reformando Ordine vniuerſo Sanctè adlaboraret; ad annum Iubilæi 1625. Comitia ipſa prorogari mandauit, edito diplomate. *Cum ſicut accepimus, &c.* die 11. Nouemb 1623. ad hoc vt antedictum Sanctæ Reformationis negotium pleniùs, & firmiùs vltimari valeret. Bullæ tenorem à nobis in tom. 1. fol. 341. iam ex integro narratum non eſt, cur hìc reſcribere debeamus: id vnum inde placet adnotare, quòd Miniſtrum Generalem, necnon Prouinciales, cæteroſque Ordinis officiales, qui ad Capitulum conuenire debebant, de poteſtatis Apoſtolicæ plenitudine voluit ad vſque præfatum prorogationis terminum eſſe ſuis in officijs reſpectiuè per omnia confirmatos ad hoc, vt abſque vllo ſuo præiudicio poſſent ad Comitia conuenire.

Interea temporis cum ipſemet Vrbanus Pontifex vniuerſum de Obſeruantia, tum Regulari, tum Strictiori Seraphicum Ordinem in Sancta vnione reſtituere, atque ſtabilire voluiſſet, anno 1624. editis litteris Apoſtolicis *Romanus Pontifex, &c.* die 15. Martij, Vicarios Generales Reformatorum, & Diſcalceatorum, ſiue de Strictiori Obſeruantia, tum in Hiſpanijs, tum in Italia omnimodè extinxit, atque reuocatâ præcitatâ Gregorij XV. conſtitutione, *Onerosa Paſtoralis, &c.* omnia in priſtinum reſtituit, mandauitque, vt tam de Regulari, quàm de Stri-

ctiori Obſeruantia, tum Ciſmontani, tum Vltramontani Obſeruantes vniuerſi, qui Generalibus in Comitijs eſſent aliàs legitimi Vocales, ad Generale Capitulum ex æquo conuenire, & ad ipſum etiam Generalatum concurrere deberent.

Hinc ergo factum eſt, vt cum Electores omnes de Regulari, & Strictiori Obſeruantia ex Ordine vniuerſo, etiam ab extremis Indiarum terminis, impedimento nullo retardati, ad Comitia confluxerint, fuerint hæc ipſa omni ex parte celeberrima: Theologicarum concertationum quotidiano, ſolemnique concurſu, ſacris concionibus nullo die prætermiſſis; & tandem S. Elizabeth Portugalliæ Reginâ, non ſecundum, vt aliqui credebant, ſed Tertium S. Franciſci Ordinem profeſſâ, inter ipſas Capitulares functiones in ſanctorũ cathalago ſolemniſſimo cum apparatu per Vrbanum Pontificem deſcriptâ; Cum etiam paulo ante B. Ioannes de Capiſtrano per Gregorium XV. B. Iacobus de Marchia per ipſum Vrbanum officium Eccleſiaſticum ad inſtar aliorum Beatorum in toto Ordine obtinuiſſent, & B. Felix Capuccinus etiam inter Beatos hoc ipſo anno fuiſſet adſcriptus, & viginti trium noſtrorum Martyrum Iapponenſium Beatificatio iam eſſet in ianuis; potuit glorioſè Seraphicus Ordo ea occaſione, qua ſpecialiter ex Orbe toto ad ſacra Iubilæi ſolemnia concurſus erat innumerus, in Alma Vrbe, hoc eſt in conſpectu omnium gentium conteſtari, qualiter non ſolùm fœtu nouæ prolis, etiam in vltimis terræ partibus, ſed & doctrinæ ſplendoribus, & fructibus Sanctitatis Deo, Eccleſiæque Sanctæ Romanæ deſeruiat.

Congregatis itaque Ordinis Patribus, & Comitiorum tractatibus apertis, ante omnia lectæ ſunt Apoſtolicæ Vrbani Papę litteræ, per quas ex motu proprio Sanctiſſimus Pontifex cum Reuerendiſſimo Bernardino de Senis, qui integro quadriennio Commiſſarium Generalem egerat apud Vltramontanos, voluit eſſe diſpenſatum, vt non obſtante decreto de ſexdecim annorum vacantia in huiuſmodi caſibus ſeruanda, poſſet in Miniſtrum Generalem eligi, & promoueri, diſpenſationis tenorem exhibeo.

VRBANVS PAPA VIII.

Dilecto filio Bernardino de Senis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia Profeſſori.

Dilecte fili Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CVM ſicut accepimus, Conſtitutionibus Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia, cuius pro Vltramontana Familia Commiſſarius Generalis exiſtis, inter cætera caueatur expreſſè, quòd nullus officio Commiſſariatus huiuſmodi fungens, in Miniſtrum Generalem eiuſdem Ordinis, niſi poſt ſexdecim annos à ceſſatione ſui officij computandos, eligi poſſit. Nos te, qui pietate, prudentia, & doctrina alijſque multiplicium virtutum donis, fide digno apud Nos teſtimonio commendaris, ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, ac mera deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, tibi, vt in proximo futuro Capitulo Generali dicti Ordinis in illius Miniſtrum Generalem, aliàs canonicè eligi, & aſſumi, munuſque Miniſtri Generalis huiuſmodi exercere liberè, & licitè poſſis, & valeas: Dilectis verò eiuſdem Ordinis Fratribus vocem in eodem Capitulo Generali habentibus, vt re officio Commiſſariatus huiuſmodi, ac Conſtitutionibus prædictis non obſtantibus in dicti Ordinis Miniſtrum Generalem eligere poſſint, Apoſtolica authoritate, tenore præſentium concedimus, & indulgemus, non obſtantibus prædictis & præſertim fel. recor. Pij Papæ V. Prædeceſſoris noſtri deſuper editis, & quibuſuis alijs Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Statutis, conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis eidem Ordini, eiuſ-

demque Superioribus, & perſonis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis; quibus omnibus, & ſingulis eorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, & ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ die 16. Maij 1625. Pontificatus anno ſecundo.

Cum verò non ſolum Bernardinus de Senis ex Commiſſariatu ad Miniſteriatum, ſed & Benignus ex Miniſtro Generali ad Commiſſariatum Generalem fuerit diſpenſatus, immo & ab ipſo Pontifice motu proprio creatus; non eſt, cur admireris ò Lector Beneuole; Siquidem ſapientiſſimus Pontifex, qui etiam in Cardinalatu adhuc agens vtrumque optimè nouerat, & quo zelo, fructuque pro ſancta Ordinis reformatione laboraſſent, non ignorabat, vtrumque voluit in regimine continuari; etſi Religio ipſa viris primarijs omni titulo conſpicuis abundaret. Piam Sanctiſſimi Pontificis de vtroque opinionem neuter fefellit; Bernardinus enim, qua animi conſtantia Regulæ obſeruantiam zelauerit, & ipſis in Comitijs, & in toto ſui Generalatus decurſu, vt ait Petrus Marchant in Chronologia breui Generalium, altiſſimè conteſtatus eſt. Benignus autem, tum primò Generalis Secretarius, tum integro ſeptennio Miniſter totius Ordinis, tum ſemel, & iterum, ac tertiò Commiſſarius Generalis in Ciſmontana Familia deputatus, in hoc ſemper mirabiliter effulſit (vt ait ipſe Marchant) vt nullo vnquam humano reſpectu etiam Regum, ac Monarcharum, à vero tramite Obſeruantiæ, vel modicum declinare, aut in aliquo diſſimulare toto ſuo regimine voluerit. Immo cum expleto primo Commiſſariatu, ne cum æmulis contendere cogeretur, in Siciliam transfretaſſet, vbi Religionis habitum induerat, ea humilitate viuebat, vt in vilioribus omnino miniſterijs, in nullo à Nouitijs diſtinctus, qui fuerat Miniſter Generalis Ordinis, etiam in cæmentario opere vt baiulus deſeruiret; tandem ab Vrbano VIII. ad Vrbem reuocatus, vt in rebus maximè ad Ordinem pertinentibus ei præſto eſſet; iterum, & tertiò ad gubernium euectus, plenus dierum, & bonorum operum cum magna ſanctitatis opinione anno 1651. ad S. Iſidori de Vrbe, quod erat mortale, depoſuit, vt fuſiùs in eius generalatu prænarrauimus.

Anno igitur Iubilæi 1625. die 17. Maij Aracælitano in Conuentu de Vrbe celebratum eſt Capitulum Generale, vt ſequitur.

Diſpenſante Sanctiſſimo Domino noſtro Vrbano Papa Octauo ex ſuo motu proprio, ſcientia, & deliberatione, vt non obſtantibus Ordinis Conſtitutionibus, quibus cauetur, quòd nullus officio Commiſſariatus Generalis fungens in Miniſtrum Generalem totius Ordinis, niſi poſt ſexdecim annos à ceſſatione ſui officij computandos eligi poſſit: tali promulgata diſpenſatione Apoſtolica, ac ſeptennio Reuerendiſſimi Patris Fratris Benigni de Genua dicti fœliciter abſoluto, Reuerendiſſimus P. Fr. Bernardinus de Senis Prouinciæ Portugalliæ filius, cum iam per integrum quadriennium Vltramontanus Genaralis Commiſſarius maxima cum laude extitiſſet, cunctorum animis, & ſuffragijs ad ipſum confluentibus, incredibili omnium applauſu, in totius Ordinis Miniſtrum Generalem cooptatus eſt. Chronol. Seraph. fol. 673

Ciſmontanæ Familiæ Commiſſarius Generalis Reuerendiſſimus P. Fr. Benignus de Genua authoritate Apoſtolica eſt conſtitutus, & à Reuerendiſſimo P. Miniſtro Generali declaratus, ſeptennali priùs totius Ordinis adminiſtratione præclariſſimè confectâ.

Ordinis Procurator in Curia Romana.

Adm. R. P. Fr. Ioannes de S. Bernardino Prouinciæ Portugalliæ Commiſſarius, & Secretarius Ordinis.

Commiſſarius in eadem Curia Romana pro Ciſmontana Familia.

Adm. R. P. Fr. Ioannes Baptiſta de Monte Coruino Prouinciæ Principatus, & Ordinis Pater, & ex Procurator.

Diffinitores Generales Vltramontanæ Familiæ

Adm. R. P. Fr. Petrus Iouer Prouinciæ Cathaloniæ Pater, & Cuſtos, & olim Procurator Ordinis.

Adm. R. P. Fr. Ioſephus de Bergaine Prouinciæ Colonienſis Pater, & Cuſtos, iterum Diffinitor.

Adm. R. P. Fr. Ioannes *de la Val* Miniſter Prouinciæ Sancti Bonauenturæ.

Adm. R. P. Fr. Ioannes de Sanct' Ander ſecundò Miniſter Prouinciæ Cantabriæ.

Adm. R. P. Fr. Ægidius Granier Miniſter Prouinciæ Aquitaniæ Antiquioris.

Adm. R. P. Fr. Petrus Marchant Prouinciæ Flandriæ Cuſtos.

Diffinitores Generales Ciſmontanæ Familiæ.

Adm. R. P. Fr. Nicolaus de Peruſio Pater Reformationis Prouinciæ S. P. N. Franciſci,

Adm. R. P. Fr. Angelus à Monelia Prouinciæ Genuæ Cuſtos.

Adm. R. P. Fr. Calixtus ab Antrodocco Miniſter Prouinciæ Romanæ.

Adm. R. P. Fr. Sauinus de Raguſio Miniſter Prouinciæ Raguſij.

Adm. R. P. Fr. Laurentius ab Acheruntia Miniſter Prouinciæ S. Nicolai.

Adm. R. P. Fr. Didacus à Vizzio Miniſter Prouinciæ Vallis Nethi.

Guardianus Montis Syon, & Commiſſarius Terræ Sanctæ.

P. Fr. Sanctus à Meſſana Prouinciæ Vallis Mazzariæ.

Deinde Proceſſum eſt ad examinanda Ordinis negotia, prout de iure; Statuta hac de re condita, in Bulla confirmationis inſerta mox deſcribentur; vt primò diploma Pontificis eiuſdem adduxerim, per quod abolitis, & caſſatis omnibus, quæcumque eſſent in contrarium, vniuerſum Obſeruantiæ Corpus ad omnimodos Regulæ rigores obligari declarauit.

Statutum, & declaratio Apoſtolica de Obſeruantia Regulæ, per quam omnia Regulæ quomodolibet contraria abrogantur.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcroſanctum Apoſtolatus Miniſterium humilitati noſtræ, nullo licet meritorum ſuffragio, diuina diſpoſitione commiſſum poſtulat, vt inter grauiſſimas, multiplicesque Apoſtolicæ ſolicitudinis curas, illam peculiari ſtudio amplectamur, per quam perſonæ ſub ſuaui Religionis iugo Saluatoris, & Domini noſtri obſequij famulantes fælicioribus in dies proficiant incrementis. Cum itaque, ſicut accepimus, dilecti Filij Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſeruantia, aſſiduis Verbi Dei prædicationibus, continuaque Sacramentorum Eccleſiaſticorum adminiſtratione, nec non alijs ſpiritualibus exercitijs, vberes in vinca Domini fructus iugiter afferre noſcantur; Nos, vt Fratres prædicti in tam laudabilium operum exercitio eo alacriùs perſeuerent, quo amplioribus fuerint ab hac Sancta Sede fauoribus muniti, prouidere, nec non fælici illorum ſtatui, quàntum nobis ex alto conceditur, conſulere volentes, nec non ſtatutis, & per eos in Capitulo Generali proximè præterito decretis inhærentes, ac ſupplicationibus etiam dilecti Filij Bernardini de Senis eiuſdem Ordinis Miniſtri Generalis Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; quòd de cætero perpetuis futuris temporibus omnes, & ſinguli eiuſdem Ordinis Profeſſores iuxta dicti Ordinis Regulam, nec non declarationes à piæ mem. Nicolao III. & Clemente V. Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris deſuper emanatas, cum calepodijs, ſeu ſandalijs apertis dumtaxat incedere teneantur, neque alio pedum operimento ſiue panneo, ſiue alterius cuiuſcumque materiæ exiſtat, abſq; expreſſa licentia vti poſſint, quodque integrum eorundem profeſſorum veſtimentum duabus tantum tunicis conſtet, & conſtare debeat vnâ ſcilicet cum Caputio, & aliâ ſine Caputio, vt eadem Regula præſcribit; neque eiuſdem Ordinis profeſſores tertia Tunica, ſeu camiſia ſtaminea, aut interula, ſiue ſudarijs, vel alia quacumque re contra eiuſdem Regulę tenorem, etiam in vim conceſſionis fel. rec. Iulij Papæ II. etiam Prædeceſſoris noſtri, ſiue alio quouis prætextu, & ex quacumque cauſa vllo modo vti valeant, Apoſtolica authoritate, tenore pręſentium perpetuò ſtatuimus, atque declaramus; prædictique Iulij Prædeceſſoris, & quaſcumque alias conceſſiones, ſiue indulta tam per litteras Apoſtolicas, & motu proprio, quàm viuæ vocis oraculo, & aliàs quomodolibet conceſſa, eidem Regulę quomodolibet contraria abrogamus. Decernentes præſentes litteras ſemper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ab omnibuſque dicti Ordinis Fratribus inuiolabiliter obſeruari, ſicque, & non aliter, per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, vbique iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus prædicta Iulij Prædeceſſoris, ac quibuſuis alijs conceſſionibus, ſiue indultis huiuſmodi, nec non Conſtitutionibus, & Ordinationibus

Apo-

Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die prima Octobris 1625. Pontif. noſtri Anno Tertio.

V. Theatinus.

Approbatio, & confirmatio Statutorum Generalium, quæ in hoc Generali Capitulo fuerunt facta, per quæ derogatur cæteris quibuſcumque in contrarium.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN Supremo Apoſtolatus ſolio, meritis licèt imparibus, diuina diſpenſatione Præſidentes, ex incumbenti Nobis paſtoralis officij debito, Religioſorum ordinum in Eccleſia Dei militantium proſperum ſtatum, fœlicemque directionem ſinceris deſiderantes affectibus ijs, quæ propterea piè, & prouidè præſertim in eorum Capitulis Generalibus facta fuiſſe comperimus, vt firma perpetuò, & illibata remaneant, libenter, cum à nobis petitur, Apoſtolici muniminis adijcimus firmitatem, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Cum itaque, ſicut Dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, in Capitulo Generali eiuſdem Ordinis in Domo B. Mariæ de Ara-cœli nuncupata de Vrbe prædicti Ordinis vltimo loco celebrato pro fælici Fratrum ipſius Ordinis vtriuſque Familiæ gubernio, & directione nonnulla Statuta edita fuerint, tenoris ſubſequentis, videlicet,

Statuta pro vtraque Familia.

PRO publicis totam Prouinciam concernentibus negotijs, accedente etiam Diffinitorij conſenſu, Fratribus ſuis ad Curiam Romanam eundi facultatem, Prouinciales Miniſtri concedere poſſint: pro priuatis autem, authoritatem hanc ſibi nouerint eſſe negatam. Qui ſecus fecerit, pœnis à ſanctæ mem. Clemente VIII. poſitis ſubiaceat.

Oblati omnes, Donati, ſeu Tertiarij ad Conuentus famulatum aſſumpti, Capparonem, ſeu Caputium ferre deinceps non præſumant, ſed vt ab omnibus dignoſcantur Fratres non eſſe, calceatis incedant pedibus, habitum genua non excedentem, galerum, ſeu biretum in capite portent.

Statutum Generale, quo decernitur, Capitulum intermedium, ſeu Congregationem habere plenam authoritatem non continuãdi Guardianos, ſed prioribus amotis alios inſtituendi, etiam nulla interueniente cauſa, innouatur, & roboratur. Ideo Guardiani omnes renunciationem ſuorum officiorum ſpontaneam, & ex animo in ſcriptis mittere teneantur.

Prouincia Anglicana, quæ ob perſecutiones Hæreticorum defecerat, priſtino ſuo honori, & loco reſtituitur: ita tamen, vt quia pauci adhuc in ea ſunt Conuentus, & Fratres, donec augeatur numerus, ſeparatæ Cuſtodiæ nomen retineat, cuius Cuſtos Generali Capitulo interſit, habeatque votum in eo.

Vtraque Familia pro acceptis beneficijs, & munificentiſſima liberalitate Excell. Domini Marchionis de Cannete, eum Benefactorem agnoſcit, ſicut iam antea in Congregatione Segouienſi proximè præterita communi omnium ſuffragio ſancitum fuerat.

Prouinciarum Tertij Ordinis, quæ nunc temporis in Hiſpania, & Gallia erectæ ſunt, Miniſtri, Comitijs Generalibus deinceps intereſſe, & in electionibus Miniſtri, & Commiſſarij Generalis reſpectiuè votum actiuum habere poterunt; Fratres enim noſtri ſunt.

Prouincia S. Didaci in Bethica recipitur, & Cathalogo Prouinciarum Ordinis adſcribitur, & antiquitatis ſuæ locum à ſuæ erectionis die, qui 20. menſis Decembris 1620. fuit, in poſterum obtinebit.

Prouincia Saxoniæ Sanctæ Crucis antiquo ſuo Iuri, & Ordini reſtituitur, ad eamq; non ſolum *Abaſtudenſis* Conuentus, alijque, qui antiquitùs eius erant, ſed etiam Heldeſimenſis, Bibeldenſis, & Fuldenſis, qui hactenùs Miniſtro Colonienſi paruerunt: Item Conuentus Egar, & Monialium eiuſdem loci, qui ad tempus Argentinenſi Prouinciæ ſubditi fuerant, deinceps, & in poſterum pertinebunt.

Pro Ciſmontana Familia.

VT conſcientijs Fratrum circa Miſſarum celebrationem efficaci remedio prouideatur, ſtrictiſſimè Patribus Guardianis, & quibuſcumque alijs Conuentuum Superioribus præcipitur, vt in oneribus Miſſarum ſuſcipiendis omnino obſeruent formam præſcriptam in decretis à Sacra Congregatione Concilij Sanctiſſimi Do-

Domini noſtri authoritate nuper editis de celebratione Miſſarum.

Ne pax mutua detrimentum patiatur; nouerint Patres Reformati, ſibi interdictam diuini verbi prædicationem, necnon eleemoſynarum petitionem intra limites Conuentuum Fratrum Obſeruantium de Familia, niſi priùs Miniſtri Prouincialis in ſcriptis obtenta facultate: cui interdictioni reciprocè Fratres Regularis Obſeruantiæ ſubiacebunt, niſi Patris Cuſtodis Reformatorum voluntas acceſſerit, atque conſenſus.

Pro euitandis Fratrum euagationibus, ordinatur, & præcipitur, vt quotieſcumque eorum aliquis à ſuo Superiore extra Prouinciam, vel etiam Conuentum intra Prouinciam excundi facultatem impetrauerit, in illius obedientia dies determinati aſſignētur ſuæ peregrinationis, ſuique redditus: nec poſſit accingere ſe itineri, & obtenta facultate gaudere, niſi obedientiales litteræ priùs regiſtratæ, & à Patre Miniſtro, ſiue Guardiano ſubſcriptæ fuerint, in quibus dies diſceſſus adnotetur.

Apoſtatæ nec recipiantur, nec retineantur in alienis Prouincijs, ad quas quomodocumque confugerint: ſed vbi primùm fuerint abſoluti, iuxta conſuetudinem, & Ordinis Conſtitutiones, ad proprias remittantur, ſub pœna priuationis Officiorum Prouincialis, ſiue Guardiani, aut cuiuſcumque alterius Superioris, ipſo facto incurrenda.

Cum Ordo noſter Seraphicus ad totius Eccleſiæ obſequium ſit inſtitutus, toto conatu innitendum eſt, vt non ſolùm in eo ſcientia non pereat, ſed in dies augeatur: Ideo decernitur, atque ſtatuitur, vt in qualibet Prouincia, vbi hactenus deſiderantur, & non ſunt Philoſophiæ, & Theologiæ ſtudia, erigantur, & inſtituantur, quibus ex eadem Prouincia Patres Lectores ex doctioribus præficiantur: caueturque, ne deinceps in alienas Prouincias ſtudentes mittantur, aut Prædicatores, niſi in caſu aliquo vrgenti, de quo tam Miniſter Generalis, quàm Commiſſarius Iudex eſto. Hac lege Prouinciæ Vltramontanæ non tenentur, quia ſtudentium, & Lectorum penuriam patiuntur.

Tranſitus ab vna in aliam Prouinciam plurimorum eſt cauſa malorum, quibus prouiſum fore iudicamus, ſi quod nunc ſtatuitur, in poſterum obſeruetur; Vt ſcilicet, qui ſua ſponte, licèt obtenta priùs licentia, ad alienam Prouinciam tranſierunt Fratres, tam incorporati, quàm incorporandi, in ea locum, ordinem, & præcedentiam à die tantùm incorporationis ſuæ, non autem à die receptionis habitus, aut emiſſæ profeſſionis teneant, & habeant.

Ad tollendam ambitionem, & eliminandam relaxationem decernitur, vt iuxta Gregorij XV. Breue, nullus aliquo gaudeat priuilegio ex quacumque cauſa, quod per leges, & Ordinis ſtatuta à Sede Apoſtolica confirmata, conceſſum non fuerit.

Sicut Statutum de erigendis Communitatibus in vnoquoque Conuentu ad maiorem paupertatis obſeruantiam, & Fratrum conſolationem innouatur; ita Guardianis ſub pœna ſuorum officiorum priuationis præcipitur, vt infra duorum menſium à ſuo ingreſſu ſpatium Communitates erigant, in quibus quæ neceſſaria ſunt Fratribus, aſſeruentur ſuo tempore illis diſtribuenda, & ſubminiſtranda: huiuſmodi autem Communitates de eleemoſynis Conuentuum, & ſuperfluis Fratrum erigantur, quibus vnicum habere habitum, & tunicam vnam conceditur, alteram verò tunicam, non niſi ex neceſſitate, & Superioris condeſcenſione, & licentia.

Omnibus, & ſingulis Fratribus Guardianis ſub pœna priuationis officij præcipitur, vt ſi in ſuis Conuentibus Vineæ, ſeù Prata fuerint, ex quibus vinum ad bibendum, & fœnum ad vendendum colligitur, antequam à ſuo ingreſſu duo menſes compleantur, omni poſthabita excuſatione, tollant, & alijs vſibus permiſſis terram applicent.

Iteratò ſtatuitur, vt Guardiani ſub pœna ſuſpenſionis à ſuis officijs, Cellas Fratrum ſingulis menſibus viſitent, & inde auferant, quidquid perfectæ, & Franciſcanæ repugnat paupertati.

Renouatur Statutum contra illos Fratres, qui ſuis Superioribus inſultant, verba iniurioſa, & contumelioſa in eos proferunt; in recognoſcendis culpis ſine licentia loquuntur; proteſtationes in ſcriptis offerre auſu temerario præſumunt.

Sicut in Congregatione Segouienſi proximè præterita, in vnum collecta fuere Statuta, quæ in Vltramontana Familia in poſterum obſeruari debeant; ita in hac Ciſmontana fiat: huiuſmodi autem collectio duobus Patribus doctrina, & pietate pollentibus à Ciſmontano Diffinitorio eligendis committatur.

Seruetur Apoſtolica Conſtitutio, qua Miniſtro Prouinciali in ſua Prouincia, & Guardiano in ſuo Conuentu præcipitur, vt eorum quilibet clauem communem, quæ Magiſtra vocatur, apud ſe habeat, & ſollicitè cuſtodiat, qua ſuorum ſubditorum cellas

las ad libitum ſaltem cum duobus Diſcretis Conuentus aperire, ingredi, & viſitare poſſit.

Pro Hiſpanis.

SI contingat, Patrem Diffinitorem Recollectum ad meliorem tranſire vitam ſoluto mortis tributo, eius locum, munus, & officium antiquior eiuſdem Recollectionis Diffinitor obtineat; quòd ſi nullus Diffinitoris officio functus ſuperſtes inueniatur; qui erit Guardianus antiquior, aut ſecundùm tabulæ ordinem dignior extiterit, defuncto Diffinitori ſubſtituatur; itaut ſine Diffinitore Recollecto nunquam Diffinitorium congregetur.

Ad electiones non vocetur Diffinitor extra nationem exiſtens: Si verò intra Nationem, extra Prouinciam tamen fuerit, dummodo non plures quàm per duas, aut tres diætas diſtare dignoſcatur, vocandus erit, alioquin omnes Diffinitorij actiones nullius ſint valoris, & authoritatis.

Mortuo aliquo Diffinitore, antiquior Prouinciæ Pater defuncti locum accipiat, quòd ſi nullus talis extiterit, antiquior in Diffinitoris officio ſubrogetur: Idem alijs in Nationibus obſeruandum erit.

Ne Bibliothecæ, Lectores, Prædicatores, & Confeſſores Libris neceſſarijs careant, ſingulis Prouincialibus Miniſtris conceditur, vt quilibet in ſua Prouincia eleemoſynas procuret pro Miſſis diebus Dominicis celebrandis, ad præſcriptum eorundem Decretorũ Sacræ Congregationis Cõcilij de celebratione Miſſarum, dummodò ducentorum ducatorum quantitas valorem non excedat quolibet anno: huiuſmodi autem eleemoſynis emãtur libri, & pro vniuſcuiuſque neceſſitate iudicio Miniſtri diſtribuantur; quod vt ſine dolo, & fraude fiat, Viſitator ſolerter inquirat, ſpecialem rationem in ſingulis Conuentibus exigat, & in Capitulo Prouinciali, an Libri iuxta quantitatem aſſignatam procurati, & diſtributi fuerint, vel non; publicè, & in conſcientia declaret. Quæ ſupererunt die Dominico Miſſæ ſupra numerum, ex Statutorum noſtrorum præſcripto, benefactoribus in communi applicentur.

Pro Gallis.

QVod vnanimes in ſuo Diſcretorio nouem Prouinciæ Galliarum à Diffinitorio Generali obnixè poſtularunt, eis libenter ad maiorem Dei gloriam conceditur: vt videlicet in qualibet dictarum Prouinciarum tres eligantur, & aſſignentur Conuentus, in quibus Regulæ obſeruantia adeo ſtrictè ſeruetur, vt Recollectorum, ſeu Reformatorum viuendi modum Fratres imitentur; Ideo Capitulum Generale, tam Miniſtris, quàm Viſitatoribus in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit, vt hoc diligentiſſimè exequantur, ita tamen, vt prædicti Conuentus Miniſtris in omnibus ſubijciantur, ijs caſibus exceptis, qui in Statutis pro Reformatis iam factis declarantur.

Eodem iure, ac priuilegio gaudeant Recollectorum Prouinciæ in Gallia exiſtentes, quo duæ aliæ eiuſdem Nationis Familiæ, vt videlicet ſuo ordine, & tempore ſucceſſiuo Diffinitorem habeant Generalem.

Pauca hæc Statuta fieri debuerunt, quia quæcumque alia ad bonum publicum neceſſaria, in Statutis Segouienſibus authoritate totius Congregationis habentur.

Pro Indis.

CAueant ex Indianis Prouincijs Miniſtri Prouinciales, ne ad Capitulum Generale, vel aut ipſi veniant, vel Commiſſarios ſuo nomine mittant; Solis Cuſtodibus veniendi facultas conceditur.

Indiarum Commiſſarij Generales ipſimet Prouincias omnes viſitent: impediti neceſſitate vrgenti ex vicinioribus Prouincijs, non autem ex remotis, Viſitatores aſſumere teneantur.

Nulli liceat, Commiſſario Generali, vel etiam Viſitatori ante Miniſtri Prouincialis electionem, neque ea peracta, aliquem voce actiua, & paſſiua priuare, ſeu alia grauiori afficere pœna, niſi confecto proceſſu, & præcedente rei auditione in ſui defenſionem. Qui ſecus fecerit, ſuo priuetur officio.

Viſitatores peracto Prouinciali Capitulo in Prouincia viſitata vltra viginti dies non remaneant; quibus elapſis omni authoritate careant.

Tam Commiſſarius Generalis, ſeu Viſitator ab Electoribus ſubſcriptionem petens, hunc, vel illum eligendi; quàm ipſi ſubſcribentes, priuationi actuum legitimorum ipſo facto incurrendæ ſubiaceant.

Electores in Prouinciali Capitulo congregati, antequam ad electionem Miniſtri, Diffinitorum, Cuſtodum, & Guardianorum procedant, nominatim iuramentum præſtent coram Venerab. Crucifixi Imagine, ſe eum electuros, quem in conſcientia, & omnibus æqua lance libratis, digniorem iudicabunt, ita iubente Clementis VIII. ſanctione à Sanctiſſimo D.N. Vrbano VIII. renouata.

Pro

Pro Belgis.

PErmittit Capitulum Generale Prouincijs Belgicis, & annexis in ijs tantùm, quæ Sacris Canonibus, Trid. Concilij decretis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis non aduerſantur, iuxta Statuta Barchinonenſia nuper Segouiæ recognita, & authoritate Reuerendiſſimi Patris Miniſtri Generalis eiſdem accomodata, deinceps viuere, ſua ſtatuta Prouincialia ſeruare, reformationis modos à Viſitatoribus Apoſtolicis introductos retinere: itaut neque præſentes, neque futuræ Conſtitutiones aliæ prædictarum Prouinciarum Patres, ac Fratres vllo modo obligent: niſi ex parte illa, qua dictis Statutis conformes erunt, vel primo in Capitulo Prouinciali, ſeu Congregatione lectæ, & promulgatæ fuerint.

Commiſſarius Nationalis in dictis Prouincijs nemo eſſe, aut inſtitui poſſit, niſi qui antea, aut Diffinitor, aut Iubilatus Lector; aut maiori officio functus fuerit, & per ſe ipſum Prouincias viſitare valeat. Diſpenſatio in Statutis Prouincialibus ſine Diffinitorij aſſenſu omnino, ei interdicitur, ſicut & cauſarum cognitio in inſtantia prima, quæ pœnes Prælatos ordinarios eſſe, & remanere debet.

. Receptionem Nouitiorum, necnon Fratrum incorporationem non eſſe ſui iuris nouerit: Capitulis Prouincialibus ipſemet præſideat.

Inſtante Diffinitorio totius Capituli Generalis ſtatuitur, ad euitanda dubia, vt Procuratores, & Commiſſarij Romanæ Curiæ ſuo officio functi (etiam, ſi Miniſtri Prouinciales aliàs non fuerint) intra ſuam Prouinciam, & extra omnes alios præcedant; licèt Miniſtri Prouinciales, aut Diffinitores Generales extitiſſent.

Nos inuiolabili Statutorum huiuſmodi obſeruationi, perpetuæque firmitati, quantùm Nobis ex alto conceditur, opportunè prouidere, ipſumque Procuratorem ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus extiterit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus eiuſdem Procuratoris totius Ordinis huiuſmodi nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Statuta præinſerta huiuſmodi Apoſtolica authoritate, tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos, tam iuris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus. Decernentes eadem ſtatuta in prædicto Ordine ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit in futurum, inuiolabiliter perpetuò obſeruari, & adimpleri debere, irritumque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, dicti Ordinis, etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die 20. Nouembris 1625. Pontif. noſtri anno tertio.

V. Theatinus.

Confirmatio Apoſtolica ex motu proprio, & ex certa ſcientia Reuerendiſſimi Patris Miniſtri Generalis.

VRBANVS PAPA VIII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CVM in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia, quod in Vrbe apud Eccleſiam B. Mariæ de Aracœli eiuſdem Ordinis nouiſſimè celebratum eſt, Tu in Miniſtrum Generalem eiuſdem Ordinis, ſicut accepimus canonicè electus fueris. Nos ſperantes, electionem de perſona tua, ob tuum Religionis zelum, fidem, prudentiam, integritatem, & doctrinam, eidem Ordini plurimùm profuturam, teque ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes; Motu proprio non ad tuam, vel alterius pro te, Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, & deliberatione noſtra, te eiuſdem Ordinis Miniſtrum Generalem, cum omnibus, & ſingulis facultatibus, authoritate, iuriſdictione, priuilegijs, & indultis, quibus alij Miniſtri Generales dicti Ordinis vti, frui, & gaudere ſolent, & poſſunt, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ad ſexennium, confirmamus, & approbamus, ac omnes, & quoſcumque tam iuris, quàm facti, etiam ſu-

ſubſtantiales defectus, ſi qui in huiuſmodi tua electione interuenerint de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſupplemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis eidem Ordini, illiuſque Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque verborum formis, & tenore etiam motu ſimili, & conciſtorialiter conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrarijs quibuſcumque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die 17. Iulij 1625. Pontif. noſtri anno ſecundo.

V. Theatinus.

Pendente Capitulari Celebratione, atque actorum in eo confirmatione; hos, qui ſequuntur, honores excepit Religio.

CVM in die Sancto Pentecoſtes Fratres omnes ad humilia Sacrorum pedum oſcula procumberent, Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & D.N. Vrbanus Papa VIII. conceſſit omnibus, & ſingulis Fratribus Vltramontanæ Familiæ vocem in Capitulo habentibus ducentas benedictiones, vel Sancti Caroli Borromæi, vel quinque Sanctorum, *Ignatij*, *&c.* ad libitum; Ciſmontanis verò, centum; Fratribus autem reliquis præſentibus quinquaginta; Abſentibus verò vbique terrarum duas.

Hanc eandem gratiam B. Pater inſtante Procuratore Generali Ordinis ad omnes Moniales Reuerendiſſimo Patri Miniſtro Generali ſubditas extendit.

In expeditione Capituli Generalis die 25. Maij feſto Sanctiſſimæ Trinitatis, Tranſlationis S. P. N. Franciſci, ac S. Vrbani Papæ, & Martiri Sacrâ ſummo Orbis, & Vrbis applauſu, incredibili hominum frequentia, tum ob Annum Sanctum Iubilæi, tum etiam ob multorum Capitulorum Generalium celebrationem apparatu ſacro, & verè regio, relata eſt in numerum Sanctorum Beata Eliſabeth quondam Portugalliæ Regina, à qua fere omnes deſcendunt Chriſtiani Orbis Principes, cuius corpus integrum in Regio, & religioſiſſimo ab ipſa cōdito Sanctę Claræ Conimbricenſi Monaſterio Prouinciæ Portugalliæ magna miraculorum gloria honorificè aſſeruatur, & colitur.

Decernit Sac. Rit. Congregatio S. Eliſabetham Reginam Portugalliæ eſſe profeſſam Tertij Ordinis S.P.N.S. Franciſci, & pro tali in Miſſa, et officio habendam, et declarandam.

FR. Ioannes de S. Bernardino Procurator Generalis Ordinis S. Franciſci humillimus, & deuotiſſimus orator exponit humiliter DD. VV. Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis, qualiter ipſe plenariè fecit cōſtare, Sanctam Eliſabetham Portugalliæ Reginam fuiſſe Tertiariam profeſſam Ordinis S. Franciſci, vt de facto ex proceſſu confecto, & informationibus datis conſtat: Supplicat igitur idem Procurator Generalis totius ſuæ Religionis nomine, vt dignentur DD. VV. Illuſtriſſimæ, ac Reuerendiſſimæ declarare, qualiter ipſa Sancta Eliſabetha, eſt Sancta eiuſdem Tertij Ordinis S. Franciſci, & quod vt talis ſcribi, numerari, & celebrari inter Sanctas eiuſdem Ordinis, ac ſic teneri, & recipi debeat ab omnibus fidelibus in toto Orbe: ac in Lectionibus, Officio, & Miſſa, & alijs functionibus ſcribi, teneri, & celebrari; ordinare etiam, vt ſic teneatur, & reputetur cum omnibus clauſulis opportunis, quia vltra quod ſit inſtum habebitur etiam, pro gratia, & maximo beneficio, vt Deus &c.

Sacra Rituum Congregatio re maturè diſcuſſa, ac referente Illuſtriſs. Cardinali Muto, cenſuit, Sanctam Eliſabetham fuiſſe, & eſſe Tertij Ordinis S. Franciſci, atque in omnibus pro tali habendam declarauit die 24. Nouembris 1625.

F. Maria Card. à Monte.

Locus † Sigilli.

Io. B. Archip. Firm. Sec.

Decernitur, & declaratur S. Eliſabetham Portugallię Reginam Tertiam Regulam Seraphici S.P.N. S. Franciſci expreſsè fuiſſe profeſſam.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CVM, ſicut dilectus Filius Ioannes de Sancto Bernardino Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia Nobis nuper exponi fecit, Sanctam Eliſabetham Reginam, dum vixit, Portugalliæ, quàm Nos aliàs diuina aſpirante gratia in Sanctorum numerum retulimus, Tertium Ordinem Sancti Franciſci expreſsè profeſſam fuiſſe plenè conſtiterit, prout in proceſſu, alijſque in-

formationibus deſuper fabricatis latiùs cõtinetur, & propterea dictus Ioannes, ne vlli in hoc dubitationi locus vnquam eſſe poſſit, per Nos, vt infra opportunè prouideri ſummopere deſideret; Nos eundem Ioannem ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus eius Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E.Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum conſilio eandem Sanctam Eliſabetham Tertij Ordinis Sancti Franciſci huiuſmodi fuiſſe, & eſſe, atque in omnibus pro tali vbique haberi, & reputari, ſicque & non aliter per quoſcumque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & deffiniri debere, ac irritum & inane ſi ſecùs ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò decernimus, & declaramus, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die 21. Aprilis 1626. Pontificatus noſtri anno tertio.

V. Theatinus.

Sanctiſſimus D. N. Vrbanus Papa VIII. conceſſit per breue datum Romæ die 13. Septembris 1625. Pontificatus ſui anno tertio, vt in toto Ordine recitetur Officium Beati Conradi Tertij Ordinis S.P.N.Sancti Franciſci ſub ritu Semiduplici de Communi Confeſs. non Pontif. habet Lectiones ſecundi Nocturni proprias, cuius Corpus in Netina Ciuitate miraculis clarum requieſcit, & feſtum die 19. Februarij celebratur.

Idem per Breue datum die prima Octobris eiuſdem anni Seruum Dei Fælicem de Cantalicio Laicum Capuccinum Ordinis Minorum Beatum nuncupari conceſſit.

Numerus Fratrum Defunctorum à Capitulo Generali præterito anno 1618. Salmanticæ celebrato vſque ad præſens eſt 5918. quorum aliqui apud Iapponios, Moluccenſes, & alias barbaras nationes pro fide Chriſti, vel lento igne torti, vel ferro, vario tormentorum genere ſunt occiſi, aliqui verò in oſculo pacis decedentes miraculorum gloria coruſcant.

Sequuntur Suffragia.

PRO Beatiſs. P. & D.N. Vrbano VIII. Pontif. Max. & pro eius incolumitate diuturna à quolibet Sacerdote Ordinis tres celebrentur Miſſæ.

Pro Regibus Chriſtianis omnes Sacerdotes duas Miſſas celebrent.

Pro Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. Cardinale tit. S. Honuphrij Præſidente huius Capituli, quilibet Sacerdos vnam Miſſam celebret.

Pro vniuerſali Congregatione Illuſtriſſimorum Cardinalium, & pro omnibus Principibus Chriſtianis à quolibet Sacerdote vna Miſſa dicatur.

Pro Excellentiſſ. D. Marchione de Cannete noſtri Capituli Generalis Patrono meritiſſimo à quolibet Sacerdote vna celebretur Miſſa, à Clericis, & Laicis centum *Pater noſter*, & totidem *Aue Maria* dicantur.

Pro pace Principum Chriſtianorum, hæreſum extirpatione, Victoria contra infideles, ac Eccleſiaſtici ſtatus proſperitate à quolibet Sacerdote dicantur duæ Miſſæ.

Futura Generalis Congregatio intermedia quo loco celebranda ſit, Reuerendiſs. Pater Miniſter Generalis diſponet.

Fr. Bernardinus de Senis Miniſter Generalis.
Fr. Benignus de Genua Commiſſarius Generalis.
Fr. Ioannes de Sancto Bernardino Procurator Ordinis.
Fr. Ioan. Baptiſta de Monte Coruino Commiſſarius Curiæ.
Fr. Petrus Iouer Diffinitor Generalis.
Fr. Nicolaus de Peruſio Diffinitor Generalis.
Fr. Ioſephus Bergaine Diffinitor Generalis.
Fr. Angelus de Mouelia Diffinitor Generalis.
Fr. Ioannes de la Val Diffinitor Generalis.
Fr. Calixtus ab Antrodoco Diffinitor Generalis.
Fr. Ioannes de Sanct' Ande' Diffinitor Generalis.
Fr. Sauinus de Raguſio Diffinitor Generalis.
Fr. Ægidius Granier Diffinitor Generalis.
Fr. Laurentius ab Acher Diffinitor Generalis.
Fr. Petrus Marchant Diffinitor Generalis.
Fr. Didacus à Vizinio Diffinitor Generalis.

CON-

CONGREGATIO GENERALIS.

CElebrata in Conuentu Sanctæ Mariæ de Araceli in Vrbe die 10. Iunij 1629. ſub Reuerendiſſ. P. F. Bernardino de Senis totius Ordinis Minor. Generali Miniſtro. Præſidente in ea Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. Berlingherio tit. S. Auguſtini Presbyt. Card. Gypſio ad huiuſmodi munus obeundum à Sanctiſſ. D. N. Vrbano VIII. ſpecialiter delegato.

In primis triennio Commiſſariatus Generalis Reuerendiſſ. P. Fr. Benigni à Genua, vtriuſque Familiæ Patris, fæliciter abſoluto, omnibus ferè ſuffragijs in Commiſſarium Generalem totius Ciſmontanæ Familiæ cooptatus eſt Reuerendiſſ. P. Fr. Antonius à Galbiato Strictioris Obſeruantiæ Mediolanenſis Prouinciæ Pater, Prouinciæque Bauariæ Cuſtos, & Superioris Germaniæ Commiſſarius Generalis.

Pater vtriuſque Familiæ.

Reuerendiſſ. P. Fr. Benignus à Genua.

Procurator Ordinis.

A. R. P. Fr. Alonſus à Prado Prouinciæ Conceptionis Pater.

Commiſſarius Curiæ.

A. R. P. Fr. Vincentius Romanus Sanctæ Mariæ de Aracæli Guardianus Romanæ Prouinciæ Pater.

Diffinitores Generales.

A. R. P. Fr. Benedictus de Cologna Prouinciæ S. Antonij Cuſtos, & Pater.

A. R. P. Fr. Angelus à Carpineto Prouinciæ Romanæ Miniſter.

A. R. P. Fr. Clemens à Placentia Prouinciæ Bononiæ Miniſter.

A. R. P. Fr. Ioan. Baptiſta à Campanea Prouinciæ Principatus Pater, & Ordinis Secretarius.

A. R. P. Fr. Franciſcus à Gioioſa Prouinciæ Siciliæ Ciſmontanæ Familiæ Secretarius.

A. R. P. Fr. Michael Chumar Boſnæ Croatiæ Miniſter.

Procurator Reformatorum.

R. P. Fr. Zaccharias à Leuco Prouinciæ Tirolis Cuſtos.

Sequuntur Ordinationes factæ in Generali Congregatione de Obſeruantia Regulæ.

PRimò declarat Generalis Congregatio, nullam diſpenſationem contra præcepta noſtræ Regulæ eſſe admittendam, ſed omnes, & ſingulos Fratres teneri ad Regulæ Obſeruantiam ſecundum ſuam puritatem, iuxta declarationes Nicolai III. & Clementis V. ſicut in multis alijs Generalibus Conſtitutionibus declaratum eſt. Cum omnia priuilegia, ſeu conceſſiones, cuiuſcumque conditionis exiſtant, vel quomodolibet impetrata, vel conceſſa per Breuia Apoſtolica, per Indulta, per viuæ vocis oracula contra Regulæ puritatem, ſi quæ forent, penitùs abrogata fuerint per Breue Sanctiſſ. D. N. Papæ Vrbani VIII. Qui verò contrafecerint, tanquam Regulæ tranſgreſſores ſeuerè puniantur.

Et quoniam in quibuſdam Eccleſijs tam magnus numerus Miſſarum celebrandarum ex varijs Defunctorum Legatis impoſitus reperitur, vt illis pro ſingulis diebus à Teſtatoribus præſcriptis nequeat ſatisfieri, & conſequenter, nec alijs pro quibus eleemoſynæ in dies offeruntur, idcirco ne detur occaſio Fratribus eorum conſcientias onerandi, determinatum eſt, vt Superiores locorum illorum, ac etiam Prouinciales declarare, & proteſtari debeant coram ijs, ad quos ſpectat, ſe nolle amplius Legata perpetua ipſis à Teſtatoribus relicta exigere; & de facto ampliùs non exigant, immò ea quantum in ipſis eſt eo modo, quo poſſunt, reſignent, & reſpuant. Ac in illis Conuentibus is numerus Fratrum collocetur, qui ex eleemoſynis quotidianis honeſtè ſuſtentari poterit. Si quæ verò Legata quo ad capitale fuerint extincta, remanente apud Fratres obligatione celebrandi Miſſas in perpetuum, fiat recurſus ad Summum Pontificem, vt ipſe pro ſua benignitate ſuper hoc de opportuno remedio prouideat.

Capſæ, vel Trunci ad recipiendas eleemoſynas pecuniarias etiam pro Miſſis oblatas, non ſolum ab Eccleſia, ſed etiam à Sacriſtia, & à quacumque parte, quæ ſit intra Clauſuram Conuentus omnino prohibentur ſub pœna inobedientiæ, & excommunicationis maioris: oblatæ autem eleemoſynæ, pro Miſſis nullo modo intra Clauſuram Conuentus, aut infra Eccleſiam, vel Sacriſtiam ab aliquo recipi permittantur: ſed ad Syndicum Apoſtolicum offerens remittatur. Quòd ſi id graue illi fuerit Tertiario, vel Seruitori Conuentus tanquam Syndici ſubſtituto illam tradere, vt ad Syndicum ipſum eius nomine deferatur, id fieri poterit, ea tamen lege, vt intra Clauſtra Conuentus, aut Eccleſiæ, nec Tertiarius, nec Seruus illam recipiat, & Guardianus qui contrarium permiſerit, priuetur officio ſuo.

Circa Apoſtatas, alioſque delinquentes obſeruetur omnino Breue fæl. recordat. Sanctiſſ. D. N. Papæ Pauli V. contra Superiores noſtri Ordinis promulgatum, quod incipit, *Admonemur*. In quo ordinatur, vt ad inſtantiam perſonarum quarumcumque extra Ordinem Conſtitutarum nullo modò remittantur pœnæ eis impoſitæ.

Ad euitandas euagationes Fratrum, & alia grauia inconuenientia, præcipitur, vt Sacerdotes noſtri Ordinis nullo modo mittantur extra Conuentum ad Miſſas in aliorum Eccleſijs celebrandas, ſed vnuſquiſque in propriâ teneatur Eccleſia celebrare. Guardianus autem, qui contrafecerit, vel id permiſerit, per Menſem ſuo ſuſpendatur officio pro prima vice, pro ſecunda autem grauiùs puniatur Superioris arbitratu.

Cum Parrochiarum curam habere in illis Ciuitatibus, & Locis, in quibus Chriſtiana Religio iam propagata eſt, & in quibus, copia Sacerdotum ſæcularium adeſt, maximum detrimentum afferat noſtræ profeſſioni, & Regulæ Obſeruantiæ, determinat Generalis Congregatio, vt in præfatis locis omnino relinquantur, & ſi aliquæ ſint, quæ de mandato Sedis Apoſtolicæ detineantur, ad ipſam Sedem Apoſtolicam fiat recurſus, vt ſuper hoc opportunè prouideat, Fratrumque conſcientiæ conſulat.

Commiſſarius in Regnum Poloniæ mittendus ad Prouincias illas viſitandas in vnaquaque illarum Prouinciarum Patres Diffinitorij, & alios Patres principaliores congreget, atque ſimul cum eis de negotio diuiſionis illarum Prouinciarum diſcurrat, illudque exactè diſcuriat, & quidquid circa hoc de communi conſenſu pro bono communi, paceque conſeruanda determinatum fuerit eſſe melius, Reuerendiſſimo Patri Superiori Generali ſignificet, vt ipſe pro ſua prudentia, & zelo quidquid opportunum fuerit, ad ſedandam controuerſiam circa hoc exortam decernat, & ſtatuat, etiam Sedem Apoſtolicam conſulendo, ſi opus fuerit. Quidquid verò ab ipſo ſtatutum fuerit in illis Prouincijs, exequutioni mandetur.

Declaratur, duas Cuſtodias Reformatorum Poloniæ fuiſſe bene inſtitutas, eaſque, & ad idem inſtitutum ſeruandum teneri, & eiſdem priuilegijs, & prærogatiuis gaudere, quòd ſeruant, & quibus gaudent Cuſtodiæ Reformatorum Italiæ, & præſertim, quod votum habeant in Capitulis Prouincialibus illarum Prouinciarum, quibus ſunt annexæ. Inſuper declarat totum Diffinitorium, Reformam, ſeu Cuſtodiam Auſtriæ veram eſſe Cuſtodiam ad formam aliarum Reformationum Italiæ inſtitutam, eiſdemque priuilegijs, & gratijs, quibus cæteræ Italiæ Cuſtodiæ gaudent, potiri, & gaudere debere. Idem dicimus etiam de Conuentu Pragenſi, Prouinciæ Bohemiæ, & Tyrnanienſi, Prouinciæ Sanctæ Mariæ Hungariæ Reformatis, iam aſſignatis, & traditis, &c.

Monaſterium Monialium clauſarum maioris Glogouiæ Prouincię Bohemię, ſuppoſita ipſarum inobedientia, & contumacia, omnino relinquatur, & reſignetur Loci Ordinario, itaut in poſterum nulli Prouincialium ſucceſſiuè futurorum, aut aliorum quorumcumque Fratrum, liceat in contrarium aliquid attentare, ſub pœna priuationis Actuum legitimorum contrafacientibus.

Conuentus Gliuicenſis olim ad Prouinciæ Bohemiæ Fratres ſpectans, ac deinde Reformatis Prouinciæ Poloniæ aſſignatus, declaratur incorporatus Reformationi Prouinciæ Poloniæ, præcipiturque, vt in poſterum non liceat Prouinciali Bohemiæ, vel alteri Patri eiuſdem Prouinciæ aliquid in contrarium attentare ſub pœna priuationis officiorum, actuumque legitimorum ijs, qui contrafecerint.

Ad confuſiones, ac varietates Statutorum Reformatos concernentium tollendas, & ad certam inſuper, ſtabilemque inter ipſos Conſtitutionum obſeruationem præfigendam, ſtatuendamque, conſultò ſtatuiturque, ſtrictiùſque præcipitur ſub pœnis in eiſdem Conſtitutionibus taxatis, & irremiſſibiliter infligendis, vt in poſterum Fratres Reformati ijs dumtaxat Statutis Generalibus vtantur, ac ea inuiolabiliter obſeruent, quæ pro bono, ac ſtrictiori ipſorum viuendi modo in præſenti Congregatione Generali etiam ipſis Reformatis aſſentientibus, & acceptantibus maturè decreta, & ſancita fuere, eaque quolibet bimeſtri legere teneantur tempore communis refectionis.

Sacra Congregatio à Sanctiſſ. D.N. Fratrum Minorum de Obſeruantia Sancti Franciſci Ciſmontanæ Familiæ conſultationibus præpoſita, volens, quantum poteſt in Domino, ipſorum poſtulato ſatisfacere circa Nouitios ad habitum, & profeſſionem admittendos, ſanctitate ſua approbante, cenſuit, tunc demum eſſe illis permittendum, vt Nouitios, vt ſupra recipiant, cum conſtiterit, ex ipſorum Conuentibus eos ſuſtuliſſe abuſus omnes, qui Regulæ Sancti Franciſci Obſeruantiæ aduerſantur. Quod vbi præſtiterint, deſignanda erunt loca, pro iiſdem Nouitijs recipiendis, & præ-

ſcriben-

ſcribendus recipiendorum numerus,& qualitas, & alia ad eorum inſtitutionem pertinentia, & prout vnaquæque Prouincia id exequetur, eidem receptionem huiuſmodi fore permittendam.

Abuſus verò, quibus eos propterea mederi oportebit, ſunt potiſſimum infraſcripti.

Ac primùm abdicent à ſe, & eorum Conuentibus, non ſolum Piſtrina, ac bona omnia immobilia, quæ alicubi contra Regulæ puritatem, & declarationes fæl.recordat. Nicolai III. & Clementis VIII. extra, vel intra ſepta Monaſteriorum detinent, ſed etiam cenſus perpetuos, & Legata annua, ſuper quibus Sac. Congregatio præcipit obſeruari Decretum Congregationis Generalis Romæ habitæ die 17. Maij 1603. cuius tenor talis eſt.

Cum annuos redditus, ſicut cætera bona immobilia nobis habere non liceat,ideo renouantes alia Generalia Statuta, decernimus, quòd nullus Frater inducat perſonam aliquam ad eleemoſynam perpetuam Ordini noſtro exhibendam, nec exhibitam à quopiam viuente ſuſcipiat, & ſi aliqua talis nobis fuerit relicta, nullo modo in iudicio exigatur: declarantes, quod ad perpetua Legata petenda non poſſunt Fratres recurrere, niſi humiliter, & per modum eleemoſynæ abſque allegatione alicuius debiti. Decernitur præterea,ac præcipitur per Sanctam Obedientiam, quòd quoties relinqui contingat aliqua Legata perpetua aliquibus perſonis, & Hoſpitalibus, vel alicui Reipublicæ, & alijs domibus, ea lege, quòd teneantur Fratribus præſtare ſingulis annis certam eleemoſynam, ſine omnino gratis, ſiue, vt ipſi Fratres dicant certa Officia, & Miſſas, quòd Guardianus faciat proteſtationem ei, qui Teſtatoris voluntatem adimplere tenetur, quòd ad illas eleemoſynas nullum ius habent ex vi Legati, nec poſſunt obligari ad illa Officia, & Miſſas; Si tamen facta iſta proteſtatione hæres ex ſua libera voluntate voluerit dare eleemoſynas illas, & committere Fratribus dicta Officia, & Miſſas, tunc Fratres tuta conſcientia poſſunt eleemoſynas huiuſmodi recipere. Quod totum, & multò fortiùs in relictis Legatis ſingularibus Fratribus ſimili modo faciendum eſſe decernimus. Inhibemus autem, ne Syndicus in ſua perſona huiuſmodi annuos redditus recipiat diſtribuendos ipſis Fratribus. Proteſtatio autem ſic fiat ſub ſigillo Conuentus, videlicet: [Nos Fr.N. Guardianus,& Fratres Diſcreti huius Conuentus N. dicimus, ad noſtram notitiam perueniſſe, quondam N. certam eleemoſynæ quantitatem Conuentui huic diſtribuendam perpetuò gratis, vel forſan pro aliquibus Officijs, aut Miſſis dicendis, legaſſe. Cumque Legata huiuſmodi,niſi per viam ſimplicis eleemoſynæ acceptare ex inſtituto Sancto noſtro, & iure nobis non liceat, ideo per præſentes liberè proteſtamur in Domino, quòd Legatum prædictum, tanquam illius incapaces ex vi Legati recipere nolumus, nec intendimus. Si tamen hæres, Commiſſarius, aut Legatarius ipſius Teſtatoris dictam quantitatem per viam ſimplicis eleemoſynæ, omni obligatione, dominio, & proprietate penitùs ceſſantibus, nobis liberè conferre voluerit, illam ſimpliciter accipiemus, & piæ Teſtatoris voluntati, quantum in nobis fuerit, pleneè, ac fideliter ſatisfaciemus.] Hæc autem proteſtatio ſubſcripta perGuardianum, & Diſcretos Conuentus dabitur illi, qui tenetur Teſtatoris voluntatem implere, & eadem proteſtatio ſcribetur in Libro Conuentus, vt conſtare poſſit ſuccedentibus Guardianis,hanc Conſtitutionem fuiſſe ad plenum adimpletam. Eſt autem hæc proteſtatio neceſſaria, vt optimè decernit D. Bonauentura, hanc diſputans quæſtionem, & ex Apoſtolicis declarationibus Regulæ noſtræ colligitur. Et vt omnibus ſit compertum, id quod tantopere eſt nobis neceſſarium, ipſam D.Bonauenturæ quæſtiunculam, ex ſuo Apologetico deſumptam, hic apponere de Induſtria non grauabimur, quæ talis eſt, vt ſequitur.

[Cum aſſeratis vos ſecundum Regulam, & profeſſionem veſtram nullos debere recipere prouentus redditnum, ſeu poſſeſſiones exceptis domibus, in quibus habitatis, videmini tranſgreſſores Regulæ veſtræ in eo, quod recipitis Domos, vel areas non contiguas veſtris areis, in quibus habitatis, eodem enim modo, ſi hoc licet, poteritis etiam vineas recipere, & agros, & manſus, & ſimilia quæque recipere, imò Grancias, & Villas, & Caſtra, & Terras, & Oppida, & quæcunque fuerint vobis data, & ſic priſtina paupertas, & mendicitas,quam profeſſi eſtis, paulatim euaneſcet, & non eritis Diſcipuli Sancti Franciſci, cum non ſequamini veſtigia eius, nec eius Regulam teneatis: de domibus enim vobis contiguis poteſt eſſe excuſabile, quod pro dilatanda area veſtra, illas quandoque recipiatis, ſed de alijs non ita, in quibus homines alios pro cenſu locatis, quem Procurator veſter loco veſtri exigit, & in vſus veſtros conuertit de voluntate veſtra.

℟. Si qui in talibus incautè agunt, dolemus,

mus,& contradicimus,& prohibemus.Qualiter au tem in hoc licitè agere poſſimus,aduerte, & tunc non iudicabis nos (ſi ſanè intelligis) tranſgreſſores. Proteſtamur nos ſecundùm Regulam noſtram nihil debere, ſeu velle poſſeſſionis, vel certorum redditnum recipere, vel habere. Quia verò mendici ſumus,& pauperes,ea,quibus pro pręſenti neceſſitate indigemus,ideo recipimus, prout licet, ſiue pro ſoluendis debitis, vel alijs neceſſarijs procurandis: Cum ergo aliquis ex deuotione vult nobis legare Domum ſuam, vel aream non contiguam noſtræ manſioni, non recipimus eam per nos, nec per interpoſitam perſonam, vt noſtram; ſed ſi ille eam diſponit per alium quemcumque, vt ea vendita, de pretio eius prouideatur nobis ex parte ſui, in his, quibus tunc indigemus procurandis, vel ſoluendis debitis acceptamus. Si autem ille timens, ne fortè eius talis diſpoſitio per hæredes ſuos, vel alios impoſterum impediatur, & propter hoc præoccupat roborare illam ſigillo alicuius Iudicis, vel Ciuium, vel alterius, &c. & ſic committit eam alicui amico ſuo, vel Fratrum, qui conſeruet, quòd ipſe diſponit de domo tali,vel area nihil ad nos,cum de rebus ſuis poſſit ordinare,quòd vult,nec locum talem, vel domum dicimus eſſe noſtram, cum nihil iuris nos in ea proteſtemur habere. Similiter ſi aliquis diſponeret per amicum, vel alium, quòd de pretio,vel de prouentibus illis, vel illis darentur Fratribus tot panes quotidiè, vel tantum eleemoſynæ ſingulis ſeptimanis, aut annis,non eſſemus propter hoc prædij, vel redditaum poſſeſſores, nam ſi me petente eleemoſynā aliquis diues promittat, quòd ſingulis annis velit dare Fratribus duas Tunicas,vel tantum vnam, vel ſingulis hebdomadibus tot panes,& hoc committat officialibus ſuis, vt vice ſui iſta dent,etiam eo abſente, & hoc pro Fratribus recipiam, vel etiam ſi illi negligant dare,admonendo exigam, numquid propterea certos redditus habere dicendi ſumus? cum non ex iure,ſed ex gratia ſolum talem eleemoſynam recipiamus, vel exigamus. Et ſi poſt obitum illius vxor eius, vel alij Amici pro anima illius, adhuc velint aliquo tēpore talem nobis eleemoſynam per ſe, vel ex diſpoſitione illius largiri, poſſumus ſimiliter accipere ex tali gratia, ita quòd quandocumque nollent amplius iſta dare, nihil peteremus ab eis, quaſi ex debito, ſed more mendicorum recurreremus ad Domum Clementis Domini pro quotidiana eleemoſyna;quamdiù illi placeret, ſed quando plus nollet,diſcedimus vacui, gratias agentes de dato, & non murmurantes de negato. Hæc eſt vera, & pura vita mendicorum, quòd datur, ex gratia recipere, non ex iure.

De cenſibus verò Domorum Fratribus legatarum nihil quærimus ſicut nec de alijs redditibus: Si autem antequam vendantur, aliquem indè cenſum dare volunt hi, in quorum tunc poteſtate ſunt illæ Domus, nihil iuris habere in eo proteſtamur, ſed eleemoſynam nobis ſpontè oblatam ſimpliciter recipimus,ſicut aliundè donatam.Quia verò Dominus docet nos cauere ab hominibus.Matth.10. & Apoſtolus ab omni ſpecie mala abſtinere,primæ Theſ.5. Nè putemur ab ignorantibus tranſgreſſores Regulæ noſtræ,debemus apertè proteſtari,nihil nobis iuris in talibus donationibus velle habere, ſicut tenetur ſuſpectus de fornicatione omnia illa cauere, ex quibus poſſet iſta ſuſpicio probabilis iudicari.] Hæc omnia D.Bonauentura.

Sed quia in his caſibus ſolet aliquando euenire,quòd annuus redditus ob temporis antiquitatem non comperiatur habere aliquem Patronum,cui fieri debeat talis,vt ſupra,proteſtatio;decernimus,quòd in tali caſu ſeruetur ſtatutum Ordinis Minorum ſub Paulo II. contentum in conſtitutionibus ſuper cap.6.Reg.& §.inhibemus. Quòd nimirum huiuſmodi redditus aſſignetur Rectoribus ſpiritualibus,aut temporalibus Collegiorum,aut Communitatum,Terrarum,aut Ciuitatum,qui tales eleemoſynas, ſiue fructus, vel redditus annuos nomine Eccleſiæ Romanæ, vel donantium ſine Fratribus exigant,& recipiant,& à Fratribus, ſiuè alijs Sacerdotibus, quando Fratres noluerint,tales Miſſas, vel ſuffragia iuxta piam intentionem benefactorum in toto, vel in parte ſecundùm quantitatem talium obuentionum dici faciant.

Item ſtatuitur, vt deinceps nulla inſtrumenta publica fiant à Fratribus capitulariter congregatis,nec quocumque alio modo ſe habentibus, in quibus transferatur dominium,& proprietas alicuius Capellæ,ſiue ſepulturæ, cum hoc omnino ſit contra Regulam, & noſtro repugnet inſtituto. Nam quomodo aliquis dat, quòd non habet? Si tamen occaſio ſe obtulerit, in qua oporteat ſatisfacere deuotę fidelium voluntati,id fiat per modos noſtræ Regulæ,& inſtituto congruentes. Eſt autem proteſtatio prædicta neceſſaria, ne, vt ait D.Bonauentura, ab ignorantibus noſtrū inſtitutum Regulæ noſtrę trāſgreſſores iudicemur,cuius Seraphici Doctoris ſententiam hic inferendam iudicauimus, quatenus è medio tollatur abuſus ignorantiſſimorum aliquorum, qui exiſtimantes Charibdim fugere, in Scyllam inciderunt in fauorem ordinariorum, vel ali-

cuius

cuius tertij, vel hæredis renunciantes prædicta legata, quaſi non eſſet opus proprietatis, & dominij donare, ſicuti accipere, & ſumma dementia alienum renunciare.

De huiuſmodi autem bonis, ſeu illorum pretio Generalis, vel Commiſſarius Generalis, vnà cum conſilio Guardiani, & Diſcretorum Conuentus in vſum Sacriſtiæ, fabricæ Eccleſiæ, & Connentuum prouideat, prout illorum neceſſitate perſpecta, ſalubriter in Domino expedire arbitrabitur. Et de hac prouiſione quàmprimum Sacram hanc Congregationem fideliter certiorem faciat. Hanc verò bonorum abdicationem, & legatorum reuunciationem fuiſſe exequutioni demandatam conſtare debebit huic Sac. Congregationi ex Generalis, vel Commiſſarij Generalis, & Ordinariorum atteſtationibus gratis, & abſque vllo Fratrum diſpendio concedendis.

Deinde à Fratribus particularibus auferatur, cuiuſcumque rei proprietas, ſi qua ſit, & omnia in communi redigantur ad Regulę, Sac. Canonum, Apoſtolicatum Conſtitutionum, & Sac. Conc. Trid. diſpoſitionem. Potiſſimum verò tollantur pecuniæ, & quamprimum inſumantur in veras, & communes ipſorum Conuentuum neceſſitates, idque fiat à Syndicis Apoſtolicis tantùm, ita vt nihil pecuniæ mediatè, vel immediatè ſupeſit in manibus, vel poteſtate Fratrum etiam Superiorum.

Ad hæc tollatur abuſus Aromatariarum, ita vt de cætero illæ non retineantur, niſi ad vſum Monaſteriorum dumtaxat, nec liceat res illarum cuique vendere.

Præterea nullo modo habeant in eorum Eccleſijs, vel Sacriſtijs, aut alibi Cippos, aut truncos ordinatos ad offerentium, ſeu donantium pecunias, nec Capſulas pro eleemoſynis Miſſarum.

Ac demum Superiores Regulares inuigilent, vt Fratres communi menſa vtantur; diuina officia temporibus debitis recitent; vacent orationi mentali, & diuinum cultum diligenter exerceant, ac cætera impleant, ad quæ pro Regulæ obſeruatione tenentur.

Hæc autem ſuperius expeſſa, fuiſſe ad effectnm perducta conſtare debebit eidem Sac. Congregationi ex atteſtationibus, medio iuramento Generalis, aut Commiſſarij Generalis, aut Viſitatorum præuia diligenti informatione capta in Viſitatione ſingulorum Conuentuum, cuiuſque Prouinciæ. Romæ 14. Iunij 1628.

F.A. Cad. S. Honuphrij.

P. Fagnanus Secretarius.

Lecta, & publicata fuere præfata Decreta die 15. Iunij 1628. in Congregatione Generali Fratrum Minor. de Obſer. in præſentia Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Cardinal. Gipſij Præſidentis eiuſdem Congregationis.

Decreta Sac. Congregationis à Sanctiſs. Dom. Noſtro Fratrum Minorum de Obſeruantia S. Franciſci Ciſmontanæ Familia conſultationibus prapoſita.

IN primis ſtatutum eſt, vt Fratres de Familia liberè ad Reformationem tranſire valeant in quocumque tempore, etiam extra Capitulum, & Congregationem, cum hoc tameu, vt è Conuentu, in quo de Familia manent, recedere nequeant, niſi priùs habita obedientia à Cuſtode, vel alio Superiore Reformatorum, qui eam nullatenus denegare poſſit. Et in caſu, quo eam denegauerit, fiat recurſus ad Superiorem Generalem, qui teneatur Fratres pro hac re ad ipſum recurrentes ad Reformationem recipere, necnon, & Superiores dictam licentiam negantes pœna ſibi arbitraria punire, niſi ſibi conſtiterit, reformari volentes id facere, vt iudicium, vel pœnas ſibi iniunctas ſubterfugiant, aut eſſe omnino ad reformationem inhabiles.

Secundò: Vt qui ad reformationem tranſierit, annum vnum à die ſuæ receptionis computandum, ad deliberandum habeat, an in illo ſtatu velit remanere, quo Anno expleto Superior Reformatorum, Cuſtos videlicet, vel Prouincialis ad Conuentum, in qno dictus Frater de familia commoratur, ſe transferat, ibique ſimplicem informationem à Guardiano, vel alio Superiori locali, à Diſcretis Conuentus, & ab aliquo Patre principalioti, vel antiquiori, qui ibi reperiatur, fideliter capiat de vita, & moribus ſupradicti Fratris, & ſi cognouerit, eum bene vixiſſe, ac Statui, & Profeſſioni Reformatorum ſe conformaſſe, ipſum ad reformationem incorporatum declaret, & huiuſmodi incorporationem in Libro Cuſtodiæ diligenter notet.

Quod ſi id per ſe ipſum perſonaliter facere nequeat, alium ſubſtituat, qui id exequatur, dummodo non ſit de Familia illius Conuentus, in quo Frater in Reformatione incorporandns reperitur.

Quo autem ad faciendam aſſignationem aliquorum Conuentuum Obſeruantium de Familia Fratribus Reformatis, in ſingulis caſibus recurratur ad Sac. Congregationem, quæ habita ratione numeri Fratrum ad reformationem tranſeuntium, & omnibus accuratè perpenſis, deliberabit, prout in Domino expedire arbitrabitur.

Ter-

Tertiò: Determinatum eſt, vt de cætero Nouitij inter Reformatos non recipiantur extra Capitula, vel Congregationes Capitulares non obſtante Decreto Sanctæ Mem. Clementis VIII. hac de re edito, alias receptiones, & profeſſiones inde ſecutæ nullæ ſint, & inualidæ.

Quartò: Determinatum eſt, vt Miniſter Prouincialis eligi poſſit ex Familia, vel ex Reformatione, iuxta antiquam conſuetudinem Religionis, & iuxta Conſtitutiones Sanctæ mem. Clementis VIII. & Pauli V. & quando Miniſter Prouincialis eligetur ex Fratribus Reformatis, tunc ad tollendas diſcordias, & lites Cuſtos reformationis non eligatur; ſed ipſemet Miniſter ipſam Reformationem regat, & moderetur. Cæterum, vt neceſſitatibus dictæ Reformationis, opportuniùs prouideatur; Dictus P. Miniſter ſtatim, ac fuerit electus, teneatur vnum ex ijs, qui aliàs Cuſtodes fuerunt, vel ex Diſcretis Cuſtodialibus actualibus Commiſſarium inſtituere, cui ſuam authoritatem tribuat ad dictam reformationem viſitandam, quandocumque ipſe per ſe id facere non potuerit, necnon & ad capiendas informationes in caſibus occurrentibus. Quibus captis teneatur de omnibus certiorem facere dictum Prouincialem, vt ipſe, quod opportunum ſibi videbitur, determinare, ac ordinare valeat. In caſu autem, quo dictus Commiſſarius non rectè functus fuerit officio ſuo, tunc Prouincialis per ſe ſolum poſſit ipſum ab officio remouere, & alium, vt ſupra de nouo inſtituere.

Inſuper determinatum eſt, vt quandocumque Miniſter Prouincialis fuerit Reformatus, tunc Cuſtos mittendus ad Comitia Generalia eligatur ex Patribus de Familia; & vice verſa quando Prouincialis fuerit ex Fratribus de Familia, tunc Cuſtos ſupradictus ſit Reformatus, vt vtraque pars vnum vocalem habeat in dictis Comitijs Generalibus.

Vlteriùs determinatum eſt, vt nominetur à Generali Procurator in Curia Patrum Reformatorum. Romæ die 14. Iunij 1628.

Fr. A. Card. S. Honuphrij.

P. Fagnanus Secretarius.

Locus † ſigilli.

Lecta, & publicata fuere præfata Decreta die 15. Iunij 1628. in Congregatione Generali Fratrum Minorum de Obſeruantia in præſentia Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Card. Gipſij Præſidentis eiuſdem Congregationis.

Numerus Fratrum defunctorum à Capitulo Generali præterito Romano vſque ad præſens 2450. Quorum aliqui pro Chriſti nomine martirium ſubiere, & alij miraculorum gloria coruſcant.

Sequuntur ſuffragia.

PRO Beatiſſimo P. D. N. Vrbano VIII. Pontif. Max. & pro eius incolumitate diuturna à quolibet Sacerdote Ordinis tres Miſſæ celebrentur.

Pro Auguſtiſſimo Romanorum Imperatore omnes Sacerdotes duas Miſſas celebrent.

Pro Catholico Hiſpaniarum Rege Philippo IV. duas Miſſas celebrent.

Pro Chriſtianiſſimo Rege Francorum duæ Miſſæ dicantur.

Pro Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. D. Cardinali Gipſio Congregationis Generalis Præſidente vna Miſſa dicatur.

Pro vniuerſali Congregatione Illuſtriſſimorum Cardinalium, & pro omnibus Principibus Chriſtianis à quolibet Sacerdote vna Miſſa dicatur.

Pro Sereniſſimo Magno Duce Hetruriæ totius Ordinis vniuerſali Benefactore, ac pro eius familia à quolibet Sacerdote vna Miſſa dicatur.

Pro pace Principum Chriſtianorum, hæreſum extirpatione, & victoria contra infideles, ac Eccleſiaſtici Status conſeruatione à quolibet Sacerdote dicantur duæ Miſſæ.

Fr. Michael Kumar Diffinitor Generalis.

Fr. Franciſcus à Gioioſa Diffinitor Generalis.

Fr. Ioannes Baptiſta Campanienſis Diffinitor Generalis.

Fr. Clemens de Placentia Diffinitor Generalis.

Fr. Angelus à Carpineto Diffinitor Generalis.

Fr. Vincentius Romanus Curiæ Commiſſarius.

Fr. Benignus à Genua.

Fr. Antonius à Galbiato Commiſſarius Generalis.

CXXX. *Cap. Gen. Toleti de Anno 1633.*

Ex cauſa bellorum, & peſtis dilata cum fuiſſent Comitia, quæ anno 1631. celebranda erant; Bernardinus de Senis Miniſter Generalis ad Epiſcopatum Viſeuenſem euectus, ſucceſſorem habuit Fr. Petrum Iouer è Prouincia Cathaloniæ Vicarium Generalem Ordinis, quo tamen defuncto electus eſt in Vicariū item Generalem Ordinis Fr. Antonius Enriquez, qui renunciato Epiſcopatu, ad quem nominatus iam fuerat; anno 1633. Generalia Ordinis Comitia Toleti celebrauit.

CAP. GEN.

In Conuentu S. Ioannis Regum Imperialis

lis Ciuitatis Toletanæ in profeſto Pentecoſtes decimaquarta menſis Maij, Anni 1633. celebratum, Præſidente in eo Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Cæſare Montio, Patriarcha Antiocheno, Archiepiſcopo Mediolanenſi, S.Sedis Apoſtolicæ ad Regem Catholicum, cum poteſtate Legati à Latere, Nuntio, & ad hoc munus à Sanctiſs. D.N. Vrbano Papa VIII. ſpecialiter Delegato.

In primis Reuerendiſſimo Patre Fratre Antonio Enriquez, poſt renunciatum in gratiam, & obſequium Religionis, Epiſcopatum Zamorrenſem, totius Ordinis Vicario Generali, magna ſtrenuitate, & Religionis protegendæ zelo, octennium, à Capitulo Romano elapſum, complente, poſt defunctionem Reuerendiſſimi Patris Fr. Bernardini de Senis Miniſtri Generalis ad Epiſcopatum Viſenſem aſſumpti, & mortem Reuerendiſſimi Patris Fr. Petri jouer in officio Vicariatus Generalis defuncti.

In Miniſtrum Generalem totius Ordinis omnium votis, omniumque ſuffragijs cooptatus eſt.

Reuerendiſſimus Pater Fr. Ioannes Baptiſta à Campanea, Lector Iubilatus, Prouinciæ Principatus Pater, Diffinitor Generalis, & Ordinis Secretarius.

Commiſſarius Generalis huius Familiæ Ciſmontanæ ſimiliter canonicè electus eſt.

Reuerendiſſimus Pater Fr. Petrus de Vrbina Lector Iubilatus, & Prouinciæ Caſtellæ Miniſter.

Pater Ordinis, & Diffinitor perpetuus vtriuſque Familiæ.

Reuerendiſſimus P. Fr. Antonius Enriquez, Vicarius Generalis, officio functus, & Epiſcopus Malacitenſis nominatus.

Pater Ordinis, & Diffinitor perpetuus Familiæ Vltramontanæ.

Reuerendiſſimus Pater Fr. Antonius à Galbiato Commiſſarius Generalis Præteritus.

Procurator in Curia Romana.

Adm. Reu. P. F. Dominicus à Neapoli Prouinciæ Terræ Laboris Pater, & S.Officij Conſultor.

Commiſſarius Curiæ Romanæ.

Adm. R.P. Fr. Didacus de Cea Lector Iubilatus, & Prouinciæ Angelorum Pater.

Diffinitores Generales Vltramontanæ Familiæ.

Adm. R. P. Fr. Henricus Sifrid Prouinciæ Tyrolis Miniſter.

Adm. R.P. Fr. Hilarius à Riuello Prouinciæ Baſilicatæ Pater.

Adm. R.P. Fr. Bonauentura à Parma Prouinciæ Bononiæ Miniſter.

Adm. R. P. Fr. Didacus à Pitio Prouinciæ Sanctornm Septem Martyrum Miniſter.

Adm. R. P. Fr. Ambroſius à Galbiato Prouinciæ Bauariæ Miniſter.

Adm. R. P. Fr. Paulus à Braida Prouinciæ S.Thomæ Apoſtoli Miniſter.

Diffinitores Generales Ciſmontanæ Familiæ.

Adm. R. P. Fr. Petrus Hurtado Prouinciæ S.Iacobi Miniſter.

Adm. R.P.F. Petrus Carpia Prouinciæ Flandriæ Miniſter.

Adm. R. P. Fr. Ioannes Hugon Prouinciæ Aquitaniæ Reformatorum Miniſter.

Adm. R. P. Fr. Ioannes de Palma Prouinciæ Angelorum Cuſtos.

Adm. R.P. F. Fulgentius Brunus Prouinciæ S.Bernardini in Gallia Cuſtos.

Adm. R.P. Fr. Theodorus Reinfeldt Prouinciæ Saxoniæ S.Io: Baptiſtæ Miniſter.

Guardiani Terræ Sanctæ, et Conſtantinopolis.

Committuntur electioni Reuerendiſſimi Patris Generalis Miniſtri.

Studia Generalia, et Generales Lectores.

Relinquuntur diſpoſitioni, & electioni Reuerendiſſimi Patris Generalis Miniſtri.

Confirmatio electionis Reuerendiſſ. P. Fr. Io: Baptiſtæ à Campanea in Miniſtrum Generalem totius Ord. Minorum S. Franciſci.

VRBANVS PAPA VIII.

Dilecte fili, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum, ſicut nobis nuper exponi feciſti, Tu in Capitulo Generali Fratrum Ordinis Minorum S.Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum, in Ciuitate Toletana, nouiter celebrato, in Miniſtrum Generalem eiuſdem Ordinis canonicè electus fueris, & electioni huiuſmodi, pro maiori illius validitate, & ſubſiſtentia Apoſtolicæ confirmationis robore communiri plurimùm deſideres. Nos, ſperantes, electionem huiuſmodi de perſona tua, vt præfertur, factam, ob tuum Religionis zelum, fidem, prudentiam, integritatem, & doctrinam, eidem Ordini plurimùm profuturam; teque ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi

ſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti,alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis,ad effectum præſentium dumtaxar conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus tuo nomine,Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati; Electionem de perſona tua in Miniſtrum Generalem dicti Ordinis, vt præfertur, factam, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus, & confirmamus,illique inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, omneſque, & ſingulos, tam iuris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis; ac quatenùs opus ſit,dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis cauſa roboratis, ſtatutis,& conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis,confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris,hac vice dumtaxat ſpecialiter,& expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud S.Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die 8. Iunij *1633*.Pontif.noſtri anno 10.

Frater Ioannes Baptiſta à Campanea totius Ordinis Minorum Generalis Miniſter, & Seruus.

Plurimum nobis in Chriſto dilectis Vniuerſis Seraphicæ noſtræ Religionis Patribus, Fratribus, Superioribus, & Subditis, ſalutem in Domino ſempiternam.

MEritò, & remiſſi amoris in Filios, & negligentis curæ in ſubditos arguaremur à vobis; ſi, dum vobis ipſis Capituli Generalis Decreta promulgandum iri ſtudemus, ſoliciti Patris affectum, quo trahimur, & peramantis Superioris impulſum, quo in chariſſimos Fratres noſtros adducimur, charitatibus veſtris turpi diſſimulatione moliremur celandum. Facilè conuincetur feruentis erga Filios magnitudo amoris in Patre, ſi verum ſit, quod, vt pupillam oculi ſui, proprios Filios diligat Pater. Vigilantis etiam ſolicitudinem curæ ad ſubditos faciliùs arguer in Rectore paterna ipſius eiuſdem Rectoris dilectio. Non ſubticuit, imò clariùs indixit Sanctiſſimus Pater Noſter Franciſcus, Prælatis præſertim, paterni teneritudinem amoris in Filios, quando in Regula dixit: *Quia ſi Mater diligit, & nutrit Filium ſuum carnalem, quanto diligentiùs debet quis diligere, & nutrire Fratrem ſuum ſpiritualem?* Quibus verbis Sanctiſſimus Vir,cæleſti doctrina inſtructus, aliam nobis euidentiorem ſubindicauit illationem, qua faciliùs Prælatis dixiſſet: Quantò magis Rectores, quorum paternitatem inuoluit, diligere, & nutrire debent Filios ſuos ſpirituales? Nec eiſdem Prælatis exprimere omiſit Seraphicus Pater charitatiuæ vigilantiæ curam in ſubditos, quando in eadem Regula dixit: *Fratres qui ſunt Miniſtri, & Serui aliorum Fratrum, viſitent, & moneant Fratres ſuos, & humiliter, & charitatiuè corrigant eos, &c.* Prudentiſſimè quidem optimus Legiſlator Prælationi ſeruitutem, humilitatem, & charitatem adiunxit, vt omnes intelligerent, quòd ſi Generalis Miniſter ſupremi regiminis obtinuit dignitatem in ſubditos, ex eodem ipſo fonte regimen idem ſeruitutis,etiam humilitatis, & charitatis ſocietatem in ipſos, velut in Dominos, & velut in Fratres, depromit. Hinc igitur noſtrum vobis, & ſolicitum Patris in vos teſtamur affectum, & charitatiuam Rectoris indicimus curam: quatenùs beneuolenti Patris gubernio, & vigili Rectoris amore, facilè ducamini, vt & Patris audientiam hilariter, & Rectoris elementiam adeatis libenter. Sed non leuiter illud hic dolendum occurrit, quòd vbi Patrem vrget gubernium, vbi Rectorem ſtimulat amor: ibi ſua Patrem paruitas deprimit,ibi ſua nihileitas obruit. Verùm, quia paruitas rei creſcere conſueuit interdum, non minus offerentis, quam acceptantis affectu: Summo igitur interueniente offerentis noſtræ voluntatis impulſu, & correſpondenti acceptantium voluntatum concurrente æſtimatione, infallibiliter, & Patris paruitas magna, & Rectoris nullitas aliquid erit. Quod verò certo nobis de charitatibus veſtris polliceri debeamus, confidentiùs igitur, & vt ſolicitus Pater, & vt amaſius Rector, non Generalis Capituli promulganda decreta dumtaxat,verùm & ſubnexum etiam aſſertum, ex Sanctiſſimi Seraphici Patris Noſtri monumentis deſumptum, ob oculos vobis ponendum cenſuimus: quo Seraphicus Pater multa paucis de noſtræ paupertatis altitudine perſtringere volens, hæc inter alia habet in quadam collatione formalia verba: *Euangelica noſtra paupertas noſtri Ordinis eſt fundamentum, cui ſubſtrato primariè ſic omnis ſtructura Religionis innititur, vt ipſius firmitate*

mitate firmetur, & euerſione funditùs euertatur. Conſolatoria quidem, ſed formidabilis etiam noſtri Patris ſententia: nam vbi ex paupertatis obſeruantia firmitatem, ibi ex eiuſdem paupertatis tranſgreſſione totalem inſtituti Seraphici euerſionem deducit. Bonnm igitur, & non ad inſipientiam vobis, ſi, paupertatem ſectantes, & altiſſimam inſtituti Seraphici ruinam vitare, & ſpectabiliſſimam eiuſdem inſtituti ſtructuram lucrari ſtudebitis: Seraphicus ſiquidem Pater hæc, vbi ſupra, ſuis Fratribus aſſerit. *Paupertatem noueritis Fratres chariſſimi, virtutum eſſe reginam: quæ in Rege Regum, & in Regina Matre ipſius, tam præſtanter effulſit. Paupertatem ſcitote Fratres ſpecialem viam eſſe ſalutis tanquam humilitatis fomentum, perfectioniſque radicem, cuius eſt fructus multiplex, ſed occultus. Hæc enim eſt Euangelici agri Theſaurus abſconditus: pro quo emendo vendenda ſunt omnia, & quæ vendi non poſſunt illius comparatione ſpernenda.* Et alibi dicit: *Theſaurus beatificæ paupertatis adeò excellens eſt, & diuinus, quòd Nos indigni ſumus in vaſis noſtris viliſſimis illud portare. Hæc enim eſt illa virtus, per quam terrena, & tranſitoria cuncta calcantur: per quam omnes obices tolluntur è medio, dum per illam æterno Domino mens humana conglutinatur. Hæc eſt quæ Animam in terris poſitam facit cum Angelis in Cœlis conuerſari. Hæc eſt quæ Chriſtum in Cruce ſociat, cum Chriſto in tumulo abſconditur, cum Chriſto de ſepulchro reſurgit, & Chriſtum comitatur in Cœlum. Hæc eſt, quæ dotem agilitatis ſuper Cœlos volandi animabus ipſam amantibus, etiam in hac vita concedit, cum veræ humilitatis, & charitatis arma cuſtodiat.* Sed nollemus, amantiſſimi Fratres, vt ſub aliquo neceſſitatum quæſito colore, tantùm amitteretis Theſaurum: ſed vellemus potiùs, vt memoria recoleretis id, quod idem Seraphicus Pater alibi nobis teſtatur. *Neceſſitas*, inquiens, *Fratres chariſſimi, quam non ratio poſtulat, ſed voluptas attentat, extincti ſpiritus ſignum eſt manifeſtum. Spiritu tepido, & paulatim à gratia frigeſcente, neceſſe eſt, carnem, & ſanguinem, quæ ſua ſunt, quærere. Quid enim reſtat, quando anima caret ſpiritualibus delitijs, niſi vt caro conuertatur ad ſuas? Et tunc animalis appetitus neceſſitatis articulum palliat: tunc ſenſus carnis conſcientiam format. Si adeſt Fratri meo vera neceſſitas, & ſtatim ſatisfacere properat, quid mercedis accipiet? Accidit enim occaſio meriti: ſed diſplicuiſſe ſibi, ſtudioſè probauit. Ipſas namque indigentias non patienter ferre, nihil aliud eſt, niſi Ægyptum repetere. Hæc vobis dixiſſe ſufficiat.* Concludentes cum Seraphico Patre, dicente: *Fratres mei, & Filij chariſſimi, præclare nobiſcum actum eſt in conceſſione noſtræ Regulæ. Hæc enim, quæ nobis proponitur, liber eſt vitæ, ſpes ſalutis, arrha gloriæ, medulla Euangelij, via Crucis, ſtatus perfectionis, clauis Paradiſi, pactum æterni fœderis. Hanc ergo veſtram Regulam ſcitote omnes, & in alleuiatione tadij, & memores præſtiti iuramenti, cum interiori homine de ea confabulemini, cum intentione eam adimplendi, ſemper præ oculis portare: imò, & cum ipſa mori debetis.* Super omnia, Fratres mei, Corona mea, gaudium meum, ea Sanctiſſimi Patris Noſtri Franciſci verba memoria retinete, quæ Fratribus ſuis repetere ſolitus erat. *O dilectiſſimi Fratres*, inquiens, *& in æternum benedicti Filij, audite me, audite vocem Patris veſtri. Magna promiſimus, maiora promiſſa ſunt nobis, ſeruemus hæc, ſuſpiremus ad illa. Voluptas breuis: pœna perpetua modica paſſio: Gloria infinita, multorum vocatio: paucorum electio: omnium retributio. Amen.*

Sed ijs demum verbis præſertim veſtram refricate memoriam, amantiſſimi Fratres, quibus in eos inuehebatur, qui Ordinem noſtrum, quem præcipuè decorat paupertatis poſſeſſio, terrenarum rerum puluere maculare præſumnnt: & maximè in eos, qui alios ſuis malis exemplis ſcandalizant, & Ordinem relaxant, maledictionem Dei, & ſuam, terribiliter, imprecando dicebat. *A te Sanctiſsime Pater, & à tota cæleſti curia, & à me pauperculo ſint maledicti, qui ſuo malo exemplo confundunt, & deſtruunt, quod per Sanctos Fratres huius Ordinis ædificaſti, & ædificare non ceſſas.*

Inter omnia tamen percupimus, vt hilari vultu accipere velitis in veſtra eam noſtræ paruitatis debilitatem, aſſiduo apud Altiſſimum veſtrarum precum ſubſidio iuuandam, cui ſicut vos ipſi beneuolenter fauiſtis, ita Nos oneris nobis iniuncti, magnitudini omnino imparem, non minus patenter agnoſcimus, quam libenter fatemur. Iure iam à vobis expetimus, quod gratioſè dediſtis. Sufficientem, fortem, aptam tantæ ſarcinæ portandæ iudicaſtis imbecillitatis noſtræ tenuitatem. Eam igitur, quam ex affectu concepiſtis in illa idoneitatem, eandem nunc ſufficientiam conceptam, re ipſa à nobis Deo præſtandam, continua orationum profuſione à diuina clementia ex charitate impetrare ſatagite. IESVM Chriſtum Dominum Noſtrum, & Immaculatiſſimam Deiparam Virginem, pro fæliciſſimo ſtatu Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, præſertim pro hæreſum extirpatione, pro incolomitate Sanctiſſimi Domini Noſtri Vrbani Papæ Octaui, proque vera Chriſtianorum Principum pace, pro Eminentiſſimi Domi-

Domini, Domini Franciſci Cardinalis Barberini, Religionis noſtræ Seraphicæ Protectoris vigilantiſſimi proſperitate indeſinenter oretis. Deus interim, & Dominus Noſter IESVS Chriſtus, affluentiùs ſuam vobis elargiatur benedictionem, & gratiam. Datis Matriti in Conuentu noſtro S. Patris Franciſci, die quarta menſis Octobris, Anno Domini 1633.

Fr. Io: Baptiſta à Campanea Miniſt. Gen.

Statuta Generalia pro vtraque Familia.

MAiorum noſtrorum inhærentes veſtigijs, & verbis etiam ex eorum monumentis decerptis vtentes, hæc in præſentiarum pro reformandis moribus, & reſtituenda Regularis vitæ Diſciplina, communi Patrum conſilio, & vnanimi ipſorum conſenſu, matura præmiſſa conſideratione, conſultò ſtatuenda cenſuimus: plura, ac maiora, Deo fauente, propoſituri, & antiquas conſtitutiones ad meliorem frugem, & methodum redacturi, vbi primum Romæ Generalis Capituli petitiones expoſuerimus Sanctiſſimo Domino Noſtro Vrbano Papæ VIII. aliaque magni ponderis pro totius Ordinis bono promouendo, & conſeruando, apud Eminentiſſimum D. D. Cardinalem Barberinum, vigilantiſſimum Religionis Noſtræ Seraphicæ Gubernatorem, Protectorem, & Correctorem tractauerimus.

De Obedientia, & Reuerentia Sanctiſsimo Romano Pontifici, cæteriſque Eccleſiæ Prælatis, & Generali Miniſtro præſtanda.

INſignis Chriſti ſectator, & fidelis Dei ſeruus B. Franciſcus, inclitus Seraphici Ordinis Fundator, & Rector, condens eam Regulam, quæ & cæleſtis diſciplinæ ſemitam parat ad vitam, & fælicitatis æternæ aditum pandit ad gloriam, Apoſtolicam viuendi normam, quam ex Euangelio altiùs hauſerat, diuinitus excitatus, elegit, Sibique, ac cæteris Regulæ ſuæ Profeſſoribus perpetuò ſeruandam propoſuit. Et præmiſſo in primo eiuſdem Regulæ Capite, totius inſtituti, velut epilogo dicens. *Regula, & vita Fratrum Minorum hæc eſt, ſcilicet, D. N. IESV Chriſti Sanctum Euangelium obſeruare, viuendo in Obedientia, ſine proprio, & in caſtitate, &c.* Inuarietati, firmitati, & perpetuitati ſui Ordinis opportuniſſimè conſulere volens, à proprio, eoque penitùs immobili, eiuſdem inſtituti fundamento Seraphicam ſtructuram incepit, ab exactiſſima videlicet Obedientia, Sanctiſſ. Domino Romano Pontifici, Romanæque Eccleſiæ exhibenda, dum dixit, *Fr. Franciſcus promittit Obedientiam, & reuerentiam D. Papæ Honorio, & ſucceſſoribus eius canonicè intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ, &c.* Huic principaliori, eiuſdem ſtructuræ immobilitandæ, aliud minùs principale adiunxit fundamentum, perfectam videlicet Obedientiam in Ordine à Fratribus Generali Miniſtro præſtandam, quando ſubiunxit: *Et alij Fratres teneantur Fratri Franciſco, & eius ſucceſſoribus obedire, &c.*

Obedientiam igitur, quam magiſterijs cæleſtibus didicerat Sanctiſſ. P. Franciſcus Romano Pontifici, Chriſti ſummo in Terris Vicario, & exhibuit ipſe, & ab alijs omnibus ſui Ordinis Alumnis exhibendam docuit, & præcepit; Verùm quia illi, cui exhibetur Obedientia, debetur ſimul & reuerentia, idcircò duo hæc in Regula copulantur, *Fr. Franciſcus*, videlicet, *promittit Obedientiam, & reuerentiam D. Papæ Honorio, &c.* Summo itaque Romano Pontifici à nobis, vel maximè in primis obediendum eſt, & reuerentia præſtanda.

Ab Obedientia itaque initium ſumentes, & ab ea quidem, quæ ſumma certè, exactiſſima, ſuiſque omnibus numeris abſolutiſſima, ſummo debetur Sanctiſſ. Roman. Pontif. illud, quod à maioribus noſtris notatu dignum accepimus, nempe, quòd omnes Fratres (vt æquum, & iuſtum eſt) Sanctiſſ. D. Papæ, ac Sacroſanctæ Sedi Apoſtolicæ, humillimam reuerentiam, ſummum honorem, firmiſſimam obedientiam, & inuiolatiſſimam fidelitatem exhibere debent, innouantes: conſultò, ac maturè decernimus, & ſancimus, quòd ſi quis Fratrum ore blaſphemo, quod abſit, aut impudenter, vel minus reuerenter, de perſona Summi Pontificis, vel ſumma eius dignitate, & maieſtate in terris ſuprema, vel de Apoſtolicis Conſtitutionibus, Decretis, aut ſanctionibus, obloqui temerè auſerit, & de eo legitimè conſtiterit, præter alias à ſacris Canonibus taxatas, ſemeſtri inſuper carceris pœna, vel alia grauiori etiam Superiorum arbitratu, omnino puniatur: itaut iuxta menſuram delicti, ſit & plagarum modus.

Quia verò idem Beatiſſ. P. Noſter S. Franciſcus monuit, Presbyteris præcipuè reuerentiam præſtari debere, quod, & ſi de omnibus Sacerdotibus intelligi poſſit, & debeat, quibus certè ob eximiam, & venerabilem Sacerdotij dignitatem, magnum debetur ab omnibus obſequium, & cultus: ſpecialiſſimè tamen de Eminentiſſ. S. R. E. Cardinalibus intelligendum eſt: ſtatuimus, & ordinamus propterea, vt quicumque in

eoſdem,

eoſdem, aut eorum dignitatem, vel perſonam in genere, vel in ſpecie, & præſertim in Eminentiſſ.ac Reuerendiſſ.D.Card.Protectorem noſtrum, impudenter, vel temerè ora laxauerit, aut de Epiſcopis, & alijs Eccleſiarum Prælatis, obloquutus fuerit, trimeſtri carceri mancipetur, vel grauiùs etiam pro grauitate delicti puniatur, Superiorum arbitratu.

Nil aliud poſt memoratam obedientiam Sanctiſs. Rom.Pontif. exhibendam, firmiùs ſtabilire, ſtrictiùs præcipere, & altiùs ſuorum Fratrum cordibus imprimere contendit Seraphicus Pater Franciſcus, quàm exquiſitam, vndeqnaque perfectam, ſuiſque etiam omnibus numeris abſolutam obedientiam Miniſtro Generali præſtandam: vt propterea non ſemel, & bis, ſed ter in Regula noſtra iniunxerit eam Fratribus ſuis. Bis ſpeciali præcepto, in primo capitulo inquiens. *Et alij Fratres teneantur F. Franciſco, & eius ſucceſſoribus obedire, &c.* In octauo, dum inquit, *Vniuerſi Fratres vnum de Fratribus iſtius Religionis teneantur ſemper habere Generalem Miniſtrum, & Seruum totius fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire, &c.* Communi verò præcepto in decimo, vbi dicit. *Fratres verò, qui ſunt Subditi recordentur, quòd propter Deum abnegauerunt proprias voluntates. Vnde firmiter præcipio eis, vt obediant ſuis Miniſtris in omnibus, quæ promiſerunt Domino obſeruare, &c.* Et vt omnis tolleretur de medio ſuſpicio circa dictæ obedientiæ præſtandæ perfectionem, ipſe idem Sanctiſſimus Pater volens in ſuo vltimo, nunquam ſatis laudando teſtamento, ſuorum Fratrum, in re tanti momenti, memoriam refricare, & proprium textui Regulæ commentarium attexere, diſertiſſimis verbis, abſolutiſſimam hanc memoratæ obedientiæ præſtantiam explicuit, dum dixit: *Et firmiter volo obedire Generali Miniſtro, & illi Guardiano, quem ſibi placuerit mihi dare: & ita volo eſſe captus in manibus ſuis, vt non poſſim ire, vel facere vltra voluntatem ſuam, quia Dominus meus eſt, &c.* Sanè non poterat aptiùs, & clariùs explicari nobis omnimoda, & omnigena obedientia à Fratribus præſtanda Generali Miniſtro, quam per omnimodam, & omnigenam captiuitatem ſerui in manibus Domini ſui, quia, ſicut ſeruus captiuus, Mancipium videlicet, eo, in vniuerſis actionibus ſuis, abſoluto, & plenario proprij Domini ſubditur, & præuenitur, imperio: vt non propria, ſed aliena potiùs voluntate, & alieno dumtaxat impulſu operari putetur: ita ſimiliter, eo, Fratres Minores in vniuerſis ipſorum actionibus, abſoluto, & plenario, Generalis Miniſtri præſertim præueniri, excitari, & moueri debent, imperio: vt non propria, ſed aliena eiuſdem Generalis Miniſtri voluntate, & imperantis voluntatis impulſu ad Regulæ noſtræ præſcriptum operari dicantur.

Illud verò præ alijs in hac parte notandum, quod Sanctiſs. Pater ad elucidandam, & aperiendam Fratribus ſuis dictæ obedientiæ eminentiam, poſt præceptam obedientiam, Sanctiſſimo Romano Pontifici præſtandam à Generali Miniſtro, & à Fratribus eius, in ipſo immediatè poſt ſubiunxit obedientiam, ab eiſdem Fratribus exhibendam eidem Generali Miniſtro, quæ ab eiſdem Fratribus, & fidei, & Regulæ profeſſione præſtanda eſt Romano Pontifici; atque certum eſt, Fratres ſub nullo pænitus eorum, quibus fidei, & Regulæ profeſſio ipſos deuincit, ne in minimo quidem eximi à iuriſdictione, regimine, directione, & gubernio Romani Pontificis: igitur liquet etiam, Fratres in nullo penitus eorum, quæ in Regula promiſerunt Domino obſeruare, nec in minimo quidem eximi à iuriſdictione, à regimine, à directione, & à gubernio Generalis Miniſtri.

Quod autem vniformis, quantum ad memoratam exemptionis negationem, debeat eſſe vtrinque obedientia præſtanda Romano Pontifici in Eccleſia Catholica, & Generali Miniſtro in Religione Seraphica reſpectu eorum, quæ Fratres promiſerunt Domino obſeruare, non obſcurè colligitur, tum ex eo, quod, vt indicatum eſt, Seraphicus Pater poſt præceptam Obedientiam Summo Pontifici, & Succeſſoribus eius, velut qui eodem ſpiritu dictam vniformitatem intendebat, immediatiſſimè ſubiunxit obedientiam præſtandam *Fratri Franciſco, & Succeſſoribus eius.* Tum ex conformitate, quam communiter Patres noſtri inter Eccleſiam Catholicam, & Religionem Seraphicam repererunt.

Nec omiſit Seraphicus Pater, exprimere nobis in Regula ſua, velut tribus diſtinctis præceptis, tres illos modos recognoſcendi Generalem Miniſtrum, quibus ijdem Fratres Fidei, & Regulæ profeſſione recognoſcere tenentur Romanum Pontificem. Primò tenentur recognoſcere Romanum Pontificem, vt ſupremum Caput in Eccleſia Catholica. Secundò, vt Caput omnino vnum in Eccleſia Catholica. Tertiò, vt Caput dirigens Eccleſiam Catholicam reſpectu eorum, quæ quomodolibet fidem, & mores concernunt. Hæc eadem ordinatè præcipit in Regula noſtra Seraphicus Pater Franciſcus Fratribus ſuis reſpectu Generalis Miniſtri. In primo ſiquidem Capitulo præcipit ipſis, vt recognoſcant Generalem

Mini-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Miniſtrum, velut ſupremum Caput in Religione Seraphica; cum non aliud dicat ibi, niſi, *vt alij Fratres teneantur Fr. Franciſco, & eius ſucceſſoribus obedire*. In octauo præcipit præſertim, vt recognoſcant illum, velut Caput omninò vnum in Religione Seraphica, dum inquit. *Vniuerſi Fratres vnum de Fratribus iſtius Religionis teneantur ſemper habere Generalem Miniſtrum, & ei teneantur firmiter obedire*. In decimo verò præcipit, vt recognoſcant illum velut Caput dirigens Religionem Seraphicam reſpectu omnium eorum, quæ quomodolibet reſpiciunt illa, quæ promiſerunt Domino in Regula obſeruare, dum inquit; *Fratres verò, qui ſunt ſubditi recordentur, quòd propter Deum abnegauerunt proprias voluntates. Vnde firmiter præcipio eis, vt obediant ſuis Miniſtris in omnibus, quæ promiſerunt Domino obſeruare, &c.*

Præmiſſarum, aliarumque rationum efficacia ducti Patres Capituli Generalis; ſuadente id in primis vnanimi omnium Maiorum noſtrorum conſenſu, declarant, idque ab omnibus firmiter tenendum præcipiunt, omnes, & ſingulos Fratres, tam in communi, quam in particulari ſpectati, qui Regulam S. Patris noſtri Franciſci abſolutè, & ad litteram profitentur, teneri ex vi præceptorum in Regula ad præſtandam eam obedientiam Generali Miniſtro, velut legitimo Sancti Patris noſtri Franciſci ſucceſſori, quam hucuſque ſuperiùs expreſſimus: eam igitur ipſi exactiùs præſtent, correſpondentem reuerentiam cordialiùs exhibeant: humiliùs monita ipſius recipiant: promptiùs mandatis eius obediant, & quæ denique pro maiori totius Religionis bono, vnitate, pace, tranquillitate, ſplendore, vniformitate; proque puriori demum Regulæ noſtræ obſeruatione intentauerit, procurauerit, iuſſerit, alacrius, accuratiùs diligentiùs, vt par eſt, exequantur.

Si quis tamen minùs obediens extiterit, aut in aliquo præmiſſorum per ſe, vel per interpoſitam perſonam, directè, vel indirectè, auſu temerario Generali Miniſtro ſeſe oppoſuerit, vel quouis prætextu, aut quæſito colore quomodolibet contradixerit, vel contraire, rebellare, aut etiam iniurioſis, & irreuerentibus verbis illum afficere præſumpſerit, is quocumque ſuffragiorum iure ſexennio careat, ac ſemeſtri carceris pœna, vel grauiori etiam, pro qualitate delicti, puniatur.

De Cultu Diuino.

AD diuinas laudes, vel altiſſimè canendas, & ad diuina officia ter ſanctè celebranda, & omninò ad pſallendum ſapienter in Choro, modulatis, & vniſonis vocibus, & organis, in conſpectu Angelorum, Domino, die, noctuque omnes conueniant quàm diligentiſſimè; pſallentes mente, pſallentes & ſpiritu, canentes in vocibus, exultantes in cordibus, in hymnis, & canticis ſpiritualibus, Deo gratias agentes, & pſallentes in vnum. *Quoniam benignus, & ſuauis eſt Dominus, quoniam in æternum miſericordia eius.*

In ingreſſu autem Eccleſiæ, hæc ante omnia vna ſit communis cogitatio, intentio communis, communis oratio. *Introibo in Domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo Domine.*

In Choro omnes ſuo loco, & ordine ſe recipiant, neque huc, aut illuc curſitent, vel per aliorum ſubſellia vagentur, neque locum mutent, etiam occaſione genua flectendi.

In Choro nemo rideat, loquatur nemo, nemo vanè, aut curioſè circumſpiciat, neque vanis, aut vagis aſpectibus rem diuinam perturbet. In Choro nemo priuatim ſibi officium dicat, vbi communi officio opera datur; Nemo libros, aut litteras, vel alias ſcripturas legat, aut quidquam aliud agat; quod ad diuinum officium non pertineat.

In Choro ſimul omnes pro temporis, & officij ratione, ex inſtituto Eccleſiæ, & ex veteri, ac probata Religionis conſuetudine, æquè ſtent, ſedeant, ſurgant, caput apetiant, operiant, inclinent, ac genuflectant, & omnia denique ſimul omnes vniformitèr agant, curentque diligenter, vt inter ſe, nè minimum quidem diſcrepent. Nam, qui vnius corporis ſunt membra, vnumque Chorum faciant, vni etiam Deo ſumma charitate, coniunctiſſimoque chriſtianę pietatis ſtudio ſeruire debent.

Cum enim domi ſunt Fratres, & clauſo cubilis oſtio, ſolus quiſque orat ad Dominum, liberum eſt illi, vt eum fert deuotio, pietas, & pietatis affectus, nunc cum Moyſe, & Aaron extollere manus, nunc cum Salomone genua flectere; interdum cum Chriſto procidere pronus in terram: aliquando verò ſedere ad pedes Domini cum Maria Magdalena; percutere pectus, & oculos ad terram inclinare cum Publicano; leuare caput, & oculos in Cœlum defigere cum Apoſtolis; exclamare voce magna cum Centurione; loqui cum ſilentio cum Anna Matre Samuelis; aſpergere ſe cineribus, & induere cilicio cum Niniuitis; lachrimis rigare lectum cum Dauid Rege; extendere brachia per modum Crucis ad imitationem Crucifixi, vnuſquiſque

in

in ſuo ſenſu abundet in nomine Domini: ſed in Choro vnuſquiſque caput aperiat cum aperientibus, operiat cum operientibus, cum inclinantibus inclinet, genua flectat cum flectentibus, ſtet cum ſtantibus, & cum ſedentibus ſedeat.

Denique in ijs, quæ in Eccleſia exteriùs aguntur, nullus omnino ſit ſingularis; non ſit alicui propria deuotio magiſtra, ſed conſuetudo communis. Interiùs quidem, & in cubiculo quiſque nitatur, vt alter alterum deuotione ſuperet, ęmuletur in ſuſpirijs, in humilitate, in pietate, in gemitibus: ſed exteriùs in Choro ſint omnes omnino pares; imò verò non pares; optamus enim, vt non videantur plures, ſed vnus ſolus in Choro omnes.

Antequam officium inchoetur, dato ſigno, ſtatim omnes conſurgant, ſimulque vt temporis ratio poſtulauerit, alternis vocibus ritè compoſitis, per ſe ipſos pſallant, canant, recitent, audiant, ſuaui concentu, ac modulatis vocibus, idque non negligenter, incompoſitè, oſcitanter, indecorè, confusè, præcipitanter, ruptim, inconcinnè: ſed ſedatè, piè, deuotè, concinnè, decorè, modulatè, diſtinctè, tractim, decenter, compoſitè, decenti denique corporis geſtu, habitu, inceſſu, acceſſu, receſſu.

Vnuſquiſque ita ſeſe Choragis accommodet, vt quod vox Chori, per ſe indicat, vna, eademque vocis, non exultatione, non inundatione, ſed modulatione cantantes, Chorum faciant; nam vbi conſonantia non eſt, Chorus eſſe non poteſt; quia hæc ipſa vox *Chorus*, ordinem indicat, & conſonantiam, atque concentum ſignificat. In Choro enim Sacerdotalis dignitas, & maieſtas, vel maximè apparet: nulla verò eſt, aut eſſe poteſt dignitas, & maieſtas, vbi ordo non eſt; ac ideo ad certos modos, ac numeros præeuntis Magiſtri omnes aſpiciant, ſeſeq; illi diligenter conforment.

Quamobrem, vt in Prouincialibus Capitulis, & Chori Vicarius, ſiue ſacrarum cęremoniarum Magiſter, & Chori Moderator, in ſingulis Prouinciarum Conuentibus inſignioribus præſertim inſtituatur, qui ſit, vel apprimè eruditus, ac tantæ rei, vel maximè idoneus, id ſanè decernimus, ac firmiter præcipimus.

Ipſe autem Chori Magiſter, & cantus Eccleſiaſtici moderator, attendat, quàm diligentiſſimè, vt omnes, & ſinguli, qui ad Chorum conuenerint, vnum eundemque tenorem, pro temporis, & officij ratione, perpetuò ſeruent, ſedendo, ſtando, genuflectendo, ſurgendo, tegendo, detegendo, inclinando caput, demittendo, extollendoque vocem: vt ex verbis, & actionibus ſingulorum, vna quędam omniũ incredibilis harmonia, & videatur, & audiatur per omnia: qualis eſt in magno hoc mundo, tanquam in admirabili, ac planè diuino Dei templo, vbi omnia mutui muneris inuicē conſtant, grauibus, leuibus, ac medijs, ipſius Dei Optimi Maximi, velut citharędi manu, admirabiliter temperatis: & qualis eſt præterea in ipſis quoque Angelorum Choris, in quibus, dum ordinem conſonantia oſtendit, & ordo ipſe conſonantiam facit; in militiam tranſit Chorus, & militia pariter tranſit in Chorum; vſque adeo, vt apud Patres noſtros, ex ſacris litteris idem ſit, Chorus, & militia cæleſtis Exercitus.

Eam ipſi quoque in Choro harmoniam toto corde deſiderantes, quam & ipſi idiotæ, & ſimplices Populi, & audiant, & videant; vt ex ſenſibili iſta erigantur animis ad intelligibilem illam, qua & Angeli, & Archangeli, & omnium denique Angelorum Chori in ſæcula ſæculorum laudant Deum: inuiolabili iure præcipimus, vt Magiſter Chori ab omnibus, & ſingulis in Choro ipſo habeatur, tanquàm Campiductor, ad cuius nutum Caſtra ſtant, mouentur, eunt, redeunt: vt cum ille aliquid dicendum, canendum, pſallendum, faciendum, prouidendumuè iuſſerit, non obedire, ſit ſcelus, reſiſtere autem, & repugnare nefas; ac propterea, qui non obedierit, notetur, & notatus puniatur pro contumaciæ modo, Superioris arbitratu. Idem autem Chori Magiſter, Guardiano, & Vicario abſentibus, & Chori, & Conuentus ipſe curam habeat.

In Choro denique, ſacrum apud omnes, religioſumque ſilentium inuiolatè, ac perpetuò ſeruetur. Faceſſant ſomnus, riſus, ioci, rixæ, colloquia, nugæ. Taciti ſint vultus, nutus, paſſus, ipſa quoque pectora, & mentes tacitę ſint; vt ne ſibilus quidem ille Z T, quo Maiores addita maieſtate manus, ſilentia indicunt, niſi rarò audiatur, iſque non, niſi ex ore ipſius Chori Magiſtri, aut Præſidentis in Choro, ad continendum non minùs in officio, quàm in ſilentio Fratres. Qui poſt vltimum ſignum campanæ ad Chorum acceſſerint, ſi Sacerdotes fuerint, nullo penitus excepto, in recognitionem defectus genuflectant dumtaxat Superiori in Choro exiſtenti: Clerici verò, & Laici, poſt genuflexionem non ſurgant, niſi dato priùs ſigno ab eodem Superiore Præſidente in Choro.

Ritus omnes, quos, vel ex antiquis traditionibus acceptos, vel ex Regularibus Sanctorum Patrum Inſtitutis præſcriptos, & antiqua conſuetudine, ac perpetuo vſu probatos, retinuit, ac ſanctè retinet Religio noſtra, piè quidem, atque omnino exactè ſeruentur.

Sa-

Sacri ritus præcipuè, & cęremoniæ ſacræ, quibus Sancta Mater Eccleſia Romana, ſanctè, ac piè, in celebratione Miſſarum vtitur, ac rubricæ quoque, ex pia Eccleſiæ traditione, & probatis Summorum Patrum Inſtitutis, ac nouiſſimè Summorum Pontificum grauiſſimis decretis, & iuſſis præſcriptæ, vt par eſt, retineantur omnino quàm accuratiſsimè, atque inuiolatè ſeruentur. Nam Eccleſia Sancta Dei, veluti Regina, & Sponſa Regis Regum adſtat à dextris illius in veſtitu deaurato, mira ſtatuum, ordinum, graduumque circumdata varietate: ſed eadem, tanquam Corpus Christi Domini, vehementer gaudet, dum eandem domum, quæ eſt Eccleſia ipſa, vnanimes inhabitant Sacerdotes, & Miniſtri Domini, vnius moris, & ritus.

Itaque vnus ſit omnium Sacerdotum, in celebratione Miſſarum, ritus; is, inquam, quem Sancta Romana Eccleſia ſeruat, in libris ritualibus deſcriptum: cui nemo adijciat, nemo adimat, nec iota quidem: Canon eſt, Regula eſt, & ideò, & citra, & vltra peccatur, dum, vel ſurſum, vel deorſum, aut hinc, vel illinc ab ipſa Regula, vel paululum quidem, declinatur.

Vnde conſultò decernimus, nullos vnquam Presbyteratus ordine nouiter inſignitos ad Miſſæ celebrationem admitti debere; niſi fuerint priùs tanti Sacrificij cæremonijs pleniùs instructi, & de inſtructione certiores effecti Prouinciales Miniſtri, per litteras teſtimoniales, etiam iuramento firmatas, duorum noſtri Ordinis Religioſorum; qui à Prouincialibus ipſis de conſilio Diffinitorum in quouis Conuentu deputabuntur ad earundem cæremoniarum doctrinam. Quo accepto teſtimonio licentiam dabunt tunc Prouinciales Miniſtri nouis Presbyteris nouas celebrandi Miſſas. Ij verò Prouinciarum Miniſtri, qui prædictorum exequutionem neglexerint, ſemeſtri officiorum ſuſpenſioni ſubiaceant.

Quolibet Sabbato, non impedito, omnino ſolemniter cantetur poſt Primam, in ſingulis Ordinis noſtri Conuentibus, Miſſa de Immaculatiſsima Conceptione Deiparæ Virginis, eique infallibiliter omnes, & ſinguli Fratres, & Patres, cuiuſcumque conditionis, vel dignitatis exiſtant, deuotiùs interſint: Sacræ Theologiæ Lectoribus, actu legentibus, exceptis dumtaxat. Qui autem prima, & ſecunda vice abſuerint, indeuotionis notam incurrant; tertia vice à proprijs Conuentibus expellantur, vel grauiùs etiam puniantur, Prouincialium Miniſtrorum arbitrio.

Vt miſerator, & miſericors Deus faciem ſuam à peccatis noſtris auertat, & hoſtium Eccleſiæ Catholicæ vires dextera ſuæ Maieſtatis eneruet: Sancimus, & ſtrictè per ſanctam obedientiam præcipimus omnibus locorum Superioribus; vt quotidie poſt Completorium exequutioni demandent, recitandas, Antiphonam ex ſecundis Veſperis de Sanctiſsima Trinitate, cum ſuo verſu, & orationem: Antiphonam ex ſecundis Veſperis de Sanctiſsimo Sacramento cum ſuo verſu, & oratione. Et Antiphonam ex ſecundis Veſperis de Sancto Archangelo Michaele cum ſuo verſu, & oratione.

Vt grauius, deuotius, & exactius (vt par eſt) contingat exercitium diſciplinæ, quæ ter in hebdomada fieri conſueuit à Fratribus in Eccleſia, conſultò decernimus, Hebdomadarium dictæ diſciplinæ debere eſſe Miniſtrum Generalem, ſi aderit, vel ipſo abſente Commiſſarium Generalem, & ipſo abſente, grauiorem in Conuentu Prælatum. Superior, qui renuerit, ſi fuerit Miniſter Generalis, indeuotionis, & in exercitijs ſpiritualibus negligentiæ notam omnino incurrat; Commiſſarius verò Generalis, præmiſſa ſibi à Generali Miniſtro monitione paterna, puniatur eiuſdem Miniſtri Generalis arbitrio, pro negligentiæ qualitate. Prouinciales verò Miniſtri, & Superiores locales grauiter in hoc delinquentes, proprijs etiam officijs priuentur.

Orationem mentalem omnino ſemper moderata præcedat in Choro lectio libri, qui vernacula lingua miſteria fidei contineat, & explicet; quatenus ex ipſa faciliùs Fratres concipiant contemplationis motiuum, pro immediatè ſequutura oratione mentali; Superiores locales, qui memoratæ lectionis exequutionem omiſerint, propriorum officiorum priuationem incurrant.

De obſeruatione Regulæ.

Declaratur, & proteſtatur in primis Capitulum Generale (quòd iam ſæpius, & pluries in alijs Capitulis Generalibus declaratum eſt) in nullo præcepto Regulæ hactenus diſpenſatum eſſe: nec Ordinem noſtrum vllam vnquam diſpenſationem admiſiſſe, vel admittere. Atque adeo diſtrictius præcipitur omnibus, & ſingulis noſtræ Religionis Patribus, & Fratribus, quocumque nomine vocentur; vt declarationes Regulæ noſtræ per Nicolaum III. & Clementem V. fœlicis recordationis, editas, omnino ſeruent; nulla penitus admiſſa contra prædictam puritatem Regulæ diſpenſatione. Qui contrafecerint, pœnis, aduerſus inſtituti noſtri tranſgreſſores taxatis, omnino ſubiaceant.

Aduertatur autem, quòd vſus Syndici, vel

vel Procuratoris Sedis Apoſtolicę,ad quam proprietas eorum, quibus vtitur, ſpectat, non eſt diſpenſatio; ſed modus à Romanis Pōtificibus propoſitus, vt puriùs,perfectiùs, tutiuſq; Regula obſeruetur, prout ipſimet Summi Pontifices teſtantur.

Ad memoratam Regulæ, ſtatutorum, & bonarum conſuetudinum obſeruantiam in omnibus Prouincijs meliùs ſtabiliendam teneantur Miniſtri Prouinciales, ſub propriorum officiorum priuatione, ſingulis annis, ſemel ſaltem, conuocare Diffinitores,& Patres Prouinciæ, vt ſimul conſulant de extirpatione abuſuum, ſi qui irrepſerint, & diſciplinæ Regularis promotione,& conſeruatione ſeriùs tractent.

Quia verò parum eſſet, ac fruſtra fortaſſis tanta diligentia in approbandis ijs, qui ad Religionem admittendi ſunt, & locis ad eoſdem piè, ac ſanctè educandos, deligendis, adhiberetur, niſi & de Magiſtris etiam ad id vel maximè idoneis prouideretur opportunè. Conſultò propterea, ac maturè decernimus, & ſancimus,vt in ſingulis Prouincialibus Capitulis, pro vnoquoque Nouitiatu huiuſmodi, prudenti Patrum conſilio, & vnanimi conſenſu, Nouitiorum Magiſtri deligantur, deputenturque Viri vtique graues, pij, prudentes,deuoti, probati, maturi, prouidi, & diſcreti.

Qui ſedulò Nouitiorum curam gerant: magna pietate,& religione, eos piè, ac ſanctè inſtituant: in viam mandatorum Dei ſalubriter dirigant: Doctrinam Chriſtianam, Regulæ præcepta, & omnia, quæ ad regularis vitæ diſciplinam neceſſaria ſunt, maximè verò ſecundùm declarationes Pontificias, & præſertim Nicolai III. & Clementis V. Nouitios accuratè doceant; ne veluti caſu ſtrictiſſimam Regulam, & in ea profundiſſimam humilitatem, altiſſimamque paupertatem profiteantur, ac tantam demum ſarcinam proprijs humeris ignoranter imponant.

Sæpe eos purè confiteri, & Sacram Euchariſtiam deuotiſſimè ſumere faciant: ad ſeruandam cordis, mentis, & corporis puritatem, verbo, & exemplo inducant: pios mores, & antiquas Sanctorum Patrum traditiones, laudabiles,ac probatas Religionis conſuetudines,& obſeruantias, accuratè,ac ſtudiosè Nouitios ipſos edoceant, eiſque in omnibus conſuetis exercitijs diligenter, ac ſumma aſſiduitate ſemper aſſiſtant.

Ad perfectam interioris, & exterioris hominis compoſitionem faciliùs aſſequendam,præcipimus locorum Superioribus, vt quater ſaltem in anno legendum curent in Refectorio poſt lectionem Sacræ Scripturæ S.Bonauenturæ diſciplinam. cuius impreſſioni, quàm citius fieri poterit, ſtudeant Prouinciales Miniſtri:quatenus ſinguli propriarum Prouinciarum Conuentus ſingulas diſciplinas vernacula lingua retineant.Præmiſſorum tranſgreſſores Guardiani,& Prouinciales Miniſtri ſemeſtri propriorum officiorum ſuſpenſione mulctentur.

Quoniam, ſicut nihil eſt, quòd miſerabiliùs altiſſimam paupertatem noſtram perfundat; quàm incuria, & negatio prouiſionis neceſſitatibus Fratrum: ita è contra nihil eſt, quòd opportuniùs eiuſdem paupertatis tranſgreſſoribus aditum præcludat, quàm quòd eorundem Fratrum neceſſitatibus diligentiùs ſuccurratur.Hinc igitur ſtrictiſſimè præcipimus omnibus locorum Superioribus,vt quouis tempore,ſed infirmitatis præſertim,omnia neceſſaria benè, & malè valentibus Fratribus beneuolentèr, charitatiuè, paternalitèr, ſollicitè, & opportunè ea lege ſuppeditent; vt ſi quomodolibet in dictorum neceſſariorum ſubminiſtratione defecerint, inhumanitatis, & crudelitatis notam, propriorum officiorum priuationem,& perpetuam ad omnia munia inhabilitatem irremiſſibiliter incurrant. Eiſdem notis,& pœnis ſubiaceant Prouinciales Miniſtri, qui vel Guardianos, quouis modo in præmiſſis delinquentes, punire, vel curam, quam ex Regula ipſi præ cæteris in Fratrum neceſſitatibus prouidendis gerere tenentur, ſollicitam, adhibere neglexerint.

Verùm illud hic omnibus Regulam noſtram profitentibus ſciendum,non per alios, proprijs cuiuſque neceſſitatibus prouidendum,quàm per noſtri Ordinis Superiores; ſi quidem ipſis dumtaxat, & non Fratribus ſubditis, de licito, & neceſſario rerum vſu, deque neceſſitatibus huiuſmodi, iuxta varias, & diuerſas perſonarum complexiones iudicium commiſſum eſt. Superioribus igitur tantùm ſuas confidenter aperiant neceſſitates: quibus detectis, expreſſarum tunc neceſſitatum iudicium ferendum, & prouiſionem faciendam, vel communium eleemoſynarum ſubſidio, vel ad amicos ſpirituales recurſu; non aliter tamen, quàm in propria ſpecie, corporis neceſſaria ab ipſis petendo humiliter, & patienter expectent. Et vt, quantum in Domino fieri poterit,infallibilem ſuum ſortiatur effectum id, quòd ſancitum eſt, de opportuna prouiſione, vt ſupra, à Superioribus adhibenda, præſentibus, vel imminentibus Fratrum neceſſitatibus, duo inſuper præcipienda conſultò decernimus; Primum omnibus, & ſingulis Conuentuum Superioribus,ſub propriorum officiorum priuatione, vt ſemel ſaltem in hebdomada tempore refectionis moneant, exhortētur,inuitent,ſollicitent,rogent,Fratres

tres ſibi ſubditos: quatenus ſecurè, manifeſtare velint, & debeant ipſis proprias neceſſitates, mox ab ipſiſmet charitatiuè, & diligentius prouidendas. Secundùm, per Sanctam Obedientiam omnibus, & ſingulis ſubditis, vt ſuos Superiores omnino conueniant proprias ipſas neceſſitates confidenter expreſſuri.

Sciant verò Superiores, quòd in eiuſmodi iudicio ferendo, eos oportet, vel in primis Regulæ zelatores eſſe, prudentes, diſcretos. Ipſi ſiquidem ſcire debent, quarum rerum vſus Fratribus ſit licitus, & quarum non: quis item vſus moderatus, & quis exceſſus in victu, & veſtitu, ac qualitate, vel quantitate, quæ vera neceſſitas, quæ præſens, quæ imminens. Statum etiam altiſſimæ paupertatis, quam ſanctè profitemur, vel in primis conſiderare debent attentiùs. Quibus omnibus, & ſingulis per eos diligenter examinatis, ac debitè penſatis, non pro libito, aut ex animi ſententia, ſeu temerè, aut incautè, ſed magno cum timore Domini, magna prudentia, & diſcretione annuncient, proferant, & iudicent.

Super omnia infirmarios charitate, vel in primis flagrantes Prouinciales Miniſtri communi Patrum conſilio præficiant, qui pios, & miſericordes erga infirmos ſe præbeant, & quanta maxima poterunt diligentia, charitate, & patientia eiſdem aſſiſtant, ac ſeruiant, atque tales omnino erga eos ſe oſtendant, quales cæteros erga ſe, ſi & ipſi ægrotarent, oſtendere vellent. Quod vt diligentiùs, & commodiùs id omne charitatis Officium præſtari poſſit opportunè, ſocios ad hoc, vel maximè idoneos, infirmarijs Prouinciales ſpecialiter aſſignent, qui, die, noctuque infirmis diligenter inſeruiant, ac miniſtrent. Cibus, & medicamenta opportuna, ita opportunè adhibeantur, ſicut & charitatis ratio poſtularit, & per facultates licuerit. Vt verò nihil omnino eiſdem deficiat, id & Infirmarij ipſi, & locorum Superiores, item, ac Prouinciales quoque omni ſedulitatis, & charitatis ſtudio diligenter curent.

Guardiani prætereà, & Vicarij quoque charitatis cauſa, eos quotidiè viſitent: vt & ſolatio illis ſint, & meliùs ab eis cognoſcant, quæ ipſis neceſſaria fuerint. Cæteri verò Fratres etiam infirmos viſitent frequenter, & charitatiuè eos adiuuare, ac piè conſolari in Domino diligenter curent.

Prouinciales autem, vbi infirmos inuenerint, perſonaliter eos viſitent, & accuratè, ac diligenter inquirant, an omnia neceſſaria opportunè prouideantur, ac præſtentur eiſdem? Inquirant prætereà, an Fratres Infirmarij, & eorum Socij quoque illis charitatiuè, ac diligenter inſeruiant? An Medici ſingulis diebus eos opportunè viſitent? An Fratrum quiſquam in viſitandis infirmis ex negligentia, vel aliàs culpabilis ſit? Quod ſi aut Superiores locorum, aut qui infirmorum curæ præfecti ſunt, in ijs, aut auaritia, aut negligentia, vel ſegnitie, defecerint, vel aliàs culpabiles fuerint, Prouinciales Miniſtri ſingulos admoneant, hortentur, & coerceant, pro negligentiæ, aut auaritiæ modo. Et, ſi quem in ijs notabiliter defectuoſum, vel aliàs culpabilem repererint, Officio deſtituant, & ſuffragiorum iure priuatum declarent, ac grauioribus etiam pœnis, quemcumque eorum afficiant, prout expedire cognouerint.

Et, vt nihil omnino in hoc charitatis officio prætermiſſum eſſe videatur, nec reuera ſit, & Prouinciales ipſi, & meliùs, & faciliùs cognoſcere poſſint, an hæc omnia, diligenter, & opportunè præſtentur, in ſingulis Infirmariæ locis eiuſmodi Fratrem vnum, ſedulum, diligentem, atque vel in primis charitate feruidum deputent, qui eorum nomine Fratres infirmos frequenter viſitet, & Superiorem, ac ipſum Infirmarium, admoneat, hortetur, ſollicitet, prout oportere cognouerit, ac demum Prouincialem ipſum certiorem efficiat, ſi aut negligenter, aut aliàs in ijs peccare comperit.

Viſitatores prætereà, in obeundo viſitationis munere, de ijs erga infirmos, & charitatiuè, & opportunè præſtandis ſpecialiter, ac diligenter inquirant: ac prætereà, An loca Infirmariæ nomine, inſtituta ſint? &, an opportuno, ac optimo loco? An omnibus neceſſarijs referta, & inſtructa exiſtant? An Infirmarij, & Officio periti, & charitate feruidi, ſingulis locis huiuſmodi præfecti ſint? & tandem, An omnia, & ſingula, quæ ſupra hoc de genere decreta ſunt, exactè quidem, ac diligenter ſeruentur? Quod ſi minùs ita eſſe repererint, in negligentes, vel aliàs culpabiles, grauitèr animaduertant, & quæ prouiſione digna eſſe cognouerint, diligenter prouidenda curent, ac de ijs Generalem ipſum opportunè admoneant; vt in ſingulis Generalibus Capitulis ſemper de ijs ipſis ſpecialis ratio habeatur.

Fratres hoſpites, cum ad locum acceſſerint, benignè recipiantur, & hoſpitio recepti, charitatiuè, ac perhumaniter tractentur, & vt maiora experiantur religioſæ charitatis indicia, & vetus, ac probata Sanctorum

ctorum Patrum inſtitutio, iterum opportunè, ac ſanctè reuocetur in vſum, vt ipſis hoſpitibus abluantur pedes genibus flexis, aliquid Pſalmi, vel Hymni piè canendo, quo Chriſti Domini charitatis, & humilitatis exemplum imitentur ij, qui ad hoc religioſæ charitatis opus deputati fuerint; id ſanè ſpecialiter, ac firmiter præcipimus. Quod vt omnino præſtetur opportunè, loci Vicario præcipuè curæ ſit, & ei, qui recipiendis hoſpitibus præfectus eſt. Qui ſi neglexerint, puniantur, Superioris arbitratu, pro negligentiæ modo. Quod ſi, & ipſe in culpa fuerit, negligentiæ ſuæ pœnam ſubeat, Prouincialis arbitrio. Qui, ſi quos locorum Superiores, quocumque nomine vocentur, in ijs præſtandis, quæ ad charitatem hoſpitibus exhibendam pertinent, notabiliter defectuoſos inuenerit, vt homines ſine charitate, Officio deſtituat, & ſuffragiorum iure triennio priuatos declaret. In vnoquoque autem loco nonnulla ſint hoſpitia, pro recipiendis hoſpitibus ſpecialiter deputata, cum opportuna ſuppellectile, quæ non niſi ipſis hoſpitibus deſeruire poſſint.

In Conuentibus vniuerſis, quo ad cibum, potum, veſtitum, ac cæteras res attinet, omnes, & ſinguli, etiam Superiores, cuiuſcumque gradus extiterint, communiter viuant, ſicut & inſtituti ratio poſtulat, & Sacra Tridentina Synodus ſanxit: neque quidquam inter Fratres differat: aut alius alij præferatur, aut poſthabeatur, niſi prout probatæ neceſſitatis ratio ſuaſerit. Vndè conſultiſſimè ſancimus, vt ſub nullo prætextu, vel quæſito colore Religionis officia tradantur ijs, qui dictam victus, veſtitus, Chori, reliquarumque rerum communitatem obſeruare nequiuerint. Superiores verò, non minùs Prouinciales, quàm Locales, qui quomodolibet ſibi ipſis, vel alijs quibuſcumque particularitatem aliquam permiſerint, ſint ipſo facto proprijs Officijs priuati: eademque pœna mulctentur Miniſtri, & Diffinitores ad Ordinis Officia promouentes eos, qui vitam, vt ſupra, communem, ſequi non poterunt.

Et, vt breuitati pro nunc conſulamus, ac multa paucis perſtringamus; ſtabilienda, innouanda, & approbanda conſultò duximus, prout præſenti Decreto, innouamus, ſtabilimus, & approbamus, ea Ordinis Statuta, quæ purioris Obſeruantiæ Regulę noſtræ promotionem, & conſeruationem concernunt.

Vt omnes, iuxta exigentiam profeſſionis ſuæ contineantur in debita humilitate, recipit, & proponit iterùm hoc Capitulum Generale Breue Sanctiſſ. Domini Noſtri Pauli Papæ V. fæl. recordat. contra recurrentes ad fauores pro impetrandis Officijs, dignitatibus, & alijs gratijs in Ordine: atque adeò præcipit omnibus Superioribus Localibus ſub proprio rum Officiorum priuatione, vt ad minùs bis in anno idem Breue in ſuis Conuentibus congregatis Fratribus legendum ſeriò curent. Tranſgreſſores, non ſolùm excommunicationis maioris, aliiſque pœnis in eodem Breui expreſſis: ſed etiam alijs grauiſſimis puniantur Superiorum arbitratu. Et vt dictum Breue omnibus peruium ſit, huic Decreto ſubnectendum duximus illud.

Breue S.D.N. Pauli PP.V. contra Superiores Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia, qui fauores extra ſuum Ordinem attendentes, officia, dignitates, ac gratias concedunt. Et contra eoſdem Fratres dictos fauores conquirentes.

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

ADmonemur Paſtoralis Officij noſtri debito diligentiùs proſpicere, ne Religioſis, qui Regularem vitam profeſſi, ſæculo renunciarunt, ad dignitates, & Officia per emendicata ſuffragia ambitioſus pateat acceſſus. Quocirca Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, dilectis filijs Miniſtro Generali, ac Prouincialibus, & reliquis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum Prælatis nunc, & pro tempore exiſtentibus, in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub excommunicationis pœna, ipſo facto incurrenda, præcipimus, & mandamus, ne ad inſtantiam, & requiſitionem, quarumcumque perſonarum, tam Laicarum, quàm Eccleſiaſticarum, extra dictum Ordinem conſtitutarum, etiam Cardinalatus honore, & quacumque ſæculari dignitate, & excellentia, etiam Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium, cuiuis prædicti Ordinis Religioſo, vllam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere, ſeu gradus, honores, dignitates, Officia, & adminiſtrationes, functiones, ac Prælaturas eiuſdem Ordinis concedere audeant. Quinimò dicti Ordinis Fratres, Religioſos, qui contra decreta hac via, & his medijs, per conquiſitos fauores, & ſuffragia aliquid ſibi pro-

procurauerint: ad talia, & ſimilia, ac etiam maiora in eodem Ordine conſequenda, perpetuò inhabiles declaramus. Inſuper dictis Religioſis, & Fratribus eiuſdem Ordinis quibuſcumque ſub eiſdem pœnis præcipimus, & expreſsè interdicimus, vt non ſolùm in præmiſſis omnibus, fauores huiuſmodi minimè procurare, ſed nec etiam ſponte oblatos, aut ab eis minimè procuratos recipere, & ſimiliter, nec ad hunc effectum, munera aliqua prædictis perſonis exhibere audeant, ſeu præſumant. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, dictique Ordinis Statutis, & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitatę alia roboratis, cęteriſque contrarijs quibuſcumque. Aut ſi eidem Ordini, & Fratribus prædictis communiter, aut diuiſim, ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Volumus autem, quòd præſentium litterarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, ſub Anulo Piſcatoris die 18. Aprilis *1619.*

Sicut nullus eſt, quem lateat, quàm peculiari fauorum, quàm liberali gratiarum, quàm vigili protectionis influxu Religionem noſtram Seraphicam ſemper proſequuta fuerit pientiſſima Deipara Virgo; ita nullus vnquam in Ordine ſit, qui tantorum beneficiorum magnitudinem debita gratiarum actione non recolat, quique totum id, quod in Domino potuerit, iu eiuſdem Auguſtiſſimæ Angelorum Imperatricis obſequia libentiùs non præſtet: atque adeò ad maiorem Dei, & eiuſdem Sanctiſſimæ Virginis gloriam, etiam titulo gratitudinis ducti, vnanimi omnium conſenſu conſultiſſimè decreuere Patres: vt in omni Conuentu, in quo Sacræ Theologiæ ſtudium exiſtit, illud pro maiori enucleatione præſeruationis Deiparæ Virginis à labe Originalis peccati, litterarum exercitium fiat: quatenùs ſaltem bis in menſe, Superiores omnes, Locales, Prouinciales, & Generales ſi aderint, Lectores, Prædicatores, & Studentes, in Scholam conueniant, & problema propoſitum pro temporis opportunitate examinent, diſcutiant, dilucident. Problema dictam Deiparæ Virginis pręſeruationem concernens, & ex Sacra Scriptura, vel ex Sacroſanctis Concilijs, vel ex Sanctis Patribus deſumptum, à Lectoribus dumtaxat ea lege proponetur, vt ſi ſint plures, quàm vnus, ſucceſſiuis, mutuiſque vicibus quilibet eorum ſuum proponat Problema de quinquena in quinquenam, intra cuius temporis ſpatium, ſedulam operam nauabunt dilucidationi Problematis memorati Patres, etiam ſcripto ſuo ordine reſponſuri eidem Problemati in ſubſequenti Academia, abſoluta quindena. Omnium reſponſiones, ſcripto traditas, ex reſpondentium manibus ſumet, & in vnum colliget Academiæ Secretarius, qui fuerit antea maioris partis dictorum Patrum ſuffragijs ad id deputatus, eaſque alta voce coram omnibus legat: quarum lectione terminata, ſi quis fuerit, qui difficultatem aliquam contra memoratas reſponſiones mouere voluerit, Lector, qui Problema propoſuit, motis difficultatibus, prout ſibi cælitùs, dabitur, occurret. Collectas reſponſiones coram omnibus numerabit idem Secretarius, earumque numerum referet in Codicillum eiuſdem Secretarij, Patris Guardiani Conuentus, duorumque aliorum Patrum ſubſcriptionibus qualibet vice adiectis, quas demùm fideliter intùs in arca, apud ſe ipſum ſeruabit idem Guardianus Conuentus: illarum, iuxta numerum in dicto Codicillo contentum, ſingulis annis Prouinciali Miniſtro rationem redditurus. Prouinciales verò dictas lucubrationes ſimili fidelitate, & diligentia tranſmittendas curabunt, prout ipſe præceperit, Generali Miniſtro, qui demùm diligentiùs, & fidelius tradat illas doctioribus aliquibus Patribus: quatenùs eas examinent, expurgent, diſponant, ordinent, & euſque perficiant, vt nihil agendum ſuperſit vlteriùs, quin ſtatim prælo tradi poſſint, & valeant. Præmiſſorum omnium, & ipſorum cuiuslibet tranſgreſſores illis eiſdem pœnis ſubiaceant, quas inferiùs in Conſtitutione de Theologiæ Miſticæ lectione taxabimus.

Cum Seraphica noſtra Religio ſemitam acquirendæ perfectionis clariùs edoceat, & ad perfectionem ipſam faciliùs adducat: purgatiuam igitur, illuminatiuam, & vnitiuam viam, quibus perfectio inducitur, includat, oportet. Vnde fit, vt, ſi noſtri Ordinis Alumni intentam perfectionem expeditiùs, faciliùs, & exactiùs obtinere contenderint, Miſticæ Theologiæ memoratam triplicem viam apertiùs doceri ſeriùs incumbere debeant. Sanctorum igitur Patrum in hoc, Maiorumque noſtrorum veſtigia ſequentes, conſultiſſimè decernimus, vt in quolibet Religionis noſtræ Conuentu, ſemel ſaltem in hebdomada, Theologiæ Mi-

ſticæ lectio fiat, & habeatur; cui omnes, & ſinguli Fratres, etiam Laici, & Nouitij, omnino intereſſe teneantur. Culpabiliter abſentes, prima vice, indeuotionis notam incurrant. Secunda propriam culpam coram communitate in prima refectione humiliter agnoſcant. Tertia verò confuſibiliter eijciantur è Conuentibus, in quibus morantur. Superiores autem, ſiue Locales, ſiue Prouinciales extiterint, qui dictam Lectionem non curauerint exequendam, vel quomodolibet aliter eam impediuerint, aut prætaxatas pœnas infligere neglexerint, ſint ipſo facto irremiſſibiliter proprijs Officijs priuati.

Miſticæ Theologiæ Lectores eligantur in Capitulis, & Congregationibus intermedijs, & inter alios ij, qui non doctrinæ ſufficientia dumtaxat præfulſerint: verùm etiam, qui ferventi in primis Chriſtianæ, & Religioſæ pietatis affectu flagrauerint. Sed ne multiplicentur entia ſine neceſſitate, ad prædictæ Lectionis exercitium deſtinabitur vnus, ex Sacræ Theologiæ, vel Philoſophiæ Lectoribus, vbi plures fuerint: in reliquis verò Conuentibus deſtinetur ille vnus, qui vel Sacræ Theologiæ, vel Philoſophiæ, vel Caſuum conſcientiæ, vel Regulæ Lector extiterit. In ijs Prouincijs, in quibus intra vnius menſis ſpatium Capituli, vel intermediæ Congregationis celebratio non immineat, illicò Prouinciales Miniſtri illud ipſum reſpectu præmiſſorum exequutioni demandent, quod in Capitulis, & Congregationibus exequendum occurreret. Lectores omnes in quouis Conuentu, quantùmuis principali, vernacula lingua Miſticam Theologiam Henrico Herpio præſertim Authore, explanent: quatenùs etiam ſimplicibus ſpiritualis vitæ panis frangatur. Omnia & ſingula, quæ de Miſticæ Theologiæ Lectione ſtatuimus, etiam conſultiſſimè ſtatuenda cenſuimus inſuper de Lectione Regulæ noſtræ. Ita videlicet, vt cuncti, quæ circa Miſticæ Theologiæ ſeruanda præcepimus, etiam circa noſtræ Regulæ Lectionem adamuſſim exequenda mandemus.

Pro reſtauratione Tertij Ordinis.

Quoniam diuina mouente pietate, ea fuit Seraphici Noſtri Patris intentio, is ardens in proximorum ſalutem impulſus: ea charitas: is affectus: ea denique ſolicitudo, vt vniuerſis Chriſtifidelibus ad propriarum culparum pœnitentiam, proximam occaſionem, proximumque contenderit præbere motiuum. Et inde factum eſt, vt tres inſtituere voluerit Ordines: Fratrum, videlicet, Monialium, & Pœnitentium virorum, ac mulierum: quatenùs huiuſmodi vniuerſitate cunctos comprehendiſſet in Sagena Chriſti Mortales.

Verùm, quia Tertius Ordo negligentia Fratrum noſtrorum præſertim, adeò defeciſſe dignoſcitur, vt in aliquibus Prouincijs, & Nationibus extinctus ferè videatur. Cupientes igitur modò, memoratum Tertium Ordinem priſtino ſuo ſplendori reſtitui, eoſque fælices efficere progreſſus, quos Sanctiſſ. Pater Noſter Franciſcus exoptauit futuros, omnes, & ſingulos Conuentuum, & Prouinciarum Superiores exhortamur, monemus, & in Domino obteſtamur, quatenùs propria ipſorum ſuorumque ſubditorum, Prædicatorum, & Confeſſariorum præcipuè, ſuaſione, diligentia, & exhortatione, tantæ rei reſtaurationi, promotioni, accretioni, & conſeruationi prudentiùs conſulant, accuratiùs ſtudeant, ſeriùs inuigilent. Præcipientes ipſis ſub propriorum Officiorum priuatione, ipſo facto, & irremiſſibiliter incurrenda, vt nedum in Ciuitatibus, & Terris, in quibus noſtræ Religionis Conuentus exiſtunt, verùm etiam, & in omnibus alijs adiacentibus Villis, & Oppidis, prædictum Ordinem inſtitui, plantari, & propagari, ſedulò curent, ſedulamque operam nanent, vt in loco decenti, & apto, ſpiritualium amicorum eleemoſynis conſtruantur, continua, vel contigua noſtrorum Conuentuum Eccleſijs, Oratoria, vbi deſtinati Tertiariorum Commiſſarij Tertiam Regulam doceant ipſos: vbi ſtatutis diebus deuotos habeant ad eos ſermones: vbi demum cætera præſtentur, quæ ad Dei gloriam, Populi ædificationem, & eiuſdem Ordinis accretionem dicti Commiſſarij, vnà cum Tertiariorum Miniſtris, atque Diſcretis, ſecundum municipalia cuiuſque Conuentus ſtatuta exequenda fore decreuerint.

Et vt clariùs, ordinatiùs, & fæliciùs omnia contingant, ſuumque finem non minus Commiſſarij, quam Tertiarij, faciliùs obtineant, eo Libello omnino vbique vtantur, quo in Hiſpania, vbi tertius Ordo glorioſè fulget, vtuntur, quemque Nos, ex Hiſpanica, in Latinam, & Italicam Linguam traducendum, & prælo tradendum, curabimus: in eo ſiquidem ponitur eiuſdem Tertij Ordinis Regula, ponitur forma admittendi ad habitum, ponitur forma admittendi ad profeſſionem, ponuntur Generales quædam ordinationes, ponuntur denique multa alia ſcitu digniſſima.

Memorati Tertiariorum Commiſſarij eligantur in Capitulis, & Congregationibus

bus Intermedijs, ij videlicet, qui doctrina, verbo, & exemplo præſtantiores extiterint.

Illud hic ſummopetè aduertendum eſt, quòd cum Seraphica noſtra Religio contemplatiuæ & actiuæ vitæ mixtionem inuoluat: ſicut igitur ipſa id,quod nos in Deum: & id quod nos in proximum ordinat, formaliter claudit: ſic omni diligentia Nos, omnique conatu, vtriuſque aſſecutioni incumbere tenemur. Facili tamen negotio aſſequemur vtrumque,ſi Theologię Miſticę lectioni, contemplatiuam: ſi Tertiariorum inſtructioni, actiuam vitam docenti, vt par eſt, feriò ſtudebimus.

De Studijs.

QVIA præter Obſeruantiam Regularis Diſciplinæ, etiam neceſſarium eſt, non ſolùm ad Ordinis noſtri decorem, ſed ad totius Eccleſiæ Dei vtilitatem, ac Catholicorum in fide confirmationem,& conuerſionē,Hæreticorum ad illam, vt vbique habeatur maxima ratio ſtudiorum omnium: ac is ſit ſemper in ipſis Ordo, forma,exercitium, frequentatio, cultus, ſicut illorum dignitas petit,vtilitas exigit,& Generalia Statuta diſponunt: vt propterea Lectores, & Studentes, qui conſtituti onum ad ſtudia pertinentium,tranſgreſſores extiterint, non tantùm pœnis,earundem conſtitutionum decreto taxatis, ſed grauioribus etiam,Superiorum Generalium arbitratu, plectantur.

Quoniam verò ex Sancto Euangelio, quod ſpeciali ratione profitemur inRegula, ſtrictiùs Nos obligamur hærere veſtigijs Apoſtolorum, quibus Fidei propagatio demandata fuit à Chriſto IESV, atque adeo Nobis peculiariùs, & velut iure hæreditario congruit eiuſdemCatholicę Fidei propagatio, hæreticorum, aliorumque infidelium conuerſio. Vt igitur noſtro Inſtituto, vt par eſt, exactiùs in hac parte ſatisfaciamus, & Sanctiſſimi P. N.Franciſci præceptum de Fratrum, ad Saracenos, alioſque infideles, mittendorum idoneitate, quæ ſicut virtutum decorem, ita etiam doctrinæ ſufficientiam, & maximè perfectam fidei controuerſiarum intelligentiam,linguarumque diuerſarum peritiam importat, pleniùs exequamur,conſultiſſimè ſtatuimus,vt præter ſtudia generalia, vel ordinaria, quæ ſunt in Prouincijs,curet Reuerendiſſ.P.Miniſter Generalis, quanto citiùs fieri poterit, erigenda quatuor Collegia, vnum in Natione Hiſpanica, alterum in Italica, tertium in Gallica, quartum verò in Germanica,& Belgica: in quibus Collegijs doceri debeant, inter alia illæ linguæ, & Fidei controuerſiæ, quæ ad ipſius fidei propagationem, hæreticorum, aliorumque infidelium conuerſionem, magis vtiles, & neceſſariæ fuerint.

Ad prædicta verò Collegia, legibus, & modis, ab ipſo Reuerendiſſ.P.Miniſtro Generali munienda, deſtinabuntur ex qualibet Prouincia Nationis duo, vel vnus,præcedente examine, & approbatione, totius Diffinitorij Prouincialis, poſt expletum Theologicum curſum debeantque deſtinari Collegiales per triennium ſaltem in huiuſmodi ſtudio perſeuerare, poſt quod, ſi iudicati fuerint idonei,Reuerendiſſ.Generalis Miniſter, tunc eos ad Fidei propagationem, vel hæreticorum, aut infidelium conuerſionem deſtinabit, & mittet.

Collegia autem hæc ſint in omnibus, & per omnia immediatè ſubdita Reuerendiſſimo Patri Miniſtro Generali, ea videlicet lege, vt idem Reuerendiſſ. Pater prouideat ſe ſolo eiſdem Collegijs de Guardianis, de Lectoribus, cæteriſque Officialibus, prout ſibi meliùs in Domino videbitur: in eorum tamen prouiſione facienda, ſemper, cæteris paribus, præferenda erit ea Prouincia, in qua Collegium exiſtet. Nullus etiam Fratrum, qui in dictis Collegijs commorari debebunt, collocari poſſit in ipſis, aut ab eiſdem amoueri, niſi de licentia in ſcriptis Reuerendiſſ. Patris Generalis Miniſtri. Prouinciales tamen Miniſtri earum Prouinciarum, in quibus Collegia erigentur, ſuis determinatis temporibus, commiſſaria dumtaxat, & delegata ſibi auctoritate ab eodem Reuerendiſſimo P. Generale Miniſtro viſitabunt, vt moris eſt, non tantum paternaliter, ſed etiam iudicialiter, tam in Capite, quàm in Membris, quotieſcumque id iuſtitia exegerit, dicta Collegia, ac cætera, iuris ordine ſeruato, præſtabunt, quæ in conficiendis, & ſententiandis proceſſibus, vnà cum Diffinitorio præſtare conſueuere, reſpectu Fratrum, in quos ordinariam iuriſdictionem exercent. Statim Paternali, vel quauis iudiciali, dictorum Collegiorum, & Fratrum, in ipſis commorantium, viſitatione abſoluta de dictorum Collegiorum ſtatu, Regulari Obſeruantia, de Studiorum progreſſibus, de proceſſibus, de ipſorum datis ſententijs, deque omnibus demum notabilibus euentibus Generalem Miniſtrum prædicti Prouinciales certiorem efficere teneantur.

Pro eorundem Collegiorum erectione, ſine vlla interpoſita mora, Reuerendiſs.Generalis Miniſter de conſilio dumtaxat aliquorum Patrum ſeliget, & deſtinabit aliquem

qutm

quem Conuentum, quem ad formandum ex eo, vel in eo Collegium, etiam ſi aliàs in Collegium erectus extiterit, aptiorem eſſe iudicauerit, in hac, vel in illa Prouincia huius, vel illius Nationis. Lectores verò, ad dicta Collegia mittendi, ſiue Fidei controuerſiarum fuerint, ſiue linguarum, ijs priuilegijs, & immunitatibus gaudeant, quibus gauderent, ſi in Proprijs Prouincijs, vel Nationibus legerent. Decernentes inſuper, tempus, quo, vel Fidei controuerſias legerint, vel linguas docuerint, poſſe, & debere eſſe completum numero annorum, qui iubilationi aſſequendæ præſcripti ſunt. Volentes demnm, vt ſemper ipſi, cæteris paribus præferantur Officijs in Capitulorum, & Congregationum celebratione diſtribuendis.

Vt autem Patres Lectores, vbicumque doceant, poſſint ad iuſtitiæ præſcriptum gaudere priuilegijs conceſſis iis, qui Philoſophiam, & Theologiam tempore à Conſtitutionibus præſcripto, legerint, renouatur ſtatutum, quo ordinatum eſt, vt doceant totidem annis, ſine vlla interpolatione, vel intermiſſione, vel intromiſſione ad alia officia: nec poſſit recompenſari requiſitus numerus annorum per hoc, quod bis in die legant, ita vt tali prætextu annum vnum velint, computari pro duobus, ſed ſeruetur Statutum ad litteram, ſuper quo Reuerendiſſimi Patres inuigilent, quod ab eis Generale Capitulum ſummis precibus efflagitat. Philoſophiæ, & Theologiæ Lectores irremiſſibiliter proprio Lectoratu priuentur, ſi directè, vel indirectè voce, vel ſcripto deflexerint à Scoti Doctrina.

Et vt, quantùm fieri poterit, conſeruetur etiam in Ordine noſtro vniformitas Philoſophicarum ſententiarum Subtiliſſimi noſtri Doctoris, Reuerendiſſimus P. Generalis Miniſter, quàm primùm committet quatuor ad minus ex Doctioribus Patribus conficiendum Artium curſum in Scoti doctrina, quem poſteà curſum, ea lege ſemper ſequi debebunt Philoſophiæ Lectores, qui, ſi ſcripto in ſuis Lectionibus ab aliqua ex ſententijs, in eodem curſu contentis, deflexerint, irremiſſibiliter Lectoratus Officio priuentur. Poſſint tamen, ſi velint, oretenùs tantùm in aliquam ex dictis ſententijs, velut Scoti doctrinæ non conſonam, interdùm inſurgere, & vt ſine vlla controuerſia ſuum fæliciter vbique ſortiatur effectum dicti curſus introductio, curabit idem Reuerendiſſimus Pater Generalis Miniſter, vt conficiantur curſus in ſingulis principalioribus Nationibus, Hiſpanica, Italica, Gallica, Germanica ſimul, & Belgica, ſuoque quæque Natio vtatur curſu, vſquequo ex dictis quatuor conficiatur vnus, quo in tota Religione poſtmodum vti tenebuntur Philoſophiæ Lectores.

Ad hoc etiam vt omnes poſſint ſe commodè in doctrina, & littera Scoti exercere, curabit Reuerendiſſimus P. Generalis Miniſter, vt quanto citiùs fieri poterit eius ſcripta ſuper ſententijs prælo mandentur, pro nunc, in octauo, quorum tot excudentur exemplaria, quot pro ſingulis Religionis Prouincijs ſufficere iudicauerit. Sedulam etiam operam nauabit idem Generalis Miniſter, quatenus vniuerſa eiuſdem Subtilis Doctoris opera prælo tradantur in folio, quorum tot inſuper excudantur exemplaria, quot principalioribus ſaltem ſingularum Prouinciarum Bibliothecis neceſſaria forè decreuerit. Id ipſum etiam de operibus grauiorum, & vetuſtiorum præcipuè, Ordinis noſtri Doctorum,

Exactiori ſtudiorum cultui, & obſeruationi Studentium diſciplinæ conſulentes, diſtrictè præcipimus, vt niſi maximi ponderis ratio in contrarium pugnauerit; Artium ſtudia in ijs eiſdem Conuentibus collocentur, in quibus Theologiæ ſtudia collocata ſunt.

De Prædicatoribus.

POterunt, ſi voluerint, Superiores Generales diſponere de Prædicatoribus pro exigentia, & ratione principalium Ciuitatum, vel Locorum, ex quacumque placuerit Prouincia, Prædicatores, doctrina, & eloquentia magis commendatos, & approbatos aſſumendo, qui tam Prædicatores, quàm Lectores in quacumque Prouincia laborarint, habeant omnia priuilegia, ac ſi in propria ſua, prædicta munera exercuiſſent.

Ne verò hac, vel alia occaſione aperiatur aliqua via ad relaxationem Obſeruantiæ paupertatis Regulæ noſtræ, vel ad importunas, & inordinatas prætenſiones, præcipitur Patribus Prædicatoribus, ne ſub vllo prætextu, vel quæſito colore, procurent directè, vel indirectè Conciones tempore Quadrageſimæ, vel Aduentus habendas: & à quacumque tandem Communitate, vel à quibuſcumque fuerint requiſiti, teneantur, eos ad Reuerendiſſimos Prælatos Generales, vel Prouinciales remittere, à quibus hoc petant, ita vt nullus omnino prædicare poſſit tempore Quadrageſimæ, vel Aduentus, niſi miſſus ſaltem à Miniſtro Prouinciali.

Prædi-

Prædicatores quicumque eleemoſynas, prædicationis prætextu oblatas penitus non recipiant; nec de illis ſub quouis prætextu, vel quæſito colore, diſponere, aut quomodolibet tractare præſumant, & audeant, ſed ſi abſoluta prædicatione, vel ante contigerit fieri à quouis genere perſonarum Prædicatoribus ipſis eleemoſynarum oblationem, reſpondeant, Syndicis Conuentuum dumtaxat liberè, & integrè transmittendam, & conſignandam fore. Quòd ſi conſtiterit, quempiam Prædicatorum per ſe, aut per alios pecuniam recipere, vel recepiſſe, proprietatis pœna omnino puniatur, & actibus legitimis per ſexennium priuetur: quam pœnam, etiam Guardiani ſubeant, ſi eorum culpa, vel negligentia contra fieri contigerit.

Adeo nihil penduntur hiſce temporibus Conuentuum noſtrorum Bibliothecę communes; vt quæ aliàs diligentius rectæ, ſplendorem; nunc verò, negligentiùs deſertæ dedecus potius Religioni afferre videātur. Vt igitur opportunum adhibeamus tanto malo remedium, præcipimus Prouincialibus Miniſtris, ſub pœna priuationis officiorum irremiſsibiliter incurrenda, vt vigilantius curent, Defunctorum Fratrum libros fideliter, & quanto citiùs fieri poterit, tranſmittendos in communes Bibliothecas. Præcipientes inſuper vniuerſis Superioribus, cuiuſcumque gradus, & dignitatis exiſtant; vniuerſis etiam Subditis, ſub pœna excommunicationis, ipſo facto incurrenda; & ſub alijs item grauiſsimis pœnis ad Superiorum beneplacitum infligendis, vt nullo modo, nec per ſe, nec per Apoſtolicum Syndicum, ſub quouis prætextu, quæſito colore, occaſione, vel cauſa, alienent, vendant, commutent, donent, aut quomodolibet aliter fraudent, vel diſtrahant, Defunctorum Fratrum Libros, aut eos, qui ad particulares Bibliothecas quauis ratione pertineant, vel quocumque modo, ſeu titulo fuerint; etiam deinceps, Monaſterio acquiſiti.

Verùm ad opportunam communium Bibliothecarum reſtaurationem, continuam accretionem, & perpetuam conſeruationem, præcipimus omnibus Superioribus Prouincialibus, ſub propriorum officiorum priuatione; vt quolibet anno ducentos ad minus aureos nummos Diffinitorum interuentu, & conſilio, de communibus eleemoſynis expendendos ſtudeant in libros; conſimili eorundem Diffinitorum interuentu, & conſilio communibus Bibliothecis applicandos. Sed cum ratio dictet, & experientia doceat, Bibliothecas communes breui temporis ſpatio conſumptum iri; niſi Bibliothecarij inſtituantur, qui libros diſponant, ordinent, in claſſes redigant, purgent, reficiant, reparent, ac cętera præſtent; quorum exequutione prædictæ Bibliothecæ ſuo priſtino ſplendori reddantur, & in obtento decore ſeruentur: conſulto præcipimus Prouinciarum Miniſtris ſub pœna priuationis officiorum; vt tempore Capituli, & Congregationis communium Bibliothecarum inſtituendos curent Bibliothecarios, qui vel prædicationis munere præditi ſint; vel ſaltem, qui vniuerſali, & competenti quadam facultatum, librorumque notitia polleant.

Memoratarum Bibliothecarum libris vti poſſint Prædicatores, & Lectores præſertim: ijs tamen legibus, vt ſchedulam, quæ acceptorum librorum numerum contineat, quæque propria manu accipientium libros ſubſignata ſit, in manibus relinquant Bibliothecariorum, qui nequeat, niſi vnius menſis ſpatio ad ſummum traditorum librorū vſum permittere; itaut abſoluto mēſe, accomodatos libros repetant, eoſque Bibliothecis, ad reliquorum Fratrum vſum, reſtituendos omnino procurent. Bibliothecarij, qui dictorum librorum reſtitutionis exequutionem omiſerint, proprijs officijs ſpolientur, & Fratres, qui acceptos libros reſtituere noluerint, vlteriori librorum participatione priuati exiſtant.

Ne verò Cellarum, ſeu particularium Bibliothecarum libri facilè pereant, ſed accuratè potius, & diligenter ſeruentur, ſtatuimus, ſimulque præcipimus Prouincialibus Miniſtris ſub propriorum officiorum priuatione; vt in primis Prouinciarum Viſitationibus coram Conuentuum Guardianis, & Diſcretis, memoratos libros fideliter referendos curent in Inuentaria eorundem Prouincialium, Guardianorum, & Diſcretorum manibus obſignanda, Prouinciarum ſigillis munienda, & Cellarum parietibus affigenda; quatenus dicti libri, iuxta numerum in inuentaria relatum, coram Conuentuum Diſcretis conſignentur à Guardianis Fratribus, eaſdem Cellas habitantibus; qui tamen ſcriptas cautiones, dictorum librorum numerum continentes proprijs ipſorum Guardianorum, Diſcretorumque manibus ſignatas, & apud Guardianos ſeruandas, dare teneantur; vt dum ex proprijs Cellis, in alias migraturi diſceſſerint, conſignatos ipſis libros ad numerū, in inuētaria relati præſcriptum Guardianis coram locorum Diſcretis reſtituant. Guardiani, qui præmiſſorum exequutionem omiſerint, ſint ipſo facto proprijs officijs priuati.

Liceat Fratribus ex particularibus Cellarum Bibliothecis tot libros ſuis vſibus con-

conceſſos, de Superiorum licentia tempore tranſmigrationis ſecum de Conuentu in Conuentum deferre, quot, ad ſummùm vnius equi ſarcina aſportari poſſint, & valeant: tranſmittendorum tamen librorum numerus referatur in Inuentaria Guardianorum, Diſcretorum, & Fratrum libros accipientium, manibus ſubſcribenda; & ab eiſdem Fratribus accipientibus libros Guardianis, ſub quorum obedientia vitam ducturi erunt tradenda: Tranſportati libri, præmiſſa, iuxta inuentariorum præſcriptum illorum recognitione incorporentur præexiſtentibus nouiter habitandarum Cellarum libris. Quorum omnium numerus in alia referatur inuentaria Guardianorum, & Diſcretorum manibus ſubſignanda, Conuentuum ſigillis munienda, & Cellarum parietibus affigenda; antiquis inuentarijs in ſuo eſſe remanentibus, vſque ad Aduentum Prouincialium Miniſtrorum, quorum interuentu in noua referantur inuentaria, vt ſupra. Guardiani, qui præmiſſa neglexerint, aut conceſſos Fratribus libros communium eleemoſynarum ſubſidio aſportandos renuerint, in propriorum officiorum priuationem incurrant.

Ad hæc, vt etiam in alijs ſeruetur debitus ordo, & præcipuè, qui habent officia, poſſint illa maiori quiete, & fructu exequi, reuocat Capitulum Generale Conſtitutionē, quæ ſubijcit Procuratorem, vel Commiſſarium Curiæ Romanæ Commiſſario alterius Familiæ; declarans ipſum in poſterum debere immediatè ſubeſſe Reuerendiſſimo Miniſtro Generali, vt liberè poſſit, quocumque euentu aliquid rexeretur contra bonum vnius, vel alterius Familiæ, etiam nolente Commiſſario Generali cauſas proſequi.

Ad hunc finem declaratur, quòd Fratres, qui vtraque Familia Romam venerint negotiorum cauſa, immediatè ſint ſubditi Prælatis Curiæ, non verò Miniſtro, aut Guardiano Conuentus Aracœli.

Denique pro totius Ordinis, & Familiarum mutua pace, vnanimi conſenſu totius Capituli Generalis declaratum eſt, omninò, & inuiolabiliter ſeruari debere vtriuſque Familiæ iura, & terminos, prout ab initio Religionis Familiarum diuiſio Citra, & Vltra Alpes ordinata eſt: in tali diuiſione Bullę Vnionis, quoad Prælatorum Generalium electiones præſertim, & totius Religionis regimen fundatur. Circa quod admiſit totum Capitulum Generale proteſtationem coram eodem Capitulo ſolemniter nomine Prouinciarum Germaniæ, & aliarum Ciſmontanæ Familiæ factam contra omnia hactenus attentata circa tranſgreſſionem terminorum à Patribus alteriùs Familiæ in diuerſis Germaniæ Prouincijs, & conclusum eſt, vt allegatis fundamentis, & rationibus, ob quas ita omninò expedit, & ad pacem, & vnionem Religionis, & ad euitandas perpetuas inquietudines eſt neceſſarium, ſupplicetur ex parte totius Ordinis ſuę Sanctitati, vt dignetur authoritate Apoſtolica Ordinis, & Familiæ iura, quoad terminos conſeruare, & illa, vbi violata ſunt, reſtituere.

Ad euitandam etiam circa hæc confuſionem, declaratum eſt, in Familia Vltramontana præter Prouinciam Boſnæ Argentinæ, nullam eſſe aliam Argentinæ Prouinciam, quæ per errorem inter Prouincias illius Familiæ ponitur, atque adeo illam ex ſtatutis, & vbicumque poſita fuerit, eſſe expungendam, cum conſtet, Prouinciam Argentinæ ſemper fuiſſe, & eſſe familiæ Ciſmontanæ, ſicut etiam inter Prouincias Nationis Germanicæ, & huius Familiæ in ſtatutis Generalibus numeratur.

Pro Familia Vltramontana.

QVando contigerit cantari die Sabbati Miſſam de Immaculatiſſima Conceptione Deiparę Virginis; præcedenti tunc die Veneris ſerò, dato ſigno ad Salutationem Angelicam antequam Fratres ſeſe de more flagellent, ſolemniùs, quo fieri poterit, cantent Antiphonas, Pſalmos, Lectiones, & reſponſoria primi Nocturni Officij de Immaculatiſſima Conceptione Mariæ: itaut, dicta ſecretò ab omnibus in Choro exiſtentibus Salutatione Angelica, hebdomadarius immediatè intonabit primam Antiphonam; qua intonata duo Cantores ſuperpelliceis veſtiti intonabunt Pſalmum ſequentem; & eo abſoluto, repetetur Antiphona tota, & intonabitur altera, quod in reliquis ſeruabitur. In decantatione dicti Nocturni, hebdomadarius ſemper erit (ad maiorem eius deuotionem, & grauitatem) Generalis Miniſter ſi aderit, vel ipſo abſente, Commiſſarius Generalis, quo abſente, grauior, qui extiterit in Conuentu Prælatus: prima, & ſecunda lectio deuotiſſimè, & pauſatiſſimè cantabitur ab ijs grauioribus Patribus, vel etiam Fratribus, qui clariori voce præpolleant: tertiam verò cantabit hebdomadarius.

Loco tertij Reſponſorij cantabitur Antiphona. *Tota pulchra es &c.* quam tamen intonabunt Cantores alternatim, ſicut cōſueuit fieri in cantu dictæ Antiphonæ, reſpondente Choro: qua abſoluta Cantores cantabunt verſum conſuetum de Immaculatiſſima Conceptione, & poſt Chori reſpon-

ſponſionem hebdomadarius Orationem cantabit de eadem Immaculatiſſima Conceptione Mariæ, de Spiritu Sancto, deque Sanctiſſimo Patre Noſtro Franciſco, & dicto *Dominus vobiſcum &c. Benedicamus Domino &c. Fidelium animæ &c. cum Pater noſter, & Aue Maria* ſecretò, abſolutum erit Nocturnum.

Huic decantando Nocturno omninò omnes, & ſinguli, nullo penitùs excepto, etiamſi Sacræ Theologiæ Lectores fuerint actu legentes, intereſſe debebunt. Qui prima vice defuerint indeuotionis notam: Qui ſecunda, propriam culpam in Refectorio coram Fratribus agnoſcant: Qui verò tertia, de proprijs Conuentibus expellantur, vel grauiùs etiam puniantur Prouincialium Miniſtrorum arbitrio. Sed ſi Conuentuum Superiores ſemel dumtaxat dicti Nocturni, vt ſupra, cantandi deuotionem omiſerint, irremiſſibiliter proprijs officijs priuentur.

Ab huiuſmodi memorati Nocturni conſtitutione nullatenus eximuntur illorum Conuentuum Fratres, qui, vel quoniam reformati ſunt, non vtuntur cantu: vel qui cantum omnino ignorant; ſub eiſdem pœnis decernimus enim, vt id genus Fratres deuotiùs, & grauiùs quo poterunt dictum Nocturnum vniſona, & alta voce recitare teneantur: ſicut ſolemniùs etiam quo poterunt, ſimili tono celebrabunt ſequenti die Sabbathi Miſſam de Immaculatiſſima Deiparæ Virginis Conceptione.

Illud hìc aduertendum, prædictum Nocturnum antecedente ſero diei Veneris cantandum, vel recitandum eſſe iuxta laudabilem, & commendatam antiquorum Patrum noſtrorum deuotionem, veluti quandam præuiam diſpoſitionem, & præparationem ad Auguſtiſſimum Sacrificium Miſſæ ſequenti die Sabbathi in memoriam puriſſimæ Conceptionis Deiparæ Virginis, vt ſupra, ſolemnius cantandæ.

Confirmatur, cum omnibus in eo contentis, Decretum anno 1625. die 29. menſis Octobris, in celebratione Capituli Prouinciæ S. Patris noſtri Franciſci datum, quo de communi conſenſu Reuerendiſſimi Patris Bernardini de Senis tunc temporis Generalis Miniſtri, & totius Diffinitorij eiuſdem Prouinciæ ſancitum, & ordinatum fuit, vt Conuentus Sanctæ Mariæ Angelorum propè Aſsiſium iuxta intentionem eiuſdem Sanctiſsimi Patris noſtri Franciſci, qui Sacratiſsimum illud Cœnobium ſuper vniuerſos Ordinis noſtri Conuentus maxima reuerentia à cunctis Fratribus ſuis præſertim haberi voluit, ſub immediata poteſtate, gubernio, & regimine Generalis Miniſtri reuocaretur: prout fuſiùs in eodem decreto ad hæc vſque tempora exiſtente proprijs prædictorum omnium Patrum manibus obſignato, & maiori totius Ordinis ſigillo munito, diſponitur.

Decernitur, Magiſtros Nouitiorum poſt ſexennium, debere gaudere prærogatiuis eorum, qui fuerunt Diffinitores Prouinciæ; & qui laudabiliter exercuerint officium ſuum continuis duodecim annis connumerentur inter Prouinciæ Patres.

Iuuenes admittendi ad Religionem non recipiantur, niſi perfectè linguam latinam aſſecuti fuerint, & aliter aſſumentes priuentur officijs.

Inſtituantur pro hac Familia tria Collegia, in quibus doceantur litteræ humaniores, ea tamen lege, vt vnum erigatur in Regno Neapolitano, alterum in Romandiola, & tertium in Lombardia. Magiſtri ad hæc ſtudia aſſumentur ex quacumque Prouincia ad arbitrium Reuerendiſsimorum Prælatorum Generalium. Conuentus verò pro eiſdem Collegijs erigendi, quam citiùs fieri poterit deputabuntur à ſolo Generali Miniſtro de aliquorum Patrum conſilio dumtaxat.

Nullus vnquam, ſub pœna priuationis officiorum aliter inſtituentibus infligenda, poſsit inſtitui Lector Philoſophiæ, niſi præmiſſo habiliorum, doctiorumque concurſu; ea videlicet lege; vt tempore Capituli, & Congregationis; vel quandocunque aliàs Lectoratus officia vacauerint concurſuri ad illud per ſpatium vnius horæ coram toto Diffinitorio, & coram omnibus Prouinciæ Sacræ Theologiæ Lectoribus actualibus, & habitualibus ſingulis diebus, ſingulas lectiones efficiant ſuper ſingulos textus, quos coram prædictis omnibus Patribus repentina, & ſubitanea libri aperitione Pater Prouincialis, & Sacræ Theologiæ Prælector, ex Ariſtotelis Logica, vel Philoſophia aſsignabunt illis hora vigeſima diei immediatè præcedentis lectionem; eadem hora vigeſima ſubſequentis diei futurum; cuius ea erit ratio, is modus; vt quiuis concurrens poſt præmiſſam, veluti breuem Commentarium, aſsignati textus explanationem, quæſtionem ex eodem textu deromptam moueat, rationes dubitandi proponat, aliorum ſententias referat, propriam ſtabiliat, aduerſariorum rationibus occurrat, & ea demum argumenta diſſoluat, quæ vnus ex concurrentibus per vnius horæ medietatem contra propriam eius ſententiam proponet. Idipſum ſeruabunt etiam in alijs lectionibus cæteri concurrentes: quatenus ſimul, & quid legendo, & quid arguendo valeant, innoteſcant Iudicibus.

Abſo-

Abſoluto concurſu Prouincialis, Diffinitores, & memorati Sacræ Theologiæ Lectores vnà ſimul conueniant, & cæteris votis inſtituendos Philoſophiæ Lectores, prout meliùs in Domino iudicauerint, ex concurrentibus eligant. Grauiter oneramus in hoc eligentium conſcientias.

Experimento compertum eſt, Studiorũ, Lectorumque Philoſophiæ multiplicitatem impedimento potiùs, quàm emolumento eorundem Philoſophiæ ſtudiorum fructibus extitiſſe. Vnde conſultò decernimus; vt duo dumtaxat erigantur in ſingulis Prouincijs Artium ſtudia, duoque ad ſummum Lectores in ſingulis eorum ponantur. Prouinciales, ſi contrarium præmiſſorum effecerint, ſint ipſo facto proprijs officijs priuati; ij verò Fratres, qui ſemel ad Philoſophiæ Lectoratum admiſsi fuerint, nuſquam, niſi ex graui vitæ, vel doctrinæ defectu à Lectoratus exercitio dimoueantur; imò ſemper, ſine vlla penitus interruptione conſeruentur in ipſo, vſquequo Iubilationis honorem obtinuerint; quo aſſequuto, Lectoratus locum tunc alijs occupandum dimittant.

Et vt etiam in præſenti vita Commiſſarij Tertij Ordinis laboribus proprium reſpondeat præmium, conſultò decernimus, Commiſſarios illos, qui ſine vlla interpolatione ſexennio munus ſuum laudabiliter exercuerint, ijs immunitatibus, prærogatiuis, & exemptionibus frui debere; quibus fruuntur qui Diffinitoriatus officio functi ſunt. Si verò dicti Commiſſarij Diffinitores aliàs fuerint, & ſexennio ſine vlla interpolatione Commiſſariatus munus laudabiliter præſtiterint, ijs immunitatibus, prærogatiuis, & exemptionibus gaudeant, quibus gaudent, qui Miniſteriatus officio functi ſunt.

Patres Diffinitores, & Cuſtodes Prouinciales, dum actu ſunt tales, habeant votum electiuum in Capitulis, ſicut & cæteri Vocales, in Prouincialium & Diffinitorum electionibus: quod idem decernitur de Diſcretis Cuſtodialibus in ſuis Cuſtodijs. Diffinitores Prouinciarum, & Reformationum Diſcreti etiam habituales, ſicut & actuales Artium Lectores præcedant Vicarios Conuentuum. Cuſtodes Prouinciarum ex Reformatis aſſumpti præcedant Diſcretos Cuſtodiales.

Pro Terra Sancta.

Confirmantur ſtatuta, quæ Terræ Sanctæ locorum regimen, directionem, conſeruationem, & ſplendorem concernunt. Sed innouatur præſertim illud, in quo dicitur, [nullus autem Generali Miniſtro, vel Commiſſario item Generali inferior Fratres Hieroſolymam, etiam peregrinationis cauſa, mittere poſſit. Addita tamen in tranſgreſſores vtriuſque vocis priuatione.]

Conſultò ſtatuimus, vt Guardianus Hieroſolymitanus in nulla re graui ſolus ipſe iudicium ferat; ſed Patrum Diſcretorum, & totius Communitatis conſilium petat, & expectet: ne proprio præceps conſilio in aliquam, vel ſpiritualem, vel temporalem iacturam ſeipſum, & Religionem inducat. Fratribus ſubditis verò præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ; vt quando de tali re cum illis actum fuerit, illud omnibus exprimant, proferantque quòd ſecundùm Deum melius in tali negotio videbitur expedire.

Confirmentur præterea à Generali Miniſtro ea, quæ ſuis litteris patentibus anno 1631. vigeſima die Menſis Nouembris ordinauit Reuerendiſſimus P.F. Petrus jouer, totius Ordinis Vicarius Generalis.

Decernitur, vt qui in poſterùm laudabiliter, & fideliter exercuerit officium Commiſſarij Terræ Sanctæ per octo continuos annos, gaudeat immunitatibus Diffinitoris Prouincialis. Qui verò idem officium exercuerit per duodecim continuos annos, priuilegijs Patrum Prouinciæ, quantùm ad præcedentiam, & Paternitatem.

Pro Familia Ciſmontana.

Vt Magiſtri Nouitiorũ maiori promptitudine, & zelo illorum educationi incumbant, cum pro tam ſancta operatione iudicatum ſit ipſis, præter illam, quàm in Cœlo expectant, etiam ab Ordine aliquam deberi mercedem, præcipitur, vt poſtquam octo annis continuè in Conuentibus principalioribus, à Prouincia deſtinatis, illo officio laudabiliter functi fuerint, gaudeant priuilegijs Lectorum Iubilatorum, quantùm ad præcedentiam dumtaxat.

Vt nullo euentu Nationes, vel Prouinciæ deſtituantur neceſſario patrocinio in Capitulis Generalibus ſtatuitur; vt ſi contigerit, aliquem ex Diffinitoribus Generalibus vita, vel officio defungi, vel in Capitulo Generali non comparere, ſubrogetur alius ex eadem natione in ipſius locum, ex ijs, qui fuerunt, vel Procuratores, vel Commiſſarij Curiæ Romanæ, vel Diffinitores Generales, contra diſpoſitionem Generalis Capituli nuperrimè Romæ celebrati. Si verò nullus talis fuerit, ſubſtituatur Miniſter, Vicarius, ſeu Commiſſarius Prouincialis, ex qua erat Diffinitor defunctus, vel abſens.

Quoniam ſummopere cupimus, & quantum fieri poterit, notitiam, & intelligentiam lit-

litteræ Doctoris ſubtilis aſſequantur ſtudentes Theologi; conſultò ſtatuimus; vt deinceps vnus ex Sacræ Theologiæ Lectoribus textum Scoti verbo dumtaxat explanet ad eum modum, quo in Italia Lectores Theologi eandem Scoti litteram ſuis ſtudentibus explicant: illa videlicet lege; vt moderatam partem textus, prout eiuſdem textus obſcuritas, vel claritas exegerit, deſignent ſubſtantiam, & conceptus eius memoriæ tradant, in tres, aut quatuor particulas diuidant, per eaſdem diuiſas ordinatè diſcurrant; diſcurrendo germanam Scoti ſiue docentis, ſiue impugnantis ſententiam aperiant, textus contradictiones, ſi quæ fuerint, ſoluant; in elucidatam doctrinam proprias, & alienas difficultates diſſoluant: quibus abſolutis, Scoti librum aſſumant; declaratum textum legant, ponderent, & veluti conſtruendo explanent ſtudentibus, qui tunc temporis in proprijs Scoti libris eundem textum aſpicient. Prouinciales Miniſtri deſtinabunt Lectorem illum, qui maiorem propenſionem prætulerit ad memoratam Scotici textus explanationem; deputati Lectores, qui renuerint, & Prouinciales Miniſtri, qui ipſos deſtinare neglexerint, ſint ipſo facto irremiſſibiliter ſuis officijs priuati.

Ne deficientibus per mortem, vel aliam cauſam Guardianis, Conuentus nimis diù deſtituantur Prælatis Ordinarijs; cauetur ne Præſidentes Conuentuum poſſint in officio Præſidentium manere vltra duos Menſes. Si verò Miniſter non elegerit Guardianum intra dictum tempus, puniatur arbitrio Superiorum. In Indijs tamen diſpoſitio de hoc puncto reliquitur Capitulis Prouincialibus.

De Prouincijs Indiarum.

Reuocat Capitulum Generale conſtitutionem illam, qua cauebatur, ne Miniſtri Prouinciales mitterent Commiſſarios ad Capitulum Generale, & reſtituit Prouincialibus antiquum ſuum ius, quod ex Generalibus Conſtitutionibus competit ipſis; & ordinatur, Commiſſarios Prouinciales mittendos poſſe eligi, non ſolum ex ipſis Prouincijs Indiarum: ſed etiam ex alijs Prouincijs Hiſpaniæ ad Miniſtrorum, Diffinitorumque Prouincialium beneplacitum.

Declaratur præterea, Patres Vocales venientes ex Indijs tam Orientalibus, quàm Occidentalibus ad Capitulum Generale, quacumque interueniente eiuſdem Capituli prorogatione, ſemper habere vocem actiuam, & paſſiuam quantumuis in proprijs ipſorum Prouincijs alia interim celebrentur Capitula Prouincialia, & aliorum in illis interim fiat Prouincialium, & Cuſtodum electio; cum Commiſſarij, & Cuſtodes ad Generale Capitulum miſſi veri, & legitimi ſint ad ipſum, & in ipſo Vocales.

Ordinatur, quòd poſtquam Miniſtri Prouinciales Patres Commiſſarios Generales Indiarum de tempore, quo in Prouincijs Congregationes Capitulares celebrandæ ſunt, tempeſtiuè monuerint, taliter vt per legitimum teſtimonium conſtet de receptione dictæ monitionis, & Commiſſarij debito tempore non comparuerint per ſe, vel per legitimos Commiſſarios, vel aliud per litteras non ordinauerint, ipſi Prouinciales, poſt elapſos duos menſes, ad indictionem, vel celebrationem Capitularium Congregationum procedant.

Seruetur inuiolabiliter in Prouincijs Hiſpaniæ reſpectu Patrum Indiarum, quod ſtatutum eſt in Conſtitutionibus Generalibus de præcedentia, & priuilegijs eorum, qui fuerunt Miniſtri Prouinciales in alienis Prouincijs; & Cuſtodibus detur præcedentia poſt Diffinitores actuales, præterquam in Conuentu Matritenſi propter rationes ſpeciales, vbi præfatis Cuſtodibus particularis menſa aſſignetur.

Cuſtodia noui Mexici erigitur, & confirmatur denuò cum omnibus iuribus veræ Cuſtodiæ ſubiecta Prouinciæ S.Euangelij de Mexico ſub titulo S.Pauli.

In Prouincia S. Nominis Ieſu de Guatimala, cōceditur pro maiori pace, & trāquillitate alternatiua in ordine ad electionem Miniſtri Prouincialis, hoc modo, quòd cum in duobus Capitulis fuerit electus Miniſter ex ijs, qui ſunt ex Hiſpania, ſine diſpenſatione vlla Guachupinorum, ſiue eorum, qui receperunt habitum in ipſa Prouincia, tertiò eligatur vnus ex Naturalibus, qui vocantur Criolli. In primo verò Capitulo celebrando incipitur a naturalibus.

In Prouincia de Xaliſco conſeruetur alternatiua prout eſt in vſu.

In Prouincia S.Franciſci de Quito non admittitur alternatiua. Declaratur, quòd Prouincia S.Antonij de las Charcas ſemper fuerit diuiſa à Prouincia duodecim Apoſtolorum de Lima, ſicut in Conſtitutionibus Generalibus continetur: non obſtante, quòd illæ Prouinciæ iam ſint vnitæ. Quapropter decernitur, vt diuiſio inuiolabiliter mandetur exequutioni impoſito perpetuo ſilentio prætendentibus contrarium. Modus verò exequutionis relinquitur arbitrio Patris Commiſſarij Generalis Indiarum, qui contra opponentes, vel in poſterum reluctantes determinabit pœnas, & cenſuras prout iudicauerit, fore opus.

Pro

Pro Indijs Orientalibus.

Confirmatur erectio Prouinciæ Matris Dei.

Erigitur Cuſtodia S. Antonij de Cochin vſque Ceylan ſubordinata Prouinciæ S. Thomæ, prout moris eſt in Religione.

Et conſultò decernitur, dictarum Prouinciarum, aliarumque in eiſdem Orientalibus Indijs Miniſtros frui debere, tum quantùm ad ſigillorum detentionem, tum denique quantùm ad reliqua proprium ipſorum officium concernentia, iuxta Conſtitutionum noſtrarum præſcriptum, omnibus ijs immunitatibus, & exemptionibus, quibus potiri conſueuere cæterarum Ordinis noſtri Prouinciarum Miniſtri.

Pro Prouincijs Galliæ.

Confirmatur, & renouatur Statutum, quo decretum eſt, vt in ſingulis Prouincijs tres omnino ſint Recollectionis Cōuentus; ita tamen, vt in omnibus ſubſint iuriſdictioni, & regimini Miniſtri Prouincialis, & in Officijs diuinis, & cantu ſeruent conſuetudinem Religionis, & non vocentur Recollecti, ſed Reformati.

Ad faciliorem expeditionem negotiorum, quæ ex parte Prouinciarum Franciæ occurrunt tractanda in Curia Romana, prouidebit Reuerendiſs. Pater Miniſter Generalis, vt habeant Romæ Patrem aliquem ex ipſa Natione, qui ibi ſit eorundem negotiorum ſollicitator: in omnibus tamen, & per omnia ſubditus Procuratori, vel Cōmiſſario Curiæ Romanæ.

Pro Prouincijs Germaniæ, Belgij, Hiberniæ, Angliæ, Scotiæ &c.

Approbat, & confirmat Capitulum Generale Statuta, quæ in diuerſis Congregationibus Nationalibus, & denique in hoc Capitulo Generali à Patribus Miniſtris, & Cuſtodibus Prouinciarum Germaniæ, Belgij, & annexarum communi omnium aſſenſu ſunt ex Statutis Generalibus Barchinonenſibus Segobiæ reuiſis, iuxta priuilegium à diuerſis Capitulis Generalibus illi Nationi conceſſum, deſumpta, & Prouincijs illis accomodata. Et ordinatur, vt per Prouincias publicentur, & mandentur exequutioni.

Confirmatur erectio Prouinciæ Saxoniæ Sancti Ioannis Baptiſtæ.

In ordine verò Prouinciarum ſequetur Prouincia Saxoniæ Sanctæ Crucis, prout in ordinatione Prouinciarum Germaniæ in Capitulo Generali in Conuentu Sanctæ Mariæ de Angelis propè Aſsiſium celebrato, & in alijs antiquioribus Capitularibus Tabulis ei poſtponitur.

Item, reſtituitur ſuo iuri, & ordini Prouincia Daciæ, & Thuringiæ, quibus Reuerendiſsimus Pater noſter Miniſter Generalis prouidebit, iuxta earum ſtatum, de Miniſtris Prouincialibus, & Cuſtodibus, cæteriſque Officialibus. Prouincia verò Thuringiæ, quæ per errorem, vel inaduertentiam in enumeratione Prouinciarum Ordinis Statutis Generalibus non continetur, iuxta debitum ſibi ordinem pro tempore, quo in Capitulo Generali Burgenſi, ſimul cum Prouincia Flandriæ immediatè ſequetur.

Confirmatur erectio Prouinciæ Comitatus Flandriæ Sancti Ioſeph.

Item reſtitutio Prouinciarum Angliæ, & Scotiæ.

Declaratur, quòd Commiſſarius Generalis Nationis ſit ſemper aſſumendus ex Patribus, qui in ijſdem Prouincijs nati, & incorporati ſunt.

Prouidebit quoque Reuerendiſs. Pater Miniſter Generalis, vt hæc Natio pro exigentia negotiorum in Curia Romana habeat ſollicitatorem ex ſuis, ſubditum in omnibus, & per omnia Commiſſario, vel Procuratori Curiæ Romanæ.

Ad omnes, & ſingulos Fratres vtriuſque Familiæ.

Curent Superiores Locales ſub trimeſtri propriorum officiorum priuatione irremiſsibiliter incurrenda; vt quolibet die Veneris, abſoluta lectione Regulæ, Lectores alta voce ſubſequentia Seraphici Patris benedictionis, & maledictionis verba, cenantibus Fratribus annuncient; quatenus benedictione huiuſmodi alliciantur ad bonum, & maledictione retrahantur à malo.

Benedictio.

O Dilectiſsimi Fratres, & in æternum benedicti filij, audite me, audite vocē Patris veſtri: magna promiſimus, maiora promiſſa ſunt nobis: ſeruemus hæc, ſuſpiremus ad illa: voluptas breuis, pęna perpetua: modica paſsio, gloria infinita: multorum vocatio, paucorum electio: omnium retributio. Amen.

Maledictio.

A Te, Sanctiſsimè Pater, & à tota cæleſti Curia, & à me pauperculo ſint maledicti, qui ſuo malo exemplo, confundunt, & deſtruunt quod per Sanctos Fratres

tres

tres huius Ordinis ædificaſti, & ædificare non ceſſas.

Suffragia.

PRo Sanctiſsimo Domino Noſtro Vrbano VIII. Pontifice Max. à quolibet Sacerdote Ordinis tres Miſſæ celebrentur.

Pro Regia Catholica Maieſtate Regis Philippi, qui ſingulari fauore hoc Generale Capitulum proſequutus eſt, & Ordinem in dies protegere, & defendere non ceſſat: & pro Regina Catholica, ac ipſorum ſereniſsima prole à quolibet Sacerdote duæ Miſſæ dicantur.

Pro Cæſarea Maieſtate, & Sereniſsimo Rege Hungariæ, vna Miſſa dicatur à quolibet Sacerdote.

Pro Chriſtianiſsimo Rege Galliæ vna Miſſa celebretur à quolibet Sacerdote.

Pro Sereniſsima Infanta Sorore Margarita de Cruce Ordinis Sanctæ Claræ vna Miſſa dicatur à quolibet Sacerdote.

Pro Sereniſsimo, & Eminentiſsimo Cardinale Ferdinando Auſtriaco Archiepiſcopo Toletano à quolibet Sacerdote vna Miſſa offeratur.

Pro Eminentiſsimo Cardinale Barberino Ordinis Protectore vna Miſſa à quolibet Sacerdote dicatur.

Pro Illuſtriſsimo, & Reuerendiſsimo Domino Cæſare Montio Patriarcha Antiocheno, Archiepiſcopo Mediolanenſi, ad Regem Catholicum Apoſtolico Nuncio, & Capituli Præſide vna Miſſa celebretur à quolibet Sacerdote.

Pro omnibus Principibus Chriſtianis, & cæteris benefactoribus noſtris, ac vniuerſaliter pro Eccleſiæ fælici ſtatu, & hoſtium Fidei proſtratione ſinguli Sacerdotes dicant tres Miſſas, Clerici Pſalmos pœnitentiales; Laici centum *Pater noſter*, & totidem *Aue Maria*.

Pro Excellẽtiſſimo Comite de Cinchion Regni Peruani Prorege, eiuſque Coniuge, quorum liberalitate, & beneficentia expenſę Capituli Generalis ſunt factæ, proque eorum Familia à quolibet Sacerdote vna Miſſa dicatur.

Numerus Defunctorum à Poſtremo Capitulo Generali.

MOrtui ſunt ab vltimo Capitulo Romæ anno 1625. celebrato in vniuerſo Ordine circiter decem millia Fratrum, ex quibus plures martyrium pro fide Chriſti ſubieruut; multi miraculorum gloria coruſcant.

Futurum Capitulum Generale, cum Congregatione Generali intermedia, quo loco celebrandum ſit diſponet Reuerendiſs. Pater Generalis.

Ita eſt.

Fr. Theodorus Reinsfeldt Diffinitor Generalis.
Fr. Fulgentius Brunus Diffinitor Generalis.
Fr. Ioannes de Palma Diffinitor Generalis.
Fr. Ioannes Hugon Diffinitor Generalis.
Fr. Petrus Carpin Diffinitor Generalis.
Fr. Petrus Hurtado Diffinitor Generalis.
Fr. Paulus à Braida Diffinitor Generalis.
Fr. Ambroſius à Galbiato Diffinitor Generalis.
Fr. Didacus à Pitio Diffinitor Generalis.
Fr. Bonauentura à Parma Diffinitor Generalis.
Fr. Hilarius à Riuello Diffinitor Generalis.
Fr. Henricus Sifrid Diffinitor Generalis.
Fr. Didacus de Cea Commiſſarius Curiæ Romanæ.
Fr. Dominicus de Neapoli Procurator Ordinis.
Frater Franciſcus de Ocaña Commiſſarius Generalis Indiarum.
Fr. Antonius Enriquez totius Ordinis Pater.
Fr. Petrus Vrbinas Ciſmontanæ Familiæ Commiſſarius Generalis.
Fr. Ioannes Baptiſta à Campanea Totius Ordinis S. Franciſci Miniſter Generalis.

Confirmatio Apoſtolica Conſtitutionum Generalium Capituli Generalis Toletani celebrati die 14. Maij 1633.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD eximios, vbereſque fructus, quos dilecti filij Fratres Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia, tam de Familia, quàm Reformati nuncupati, in vinea Domini Sabaoth, cuius curæ, atque regimini ſuperni Patris Familias prouidentia meritis, licèt imparibus præſidemus in dies afferunt, mentis noſtræ aciem conuertentes ea, quæ pro fælici eorundem Fratrum gubernio in Capitulis præſertim Generalibus ſtatuta, & ordinata ſunt, vt ab omnibus, quos illa concernunt inuiolabiliter obſeruentur, Apoſtolici muniminis patrocinio libenter roboramus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Baptiſta à Campanea Miniſter Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum

S. Fran-

S. Franciſci, quòd in Capitulo Generali dicti Ordinis de anno 1633. in Ciuitate Toletana celebrato, diuerſæ Conſtitutiones pro fæliciori Fratrum dicti Ordinis, tam de Obſeruantia, quàm Reformatorum nuncupatorum gubernio æditæ fuerunt, quas pro inuiolabili earum obſeruatione Apoſtolicæ confirmationis robore communiri plurimùm deſiderat. Nos pijs dicti Ioannis Baptiſtæ Miniſtri Generalis votis, quantùm cum Domino poſſumus annuere, illumque ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus eius nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotijs Regularium præpoſitorum conſilio, Conſtitutiones prædictas in ijs tantùm, quæ ſacris Canonibus, Concilij Tridentini Decretis, cæteriſque Conſtitutionibus, ſeu Ordinationibus, ac Decretis Apoſtolicis, præſertim reformationem dicti Ordinis, illiuſque Fratres Reformatos, ſeu Recollectos, vel Diſcalceatos nuncupatos, quomodolibet concernentibus, & quandocumque editis non ſint contraria, Apoſtolica authoritate, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos, tam iuris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint ſupplemus. Mandantes propterea in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub arbitrij noſtri, & in Conſtitutionibus prædictis contentis pœnis, omnibus, & ſingulis Fratribus prædictis, cæteriſque ad quos ſpectat, & pro tempore, quomodolibet ſpectabit, vt Conſtitutiones prædictas iuxta præſentium litterarum noſtrarum tenorem inuiolabiliter obſeruent. Decernentes irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, Ordinis prædicti, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romę apud SanctamMariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die vltima Octobris 1634. Pontif. noſtri anno Duodecimo.

M. A. Maraldus.

De Congregatione Generali 1636.

CONgregatio Generalis, quæ anno 1636. Vltramontes celebranda erat, cum ex grauiſsimis bellorum, peſtiſque tumultibus impediretur, Vrbanus Papa VIII. Religionis neceſsitatibus paterna pietate condeſcendens, expedito breui ad ſuum in Hiſpanijs Nuncium, conceſsit, vt ad ſemeſtre differretur; deinde pro congregandis Vocalibus deſperatum eſſe intelligens, dato alio Breui (quæ ambo in primo Tomo, vbi de Capitulis Generalibus, & de Officialibus Curiæ dedimus per extenſum) Officiales omnes illa in Cõgregatione aliàs eligendos ipſe nominauit, & inſtituit, quod in loco, & tempore celebrandorum Comitiorum publicari mandauit, vt ſequitur.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CVM ſicut accepimus, iuxta Conſtitutiones Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia Apoſtolica authoritate confirmatas, ac literas fæl. rec. Leonis Papæ X. prædeceſſoris noſtri deſuper emanatas, Congregatio Generalis, ſiue Capitulum Generale intermedium eorumdem Fratrum Familiæ Vltramontanæ hoc anno in Regnis Hiſpaniarum pro electione Commiſſarij Generalis, & Diffinitorum eiuſdem Familiæ Vltramontanæ cõgregari, & celebrari deberet, & propter præſentes bellorum motus, aliaque impedimenta Vocales ad Capitulum huiuſmodi accedere nequeāt, & propterea Capitulum huiuſmodi celebrari non poſſit. Nos eiuſdem Ordinis, & familiæ gubernio, ac ne propterea vllum eidem præiudicium oriatur, pro noſtri paſtoralis officij debito, quãtum in Domino poſſumus, conſulere volentes, habita priùs matura diſcuſſione per dilectum filium noſtrum Franciſcum S. Laurentij in Damaſo Diaconum Cardinalem Barberinum nuncupatum S.R.E. Vicecancellarium noſtrum ſecundùm carnem ex fratre germano Nepotem, & dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectorem, qui nedum Miniſtrum Generalem, ſed etiam nonnullos Patres graues eiuſdem Ordinis ſæpius audiuit, & votum nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum adhibuit, & vt infra opportunæ prouideri poſſe, nobis retulit. Idcircò motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, dilectos filios Franciſcum de Guerra

ra Patrem Prouinciæ Conceptionis Lectorem Iubilatum, & Secretarium dicti Ordinis in Commiſſarium Generalem præfati Ordinis, necnon Didacum de Cea Lectorem Iubilatum, Patrem Prouinciæ Angelorum Curiæ Romanæ Commiſſarium; & Franciſcum Andræam *de la Torre* Lectorem Iubilatum, & Miniſtrum Prouinciæ Burgenſis pro Prouincijs Hiſpaniarum; Petrum Gaffardi Prouinciæ Aquitaniæ Antiquioris Diffinitorem actualem negotiorum Gallicorum in Romana Curia Curatorem, & Ignatium Legault Miniſtrum Prouincialem pro Prouincijs Galliæ, necnon Franciſcum à S. Maria Cuſtodem Daciæ, Lectorem Generalem in domo Regulari Beatæ Mariæ de Ara-Cœli de Vrbe eiuſdem Ordinis, ac Bonauenturam de Artois Miniſtrum Prouincialem S. Ioſeph in Comitatu Flandriæ pro Germania inferiori, & Superiori Diffinitores vſque ad celebrationem Capituli Generalis dicti Ordinis, cum omnibus, & ſingulis priuilegijs, gratijs, & indultis, quibus alij, qui pro tempore fuerunt Commiſſarij Generales, & Diffinitores Familiæ Vltramontanæ huiuſmodi vſi ſunt, ac vti potuerunt, tenore præſentium facimus, conſtituimus, & deputamus: Mandantes propterea omnibus, & ſingulis dictæ Familiæ Vltramontanæ Ordinis præfati Fratribus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, vt Commiſſarium Generalem, & Diffinitores per Nos vigore præſentium deputatos, ea, qua decet reuerentia proſequantur, eorumque monitis, & mandatis ſalubribus in omnibus ad Officia huiuſmodi ſpectantibus promptè pareant, & obediant; Non obſtantibus præfatis Leonis prædeceſſoris Noſtri litteris, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, &c. conſuetudinibus, priuilegijs, &c. iunouatis: quibus omnibus, &c. derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Dat. Romæ, &c. die 15. Martij 1636. Pontif. anno 13.

Cum autem ex cauſis alibi narratis, Breue hoc Apoſtolicum publicatum non fuerit, Commiſſario Generali Vltramontano iam poſt triennium iuxta Bullam *Vnionis* ab officio ſuo abſoluto, nulloque recenter electo (quia nec celebrata Comitia, nec breue publicatum) Miniſter Generalis pro ſubſequenti triennio vtramque Familiam coactus eſt (ſinè exemplo poſt Bullam *Vnionis*) per ſe ipſum immediatè gubernare. Acta itaque Congregationis intermediæ hic haberi non potuerunt.

CXXXI. *Cap.Gen. Romæ ann. 1639.*

Anno 1639. per Reuerendiſs. à Campanea Generalis Miniſtri litteras conuocatis ex Orbe vniuerſo Vocalibus, celebratum eſt Romæ Capitulum Generale. Galli tamen ex Regis edicto impediti intereſſe non potuerunt. Acta Capitularia exhibemus.

In nomine Domini. Amen.

Hæc eſt Tabula celeberrimi Capituli Generalis.

IN hoc Conuentu Sanctæ Mariæ de Aracœli Vrbis Romæ celebrati vndecima menſis Iunij 1639. Præſidente Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo D.D. Franciſco Tituli S. Laurentij in Damaſo Diacono Cardinali Barberino S. R. E. Vicecancellario, Protectore noſtro à SS.D.N. Vrbano VIII. ſpecialiter delegato.

In primis Sexennio Reuerendiſs. Patris Fr. Ioannis Baptiſtæ à Campanea fæliciter abſoluto, Reu. P. Fr. Ioannes Merinero Prouinciæ Caſtellæ Lector Iubilatus, & Miniſter Prouincialis ſuffragijs Religionis in Generalem totius Ordinis cooptatus eſt.

Commiſſarius Generalis Ciſmontanæ Familiæ.

Reuerendiſsimus P. Fr. Benignus à Genua totius Ordinis Pater.

Patres, & Diffinitores Perpetui totius Ordinis.

Idem Reuerendiſs. Pater. F. Benignus à Genua olim Miniſter Generalis.

Reuerendiſs. Pater Fr. Io: Baptiſta à Campanea Miniſter Generalis præteritus.

Pater Ordinis, & Diffinitor perpetuus Familiæ Vltramontanæ.

Reuerendiſs. Pater F. Petrus de Vrbina Cõmiſſarius Generalis præteritus.

Procurator Generalis Ordinis in Curia Romana.

Adm. Reu. P. F. Gaſpar Sanchez Lector Iubilatus Prouinciæ Caſtellæ, & Collegij maioris Complutenſis Apoſtolorũ Petri, & Pauli Guardianus.

Commiſſarius Generalis Curiæ Romanæ.

Adm. Reu. P. F. Ioſeph Radaellus Lector Iubilatus Prouinciæ Mediolanenſis ex Procurator Ord.

Procurator Generalis Reformatorum Familiæ Ciſmontanæ.

Adm. Reu. P. F. Aſcanius ab Aſſiſio Pater, & Cuſtos Prouinciæ S. Franciſci.

Diffinitores Generales Vltramontanæ Familiæ.

Adm. R. P. F. Ioſeph Vaſquez Lector Iubilatus, & Prouinciæ S. Iacobi Miniſter.

Adm. R. P. F. Bartholomæus Foyas Lector Iubilatus, & Prouinciæ Arag. Miniſter.

Adm. R. P. F. Ignatius Legault Prouinciæ S. Dionifij Pater, & Commiſſarius Generalis Galliæ.

Adm. R. P. F. Claudius Lepetit Prouinciæ Franciæ Pater, Sacræ Theologiæ Magiſter, id eſt Doctor.

Adm. R. P. F. Antonius Hiquæus Prou. Hiberniæ Lector Iubilatus, & Prouinciæ Scotiæ Miniſter.

Adm. R. P. F. Lazarus Sangueſſa Prouinciæ Saxoniæ S. Io. Baptiſtæ Miniſter, & Commiſſarius Generalis Germaniæ, & Belgij.

Diffinitores Generales Ciſmontanæ Familiæ.

Adm. R. P. F. Euangeliſta Momigno Pater Ord. Lector Iubilatus, & Miniſter Prou. Thuſciæ.

Adm. R. P. F. Thomas à Sancta Agatha Prouinciæ Marchiæ Cuſtos.

Adm. R. P. F. Petrus Boſnanienſis Lector Iubilatus Prou. Poloniæ Pater, & Minoris Poloniæ Cuſtos.

Adm. R. P. F. Nicolaus de Spinazzola Prouinciæ N. Secretarius Generalis, Cuſtos Terræ Sanctæ.

Adm. R. P. F. Ioannes à Neapoli Prouinciæ Terræ laboris Miniſter.

Adm. R. P. F. Pacificus de Roma Sacræ Theologiæ Lector Prouinciæ Romanæ Miniſter.

Guardianus Terræ Sanctæ.

Committitur electioni Reuerendiſs. Patris Generalis Miniſtri.

Sacræ Theologiæ ſtudia, & Lectores Generales Ciſmontanæ Familiæ iuxta Conſtitutiones Apoſtolicas Clementis VIII. & SS. D. N. Vrbani VIII.

In Conuentu Sanctæ Mariæ de Ara-cæli Romæ Lectores.

P. F. Fabius Papazzonius, P. F. Carolus à Genua, P. F. Michael Angelus à Neapoli.

In Conuentu S. Mariæ Nouæ Neapolis.

P. F. Bonauentura de Saluiis, P. F. Hyacintus à Bitonto, P. F. Ludouicus à Sancta Maria.

In Conuentu Sancti Franciſci de Monte Peruſij.

P. F. Franciſcus à Palumbaria, P. F. Angelus à Forliuio, P. F. Didacus à Virgoletta.

In Conuentu S. Franciſci Anconæ.

P. F. Gregorius ab Æſio, P. F. Bonauentura à Monte Fortino.

In Conuentu Omnium Sanctorum Florentiæ.

P. F. Benignus à Florentia, P. F. Io: Baptiſta ab Vzzano, P. F. Fulgentius de Gubernatis Romanus.

In Conuentu Sancti Franciſci Lucæ.

P. F. Bernardinus à Corſagna, P. F. Caliſtus à Lucca, P. F. Ioannes à Pupillo.

In Conuentu Sanctiſſimæ Annuntiatæ Bononiæ.

P. F. Fulgentius Migliorucius, P. F. Bonagratia à Mediolano, P. F. Thomas ab Arimino.

In Conuentu Sancti Franciſci Paduæ.

P. F. Ægidius à Verona, P. F. Innocentius à Verona.

In Conuentu Sancti Franciſci Mantuæ.

P. F. Bonauentura à Celano, P. F. Antonius Maria à Chitignano.

In Conuentu Sanctiſſimæ Annuntiatæ Genuæ.

P. F. Franciſcus à Diano, P. F. Angelus Maria Stella, P. F. Hieronymus à Velitris.

In Conuentu S. M. Angelorum Mediolani.

P. F. Hieronymus Gallus, P. F. Ludouicus Benaglia à Mediolano, P. F. Pacificus à Genua.

In Conuentu Sancti Didaci Neapolis.

P. F. Franciſcus à Monte Aureo, P. F. Coſmus à Panormo, P. F. Gregorius à Cetara.

In Conuentu S. Mariæ Ieſu Meſſanæ.

P. F. Archangelus de Capitio, P. F. Alexander ab Arimino.

In Conuentu Sanctæ Mariæ Angelorum Panormi.

P. F. Auguſtinus à Sacca, P. F. Ægidius à Panormo, P. F. Ioannes à Palumbaria.

In Conuentu S. Mariæ de Ieſu Motucæ.

P. F. Ludouicus Inſpice-Fundi, P. F. Carolus Maria à Panormo.

In Conuentu Sancti Antonij Licij.

P. F. Donatus Antonius à Licio, P. F. Ioannes Maria à Tiferno.

In Conuentu Sancti Bernardini Aquilæ.

P. F. Philippus à Secinara, P. F. Gregorius ab Iſchia, P. F. Guglielmus à Nola.

In Conuentu Ieſus Maria Sepini.

P. F. Ioannes Baptiſta à Bergamo, P. F. Antonius à Monte Coruino.

In Conuentu Sancti Ioſeph Brixiæ.

P. F. Fulgentius Stella, P. F. Laurus ab Alphianello.

In Conuentu Sancti Franciſci Coſentiæ.

P. F. Antonius à Morano, P. F. Sebaſtianus à S. Antonio.

In Conuentu Sancti Thomæ Taurini.

P. F. Paulus à Braida, P. F. Thomas à Rocca Vlconia.

In Conuentu Paradiſi Viterbij.

P. F. Antonius à Molazzano, P. F. Marcus à Viginti Millijs.

In Conuentu Sancti Angeli Cremonæ.

P. F. Nazzarius à Caſtro nouo, P. F. Nicolaus à Bononia.

In Conuentu Sanctæ Mariæ de Vrſeolo.

P. F. Antonius à Piſticio, P. F. . . . .

In Conuentu Sanctæ Mariæ de Ieſu Montis Leonis.

P. F. . . . . P. F. . . . .

Reliqua ſtudia Generalia, & Lectores ad arbitrium Reuerendiſs. Patris Miniſtri Generalis deputentur.

Sequuntur ſtatuta in hoc Capitulo facta ab Vrbano VIII. in forma ſpeciali, & ex certa ſcientia confirmata, & ſuis litteris inſerta, vt ſequitur.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN ſupremo Apoſtolatus Solio, meritis licet imparibus diuina diſpoſitione præſidentes, ex incumbenti Nobis Paſtoralis Officij debito Religioſornm Ordinum in Eccleſia Dei militantium proſperum ſtatum, fœlicemque directionem ſinceris deſiderantes affectibus, ijs, quæ propterea piè, & prouidè, præſertim in eorum Capitulis Generalibus facta fuiſſe comperimus, vt firma perpetuò, & illibata remaneant, libenter, cum à Nobis petitur, Apoſtolici muniminis adijcimus firmitatem, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Bull. Rom. Lugd. Tom. 5 bulla 255. Vrb. VIII.

§. 1. Cum itaque, ſicut dilectus Filius Ioannes Merinero Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum Miniſter Generalis Nobis nuper exponi fecit, in Capitulo Generali eiuſdem Ordinis in Domo B. Mariæ de Ara-Cœli nuncupatæ de Vrbe pro prædicti Ordinis huiuſmodi gubernio, & directione nonnulla ſtatuta edita fuerint tenoris ſubſequentis.

Statuta Generalia pro vtraque Familia.

De Miniſtro Generali.

DEclarat Capitulum Generale, omnē, & quamlibet poteſtatem, quæ in Miniſtro Generali reperitur ad diſpenſandum in ſtatutis Generalibus, totam ipſi prouenire à Generali Capitulo: Vnde quoties ab eodem Capitulo Generali decreto irritante prohibetur, ne in aliquo ſtatuto concedatur abſolutè diſpenſatio, vel nonniſi ſub certis conditionibus ibidem expreſſis, ſi Generalis Miniſter, aut abſolutè diſpenſet, aut conditiones ad diſpenſandum requiſitas non obſeruet, eiuſmodi diſpenſatio ipſo facto irrita euadit.

Ordinatur à Capitulo Generali, ne liceat Miniſtro Generali, & multo minus alijs inferioribus Prælatis, qui electionibus præſident, illas iam inchoatas ſuſpendere, aut ijs iam congregatis, ad quos ſpectat faciendis electionibus intereſſe, eas impedire ne fiant. Præterea ijſdem Prælatis Generalibus interdicitur, ne functiones, quæ ad Congregationem legitimè conuocatam ſpectant, ſuſpendere, aut impedire præſumant: ſcientes totum hoc irritum fore, vtpotè violentum, & libertati electionis contrarium.

Item prohibetur ijſdem Prælatis Gene-

ralibus, ne poſthâc ad Prouincias quempiam mittant, vt celebrandis earum Congregationibus intermedijs præſit; niſi cauſa valde notoria, & vrgens ſe obtulerit, vel maior Diffinitorij pars Prouinciæ ita poſtulet; Alioquin Prouinciales, & alij ad quos attinet, vti iure ſuo in hac parte permittantur.

Si Generalis Miniſter è Familia diſcedat, ex qua fuit aſſumptus, & neminem ibi relinquat, cui vices ſuas commiſerit vt ad eum veluti Commiſſarium Generalem à Prouincijs recurratur: in hoc euentu determinat Capitulum Generale Prouincialibus fas eſſe cum Diffinitoribus, ad intermedias Congregationes celebrandum deuenire. Capitulum tamen Prouinciale nullatenùs celebrabunt.

Declaratur, nemini Prælatorum deinceps licere vices ſuas alteri committere, vt in Capitulo Generali ipſius loco tam ad eligendum, quàm ad alios actus ibi exercendos interſit; Quia Sanctiſſimus Dominus noſter Vrbanus VIII. Conſtitutione edita, & in præſenti Capitulo promulgata ſimiles ſubſtitutiones contra formam Conſtitutionum factas interdixit.

Commiſſarius Generalis Belgicæ Nationis ſecundùm antiquam conſuetudinem, fit à Miniſtro Generali cum poteſtatis plenitudine, & huiuſmodi officium triennale eſt.

Prædicto Commiſſario Belgico fas erit authoritatem ſuam alteri ſubdelegare, attamen ſubdelegatus non habebit in electionibus votum, quo fruitur ipſe Commiſſarius.

Congregationes intermedias ex ui ſui muneris cogere nequit, & ideo in hac parte Statutorum generalium Decretis ſtandum eſt. Quinimò omni ſeueritate præfatis Commiſſarijs præcipitur, & decreto quicquid in contrarium fecerint irritante, prohibetur, ne Congregationes nationales cogere, aut celebrare præſumant, quicquid in contrarium habeatur in Statutis Generalibus Barchinonenſibus pro eadem natiòne accomodatis, quæ Capitulum Generale ad hunc effectum dumtaxat reuocat; Quod ſi id neceſſarium cenſuerint, Capitula, ſeu Congregationes Generales expectent, & ibi Nationalium Congregationum celebrationem fieri ipſis permittetur.

De Vicario Generali Ordinis.

AD tollendam omnem ambiguitatis ſpeciem, atque vt certior cognitio de qualitate eligendi in Vicarium Generalem habeatur, reuocat Capitulum Generale Conſtitutionem illam Vltramontanæ Familiæ, qua ſtatuebatur, vt vita functo Generali Miniſtro, electio Vicarij Generalis fieret in Familia, in qua vita functus eſt Generalis, dummodo is, qui in Vicarium totius Ordinis erit eligendus ſit ex illa Familia, ex qua erat Generalis Miniſter; ex cuius perſona officium Miniſtri Generalis vacauit; Et Statutis Ciſmontanæ Familiæ adhærens præcipit, vt vacante quacumque de cauſa officio Miniſtri Generalis, electio Vicarij Generalis in ea Familia celebretur, ex qua erat Generalis aſſumptus. In electione autem facienda vnaquæque Familia modum ſibi in Conſtitutionibus præſcriptum obſeruabit.

Iubetur deinde vt in eiuſmodi electione votum actiuum habeant Patres omnes, qui pro tempore in Generali Diffinitorio aſſiſtunt, videlicet Diſcreti perpetui Ordinis, aut Familiæ, quales ſunt Miniſtri, & Commiſſarij Generales præteriti, & Vicarij Generales præteriti, qui per biennium completum officium Vicarij Generalis exercuerunt. Deinde Procurator Ordinis, & Commiſſarius Romanæ Curiæ, Procurator Generalis Reformatorum Ciſmontanæ Familiæ, & Diffinitores Generales vtriuſque Familiæ quamdiù munere ſuo actu funguntur, dummodo in ea Natione præſentes ſint, vbi electionem fieri contigerit. Quod ſi abſentes ſint, nec vocandi erunt, nec expectandi, ſed ad electionem iuxta præſcriptum Conſtitutionum Generalium erit procedendum, quam vtraque Familia, nemine diſſentiente, nouo compromiſſo ſic faciendam pronunciauit.

De Patribus perpetuis Ordinis, & Familiæ.

ATtento Ordinis, ac honoris gradu, in quo ſinguli, pro ſua quiſque dignitate conſtitui debent, Capitulum Generale determinat, vt perpetui Ordinis, & Familiæ Patres ſecundum à Superiore locum ſemper obtineant; ita quod Ordinis Patres in toto Ordine vnus tantum Superior ſedendi ordine præcedat. Vnde præſentibus Miniſtro, vel Commiſſario Generali, illi ſolummodo præcedent; Si verò abſint, ſolus Prouincialis, & hoc abſente Guardianus Conuentus anteibit. Et idem cum Familiæ Patribus pro vnoquoque in ſua Familia obſeruetur, ſicut Statuto Ciſmontanæ Familiæ fuerat præceptum, à qua mutuatum in Vltramontana Familia obſeruetur ſtatuit Capitulum Generale.

De Procuratore, & Commiſſario Generali Curiæ Romanæ.

DEclarat Capitulum Generale iuxta Conſtitutionem Gregorij XIII. Procuratorem, & Commiſſarium Generalem Curiæ Romanæ, tam in Capitulis, quàm in Congregationibus Generalibus in Diffinitorijs aſſiſtere ſemper debere, nimirum, vt in veteri Diffinitorio, quod tunc abſoluitur, & in nouo, quod creatur, Religionis rebus determinandis interſint. Et idem ſtatuitur de Procuratore Reformatorum Ciſmontanæ Familiæ iuxta Conſtitutionem Sanctiſs. D.N. Vrbani VIII.

De Diffinitoribus Generalibus, & eorum ſubrogatis, ac ſubſtitutis.

CEnſuit Capitulum Generale, nimis indecorum eſſe, atque ab optimi regiminis ratione valde alienum, vt Diffinitores Generales primarij in Ordine iudices, penes quos eſt aliorum ſuffragatorum diſcuſſio, & approbatio in Congregationibus, & Capitulis Generalibus ſuffragandi poteſtate careant. Et ideo ſtatuit, vt poſthàc Diffinitores Generales vtriuſque Familiæ tam in Congregationibus, quam in Capitulis Generalibus, vbi ſuo funguntur officio, ſuffragium ferant, non aliter quàm in ſuarum Prouinciarum Capitulis, & Congregationibus ſuffragantur.

Quando in vtraque Familia contingent, vt Diffinitores Generales abſint, vel quolibet euentu deficiant, ſtatuitur vt eorum loco alij ſtatim ſubrogentur, vel ſubſtituantur. Verum tam in ſubſtitutione, quàm in ſubrogatione forma in Statutis apud Toletum nouiſſimè editis tradita obſeruetur. Patres illi, qui Loco Diffinitorum, dum adhuc viuunt, & abſentes ſunt, ſubſtituuntur pro Capitulo Generali, deinceps inter Prouinciæ ſuæ Patres numerentur: dummodo vltimi ſint, & poſt eos locum habeant, qui Miniſtri, & Vicarij Prouinciales iam extiterunt, vel poſtea eiſdem officijs perfungentur.

De Miniſtris Prouincialibus.

PRohibet Capitulum Generale, ne in Miniſtros Prouinciales aſſumantur, qui de earundem Prouinciarum corpore, hoc eſt ibi profeſſi, vel à longo iam tempore (ſaltem per decennium) in eis fuerint incorporati, & inſuper in inferiorum officiorum gradibus aptitudinis ſuæ ad gubernandum ſpecimen præbuerint; aliter electio ipſo facto irrita, & nulla ſit.

Titulares Miniſtri ad ſuffragandi effectum ſolummodo electi, ad inſtar Commiſſariorum Prouincialium ſe habeant, qui pro Prouincialibus legitimè impeditis in Generali Capitulo ſuffragantur: Nec vllo Patrum Prouinciæ priuilegio, aut exemptione gaudeant.

De Vicarijs Prouincialibus.

PRouinciali Miniſtro è vita decedente, determinat Capitulum Generale ad amputandas litium occaſiones, quæ ex diuerſis Prouinciarum conſuetudinibus, ac Conſtitutionibus oriuntur, vt in toto Ordine Regeſtum, Scripturæ, & Sigilla ad digniorem Prouinciæ Patrem, eum videlicet, qui primum locum vindicat; ſtatim deferantur, is verò abſque mora conuocato Diffinitorio faciet Vicarij Prouincialis electionem, in qua votum actiuum habeat, & paſſiuum. Quod ſi Miniſter, aut Commiſſarius Generalis intra tres dietas conſiſtant conſulendi ſunt, & eorum reſponſio expectanda. Si tamen longius abſint, ijs incõſultis fiat electio, non obſtante ſtatuto in contrarium edito, quod ad hunc effectum reuocat Capitulum Generale.

Vicarij Prouinciales, qui per biennium completum in officio ſteterunt, Patrum Prouinciæ priuilegium, & præcedentiam habeant: eos tamen ſubſequentur, qui Miniſtri Prouinciales extiterunt, vel poſtmodum exiſtent. Abſoluto tamen Vicariatus Prouincialis officio, nonniſi poſt triennij vacationem in Prouinciales Miniſtros eligentur. Qui verò per biennium integrum in officio non ſteterint nullo gaudeant priuilegio, ſed abſque vllo vacationis interſtitio eligi poterunt Prouinciales Miniſtri.

Is, qui mortuo Prouinciali Miniſtro, vel quolibet euentu vacante, in Vicarium Prouincialem fuit aſſumptus, vſque ad Capituli Prouincialis celebrationem in officio durabit. At verò Capitulum pro Superiorum Generalium arbitrio anticipari poterit, vel prorogari, dummodo tempus à lege præſcriptum non excedatur.

Prouincialibus Miniſtris è Prouincia diſcedentibus vel ad Generale Capitulum, vel negotiorum cauſa, quæ per ipſos fieri neceſsè ſit, ſi quolibet euentu officium vacauerit, Commiſſarij Prouinciales, qui relicti fuerint, ſub titulo, & appellatione Vicariorum Prouincialium in officio ſuccedent, quouſque Capitulum Prouinciale celebretur. Quando autem abſentibus Miniſtris Prouincialibus Commiſſarij morientur, Prouinciæ regimen ad digniorem ipſius Patrem, cum eadem authoritate

vſque

vſque ad Prouincialis regreſſum deferatur.

De Cuſtodibus.

DEcreuit Capitulum Generale, vt Cuſtodes in ſolo Diffinitorio extra Capitulum electi, Cuſtodum, qui officium abſoluerunt, priuilegio minimè gaudeant, niſi per duos annos integros functi fuerint Cuſtodiatus officio, vel ad Capitulum, ſeu Congregationem Generalem ſuffragaturi acceſſerint, quamuis biennium non ſit completum. Siue autem Cuſtodes in Capitulis, ſiue in Diffinitorijs ſint electi, in Capitulo Prouinciali eorum ceſſet officium, & alij de nouo eligantur. Ille tamen, qui duos annos non compleuit, reeligi poterit ad idem officium.

De Secretarijs Curiæ Romanæ.

SAnctiſſimus Dominus noſter Vrbanus VIII. conſiderato labore, ac ingenti fatigatione, quam Secretarij Procuratoris, & Commiſſarij Generalium in Romana Curia ſubeunt, quatenus eos in ſuorum officiorum adminiſtratione coadiuuant, literis in forma Breuis expeditis decreuit, vt Secretarij poſtquam officium per triennium compleuerint, in ſuis Prouincijs immunitatibus, & priuilegijs gaudeant eorum, qui ibi Diffinitores extiterunt, ſed ſemper poſt eos, qui per electionem Diffinitores fuerunt, vel poſtmodum exiſtent.

De Priuilegijs, & Priuilegiatis.

CReuerat adeò in Religione noſtra Priuilegiatorum numerus, & tam frequenti abuſu immunitates, & priuilegia laborantibus in præmium deſtinata, ignauis forſan, & ambitioſis gratuitò, & ſpontè donabantur, vt propterea Sanctiſs. D.N. Vrbanus VIII. Motu proprio omnia priuilegia perſonalia ex gratia, & fauore per quemcumque conceſſa abſtulerit, ſublata facultate alia de nouo concedendi, ijs tamen exceptis, quæ in iuſtum laboris præmium, & virtutis incitamentum Cõſtitutionibus noſtris, & Statutis ſtabilita ſunt, vel poſtmodum ſtabilientur. Exemptis hinc etiam Regum, & Imperatorum Prædicatoribus, & Confeſſoribus, quos ab hac Regula Sanctiſſimus excluſit.

Pro Vltramontana Familia.

De Patribus Prouinciæ.

PRouinciarum Patres à Gregorio XV. quo ad ius ſuffragandi in Capitulis, & Diffinitorijs in toto Ordine extinctos, Sanctiſs. D.N. Vrbanus VIII. in tota Vltramontana Familia iterum ſuſcitandos iudicauit, non tamen omnes, ne Prouinciæ tot iudicibus oneratæ premerentur, ſed aliquos, qui rerum Religionis experti in Capitulis, Congregationibus, & Diffinitorijs exiſtentes authoritate ſua, & conſilio alios in officio nouos erudiant, & compeſcant. Quapropter motu proprio decreuit, vt in vnaquaque Prouincia Vltramontanæ Familiæ duo eſſent Prouinciæ Patres, vnus qui foret perpetuus, is videlicet, qui in Prouincia dignior eſſet, hoc eſt, primum inter Prouinciæ Patres locum vindicaret. Quod ſi Pater iſte alio titulo ſit de corpore Diffinitorij, pro illo tempore aſſumatur alius in dignitate propinquior: Idem etiam ſubrogationis ordo ſeruetur, cum per mortem vacare contigerit.

Alter Prouinciæ Pater iuxta prædictam Conſtitutionem Apoſtolicam ille eſt, qui immediatè Prouincialatum abſoluit. Per triennium tantummodo durabit huiuſmodi Pater, quo finito, ſuccedet Prouincialis, qui poſt ipſum ſubſequetur, officio abſoluto. Quod ſi ante triennium deeſſe contingat, alius aſſumatur, qui immediatus Prouincialis extiterat.

Præcipit verò Sanctiſſimus Miniſtris Generalibuss, & alijs ad quos prædictæ Conſtitutionis Apoſtolicæ executio ſpectat, vt ſub grauiſſimis pœnis, & nullitate electionis illam obſeruent, & inuiolabiliter obſeruari procurent.

De Commiſſario Generali Terræ Sanctæ in Curia Regis Catholici reſidente.

DEclarat Capitulum Generale Commiſſarium Generalem Terræ Sanctæ, qui reſidet in Curia Regis Catholici, non eſſe Prælatum; proindeque non ſolum Miniſtro Generali, ſed etiam Commiſſario Generali Familiæ ſubditum eſſe, ac in omnibus, & per omnia ſubiectum. Ipſius autem ſocij quoad Regularem diſciplinam Prouinciali Miniſtro, & Guardiano Conuentus ſubijci debent.

Prædictus verò Commiſſarius ſingulis ſex Menſibus rationes reddere teneatur ſub pœna priuationis, quæ ipſi Segobienſibus ſtatutis imponitur.

De Magiſtris Nouitiorum.

ABrogatur ſtatutum vltimi Capituli Toletani, in quo Magiſtris Nouitiorum concedebatur, vt qui per octo annos in Conuentibus pricipalioribus munus illud

lud exercuiſſent, Lectorum Iubilatorum priuilegio quoad præcedentiam dumtaxat fruerentur; Et decreuit Capitulum Generale, vt Statutum Segobienſe obſeruetur.

De Lectoribus.

Cenſuit Generale Capitulum, Theologiæ Lectoribus nullum vnquam ius quæſitum, aut actionem ad continuandum legendi officium, quouſq; tempus iubilationis præſcriptum compleuerint. Et ideo ſtatuit, poſſe à Miniſtris Prouincialibus amoueri de conſenſu Diffinitorij, & alijs muneribus, prout neceſſum videbitur deſtinari. Eodem namque iure Lectores primò inſtituere, & cum libeat, amouere ad Miniſtrum Prouincialem, & Diffinitorium pertinet.

De Præcedentia.

Quoniam variatis in Ordine noſtro aliquibus Statutis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis non parua circa præcedentiam exorta eſt confuſio, & abuſus aliqui pullularunt; quapropter viſum eſt graduum, & præcedentię ordinem hunc in modum dirigere, quem ab omnibus in Vltramontana Familia inuiolabiliter obſeruandum ſtatuimus.

Primò igitur inter Prælatos actuales habeat primum locum Miniſter Generalis. Poſtea Commiſſarius Generalis. Deinde Commiſſarius Viſitator Prouinciæ, & Miniſter Prouinciæ, & tandem Guardianus loci.

Poſt Prælatos autem ſedeant, qui Miniſtri Generales, deinde qui Vicarij Generales per biennium fuerunt, poſt quos ſequētur qui Commiſſarij Generales fuerunt ſecundum Bullam *Vnionis* electi, deinde qui Vice-Commiſſarij Generales biennio extiterunt.

Poſtea ſequentem locum habeat Commiſſarius Generalis Indiarum in Curia Regis Catholici reſidens.

Deinde Procurator, & Commiſſarius Romanæ Curiæ, dum actu ſuis muneribus funguntur, poſt quos ſequetur Procurator Reformatorum Ciſmontanæ Familiæ.

Poſtea Diffinitores Generales, dum in ſuis officijs actualiter perſiſtunt.

Deinde Procuratores, & Commiſſarij Curiæ Romanæ officijs functi (etiam ſi Miniſtri Prouinciales aliàs non fuiſſent) qui intra ſuam Prouinciam, & extra omnes alios præcedent, licet Miniſtri Prouinciales, aut Diffinitores Generales extitiſſent.

Poſt prædictos ſequentur, qui Miniſtri Prouinciales fuerunt in ſuis Prouincijs.

Deinde qui Diffinitores Generales extiterunt, qui ſi Miniſtri Prouinciales antea fuerunt, alios qui eodem munere functi ſunt, præcedent, ſin minus illos dumtaxat, qui poſtquam ipſi Diffinitoriatus officium expleuerunt, ad Miniſteriatum ſunt promoti.

Poſtea verò ij, qui triennio Secretarij Ordinis fuerunt, videlicet Miniſtri, aut Vicarij, aut Commiſſarij, aut Vice-Commiſſarij Generalis ſecundùm Bullam *Vnionis* electi.

Deinde, qui Commiſſarij Generales fuerunt in Regno Peruano, & in noua Hiſpania, & India Orientali per triennium; dummodo in eiſdem muneribus obeundis laudabiliter ſe geſſerint.

Deinde, qui in proprijs Vicarij Prouinciales per biennium completum extiterunt.

Poſtea ſedebunt, qui Miniſtri Prouinciales in aliena fuerunt intra Hiſpaniæ Prouincias.

Poſt quos ſequentur actuales Prædicatores Regis Catholici.

Deinde qui pro Diffinitoribus in Capitulo Generali ſubſtituti ſunt.

Poſtea ſequentur qui per duodecim annos in Curia Regis Catholici Commiſſarij Generales fuerint Terræ Sanctæ.

Poſtea qui per duodecim Annos Hiſpali Vice-Commiſſarij Generales Indiarum extiterunt.

Deinde Diffinitores, & Cuſtodes actuales Prouinciæ.

Poſtea qui in eadem Prouincia Diffinitores, & Cuſtodes fuerunt: quo gradu ſolum gaudent Cuſtodes, qui in Capitulo electi ſunt, vel ſi extra, per ſolum Diffinitorium per biennium completum in Officio durarunt, vel ſi in Capitulo Generali tulerunt ſuffragium, licet biennium non compleuerint.

Deinde qui per biennium Secretarij fuerunt Procuratoris, aut Commiſſarij Curiæ Romanæ.

Poſtea qui Secretarij Commiſſarij Generalis Indiarum, qui reſidet in Curia Regis Catholici, extiterunt.

Et illi poſtea, qui etiam per octo Annos Hiſpali Vice-Commiſſarij Indiarum fuerunt.

Deinde Lectores Iubilati iuxta Ordinis Statuta.

Poſtea ſedebit Procurator, ſeu Commiſſarius Curiæ Regis Catholici.

Deinde Commiſſarius Generalis Terræ Sanctæ dum actu exercet Officium in Curia Regis Catholici.

Poſtea immediatè ſedebit Vice-Commiſſarius

ſarius actualis Indiarum, qui Hiſpali reſidet.

Deinde ſedebit primus Lector Sacræ Theologiæ.

De alijs verò Lectoribus, & Prædicatoribus, cæteriſque Officialibus, & Religioſis circa præcedentiam ſeruentur Statuta Segobienſia, exceptis quæ huic diſpoſitioni contraueniunt.

Pro Indianis.

QVoniam Decretum illud vltimi Capituli Toletani, quo concedebatur Miniſtris Prouincialibus Indiarum, vt mittere poſſent Commiſſarios ad Capitulum Generale, nullum erat, vtpote contrarium alteri Statuto edito in Capitulo Generali Romano ad annum 1625. tenoris ſequentis. [Caueant ex Indianis Prouincijs Miniſtri Prouinciales, ne ad Capitulum Generale, vel aut ipſi veniant, vel Commiſſarios ſuo nomine mittant, ſolis Cuſtodibus veniendi facultate conceſſa.] Quod Statutum à Sede Apoſtolica in forma ſpeciali, ac ex certa ſcientia cum illius præinſertione fuit confirmatum; Atque adeo non niſi ab eadem Sede Apoſtolica potuit reuocari. Quapropter cum in hoc Capitulo Generali ſancitum fuerit, reſtituendum eſſe Miniſtris Prouincialibus ius antiquum, quod habebant, vt Commiſſarios ad Capitulum Generale ſuo nomine ſuffragaturos mitterent, ad Sedem Apoſtolicam recurſum eſt, quatenus non obſtante prædicto Statuto Romano, facultatem mittendi Commiſſarios Indianis Prouincialibus indulgeret, prout clauſulis ſequentibus Sanctiſſ. D. N. Vrbanus VIII. indulſit.

Miniſtris Prouincialibus dictarum Prouinciarum Indiarum pro tempore exiſtentibus, quod ad Capitulum Generale dicti Ordinis mittere poſſint Commiſſarios, qui eorum nomine ſuffragium ferant, ea tamen lege, vt tam Commiſſarij, qui mittentur, quàm etiam Cuſtodes, Filij earum Prouinciarum reſpectiuè ſint, pro quibus mittuntur, vel in eis per ſexennium completum antea incorporati (ſiue in Indijs, ſiue in alijs Europæ partibus exiſtant) dummodo ad electionis effectum non incorporentur (aliter electio ſit nulla ipſo facto) ac vt tam Commiſſarij, quàm Cuſtodes prædicti à ſuis Prouincijs non aliter quàm iuxta Conſtitutiones Generales Segobienſes eligantur. Quòd ſi Commiſſarij, & Cuſtodes eiuſmodi in itinere decedant, ſuffragium ſuum nemini etiam tanquam Procuratori abſenti, vel præſenti committere poſſint, ac idem in alijs etiam Prælatis, & Vocalibus iuxta laudabilem dicti Ordinis conſuetudinem à Sede Apoſtolica approbatam ſeruetur.

Et inſuper pro commodiori præmiſſorum executione, Conſtitutionem fæl. recordat. Clementis Papæ VIII. quæ incipit. *His, quæ ad Regularium Perſonarum ſtatum, &c. die 4. Martij 1600. Pontificatus ſui Anno nono*, editam, qua cauetur, vt in Prouincijs dicti Ordinis in Partibus Indiarum, præſertim in Limenſi Pronincia, ad Miniſtratum Prouincialem, ſeu quodlibet aliud dignitatis Officium aſſumi non valeant alij dicti Ordinis Religioſi, quàm illi, qui eiuſdem Prouinciæ Alumni ſunt, vel ad eam expreſsè, ac nominatim miſſi ex Hiſpanijs cum Miniſtri Generalis, aut Commiſſarij Indiarum apud Catholici Hiſpaniarum Regis Curiam aſſiſtentis litteris Obedientialibus in illis Prouincijs incorporati fuerunt, omnino admittimus, & præcipimus obſeruandum eſſe.

Declarantes ſub illis verbis, *ſeu quodlibet aliud dignitatis Officium*, in dicta Clementis VIII. Conſtitutione expreſſis, Miniſtri Prouincialis, tam pro regenda Prouincia, quàm pro ferendo ſuffragio in Capitulo Generali deſignati, Vicarij Prouincialis, Cuſtodis, Diffinitorum, Guardianorum Conuentuum, & Vicariorum Officia compræhendi, & compræhenſa intelligi.

Quo circa Commiſſarijs Generalibus nunc, & pro tempore exiſtentibus in Indijs in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ, priuationiſque ſuorum officiorum, & perpetuæ inhabilitatis ad alia obtinenda pœnis præcipimus, & mandamus, vt præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque inuiolabiliter ſeruent, & ab alijs, ad quos ſpectat, & ſpectabit quomodolibet, ſeruari curent. Alioquin ſi eos in hac parte deliquiſſe compertum fuerit, ipſo facto ad propriam Prouinciam regredientes omni priuilegio, titulo, immunitate, & exemptione priuati remaneant: iniungentes, & ſtrictè præcipientes Miniſtro Generali, & alijs pro tempore exiſtentibus Miniſtris Generalibus, vt citra conniuentiam quamcumque pœnas prædictas contra tranſgreſſores debitę exequutioni demandari faciant, onerando in his eorum conſcientias.

Declarat inſuper Capitulum Generale, vt nullus ex Socijs, quos ſecum deferunt Commiſſarij Generales Indiarum, nec etiam alij Religioſi, ad Prouincialis, Cuſtodis, Diffinitoris, & Guardiani Officium aſſumi valeant, niſi poſtquam ſexennium ab incorpora-

poratione fuerit tranſactum, aliter electionem ipſo facto irritam eſſe determinat. Quòdſi Commiſſarij Generales Indiarum in hac parte deliquerint, idem Capitulum Generale decernit, vt ipſo facto pœnas à Sanctiſſimo D. N. Vrbano VIII. in Breui ſupra poſito aduerſus transgreſſores impoſitas incurrant; inane, irritumque dijudicans, ſi quid in contrarium per quoſuis Ordinis Superiores fuit, vel poſtmodum fuerit Statutum.

De Authoritate Commiſſarij Generalis Peruenſis.

DEterminat Capitulum Generale, vt prædictus Commiſſarius de Perù in omnibus electionibus ſuarum Prouinciarum votum habeat; & authoritatem ſuam cuilibet alteri ſubdelegare poſſit, attamen ſubdelegatus non habebit in electionibus votum, ſicuti Commiſſarius habet; & idem ſtatuitur de Commiſſario nouę Hiſpaniæ.

De Vice-Commiſſario Indiarum Hiſpali reſidente.

VICE-Commiſſarius Indiarum ex Decreto Capituli Generalis, dum actu exercet Officium, ſedeat immediatè poſt Lectores Iubilatos. Et qui per octo annos completos idem Officium continuauerit, eorum priuilegio gaudeat, qui fuerunt Diffinitores: Si autem per duodecim Annos in Vice-Commiſſariatu ſteterit, præcedentiam, & paternitatem habeat dumtaxat, qua Patres Prouinciæ fruuntur: dummodo ſedeat poſt omnes, qui Miniſtri, ſeu Vicarij Prouinciales fuerunt, vel poſtea extiſtent.

De Secretario Commiſſarij Generalis Indiarum.

SEcretarius Commiſſarij Generalis Indiarum, qui reſidet in Curia Regis Catholici, ex conceſſione Sanctiſſ. D. N. Vrbani VIII. poſtquam per ſexennium in eo munere rectè, & laudabiliter ſe geſſerit, in ſua quiſque Pronincia dumtaxat priuilegijs, & exemptionibus gaudeat, quibus vti, & gaudere ſolent ij, qui fuerunt Diffinitores. Illum tamen omnes præcedent, qui vel iam Diffinitores extiterunt, vel poſtea extiterint. Reliqua negotia, quæ pro Indianis tractanda ſunt, Capitulum Generale determinat, vt à Reuerendiſſimo P. Miniſtro Generali, vnà cum Indiarum Commiſſario Generali, & Patribus de Diffinitorio Generali apud Matritum exiſtentibus tractentur, & reſoluantur.

Pro Canaria.

STatuitur, ne in Canaria priuentur Guardiani voce actiua ante electionem factam, niſi delictum ſit aliàs publicum, & ſcandaloſum.

Pro Sardinia.

DEcreuit Capitulum Generale, Prouinciam Sardiniæ in duas fore diuidendam, quarum vna ſub nomine Sancti Saturnini Martyris haberet Conuentus, qui in Calaritano continentur, & alia ſub titulo Sanctæ Mariæ Gratiæ fieret ex Conuentibus, qui ſunt in capite Saxeris, ſeruato illi priſtino nomine vnà cum prioritatis, & antiquitatis iure, prout Sanctiſſimi D. N. Vrbani VIII. motu proprio ſancitum fuit.

Pro Cuſtodia Inſularum de Azores.

IN Diffinitorio Generali Præſide, aſſiſtenteque D. Cardinali Barberino Protectore noſtro Decretum eſt, Cuſtodiam Inſularum de Azores ab Algarbiorum Prouincia, cui aliàs in regimine ſubijciebatur, ſeparandam eſſe, prorſuſque diuidendam, ac in nouam Prouinciam erigendam, & de facto Sanctiſſ. D. N. Vrbanus VIII. motu proprio prædictam Cuſtodiam diuiſit, ac diſmembrauit, & in nouam Prouinciam ſub inuocatione Sancti Ioannis Euangeliſtæ erexit.

Pro Ciſmontana Familia.

SAnctiſſ. D. N. Vrbanus VIII. omnes Ciſmontanę Familię Cuſtodias Reformatorum, quæ viginti quinque numerum explent, in Prouincias erexit, & vnicuique præcedentię locum iuxta ordinem infraſcriptum aſſignauit.

- Prouincia Sancti Franciſci.
- Prouincia Romana.
- Prouincia Marchiæ.
- Prouincia Tuſciæ.
- Prouincia Bononiæ.
- Prouincia Sancti Antonij.
- Prouincia Genuæ.
- Prouincia Mediolani.
- Prouincia Principatus.
- Prouincia Septem Martyrum.
- Prouincia Vallis Nemorum.
- Prouincia Vallis Mazzatiæ.
- Prouincia Vallis Nethi.

Prouin-

Prouincia Sancti Nicolai.
Prouincia Sancti Bernardini.
Prouincia Sancti Angeli.
Prouincia Minoris Poloniæ.
Prouincia Maioris Poloniæ.
Prouincia Corſicæ.
Prouincia Brixiæ.
Prouincia Baſilicatæ.
Prouincia Terræ Laboris.
Prouincia Calabriæ.
Prouincia Sancti Didaci.
Prouincia Sancti Thomæ Apoſtoli.

Receptum eſt Breue Sanctiſſ. D. N. Vrbani VIII. circa Lectorum Iubilationem, cuius initium eſt: *Cum ſicut accepimus, &c.* Nullus deinceps Prædicator, aut Lector inſtituatur, niſi priùs Fidem ſuorum Lectorum exhibeat per Prouincialem Miniſtrum authenticatam, & niſi ab eodem Miniſtro cum ſuo Diffinitorio fuerit antea examinatus, atque idoneus repertus.

Nec aliquis Studens poſſit in futurum ad Sacræ Theologiæ Studium tranſire, niſi Philoſophiæ curſum antea perfecerit, & à Diffinitorio Prouinciæ, quoad ſufficientiam, & bonos mores fuerit approbatus. Curſum autem Philoſophiæ declaramus eſſe trium annorum completorum. De quo Studens tenebitur ſuorum Lectorum fidem per Prouincialem, & Diffinitorium authenticatam præſentare.

Renouatur Statutum, quo præcipitur, nullum inſtitui poſſe Prædicatorem, niſi priùs curſum Theologicum trium annorum completorum perfecerit, neque Lectorem, niſi quatuor annis expletis ſtuduerit.

Renouatur etiam Generale Statutum prohibens, ne Studentes Generales è Conuentu poſſint egredi, niſi bis pro quolibet Menſe; nec Guardianus, aut alius Superior Localis poſſit eis licentiam concedere, niſi pro grauiſſima cauſa à Diſcretis Conuentus priùs approbata.

Miniſtri, & Diffinitores Prouinciales actuales extra ſuam Prouinciam præcedant eos, qui fuerunt Prouinciales, & Diffinitores reſpectiuè.

Lectores Artium, & Caſuum Conſcientiæ eos Sacerdotes præcedant, qui trigeſimum annum Religionis non compleuerunt: inter ſeſe iuxta antiquitatem habitus ſedeant, & incedant, niſi aliquis Theologiam aliàs legiſſet.

Laici tranſeuntes ad ſtatum Clericalem, non poſſint habere officia, & dignitates in Religione.

Duo Fratres Germani in Prouincialatu immediatè ſibi ſuccedere, aut ſimul in Diffinitores duo ex eadem agnatione eligi minimè poſſint, vt aliàs Statutum eſt.

Miniſter in eo Capitulo, in quo ſuum explet Officium, in Diffinitorem eligi non poſſit, ſub pœna nullitatis electionis.

Moriente aliquo Diffinitore extra limites Prouinciæ, vel abſente, itaut infra tres dies eius præſentia haberi non poſſit, ſubrogetur alter Pater dignior illius Prouinciæ, aliter electio nulla ſit.

Vt induendis Fratribus opportunè conſulatur, Miniſtris diſtrictè præcipitur, vt Officinas pro lanificio, & pannorum fabricatione introductas conſeruare procurent. Et vbi introductæ non fuerint, intra vnius anni ſpatium illas erigant, & introducant, ſub pœna priuationis Officij ipſo facto incurrenda. Nec ex alio panno, quàm ex fabricato in ſupradictis Officinis indui Fratres poſſint, aliàs induti inhabiles ad Officia, & Dignitates Prouinciæ indiſpenſabiliter cenſeantur.

Defunctorum ſpolia non niſi Conuentibus, in quibus Fratres decedere contigerit, applicentur, ſublata Miniſtris Prouincialibus in hac parte facultate aliàs diſpenſandi ſub pœna priuationis officij.

Vt multis abuſibus, & periculis occurratur, ſtatuimus, vt qua die quiſque Fratrum itineris cauſa diſceſſerit, & qua item acceſſerit, ab eiſdem Conuentuum Superioribus in ea ipſa facultate diſcedendi cauſa fideliter notetur. Si ſecus fecerint, Prælati ab Officio ſuſpendantur per menſem, & Subditi ſicut Apoſtatæ plectantur. Quod vt exactiùs obſeruetur, diſtrictè præcipitur Superioribus, vt in obedientiarum, & licentiarum exemplis id ipſum Guardianis, cæteriſque Superioribus diſtrictè iniungant, & terminum temporis præfixum ſecundùm diſtantiam viarum, & diſpoſitionem mittentium, & qualitatem euntium apponant.

Pro Germaniæ Prouincijs.

IN Prouincijs Germaniæ Confeſſarij, & Commiſſarij Monialium, & Guardiani durent tantummodo ad triennium, & nullo pacto Poſſint Prouinciales, nec Commiſſarij Generales ſuper hoc diſpenſare, cum ſit mandatum Apoſtolicum. Quod etiam ſeruetur de Abbatiſſis Monialium.

Miniſter Prouincialis Bohemiæ habeat iuriſdictionem in Moniales S. Claræ, quam regulariter habent Miniſtri aliarum Prouinciarum in ſuas.

Pro Polonia Prouincijs.

TOllitur auctoritas Miniſtris Poloniæ incorporandi Fratres vnius illarum Prouinciarum in aliam, ſub pœna priuationis mandantibus, & recipientibus. Capitulum Generale prohibet ſub pœna priuationis officiorum, & actuum legitimorum Superioribus, & Subditis Prouinciarum Poloniæ, ne vllo vnquam tempore tractent de reuniendis illis Prouincijs.

De Bulgaria.

GVardiani vltra triennium durare non poſſint, cum Apoſtolicis Conſtitutionibus repugnet. Aliter facta electio nulla ſit, & inualida.

§. 2. Nos inuiolabili Statutorum huiuſmodi obſeruationi, perpetuæque firmitati, quantùm nobis ex alto conceditur, opportunè conſulere, ipſumque Ioannem Miniſtrum Generalem ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus eiuſdem Ioannis Miniſtri Generalis Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Statuta præinſerta huiuſmodi Apoſtolica authoritate tenore præſentium, ſine præiudicio tamen Obſeruantiæ regularis, & Statutorum Apoſtolica authoritate confirmatorum, ac ordinationum, & Breuium Apoſtolicorum pro Fratribus Diſcalceatis Hiſpaniarum, & Indiarum Factorum, & emanatorum, perpetuò approbamus, & confirmamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos, tam iuris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus.

§. 3. Decernentes eadem Statuta in prædicto Ordine ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit, in futurum inuiolabiliter perpetuò obſeruari, & adimpleri debere, irritumque, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obſtantibus, &c. quibuſcumque, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 8. Nouembris 1639. Pontificatus noſtri anno 17.

Præter ea, quæ ſub hac confirmatione Apoſtolica in forma ſpeciali, vtpotè maioris momenti facta continentur, alia etiam à Capitulo Generali ſancita ſunt non minori obſeruatione cuſtodienda cuiuſmodi ſunt.

Pro Monialibus Hiſpaniarum.

PRæcipit Capitulum Generale, vt Statuta nunc pro Monialibus edita, & approbata Typis mandentur, & inuiolabiliter obſeruentur.

Pro India Orientali.

PRæcipit Capitulum Generale, vt in India Orientali ſeruentur Statuta Segobienſia pro ijs partibus edita, nunc verò renouata, & approbata, in melioremque Methodum cum aliquibus additamentis redacta, quæ ad fæliciùs earum Prouinciarum regimen, tranquillitatemque deſeruiunt.

De Regeſtis.

SIT in vtraque Familia Regeſtum, in quo notentur actus omnes Capitulares, non ſolum ad futuram rei memoriam, ſed vt Religionis ſtatus cognoſcatur, & ad regiminis directionem inſeruiat.

Ad præſentis Decreti propriam executionem iubetur, vt actus omnes Capitulares, Decreta, Bullæ, Declarationes Sacrarum Congregationum, Deciſiones Rotæ, & Sententię latæ in cauſis noſtræ Religionis ſpecialiter Romæ in Archiuio reperta, quàm primùm tranſcribantur, & tranſumptum authenticum ad Vltramontanam Familiam remittatur, vbi etiam aliud fiet tranſumptum earum rerum, quæ ibi fuerint inuentæ, ad Ciſmontanam Familiam pariter tranſmittendum.

Tria Apoſtolica Breuia pro fæliciori noſtri Ordinis regimine, nunc à Sanctiſſimo D. N. Vrbano VIII. expedita, videlicet, Primum, in quo omnia Priuilegia perſonalia in noſtro Ordine abrogantur. Secundum, in quo pro vnaquaque Vltramontanæ Familiæ Prouincia, duo Prouinciæ Patres inſtituuntur. Tertium ad fauorem Prouinciarum Indiarum expeditum, ad finem horum Statutorum executantur.

Vt Statutorum varietas, & multiplicatio tollatur, ac in Sacris Ritibus, & adminiſtranda iuſtitia æqualis in omnibus Prouincijs forma ſeruetur; Statuit Capitulum Generale, vt Statuta Ciſmontanæ Familiæ

per

per eiſdem Patres reuiſa reformentur, & ad normam Apoſtolicarum Conſtitutionum ſtrictiùs reducantur: edantur Ceremoniale, & Praxis Criminalis, quibus ſtandum eſſe, Superioribus omnibus, & Subditis, reſpectiuè præcipitur.

Numerus Defunctorum à poſtremo Capitulo Generali.

NVmerus Fratrum, qui à præterito Capitulo Generali, vſque in præſens è vita deceſſerunt, iuxta computationem factã per Teſtimonia ad Capitulum delata, complet ſeptem millia ducentos & nonaginta tres, Gallis hinc exceptis, qui ad Capitulum non venerunt.

Ita eſt Franciſcus Cardinalis Barberinus Protector, & Præſidens.
Fr. Ioannes Merinero Miniſter Generalis.
Fr. Didacus de Cea Procurator Generalis Curiæ.
Fr. Ioſeph Vaſquez Diff. Generalis.
Fr. Bartholomęus Fojas Diff. Generalis.
Fr. Lazarus Sagueſſa Diff. Generalis.
Fr. Antonius Hiquæus Diff. & Secretarius Diffinitorij Generalis.
Fr. Benignus à Genua Commiſſarius Generalis.
Fr. Ioannes Baptiſta à Campanea Pater totius Ordinis.
Fr. Ioſeph Radaellus Commiſſarius Generalis Curiæ.
Fr. Aſcanius de Aſsiſio Procurator Gener. Reformatorum Ciſmontanæ Familiæ.
Fr. Euangeliſta Momingo Diff. Generalis.
Fr. Thomas à Sancta Agata Diff. Generalis.
Fr. Thomas Poſnanienſis Diff. Generalis.
Fr. Nicolaus de Spinazzola Diff. Generalis.
Fr. Ioannes à Neapoli Diff. Generalis.
Fr. Pacificus de Roma Diff. Generalis.
Loco ✝ Sigilli.

Tria Breuia hic ſuperiùs allegata, deſcripta ſunt in primo Tomo.

De Serie Prouinciarum ſupra poſita vide ad calcem huius tomi.

Sequuntur Conſtitutiones Generales pro Monialibus, & Religioſis omnibus obedientiæ Ordinis Seraphici P. N. Franciſci ſubiectis in Familia nouiter compilata ex antiquis, & adiunctæ de conſenſu, & approbatione Capituli Generalis Romæ celebrati die 11. Iunij 1639. ſub Eminentiſſimo Franciſco Card. Barberino Ord. Protectore, & Capituli Præſide, & Reuerendiſſimo P. Fr. Ioanne Merinero Miniſtro Generali.

CAP. I.

De Nouitijs recipiendis, & de nouiter Profeſſis.

CVM ingreſſus in Religionem ſit quædam ſingularis oblatio Deo facta; idcircò quæ petunt ad habitum Religionis admitti, diligenter examinari debent, an ſint Chriſtianæ, Fideles, Catholicæ, de nullo errore in fide ſuſpectæ; nec Matrimonij vinculo alligatæ.

Statuimus, vt quæ pro Moniali recipienda eſt, ex legitimo Matrimonio orta ſit, virtute prædita, bonæ famæ, corpore ſana, & ad Religionis labores idonea: quæ morbo contagioſo laborat, nullo modo recipiatur. *Ex Tol. 1583. pro Monialibus c. 1.*

Sit mente integra, conditione libera, ſaltem in duodecimo ſuæ ætatis anno conſtituta, *in hoc tamen poſſint ſoli Generales aliquando diſpenſare*, ſed non niſi grauiſſimo in caſu, quando ſcilicet vix aliter fieri non poſſit; grauiſſima enim damna in dies experiuntur ex educatione Puellarum intra Monaſteria. Si autem minor annis duodecim recipiatur, non ſit ſub diſciplina Magiſtræ Nouitiarum; ſed alteri Religioſæ commendetur, quæ ipſam gubernet, & doceat, vſque ad annum ætatis duodecimũ; eo enim tempore Nouitiatum ingredi debet, & cum Nouitijs commorari, donec profeſſionem emittat. *Ex eiſdem. c. 1.*

Nulla recipiatur ad habitum, niſi per fauorabilia ſuffragia maioris partis Monialium, & de licentia Prælati Generalis, aut Prouincialis: ſuffragia verò Monialium ſumentur ſecretò per fabas nigras, & albas ad euitanda inconuenientia. Curent diligenter, quæ ſic ſuffragari debent, vt ad Dei ſeruitium, & Monaſterij vtilitatem, multò magis quàm ad proprias affectiones reſpiciant. Suffragia huiuſmodi recipiet P. Guardianus in cuius diſtrictu eſt tale Monaſterium (vel de ipſius commiſſione alius Religioſus) coram duobus Teſtibus; quæ deindè publicabuntur facto ſcrutinio coram Abbatiſſa, & Diſcretis Monaſterij.

Curent ſolicitè Abbatiſſa, eiuſque Vicaria, vt Nouitiæ, antequam Monaſterium ingrediatur, tradatur integra notitia Regulæ, & omnium aſperitatum, & Exercitiorum Religionis, ad hoc vt matura deliberatione determinare poſſit, an ſibi conueniat Religionis habitum aſſumere. *Ex eiſdem. c. 1.*

In vno quoque Monaſterio adſit liber, in quo deſcribatur nomen, & cognomen Nouitiæ, eiuſque Parentum, & Patria, & ętas, dies etiam, & annus, quo habitum recipit, cui ſubſcribat Abbatiſſa, & Diſcretæ, atque ipſa Nouitia.

Statuimus, vt in Conuentibus, in quibus aſſignatæ ſunt aliquæ dotes, ſeu patronatus pro recipiendis aliquibus Nouitijs, nulla prorſus recipiatur, donec cum effectu vacauerit locus ille, ad quem recipienda eſt Nouitia, aut niſi dos realiter pro ipſa fue-

rit Monaſterio enumerata. Mandamus itaque Miniſtris Prouincialibus, vt nullo modo Nouitiæ alicui literas concedant pro futura vacantia, etiam ſi ſub prætextu, & obligatione ſoluendi interim alimenta durante Nouitiatu, aut etiam poſt profeſſionem, donec locus cum effectu vacauerit, aut donec dos legitima ex integro ſoluta fuerit Conuentui; quoniam ex huiuſmodi receptionibus grauia oriri ſolent inconuenientia.

Nouitiatus ſemper ſit in loco à profeſſis ſeparato, in quo Magiſtra Nouitias ſemper ſequeſtratas contineat, eas ſilentium, orationem, humilitatem, mortificationem, obedientiam, ritus, & cæremonias Ordinis edocendo; & quamuis cellas ſingulæ ad recollectionem, & orationem, ac ſilentium non habeant, curet nihilominus, vt hæc omnia in aula communi, ac ſi in cella eſſent, obſeruent.

Magiſtra ſemper in Nouitiatu commoretur, cauens, ne inde Nouitiæ (excepto caſu neceſſitatis) egrediantur: In Nouitiatum niſi Abbatiſſæ, atque Vicariæ concedatur ingreſſus, cæteris ex cauſa legitima de Abbatiſſæ licentia. Nouitiæ in Profeſſarum cellas omnino non intrent, nec aliquid ab eis accipiant; ſi enim aliquod à conſanguineis ad Nouitias mittatur, Abbatiſſæ, vel Magiſtræ prorſus conſignetur, quæ illud inter Nouitias omnes, vel vt eis meliùs videbitur, diſtribuant. Si qua Profeſſa Nouitiam in ſuam cellam admiſerit, vel ei quicquam ſine licentia dederit, pro prima vice, *ad crates accedere* per duos menſes prohibeatur; pro ſecunda vice, per annum voce actiua, & paſsiua priuetur.

Ex Tol. cit. Nulla Monialis, etiam ſi Abbatiſſa ſit, aut fuerit, Nouitiam aliquam ſingularem educate, vel docere permittatur, licet valdè conſanguineam; & hoc propter inconuenientia, quæ inde ſolent oriri: Ideoque mandamus, vt in ſingulis Monaſterijs vna ex prudentioribus, magiſque diſcretis, & zelantibus eligatur, quæ ſit, & dicatur Nouitiarum Magiſtra, cuius obedientiæ, atque directioni omnes, & ſingulæ Nouitiæ ſubeſſe teneantur. Quod ſi Abbatiſſa Nouitiam aliquam in cella cuiuſuis alterius à Magiſtra Profeſſæ commorari permittat, per bimeſtre ab officio ſuſpendatur.

Nulla Nouitia ad quoduis officium Cōmunitatis in capite, vel in adiutorium deputetur, ſed tantùm incumbant ad ordinationes, & ſancta, conſuetaque Religionis exercitia, & ad illa, quæ ab Abbatiſſa decernatur eſſe iuſta, & conuenientia.

Nulla recipiatur Nouitia, donec de illius dote, alimentis &c. iuxta taxam, & conſuetudinem cuiuſcumque Monaſterij conſtet per legitima inſtrumenta.

Quoniam verò per Apoſtolica Decreta, perque Sacr. Concilium Trident. grauiter prohibetur, ne Nouitiarum dotes, antequam profeſſionem emittant, vel in toto, vel in parte recipiantur; aliquæ verò vel titulo mutui, vel ex eo, quòd dotis ſummam Nouitiæ parentibus debeant, dotem ipſam realiter hoc modo recipientes cum dolo Sac. Concilij determinationi contraire non verentur; ideò mandamus Abbatiſsis omnibus ſub pœna priuationis ſuorum officiorum, & inhabilitatis perpetuæ ad aliam in poſterum obtinenda, vt Nouitiam quamcumque omnino non recipiant, à cuius Parentibus, Conſanguineis, aut Tutoribus quantitatem pecuniarum mutuo acceperint, niſi priùs facta eiſdem ſolutione; nec dotem, aut dotis partem vllo modo recipiant ante profeſsionis tempus, aut recipi permittant. Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 16.

Poterunt Nouitiæ ad ſuorum Parentum inſtantias Legitimæ Paternæ, atque Maternæ renunciare, non tamen ſucceſſionibus, quæ per lineam tranſuerſalem eis legitimè obuenire poſsint. Quæ renunciatio iuxta Concilij Tridentini decreta, infra bimeſtre ante profeſsionem de licentia Ordinarij fieri debet. Tolet. cit. Trid. loc. cit.

Antequam vltima ſuffragia pro qualibet Nouitia recipiantur, debeat in publica refectione doctrinam Chriſtianam alta voce recitare; & antequam ad profeſſionem admittatur, deputari debent ab Abbatiſſa duæ Profeſſæ, quæ ipſam diligenter examinent, an Diuini Officij recitationem, an Regulam calleat, quam profiteri debet, ex quarum teſtimonio de plena ſufficientia in Communitate præſtito recipiatur ad profeſſionem, aliàs differatur, donec præfata integrè calleat.

Nulla Nouitia recipiatur ad profeſſionem, niſi per integrum, & continuum annum in probatione fuerit, & ſextumdecimum ſuæ ætatis annum compleuerit, & per ſecreta maioris partis Monialium ſuffragia fauorabilia fuerit admiſſa, quæ ſecretò per Guardianum recipiantur eo modo, qui pro receptione ad habitum fuit ſuperiùs deſignatus: Quod ſi maiorem ex tota Communitate partem ſuffragiorum fauorabilem non habuerit, ſtatim è Conuentu expellatur, nullo habito ad Superiorem recurſu. Conc. Trid. ibid. Tolet. ibid.

Singulis ſecundis, quartis, & ſextis ferijs per annum Nouitiæ, iuueneſque profeſſæ culpas ſuas in publica refectione accuſabunt; Abbatiſſa verò, vel Præſidens eas iuxta occaſionem reprehendat, & ad

virtu-

virtutem exhortabitur. In Aduentu, & Quadrageſima feria ſexta diſciplinam poſtulabunt, feria verò tertia, quinta, & Sabbatho in Terra comedent, Monialium pedes oſculabuntur, aut lignum ore tenebunt, iuxta cuiuslibet Prouinciæ, aut Monaſterij laudabilem conſuetudinem.

Noctibus ſingulis per annum in Oratorio (quod in Nouitiatibus ſemper eſſe debet) coram Magiſtra culpam accuſabunt, defectus diei præteritæ confitendo, veniamque petendo. Magiſtra verò illas vel repræhendet, vel puniet iuxta defectuum qualitatem; dataque ipſis benedictione illas ad quietem dimittet, quæ ſubitò genuflexæ habitum Magiſtræ deuotè oſculabuntur.

Interdum poſt accuſatam culpam, vel interdiù horis vacuis eas ſedere faciet, vt librum aliquem ſpiritualem de Oratione, deque Chriſti paſſione tractantem legant; ſæpius etiam ipſas examinare debet, quomodo in oratione, ac meditatione ſeſe exerceant, vt de virtute in virtutem continuò proficiant.

De nouiter profeſſis.

Omnibus expletis, quæ in Ordine ad profeſſionem exequenda fuerunt præſcripta, Moniales omnes ſonitu Campanulæ ad Capitulum conuocatæ conuenient, coram quibus in Abbatiſſæ manibus Nouitia ad formam in Regula, & in Ordinis Manuali deſignatam profeſſionem emittet, nulla de nouo petita facultate à Prælato; quoniam licentia pro receptione ad habitum conceſſa, pro receptione ad profeſſionem debet ſufficere.

Subitò ac profeſſionem emiſerit in alio libro (à priori pro habitus receptione diſtincto) ſcribetur, quo die, & anno profeſſionem emiſerit, ex qua Patria, quo nomine, quibus ex Parentibus nata ſit, coram quibus antea in libertate poſita fuerit: nec tamen ad profeſſionem admittetur, antequam tranſumptum habeatur renunciationis, aut Teſtamenti, quod fecit; ex horum enim deficientia multa perdidere Conuentus, quæ ipſis ex paterna, vel tranſuerſali ſucceſſione debebantur: huius autem tranſumpti mentio in dicto libro adnotetur.

Tolet.cit.

Poſt profeſſionem integro biennio ſub Nouitiarum Magiſtra, in Nouitiatu eadem prorſus cum Nouitijs ſubiectione detinebitur: Quod ſi aliquo in Conuentu cenſebit Miniſter Prouincialis, aliam à Nouitiarum Magiſtra conſtituendam eſſe Magiſtram, recenter profeſſæ iiſdem tamen cum ſubiectionibus, & mortificationibus in loco à Nouitijs ſeparato ſub propria Magiſtra conſeruari debebunt.

In receptione Monialium ad habitum, vel ad profeſſionem votum non habebunt niſi poſt biennium, ab emiſſa profeſſione, nec in Abbatiſſæ electione, niſi poſt completum à profeſſione ſexennium.

Ex Segobien 1621.

C A P. II.

De numero Religioſarum in vnoquoque Monaſterio præfigendo.

Conſiderantes, quantæ ſit Conuētibus vtilitati, vt Religioſarum numerus in ſingulis præſcribatur conformiter ad annuos prouentus, & quotidianas eleemoſynas, quæ pro illarum congrua ſuſtentatione ſufficiant: conformiter ad Pontificia, & Sac. Concilij Trident. decreta ſtatuimus, & ordinamus, vt numerus Religioſarum in vnoquoque Conuentu præfigendus capacitatem prouentuum Monaſterij, & quotidianarum eleemoſynarum non excedat, quæ ad ipſarum congruam ſuſtentationem ſufficiat. Quòd vt debitè exequatur, ſtatuimus, vt in ſingulis Conuentibus taxetur cum reali effectu numerus Religioſarum, quæ in ipſis commorari, & vt ſupra, congruè ſuſtentari poſſunt, ita vt inpoſterùm nulla Nouitia recipiatur, niſi priùs aliqua ex iam adnotatis deceſſerit.

Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 1.

B. Pius V. circa Paſtoralis &c. 1566.

Greg. XIII. Deo Sacris &c. 1572.

Quæ omnia, vt debitum ſortiantur effectum, præcipimus Miniſtris Prouincialibus, vt anno vno poſt harum conſtitutionum inſinuationem, ipſimet per ſe ipſos, vel ſi legitimè impediti fuerint, per ſuum Commiſſarium ad hoc delegandum, in vnoquoque Monaſterio numerum Religioſarum ibidem, vt ſupra congruè ſuſtentandarum taxent, atque præſcribant, cuius taxationis conficiatur regiſtrum; regiſtri verò huiuſmodi copia vna in ipſo Monaſterio, altera in Archiuio Prouinciæ conſeruetur; altera item pœnes Prouincialem in ſui regiſtri libro reponatur, ad hoc vt ſemper ſibi conſtet de Monialibus, quæ in ſingulis Conuentibus eſſe poſſent, nec ſupra taxatum numerum vllam recipi omnino permittat.

Ex Tolet. cit. cap. 2.

Paul. V. incip. Sanctiſſimus 1605.

Statuimus itidem, & mandamus, quòd ſi ex aliquo graui, & ineuitabili caſu Monialem aliquam vltra numerum præfixum recipi contingat, duplicatam dotem omnino habere debeat iuxta S.C. decretum.

Sac. Congr. die 6. Sept. 1604.

C A P. III.

De Officio Diuino, Oratione, Silentio, & Sac. Communione.

Statuimus, vt omnes Moniales ad primum Campanæ ſignum in Choro ad di-

diuinum officium conueniant die, noctuque; curetque ſollicitè Abbatiſſa, vt ipſum
Ex Tolet. cit. diuinum officium hora competenti deuotè, debitiſque cum pauſis perſoluatur, omneſque ac ſingulæ ad matutinas, & ad alias horas conuenire teneantur: quod ſi aliqua (excepta cauſa infirmitatis, aut alio ex legitimo impedimento de Abbatiſſæ licentia) fuerit ad conueniendum in Choro negligens, pro prima vice culpam ſuam fatebitur in plena refectionis Communitate, pro ſecunda vice in pane, & aqua punietur, pro tertia diſciplinabitur; quod ſi fuerit incorrigibilis, velo priuabitur, donec emendata fuerit.

Hæc vt exactius obſeruentur, præcipimus ſub pœna ſuſpenſionis ab officijs ſuis reſpectiuè per Menſem Abbatiſſis, Crateriſtis, & Auditricibus, vt tempore diuinorum officiorum locutoria, & Crates omnino occludant, nullas ibi remanere permittant, claues ad Abbatiſſam deferant, cui grauiter iniungimus, vt ſuper his ſedulò inuigilet, eaſque Moniales ad Horas Canonicas euocandas procuret, quas ſine ſua licentia abeſſe cognouerit.

Ad Matutinas iuxta laudabilem conſuetudinem media nocte conſurgent, quod ſi aliquo in Cœnobio iuſtis de cauſis hæc hora Miniſtro Prouinciali minus opportuna videbitur, per totum anni circulum indifferenter hora octaua veſpertina officium illud perſoluetur; quoniam tunc Rotę omnes, & Crates iam ſupponi debent occluſæ, vnde omnes, etiam officiales valeant conuenire.

Declaratur, quod omnes, & ſingulæ Religioſæ profeſſæ quæ in Choro ad aliquas horarum non conuenerint, obligantur ſub
Ibidem. pœna peccati mortalis ad recitandum omnes illas horas, quibus in Choro non interfuerint. Item quod Choriſtæ illæ, quæ ex cauſa per Miniſtrum Prouincialem approbanda diuinum officium recitare non poterunt, ſatisfacient, ſi pro Matutino viginti quatuor, Pro laudibus quinque, pro Veſperis duodecim, pro Prima, Tertia, Sexta, Nona, & Completorio, pro qualibet iſtarum ſeptem Pater noſter recitabunt, & orabunt pro defunctis.

Dum officio diuino, vel Miſſæ interſunt, nulla Monialis loquatur, rideat, aut aliud
Ibidem. agat, quod debitam attentionem auertat, ne maledictionem incurrant à Spiritu Sancto prolatam contra eos, qui agunt opus Dei negligenter.

Statuimus, vt officium diuinum cantu
Ibidem. plano, ſimplici, & vniformi, non in Organi cantu, nec cantu fracto decantetur; credimus enim, magis ad deuotionem conducere, Pſalmos legere, & recitare quietè, clarè, diſtinctè, & cum animæ pia attentione, quàm Muſicis, & cantibus intendere: Poterunt tamen & Generalis, & Prouincialis ex cauſa ſufficienti concedere, vt in aliquo Conuentu Organi cantus exerceatur.

Miſſa, Tertia, & Veſperæ ſemper cantabuntur, & etiam Matutinum in duplicibus primæ Claſſis; in duplici ſecundæ Claſſis, Hymnus, Te Deum Laudamus, & Laudes: Prima, & Completorium ſemper recitabuntur, ad hoc vt Orationi Mentali diutius poſſint incumbere; in Feſtis tamen primæ, vel ſecundæ Claſſis cantari poterunt. In Cõuentibus, vbi conſueuit vnitono ſine cantu officium recitari, conſuetudo tam pia non interrumpatur.

Ingredientur ſingulæ in Chorum magna cum compoſitione, ac deuotione veluti, quę intrant in Sancta Sanctorum ad loquendum cum Deo, genibus flexis ante Sanctiſs. Sacramentum in ingreſſu, & egreſſu terram oſculari debent, vt & in eleuatione S. Hoſtiæ, & Calicis, ſecretò tota deuotione recitando illa verba fide, & feruore tam plena, & S. P. Franciſco familiaria; *Adoro te Domine, & benedico tibi hic, & vbicumque Sacramentaliter exiſtis*; & ſtatim vnaquæque ad ſuum in Choro ſedile proficiſcetur, vbi genuflexa, oculiſque demiſſis in oratione, & ſilentio quieſcet, donec dato ſigno incipiatur officium, quo durante nulla cum alia alloquatur; ſi qua contrafecerit, in pane, & aqua puniatur in Refectorio.

Poſt officium inceptum nulla Monialis authoritate propria de vna ad aliam Chori partem tranſire poterit, ſed ad Abbatiſſam, aut Conuentus, vel Chori Vicariam attinebit ad iuſtam Chori compoſitionem ſubditas hinc inde mutare, quod & Nouitiarum Magiſtra agere debet cum ſuis Nouitijs receenterque profeſſis, quæ ſemper ante Librorum pulpitum ſtare tenentur: huiuſmodi verò tranſitus ab vna ad alteram Chori partem, ſemper poſt, & non ante pulpitum præfatum fieri debet.

Dum recitatur Officium Diuinum, atque in cæteris Religionis actibus, quos in Choro fieri contingit, velum ad *Crates* demiſſum Moniales habere debent, tum in Choris profundis, tum in eleuatis, etiam in feſtis ſolemnioribus, ad hoc vt ab extraneis conſpici non valeant: tunc ſolùm eis licebit velum attollere, quando in Miſſa adorandum eſt Sanctiſs. Sacramentum, ita tamen vt Chori feneſtræ antea præcludantur, vt in obſcuro videri non poſſint: Abbatiſſis grauiter iniungimus, vt in hoc ſedulò inuigilent; & ſi qua de negligentia conuincetur, per menſem ſuſpendatur ab officio; quòd

ſi

ſi relaxatio, vel negligentia grauis fuerit, quatuor Menſibus ſuſpenſioni ſubiaceat.

Statuimus, vt in Conuentibus de nouo fundandis, Chorus in inferioribus non collocetur, ſed omnes eleuati conſiſtant in alto: Imo Miniſtris Prouincialibus, & Abbatiſſis iniungimus, vt in ſuis Cænobijs Choros in ſublime ſubleuandos, amotis inferioribus procurent; ſic enim Monialium ſaluti expedire iudicamus.

Vniuerſæ Chori Cratium Portæ claue debent occludi, excepto tempore, quo recitatur Officium, & Miſſa celebratur; Claues ipſæ pœnès Sacriſtam maiorem cuſtodientur; noctu tamen vnà cum cæteris arcæ atque Turni Sacriſtiæ ad Abbatiſſam deferentur, nulloque modo permittetur, vt ijs apertis per Crates fiant colloquia: Hinc ad euitandam quamcumque occaſionem, aut inconueniens prohibemus, ne ad illa loca Confeſſio Sacramentalis audiatur; Sacriſta verò, quæ in contrarium permittet, triennio actiua, & paſſiua voce priuetur; Abbatiſſa verò in hoc culpabilis per bimeſtre ſuſpendatur ab Officio.

Statuimus, & præcipimus, vt Craticula, per quam S. Communionem recipere debent Moniales alta ſit non vltra tertiam, lata non vltra quartam vlnæ partem; duabuſque ſeris occludetur; clauis vna à parte interiori pœnès Abbatiſſam ſemper, altera pro parte exteriori pœnes Monialium Vicarium, aut Confeſſarium cuſtodietur; quibus ſub pœna priuationis ſuorum officiorum interdicimus, ne claues ipſas cuicunque ſub quocumque prætextu committant, nunquam aperiant, aut aperiri permittant ad colloquendum, aut ad aliquid inferendũ nec vllo alio modo, niſi tantũ ad dandum S. Euchariſtiæ Sacramentum, & Abbatiſſas exhortamur, vt dictas ad communicandu crates ornatas, & mundas intùs, & foris, vt iuſtum eſt habere ſtudeant.

Similiter in loco ad audiendas Monialium Confeſſiones ſit *Cratis* altitudine tertiæ partis, latitudine quartæ partis vlnæ, & ferrea craticula foraminibus ea proportione, vt audiri, non videri valeat; Duabus item ſeris, & clauibus obfirmatis, eodem modo, eadem ſub obligatione, & pœna ſicuti de feneſtra pro S. Communione determinatum eſt.

De Oratione Vocali.

MOniales omnes de Ordinis noſtri, cæteriſque feſtis Diuinum Officium recitabunt, eo ritu, & forma, ſicuti in eiuſdem Ordinis noſtri Calendario præſcribitur. Præcipimus, vt Religioſæ ſingulæ, (Abbatiſſa, & Ex-Abbatiſſæ, & Vicaria Conuentus exceptis) Hebdomadariæ, cæteriſque Chori officijs fungentur, iuxta laudabilem Conuentuum conſuetudinem, cantatrices maiores, & minores deputando: omneſque, & ſingulas admonemus, vt munus in Tabula ſibi præſcriptum, per ſe ipſas, non verò alijs abſque legitima cauſa illud committendo exerceant.

Vt autem vniuerſa in Choro recitentur, & in Conuentu ſine defectu peragantur, Vicaria Chori ſingulis Sabbatis Tabulam pro ſingulis Officijs in Monialium Communitate proponet, nempè Hebdomadariam, cantatrices, atque pro cæteris Refectorij, & humilitatis exercitijs, quæ in Conuentu ſolent exponi; curabitque, vt dum in Choro Hebdomadaria, vel aliqua de cantatricibus, aut ad legendum, vel ſeruiendum in Refectorio deputata deerunt, alia pro ſupplemento ſubrogetur.

Ad hoc vt feſtiuitates iuxta ſolemnitatẽ Ipſis à S. Eccleſia deſignatam celebrentur, ſtatuimus, vt pro Feſtis primę Claſſis ſex cãtatrices, quatuor pro ſecundę claſſis pro cæteris duplicibus per annũ duæ deputentur; pro ſemiduplicibus, & Ferijs vnica ſufficiat.

Quoniam verò nonnullis in Monaſterijs feſta Sanctorum Ioannis Baptiſtæ, & Ioannis Euangeliſtæ exceſſiuis adeò ſumptibus, & muſicalibus etiam in Materna lingua concentibus celebrantur, vt ſint non ad ædificationem, ſed ad contentionem, ac ęmulationem inter Moniales, ſæcularibus autem in ſcandalum; quæ inconuenientia etiam perſæpè a Concionibus promouentur, aut fouentur, quæ in Feſtis ipſis recitantur; Idcircò ſtatuimus, atque pręcipimus, ne in duabus antedictis feſtiuitatibus, nec per earum octauas, aut infra octauas cantiones vllæ materna lingua permittantur, nec conciones, aut ſermones habeantur, nec ſolemnitates ipſæ maiori ceræ, vel alterius cuiuſuis expenſæ pompa celebrentur, quàm ſolent à tota Communitate celebrari feſtum Reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini noſtri, videlicet candelis octo ad aram maiorem, duabus ad altaria cætera ſolummodo accenſis. Abbatiſſa, quæ ſtatutum hoc violari permittet, ab officio deponatur. Miniſtris verò Prouincialibus ſeriò iniungimus, vt ad horum executionem ſedulò inuigilent. Quod ſi aliquando contingat, vt ex grauiſſima cauſa in aliquo Cænobio diſpenſandum ſit ad concionem illis diebus habendam (nunquam verò ad alia,) hoc in Monaſterijs tantùm cõcedatur, in quibus nõ vigeãt inter Baptiſticas, & Euangeliſticas prænotatę concutiones, aut æmulationes. Quoniam itidem exceſſiuis ſumptibus aliæ feſtiuitates à Monialibus particu-

la-

laribus interdum celebrari contingit, præcipimus ne maiori cerę apparatu fiat, quàm qui immediatè ante præfinitus eſt: Cõciones in ipſis recitari poſſunt, & cum Muſica Conuentus, nunquam verò Cantus de Foris adduci permittantur.

In Veſperis feſtorum ſolemnium ordinamus, vt Calendæ quidem publicentur, cantiones autem lingua vernacula prorſus interdicuntur; nec Moniales cum facibus, aut candelis accenſis, aut cum alieno habitu, vel apparatu egrediantur, ſed in Choro eum ſolo ſuo regulari habitu permanere debent, ſi qua Abbatiſſa aliter permitter, ſemeſtrem ab officio ſuſpenſionem incurrat.

Præcipimus, vt ſingulis Ferijs ſextis per annum poſt Completorium tota ſolemnitate cantetur in honorem, & laudẽ Immaculatæ Virginis Deiparæ nocturnum illud, quod incipit, *Benedicta tu, &c.* cuius duo reſponſoria, nempe *Sancta, & Immaculata Virginitas, &c. & ò Glorioſa Domina* concinentur; & Sabbatho ſequenti Miſſa ſolemnis de Domina Noſtra cantabitur. Quæ tamen omnia prætermittentur, quando in Sabbatho occurrit Feſtum de præcepto, vel duplex, vel de B. Virgine, aut infra eius octauam.

Quotidie poſt Veſperas cantari debet in honorem Immaculatæ Conceptionis Beatę Mariæ Virginis Antiphona illa, quæ incipit *Tota pulchra es, &c.* & alia, quæ incipit *Conceptio tua, &c.* poſt Completorium cum earum reſpectiuè Verſiculis, & Orationibus.

Singulis Ferijs ſecundis Feſta de præcepto, vel duplici non impeditis cantabitur poſt primam Miſſa de Requiem pro defunctis Cęnobij Monialibus, & pro ijs, qui earum in Eccleſia fuere tumulati, atque pro Religioſis ſuis Confratribus. Poſt Miſſam ſupplicatio ducetur per Clauſtrum, recitando Defunctorum Reſponſoria; cui Religioſæ omnes non legitimè impeditæ intereſſe debebunt.

Quoniam verò à Clemente VIII. fæl. mem. interdictum fuit, ne in noſtrarum Monialium Eccleſijs vllus alienigena concionari permittatur, abſque Prælatorum Ordinis expreſſa licentia; ideo Abbatiſſis ſub pœna priuationis officiorum grauiter præcipimus, ne in ſuis Eccleſijs vllum Religioſum, vel Sæcularem, vel Regularem, niſi fuerit de Ordine noſtro, & Filius Prouinciæ, ad quam Monaſterium attineat, admittant ad concionandum, vel ad habendos ſermones ad Crates Eccleſiæ, aut ad locutoria; quin prius exhibitam ſibi Prælatorum Ordinis noſtri licentiam recognouerit. Ne autem ideo Monaſteria in locis poſita, vbi noſtri Conuentus non exiſtunt, pabulo Euangelicæ doctrinæ priuari contingat; Guardianis Conuentuum viciniorum grauiter iniungimus, vt Concionatores, quoties neceſſarium fuerit, præſertim in Aduentu, & Quadrageſima ad Monaſteria illa tranſmittant.

Clem. VIII. ſicut accepimus 1600.

Ex Tolet. 1581. c. 9.

Ex Tolet. c. 56.

Ex Segou. c. 21.

De Oratione mentali.

CVM Animæ vita in Oratione conſiſtat, velut in cibo, vnde ad ſancta virtutum exercitia proficit; Religioſas vniuerſas admonemus, vt hora competenti ſtudeant orationi mentali vacare; hac enim deficiente deficiet perfectus Religionis ſtatus, & Religioſis ſpirituale alimentum, vnde vitam tranquillam habere debent, & virtutem ad obligationes ſuas cum ſancto feruore proſequendas. Ideo præcipimus, vt præter particularem ſingularum diligentiam, qua ſeorſim poſſint in hoc ſancto exercitio proficere, præter item continuam Dei præſentiam, quam in omni loco, & tempore debent habere; etiam in Communitate ſingulis diebus hora vna mentalis orationis habeatur in Choro; cuius dimidia hora poſt recitatam Primam aſſignatur; quod ſi Miſſa tunc celebranda ſit, poſt completam orationem differatur; altera dimidia hora poſt Completorium deputatur, vbi ſingulę Moniales conſcientiam de actis illa die diſcutient; & ante orationis principium legetur ex aliquo libro ſpirituali aliquid, quod orationi, & meditationi deſeruiat. Si qua verò Abbatiſſa in huius ſtatuti executione negligens fuerit, ſemeſtrem ab officio ſuſpenſionem incurrat; & ſi culpa grauis exiſtat, priuetur, ita vt ampliùs in Abbatiſſam reeligi nequeat.

In Monaſterijs verò, in quibus duabus horis Oratio mentalis haberi conſueuit, Abbatiſſis ſub pœna ſuſpenſionis ab officio per ſex menſes iniungimus, vt ſanctã illã conſuetudinẽ conſeruari faciant, cęteras autẽ noſtri Ordinis Religioſas ſeriò hortamur in Domino, vt huic ſanctæ conſuetudini ſeſe cõformare procurent. Prouincialibus autem, & Abbatiſſis grauiter iniungimus, vt vſum iſtũ in omnes ſuos Conuentus introducendum curent, in eos præſertim, qui de nouo conſtruentur; agitur enim de re præ cæteris neceſſaria ad ſtatus Religioſi conſeruationem, & Monialium ſpiritualem conſolationem.

Singulæ Religioſæ teneantur Orationi Mentali ſimul aſſiſtere, à qua nulli licebit, abſque vrgentiſſima cauſa, & de Abbatiſſæ licentia, recedere; quod ſi aliqua in hoc culpabilis exiſtat, admoneatur ab Abbatiſſa; ſi ſe non emendauerit, pro prima vice pa-

pane, & aqua, pro ſecunda diſciplina puniatur in Refectorio, & ſi incorrigibilis perſiſtat, velo priuetur, nec ad locutorium exire poterit, donec de illius emendatione conſtiterit.

Ad proficiendnm in ſanctæ Orationis exercitio ſacrorum, & deuotorum lectio librorum permaximè conducit: Quo circa Religioſas omnes ſeriùs hortamur, vt eos in communitate, atque ſeorſim legere curent; pleno autem rigore libros comœdias, aut vanitates alias, aut carnalitates, aut ſæcularia quæcumque continentes interdicimus, qui nuſquam retineri permittantur. Abbatiſſa ipſos permittens à Miniſtro Prouinciali puniatur; Religioſa verò, apud quam reperti fuerint, culpam ſuam fatebitur in Refectorio cum Libris illis ad collum appenſis, qui coram Communitate comburentur.

De diſciplinis, & ieiunio.

VT mortificatio carnis in Monialibus magis eluceſcat, ordinamus vt ſingulis per annum Ferijs ſecundis, quartis, & ſextis ſingulæ in Communitate flagelli diſciplinam ſubeant ſpatio vnius *Miſerere* recitandi cum alijs Orationibus iuxta proprias Prouinciarum conſuetudines: excipiuntur ab hac flagellationis obligatione Feſti dies de præcepto, vel ſolemnes, & octauarum Reſurrectionis, & Natiuitatis Domini, Pentecoſtes, & Epiphaniæ, & Aſſumptionis Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum, necnon Seraphici P. N. Franciſci.

In Hebdomadæ maioris feria quarta ad diſciplinam, ſiue flagellationem Pſalmi Graduales tribus intermedijs recitabuntur; Feria quinta integri Primæ, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ Pſalmi; Feria verò ſexta ſoli Pſalmi *Miſerere mei Deus*, & *De profundis*. His diebus hæc flagellatio vbi non adeſt Chorus eleuatus, habebitur Duce Abbatiſſa, poſt expletas *Tenebras* in Conuentus interiori Capitulo; vt & mandatum pro abluendis Monialium pedibus: Abbatiſſa, quæ contrafecerit, per ſex menſes ſuſpendatur ab officio.

Religioſæ ſeruare teneantur ieiunium Quadrageſimæ maioris, cęteraque per Eccleſiam, atque per Regulam præcepta; In Aduentu à Feſto Præſentationis B. Mariæ Virginis vſque ad Natiuitatem Domini: Omnes etiam exhortamur, vt Ferijs ſextis per annum, & in vigilijs Corporis Chriſti, Virginis Deiparæ, S. P. Franciſci, & S. Claræ ieiunent: quæ item in Sabbathis per annum, & in Quadrageſima, quam vocamus *Benedictam* ex deuotione ſua ieiunabunt, ſint à Domino benedictæ.

De Silentio.

SIlentium animæ clauem, cultum iuſtitiæ, Domorumque Regularium decorem, & ornatum cupimus in omni loco, & tempore cuſtodiri; præcipientes, vt à ſigno, (Ex Tolet. 1583.) quod datur in noctis initio, vſq; ad ſignum, quod pulſatur ante Primam, toto rigore ſeruetur; ſimiliter à Paſchate Reſurrectionis, vſque ad Feſtum Exaltationis S. Crucis abſoluta ſecunda menſa detur ſignum pro ſilentio vſque ad Nonam obſeruando. In Choro autem, Dormitorio, Capitulo, Refectorio, cæteriſque Communitatis officinis ſit perpetuum. Quoniam verò per canum inquietudines ſilentium ſolet interrumpi, & inter Moniales oriri controuerſia, præcipimus Abbatiſſæ ſub pœna ſuſpenſionis per ſex menſes ab officio, ne Canes quomodocumque in Conuentu permittat. Si qua verò Religioſa Canem habere comperiatur per annum actibus legitimis priuetur.

Dato ſilentij ſigno nulla Religioſa in Cellam alterius ingrediatur, delinquens in hoc in terra comedat in Refectorio, & ſi duas in eadem commorari contingat, ita conuerſentur, vt ſilentij rigor non violetur.

Officiales, quæ tempore ſilentij obligantur ex officio per Conuentum diſcurrere, nonniſi neceſſaria ad executionem ſui muneris loquantur, ſed breuiore ſermone, voceque ſubmiſſa. Abbatiſſis verò iniungimus, vt quam maximè inuigilent, quòd ſilentium die, noctuque cuſtodiatur illæſum, Religioſæque ex cauſa colloquentes, voce modeſta, & leui loquantur, præſertim ad locutorium, Ianuam, & Turnum, contra quod delinquentes iuxta qualitatem culpæ puniantur.

De Sacramentali Confeſſione, & Sacra Communione.

TEnentur Moniales ſingulæ, ſaltem ſemel in menſe, peracta Confeſſione Sacramentali Sac. Communionem reuerenter accipere, non omittendo cæteras Communiones in Regula præſcriptas, in quo ſi aliqua deliquerit, per menſem ſubſequentem ad crates exire non permittatur.

Quia ad huius ſalutiferi Sacramenti frequentiam vniuerſas exhortando, iniungimus, vt in ſingulis Hebdomadibus ad Sacram Synaxim accedant: (Leo X. in Bulla, Cum bene nouimus.) poterunt etiam, quæ ex deuotione ſpeciali hoc petent de licentia ſui Confeſſarij, & conſentiente Abbatiſſa bis per Hebdomadam Sanctiſſi-

mnm Sacramentum recipere, ac etiam in Feſtis ſolemnioribus per Hebdomadam occurrentibus: Admonemus autem, quòd quotiès ad Sac. Communionem accedunt, Indulgentiam Plenariam ex Leonis X. conceſſione lucrantur.

In die Sac. Communionis nulla Religioſa poterit cum ſecularibus loqui ad Crates, aut ad Turnum niſi ex vrgentiſſima cauſa, & hoc poſt Veſperas: in hoc delinquenti interdicatur per vnum menſem acceſſus ad Cratem, in quo Abbatiſſa diligenter inuigilet.

Statuimus & mandamus, ne abſque Prouincialis licentia in ſcriptis exponatur detectum S. Sacramentum, Vicarius autem, qui non viſa prius tali licentia ipſum aperiet, aut aperiri permittet, officio priuetur.

Conc. Triden ſeſſ. 25. c. 10. Tole. cit. c. 4 Segob. 1621. cap. 5.

Teneantur Abbatiſſæ, quando à Prouinciali non deſtinantur Confeſſarij extraordinarij, ipſos petere ſemel, aut bis per annum, iuxta Sacri Concilij Tridentini Decretum: ad Confeſſarium extraordinarium teneantur ſingulæ comparere ſua peccata confitentes, præeunte ad cæterarum exemplum Abbatiſſa: quo tempore extraordinarius ibi fuerit, debeant Ordinarij, tam Vicarius quàm ſocij ad viciniorem Fratrum Conuentum ſe recipere, aut ad alium à Prouinciali deſignatum.

Reliquo anni tempore apud ſuum Vicarium, vel eius Socium à Prouincia deputatos peccata ſua confiteri debent, quod ſi ex aliqua cauſa vrgente alius Confeſſarius ſit aliquando concedendus, de licentia Prouincialis, aut eo abſente, Guardiani, ad quem Monaſterium illud pertinet, fiat: hoc tamen intelligitur de Confeſſario per Prouinciam approbato, quoniam alienigenæ non niſi à Prouinciali poteſt hoc concedi.

Si aliqua Monialis in articulo Mortis particularem alium Confeſſarium expoſtulet, omnino ei concedatur, dummodo ſit ætate maturus, & probatæ conuerſationis, cui huius vigore ſtatuti conceditur, vt cum Vicario, aut eius Socio Monaſterium ingredi poſſit, ad Monialem illam Sacramentaliter audiendam, in loco tamen patenti, & honeſto, ita vt à Socio, & à duabus ſimul antiquioribus Monialibus videri liberè poſſit, quod idem obſeruandum erit, quotieſcumque Confeſſarius Ordinarius ad audiendam alicuius infirmæ confeſſionem ingredi debebit, confeſſione autem completa, illicò è Monaſterio egrediantur, in qua Abbatiſſa ſub pœna semeſtris ab officio ſuſpenſionis inuigilare tenetur.

Declaramus, quòd etiamſi poſſint Moniales gaudere Bullæ Cruciatæ priuilegio quoad abſolutionem à caſibus Summo Pontifici, vel in Bulla Cœnæ reſeruatis, & quoad lucrandas Indulgentias in Bulla conceſſas, non tamen quoad eligendum extra Religionem Confeſſarium, vel ex Religione noſtra alium (ſine ſpeciali Prouincialis licentia) à deputato per Prouinciam; nec poterit Confeſſarius etiam deputatus virtute Bullæ Cruciatæ Moniales abſoluere à duobus caſibus per Religionem reſeruatis, abſque ſpeciali Prouincialis facultate.

Clemen. VIII Roman. Pont. 1591. Vrban. VIII. In ſpeculo Militantis 1610.

Caſus huiuſmodi duo reſeruati ſunt, qui ſequuntur, nempe ſi aliqua Monialis accipiat, aut conſeruet, aut recipiat veſtem, aut aliam quamcumque rem defunctę Conſororis, ſecundo ſi aliquam Religioſam infamauerit, non niſi per Prouincialem poterit abſolui.

Ex Tolet. c. 7. & 9.

CAP. IV.

De Vita Communi.

NIHIL eſt vel in Regula magis commendatum, vel in Conuentibus optimè regulatis magis obſeruandum, quàm vita communis inter Religioſas, vt ex vi ſuæ profeſſionis obligantur, omnes itaque hortamur in Domino, vt ad omnes Communitatis actus plena conformitate, pro poſſe, conueniant.

Tolet. cit. c. 7

Hoc vt exactiùs obſeruetur, præcipimus, vt omnes, & ſingulæ in communi dormitorio conquieſcant: quòd ſi videatur dari poſſe dormitorium commune per cancellos, aut cellas, diuiſum, vt fieri ſolet in Conuentibus Reformatis, itaut ſingulę ſint in ſingulis Cellis, hoc poterunt ſtatuere Prouinciales, vt fiat, videtur etiam magis hoc congruere ad euitandas Cellas prophanas paſſim introductas ſub prętextu habendi cubiculum ad quietem, verùm ita ſemper ordinari debent huiuſmodi Dormitoria, vt ea poſſit Abbatiſſa vnâ, vel duabus ianuis de nocte occludere clauesque apud ſe retineat.

Ibid. cap. 11.

Singulæ Moniales ad Refectorium plena diligentia conueniant, itaut Pſalmo *De profundis* aſſiſtant, qui ſemper ante prandium, & cœnam pro Fratribus, & Sororibus, & Benefactoribus debet recitari: binæ, & binæ cum ſilentio, & Religioſa compoſitione refectorium ingredientur, & peracta benedictione ad ſua loca ſeſe recipient, nec tamen ante ſignum poſt primum lectionis punctum à Præſidente faciendum cibum aſſument.

Vt

Vt autem in locorum diſtributione præcedentiæ debitus Ordo ſeruetur, ſtatuimus, vt primo loco ſedeat Abbatiſſa actualis, poſt eam immediatè, quæ ipſo in Conuentu fuerunt Abbatiſſæ iuxta ſuæ electionis præcedentiam, poſt quas erit actualis Vicaria Cœnobij, poſt Vicariam illæ, quæ non in ſuo, ſed in alieno Conuentu fuerunt Abbatiſſæ, & demum ad ſuum, vbi habitum aſſumpſerunt, fuerunt regreſſæ: cæteræ deindè ſubſequentur iuxta habitus antiquitatem, dummodo ipſum non ante completum duodecimum ætatis annum induerint, pro quibus Religionis antiquitas ab illo die recenſebitur, quo duodecimum ætatis annum compleuerunt, eo quòd tempore anteriori non communitati ſeruiſſe, ſed ſeruitutem exegiſſe, reputantur.

Abſente à Communitate Abbatiſſa, ſimul & Vicaria, præſidebit Nouitiarum Magiſtra, & in eius abſentia Vicaria Chori, vel quæ ad hoc ab Abbatiſſa deputabitur.

Moniales omnes ex olla communi omnino comedant, illo contentæ quod apponitur, nec vlla, etiamſi Abbatiſſa fuerit, à Communitate diſpenſetur: infirmæ, atque legitimo impedimento per Conuentum diſcurrere non valentes in valetudinario tantùm, nunquam in Cella propria, niſi ex vrgentiſſima cauſa, comedere permittantur: Abbatiſſa huius in executione Statuti negligens bimeſtris ſuſpenſionis ab Officio pœnam incurrat.

Nulli omnino portio eius cibaria aſſignetur in pecunia, eſt enim directè contra Religionem. Abbatiſſa in hoc delinquens officio priuetur, prouiſionaria id exequens, & Monialis id petens per biennium voce actiua, & paſſiua priuentur.

In prima, & ſecunda Menſa Communitatis ſemper erit lectio ſpiritualis, nunquam diſpenſabilis, etiam in Feſtis ſolemnibus, in primo tamen, & ſecundo die Paſchalis ſolemnitatis poterit Abbatiſſa diſpenſare: ſingulis per annum Ferijs ſextis legetur Regula, adhoc vt obligationes ſuas continuò edifcant.

Nulla è Communitate Refectorij digredietur, niſi licentiam à Præſide acceperit: Si qua verò aduenerit, aut in aliquo deficiat, genuflexa culpam fateatur, vnde niſi dato à Præſide ſigno non conſurget.

Peracta comeſtione, Deo gratias agent, quibus abſolutis ſingulæ ad abluenda coquinæ vtenſilia conueniant in loco ad id deputato, niſi aliquando diſpenſet Abbatiſſa: Magiſtra cum ſuis Adoleſcentulis cætera iuxta Conuentuum conſuetudinem abluent, poſt cœnam, & actas Deo gratias omnes ſimul conuenient ad faciendam benedictionem in Dormitorio, prout in Religione noſtra fieri conſueuit.

Magna diligentia curabunt omnes, vt ad communes Orationis horas, ad Capitulum, ad diſciplinam, ad ſupplicationes, & ad locum communi laboritio deputatum, denique ad cęteras communes functiones conueniant, quæ in Monaſterijs exerceri conſueuerunt, quibus omnibus in locis cum ſilentio, deuotione, atque Religioſa compoſitione, prout Sponſas IESV Chriſti Redemptoris Noſtri decet, conuerſari debebunt.

Deputetur locus pro Monialium capacitate, Domus laboritij nominandus, in quo vniuerſæ pro tempore ab Abbatiſſa præſcribendo ad opus manuale conueniant, quo durante vna ipſarum librum leget ſpiritualem, quo ſingulæ ad deuotionem excitentur: Curet Abbatiſſa, vt ſingulæ proprio in opere laborent, vt otium caueatur vitiorum omnium origo, & fomes, in qno ſi qua negligens fuerit, pąne & aqna puniatur in Refectorio.

De habitibus, & veſtimentis Monialium.

CVrent Religioſæ, vt ornatus ſuus exterior ſit religioſè compoſitus, & honeſtus, quem alij videntes ad deuotionem prouocentur. Vnde præcipimus, vt ſingulæ panno eodem, vel ſago, vel ſtaminea, iuxta Conuentuum conſuetudinem, habitu prorſus vniformi, & curioſitate quacumque reſciſſa veſtiantur: grauiterque interdicimus, vt nulla Veſte vndulata, aut alia curioſa, vel prophana induatur. Abbatiſſa id permittens Officio priuetur; Monialis in hoc delinquens, voce actiua, & paſſiua biennio priuetur, nec niſi habitu illo dimiſſo poſſit ad crates exire.

Color habitus pro Clariſſis, & de Tertia Regula debet eſſe cinericius, nec alius omnino vel in exteriori, vel in interiori tunica poſſit ab Abbatiſſa permitti, quī ad alium, quam ad griſeum clarum, iuxta priſcam, & laudabilem conſuetudinem religionis, declinet, quod vt exactiùs obſeruetur, præcipimus Abbatiſſis ſub pœna bimeſtris ab officio ſuſpenſionis, vt bis in anno vnà cum Diſcretis ſingularum Monialium cellas viſitent, videantque quæ veſtimenta retineant, nec aliquid indecens, aut minùs religioſum eis permittant: ſi qua Monialis contra præſcripta veſtem aliquam habuetit, ea irremiſibiliter priuetur.

Ex Regul. c. 3. Moniales Immaculatæ Conceptionis Tunica alba, & Pallio cæruleo veſtientur, ſed in ſcapulario, & in Pallio, prout continetur in Regula, Sanctiſſimæ Virginis Imaginem, pauperem tamen, & Religioſam, ornamento quocumque miniationis vitreæ, & circulo argenteo, vel alterius metalli reiectis, debent habere.

Monialium habitus non debent in amplitudine nimia dilatari, neque rugam habere, nec ad terram protendi, abuſus in contrarium omnino reſcindantur, ora manicarum in habitu laciniam habere non debent, nec vltra tertiam, aut mediam vlnæ partem non ampliabuntur. Pallium integro palmo diſtet à ſolo.

Vela nigra ex ſerico nullo modo permittantur, alba verò ex ſimplici non gumato vel colorato, vel aliàs alterato lino, vel tela componantur, itaut crinem vniuerſum contegant, & ad pectus vſque ſaltem perueniant. Chorda ex canapo, vel Herba ſimpliciter, reiecta quacumque curioſitate conſtet. Ad collum nihil omnino præter Roſarium Beatæ Virginis ex deuotione habere poterunt: Gemmas, & Annulos, vel quodcumque aureum, vel argenteum, nec ornamentum cuiuſuis generis in vultu deferre liceat; ſi qua contra hoc Statutum deliquerit, pro prima vice, pane & aqua puniatur, pro ſecunda per duos Menſes ad Crates exire non poterit, quòd ſi fuerit incorrigibilis, in domo diſciplinæ menſibus quatuor detineatur. Prouinciales autem, & Abbatiſſæ in huius executione prorſus inuigilent.

Calceamenta erunt in Conuentibus vniformia, & Religioſa, ſi qua in hoc profanè deliquerit, ad biennium voce actiua & paſſiua priuetur, nec per ſex menſes poterit ad Crates exire.

Abbatiſſis, cæteriſque Præſidentibus ſub pœna priuationis ſuorum Officiorum iniungimus, ne ſuis ſubditis permittant, vt in habitu ſæculari perſonentur ad recitandas Comædias, actus, aut intermedia, etiamſi eſſent *ſpiritualia*, nec ſæcularibus in ſuis Eccleſijs, aut in alia quacumque parte Monaſterij permittant repræſentationes huiuſmodi, vel conſentiant: Prouinciales autem ſeriò obligamus, vt ad harum pœnarum executionem toto rigore procedant.

Monialibus item grauiter interdicimus, ne in Locutorijs Barbitum, Citharam, aliudue quoduis Muſicum Inſtrumentum pulſent, concinendo cantiones profanas, nec ſaltent, aut choræas ducant, etiam habitu ſuo non dimiſſo; hæc enim religioſam modeſtiam offendunt. Quod ſi aliquando de licentia Prælatæ, iuſtaque de cauſa velit aliqua Monialis cantare, cantus ſint ſpirituales, & hoc coram talibus perſonis, quæ talem actionem honorare, & qualificare debeant.

CAP. V.

De Paupertate.

VIrtutem Sanctæ Paupertatis Seraphicus P. S. Franciſcus vſque adeo dilexit, & requiſiuit, vt eam præ cæteris commendarit, & voluerit à nobis obſeruari dicens in Regula. *Hæc eſt illa celſitudo altiſſima paupertatis, quæ vos chariſſimos Fratres meos, hæredes, & Reges regni Cælorum inſtituit, pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimauit.* Quo circa Religioſas omnes exhortamur, vt de paupertate, quam Domino promiſerunt, ſingulariter glorientur.

Huiuſmodi paupertatis ex voto non licet Monialibus, aliquid proprium in particulari poſſidere, quod vt cautiùs exequantur, ſtatuimus, vt nulli liceat vel pecunias, vel bona mobilia, vel immobilia, aut Iura, vel cenſus quomodocumque ſibi donatos, vel legatos, vt propria retinere. Teneantur idcircò quæcumque habent, Abbatiſſæ manifeſtare, nihil celando, vel abſcondendo, quæ contrarium fecerit, ſciat ſe contra votum paupertatis Deo præſtitum peccare, atque vt proprietaria puniatur. Tolet. cap. 7.

Declaramus licere Monialibus Eleemoſynas, aut peculia particularia eis à deuotis, aut benefactoribus annuatim aſſignata retinere, dummodo fiat de licentia Prælatorum, atque de conſenſu Conuentus expreſſo, ad hoc vt proprietas, & dominium vniuerſum ad Conuentum ipſum ex debito, non verò ad Moniales ſingulas, quæ vouerunt paupertatem, attinere cognoſcatur: vnde etiam ſtatuimus, vt de prædictis eleemoſynis, aut peculijs nihil, niſi nomine Conuentus repetatur, quoad vſum verò illorum, nulla Monialis hæc abſque Prælatorum licentia poſſit expendere, aliàs culpa proprietatis peccabit, & contra votum paupertatis, quod in hoc conſiſtit, vt nihil proprium vel poſſideant, vel concupiſcant.

Quoniam verò accidere ſolet, vt Religioſæ aliquam eleemoſynarum quantitatem à benefactoribus oblatam, de licentia Prælati velint ad prouentum collocare, vnde annuatim poſſint habere ſubſidium, declaramus, hæc omnino non licere, niſi maioris de Conuentu partis conſen-

conſenſus, & Prouincialis in ſcriptis licentia præcedat; atque Cenſus inſtituatur, & Inſtrumentum eius inſcribatur ſub nomine Conuentus; hæc enim ſi nomine Monialis particularis fiant, & ſcriptura erit inualida, ac erit manifeſta culpa proprietatis, quæ inconuenientia euitantur, ſi nomine Conuentus fiat. Monialis autem illa hoc annuo prouentu tanquam mera eleemoſyna de licentia Prælati, Cœnobijque beneplacito ad ſuas neceſſitates vti permittitur: exactio verò prouentus, vt dictum eſt, ad Syndicum, vel actorem Monaſterij ex authoritate Conuentus, nunquam ex authoritate Monialis particularis attinere debet.

Abbatiſſa iuxta prouentus, vireſque Monaſterij neceſſitatibus omnibus Monialium prouidere debet diſcretè, atque charitatiuè, vt prudens, ſagaxque Mater-Familias, ab Anni principio vniuerſas Monialium neceſſitates ponderando, redditus, & eleemoſynas fideliter diligenterque diſpenſando.

Vt paupertas exactiùs obſeruetur, deputetur in vno quoque Conuentu depoſitaria, eo modo quo infra in proprio Capitulo de Depoſitaria diſponetur.

Nulli Monialium liceat, panem, vinum, vel quoduis aliud de Conuentu donare, etiamſi titulo ſeruitij ſibi particulariter præſtiti, vel propriæ familiaritatis, ſi qua in hoc deliquerit, ab Abbatiſſa puniatur.

Clem VIII. de largitione munerum 13. Kal'en. Iulij 1594. Cum contra votum ſit paupertatis, munera alicuius valoris, aut pretij dare, declaramus nulli licere talia munera donare, niſi moderata, & de licentia Abbatiſſæ, talibuſque perſonis quibus aliqua honeſta obligatione teneatur, & à quibus aliqua ſuſpicio, vel ſcandalum euenire non poſſint: Sciantque Moniales, quamcumque munerum largitionem ſibi à Clem. VIII. eſſe prohibitam.

Si qua Monialium Cellam obtineat particularem caueat omnino, vt verè in ipſa ſancta paupertas effulgeat, quam Deo ſpontè promiſit, Cruce vna, vnaque Dei, & Noſtri Redemptoris Imagine contenta, quamcumque curioſitatem, & ornatum abijciat. Abbatiſſis autem grauiter iniungimus, vt ſedulò inuigilent, ne Religioſæ in Cellis ornamenta prophana, vel ſuperflua, nec etiam ad titulum deuotionis retineant.

Moniale aliqua decedente, nulli liceat, vel Diſcipulæ, vel Magiſtræ, vel Sorori, vel Auunculæ, vel Nepti, vel conſanguineæ, vel alteri cuicumque aliquid à defuncta relictum ſibi vſurpare, ſed omnia, & ſingula, quæ ad illius vſum pertinuerunt, Abbatiſſæ conſignentur ad vſum communem Monaſterij deputanda. Licebit tamen Abbatiſſæ de conſilio Diſcretarum, & aſſenſu, ex approbata neceſſitate aliquid ſibi bene viſum Monialibus indigentibus aſſignare, conſanguineas defunctæ præferendo. Si autem Cellam vllam vacare contigerit, alteri non poſſit aſſignari, niſi de licentia Prouincialis in ſcriptis, qui tamen niſi priùs auditis Abbatiſſa, & Diſcretis licentiam huiuſmodi non expediet, his autem iniungimus, vt publicam Domus vtilitatem cæteris reſpectibus præponant.

Vniuerſas Religioſas exhortamur, vt ante mortem de omnibus, quæ habent, omnino ſe expropient, omnia & ſingula Abbatiſſæ manifeſtando, cui & Claues conſignent, antequam Sanctiſſimum Viaticum recipiant, nec curent conſanguineis ſuis aliquid donare, vel amicis, ſed cum totali ſeparatione à carne, & ſanguine ad Cælos euolare contendant, vt maiori diſpoſitione gratiam, & benedictionem aſſequantur.

Dum aliqua Monialis debitum mortalitatis abſoluit, per Communitatem ſui Conuentus tumulari debeat, qui & nouem Miſſas pro illius anima ſolemniter decantari faciat: Singulæ verò Choriſtæ pro eadem integrum Defunctorum Officium perſoluent: Laicæ verò, & oblatæ centies *Pater noſter*, & *Aue Maria* recitabunt, curabuntque vniuerſæ, vt pro commendandis Deo defunctis ſemper in ſuis Orationibus ſint ſolicitæ. Quod ſi defuncta peculium aliquod in pecunia relinquet, poterit Abbatiſſa ex Diſcretarum aſſenſu ordinare, vt pro ipſius anima Miſſæ aliquot celebrentur, reliquum applicando Conuentui. Honoraria verò cum oſtentatione prophana, vel ſæculari in funeralibus prorsùs interdicimus, ſed moderatione religioſa iuxta conditionem noſtri ſtatus abſoluantur.

CAP. VI.

De Obedientia.

OMnes, & ſingulæ Moniales de tribus Ordinibus, qui ſub vexillo Seraphici Patriarchæ S. Franciſci militant, nempe S. Claræ, Conceptionis, & de Tertia Regula Generalibus Ordinis Prælatis, atque Prouinciarum Miniſtris in quarum diſtrictu reſpectiuè commorantur, velut Ordinarijs ſuis Prælatis obedire tenentur. Clariſſæ quidem de prima Regula ex capite primo eiuſdem grad.to.2.1254 Supplem.priuileg. Ordin. fol.72.

eiuſdem ſuæ Regulæ per Innocentium IV. Pontificem confirmatæ anno 1254. incipit. *Solet annuere &c.* Clariſſæ, quæ Vrbaniſtæ dicuntur, ſiuè de ſecunda Regula per bullam Iulij II. *Ex relatione circumſpectionis tuæ &c.* 1508. Conceptioniſtæ ex capite 4. ſuæ Regulæ per eundem Iulium II. expeditæ in Bulla *Ad ſtatum proſperum &c.* 1511. Quæ de Tertio Ordine dicuntur, ex capite 5. & 8. ſuæ Regulæ per Leonem X. publicatæ in Bulla *Inter cætera &c.* 1521. Idcircò Patribus Prouincialibus præcipimus, vt Abbatiſſarum, cæterarumque Officialium electionibus aſſiſtant; ſine quorum reſpectiuè præſentia, vel delegata authoritate nullam in tribus dictis Ordinibus electionem licet celebrari: Monaſteria viſitabunt ſaltem bis in ſuo triennio, & viſitatione completa ingredientur ad inſpiciendum Cænobij Clauſuram, & vltimò ad Capitulum culparum omnes ſimul Religioſas euocabunt.

Wad. t. 8. in Reg. bul. 27. Iulij II.

Alua in Reg. fol. 134.

Wad. tom. 8. 1521. n. 18.

In culparum accuſatione hic ordo ſeruabitur; primò loco Nouitiæ culpas ſuas accuſabunt, quas Prouincialis ad perſeuerantiam, & perfectionem ſtatus, quem prætendunt, exhortabitur; illicò per Magiſtram ad Nouitiatum reducentur, vbi eas recludet, ſtatimque ipſa Magiſtra reuertatur ad Capitulum: Deindè iuniores, & cæteræ ſucceſſiuè, tandem Vicaria Conuentus, & vltimò Abbatiſſa defectus proprios recitabunt: Abbatiſſa verò ſuo renunciabit officio, poſtulans ab ipſo abſolui, prout in earum Regula continetur. Prouincialis ſingulis reſpondebit, vel corrigendo, vel admonendo, vel exhortando, vel commendando, prout ex actibus viſitationis iudicabit eſſe conueniens; Tandem deuoto ſermone ad Dei amorem, atque timorem, ad Regulæ, ſanctarumque Conſtitutionum obſeruantiam efficaciter adhortabitur. Abſoluto ſermone omnia illa pro Reformatione proponet, quæ iuxta Viſitationis acta conuenire iudicabit: eaſque tandem iuxta formam in Cæremoniali Ordinis adnotatam abſoluendo Capitulum abſoluet.

Dum Prouincialis Capitulum celebrat, Socij, qui cum eo domum intrabunt (grauiores, antiquiores, & virtuoſi eſſe debent) extra locum Capituli, non vagando per domum, cum duabus, aut tribus antiquioribus Monialibus ſubſiſtent, à quibus nunquam ſeparari liceat: In Clauſuræ viſitatione ſemper ipſi cum Abbatiſſa, cum Diſcretis, & antiquioribus Monaſterij aſſiſtere debent Prouinciali.

Ex Segob. 1621. tit. de Monial. Monaſt.

Abbatiſſæ vt legitimæ ſuæ Prælatæ tenentur Moniales omnes obedire in omnibus, quæ non ſunt contra animam ſuam, & Regulam: declaramus idcircò, poſſe Abbatiſſam, vel in eius abſentia Præſidem ſuis Subditis in virtute ſanctæ Obedientiæ præcipere quæcumque ſecundum Deum expedire iudicabunt; cui ſubditæ ſub pœna peccati mortalis in materia graui obedire tenentur.

Tolet. 1581. c. 5.

Obedient etiam ſingulæ Domus Vicariç, cæteriſque Officialibus in his, quæ ipſarum officia reſpectiuè concernunt. Quæ verò ab Ordinis Prælatis, vel ab Abbatiſſa ad pœnitentiam adijcientur, impoſitam pœnitentiam humiliter, & abſque reſiſtentia adimplere debebunt; ſi qua verò rebellis fuerit, in domo diſciplinæ recludetur; ac ſtatim Prouincialis de facto certiorabitur, vt congruentem illi punitionem poſſit imponere.

Ibid. c. 9.

Ad hoc vt diſciplina Regularis, & prouiſiones in Ordine neceſſariæ contra inobedientes, & incorrigibiles ſecuriorem executionem obtineant; ſtatuimus, atque præcipimus, vt in vnaquaque Monialium domo deputetur locus fortis, & ſeparatus, cum feneſtra alta, itaut lucem miniſtret, & colloquij commoditatem arceat, qui pro carcere deſeruiat, vbi compedes, manicæ, cæteraque opportuna conſeruentur, quibus conſtringi valeant illæ, quæ ob culpas ſuas talia merebuntur.

C A P. VII.

De Caſtitate.

VOtum Caſtitatis, quod Domino promiſerunt, Religioſæ omnes ſingulari cordis attentione ſemper præ oculis habeant; cum enim illo eminenti Voto ſe ſe Ieſu Chriſti Sponſas conſecrauerint, eidem fidelitatem obſeruare debent, maxima puritate, & caſtitate viuendo in anima, & in corpore, quòd in affectu, & in opere, per Religioſam habitus, & ornamentorum compoſitionem debent oſtendere.

Exhortamur itaque, atque præcipimus omnibus, & ſingulis Religioſis, vt ab omnibus amicitijs, atque familiaritatibus particularibus contrahendis cum Fratribus, Clericis, & Sęcularibus omnino abſtineant, ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ ad biennium; incorrigibiles verò quadrimeſtri recluſione in domo diſciplinæ puniantur.

Abbatiſſis præcipimus ſub pœna ſuſpenſionis ab officio per tres menſes, ne ſubditis ſuis permittant correſpondentias, viſitationes, cum & conuerſationes continuatas, in quibus epiſtolarum, aut munerum frequentia intercedat; nec locutorium illis concedant, de quibus iuſtè præſumant, quòd debita cum modeſtia, exemplaritate, ac re-

ligio-

ligioſa conuerſatione ibi non aſſiſtant.

Hæc omnia vt exactiùs obſeruentur, ſtatuimus, & Abbatiſſis præcipimus ſub pœna ſuſpenſionis ab officio per menſem, ne vlli Monialium ſæcularium viſitationes vltra ſex vices per annum concedant; in quo tamen non comprehenduntur in primo, & ſecundo conſanguinitatis, vel affinitatis gradu coniuncti. Quæ autem abſque ſuæ Prælatæ licentia ad colloquendum accedet, præter pœnitentiam arbitrio ſuæ Superioris imponendam, voto actiuo, & paſſiuo in prima futura Abbatiſſæ electione priuetur.

C A P. VIII.

De Clauſura.

Ibid. Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 10. CONſiderantes quanto rigore à S. Concilio Tridentino etiam ſub atteſtatione Diuini Iudicij, & comminatione maledictionis æternæ Monialium clauſura præcipiatur; idcircò ad hoc vt inuiolabiliter obſeruetur, ſub præcepto formali S. Obedientiæ præcipimus, vt nulli Abbatiſſæ, vel Moniali, aut Beatæ, vt vocant, aut Oblatæ liceat, intra clauſuram primæ Ianuæ Monaſterij, aut in aliquam quamcumque partem, ad quam Monialibus pateat acceſſus, introducere virum, vel mulierem, cuiuſcumque conditionis, aut qualitatis exiſtat, ex quacumque cauſa, occaſione, vel titulo, ſub pœna priuationis ſuorum officiorum tam Abbatiſſis, quàm Ianitricibus; & hoc indiſpenſabiliter.

Nulli ſæcularium liceat in clauſuram Monialium intrare, abſque licentia Sedis Apoſtolicæ, ſub pœna priuationis officiorum reſpectiuè tam Abbatiſſæ, quàm alijs loci officialibus, per quem ſæcularis intrauerit: licentiæ verò ad huiuſmodi ingreſſum à Sanctiſſimo conceſſæ, vel ab eius authoritate in hoc fungentibus, omnino non admittantur, niſi priùs à Prælato examinentur, & niſi de maioris Monialium partis aſſenſu, iuxta Pontificias Conſtitutiones hac de re editas: aſſenſus autem Monialium huiuſmodi per vota ſecreta cum fabis nigris, & albis, præſente cum duobus Teſtibus Guardiano, aut alio Religioſo per ipsũ delegato exquiratur.

Tolet. cit. c. 10. Monialium Confeſſarijs non liceat clauſuram intrare, niſi ex neceſſitate adminiſtrandi alicuius Infirmæ Sacramenta, vel pro agenda commendatione animæ alicuius in extremo agone laborantis, aut pro ſepelienda aliqua defuncta: nunquam tamen ad celebrandum in Choro, vel interiori Monialium Eccleſia, vel pro ædificij cauſa.

Certò ſciant Confeſſarij in alijs caſibus, præter explicatos, & conceſſos, clauſuram intrantes ſe incurriſſe ipſo facto pœnam excommunicationis, & maledictionis æternæ, perpetuam actuum legitimorum priuationem, & expulſionis à Conuentu. Ibid. conſtit. Pij V. ex Sal. 1553 c. 15. Quotieſcunque ex cauſis prædictis ingredi debent, cum ſocio, alba, vel ſuper pelliceo iuxta antiquam Religionis conſuetudinem induti procedant; nec ab inuicem ſegregari debent, quamdiù intra clauſuram morabuntur; moram autem huiuſmodi vltra præciſam exercendi tunc miniſterij neceſſitatem protrahi omnino non liceat: Abbatiſſa verò longiori vltra horæ dimidium moræ poſt completum tale miniſterium conſentiens, ad quatuor menſes ſuſpendatur ab officio, & voce actiua, & paſſiua per triennium priuetur. Ex Segob. 1631. c. 5. tit. de Confeſſ. Monial.

Confeſſarius, Medicus, Chirurgus, Minutor, Officiales ad reponenda triticum, farinam, vinum, oleum, ligna, & alij huiuſmodi ad id, ad quod euocantur, directè contendant, nec aliò diuertere debent: ſemperque à quatuor Monialibus ad hoc deputatis, quarum vna, vel Abbatiſſa, vel Vicaria debet eſſe, aſſociabuntur: Ianitrix verò (inter quatuor numeranda) cum campanulę ſonitu ſemper præcedet, ad hoc, vt reliquæ per Monaſterium diſcurrentes, occurſum euitent, ne videantur; quod ſi alicuius occurſus euitari non poſſit omnino, debeat iſta velum ſuper faciem dimittere: nulli autem liceat (exceptis officialibus in ijs, quæ ad munus ſuum pertinent) cum talibus extraneis habere ſermonem, ſed cum ſilentio, & religioſa compoſitione procedant.

Interdicitur Abbatiſſis ſub pœna ſuſpenſionis ſuorum officiorum ad tres menſes, ne quacumque de cauſa, quantumuis neceſſaria Sacriſtis ſuorum Conuentuum ingreſſum intra clauſuram vllo modo permittant.

Quotieſcumque per ſæculares erit in Monaſterio laborandum, duæ Religioſæ ex antiquioribus, & zelantibus Conuentus ab Abbatiſſa deputandę laborantibus aſſiſtant, quæ ab ipſorum proſpectu recedere omnino non poſſint.

Ad maiorem Clauſuræ cuſtodiam præcipitur, vt in vnoquoque Conuentu vna tantum ſit Ianua Regularis; quod ſi ex ineuitabili neceſſitate ſecunda debeat ſuperaddi, id non niſi cum approbatione, atque licentia Diffinitorij Prouinciæ fiat. Porta quælibet ex dictis duabus clauibus differentis artificij obſeretur, quæ penes duas Ianitrices deputandas conſeruabuntur, itaut ſingulæ vnam tantùm clauium habeant. Vbi verò mos vigeat, vt clauis vna penes Vicariam ſit, ita in poſterum obſeruetur.

De

De noctu claues omnes ab Abbatiſſam deferantur.

Porta regularis ſemper debet eſſe patens, & publica; vndè prohibetur alia aperiri ad locum, ſeu cubiculum ita occultum, & tale, vt ſæcularibus illùc intrare ſit licitum, & ab omnibus publicè videri non poſſint. Prouincialibus, & Abbatiſſis ſeriò iniungimus, vt in horum executione maximè inuigilent; vtque Ianuæ, atque Turni maxima connexione conſiſtant.

Inuigilent diligenter Abbatiſſæ, atque Prælati ſuper integritate Clauſuræ, itaut indecentiam pati non poſſit, nec ab intra, nec ab extra oriri poſſit aliquod inconueniens; Ideò procurent, vt hortorum parietes fortes, altique ſint ad ſeptem hominis ſtaturas; Feneſtræ item Dormitorij communis, tum Cellarũ particularium, officinarum, etiamſi ad hortum, vel Clauſtrum reſpiciant fortibus ferreis cratibus obſerentur; foramina verò cratis non magis, quam ad vnius manus ingreſſum pateant; hoc enim ad religioſam decentiam ſummoperè ſpectat, quo Ieſu Chriſti ſponſæ ſunt conſeruandæ.

Si aliqua, vel Dormitorij, vel officinæ communis, vel cellæ particularis feneſtra extra clauſuram reſpiciat, ea in altitudine tantùm aperiatur, vt per eam Religioſis nõ pateat proſpectus, duabuſque cratibus dimidia vlna (vel vltra) ab inuicem diſiunctis obſerentur; quod ſi ex neceſſitate contingat, vt magiſima debeat eſſe, cancellos habeat ita diſpoſitos, vt ſi Religioſæ ad ipſam aſcendant, ab extraneis videri non valeant; ſuper quo Prouinciales ſingulatiter inuigilare teneantur.

Trid. ſeſ. 25. c. 5. Pius V. circa Paſtoralis &c. 1566.

Si aliquo in Conuentu proſpectus communes adeſſe contingat; religioſa decentiâ conſeruentur, cancellis adeo denſis reparati, vt Religioſæ per ipſos ab extraneis, vel videri, vel cognoſci nequeant.

Greg. XIII. Deo Sacris &c. 1524.

Si reperiatur aliquod de Tertia Regula Monaſterium clauſuræ rigori non obligatum, intimentur ei per Ordinis Prælatos Summorum Pontificum, & S. Conc. Trident. Decreta, in quibus eiſdem præcipitur, vt clauſuram obſeruent, itaut Monialibus ab illa egredi, nec ſæculares intra ipſam introducere liceat.

CAP. IX.

De Officio, & authoritate Abbatiſſæ.

Ex decr. Ap. in comp. de Abb. Ex Tol. 1553 c. 5. Triden. ſeſ. 25. c. 16.

CAnonica debet eſſe Abbatiſſæ electio, itaut à maiori Monialium parte liberè per ſecreta ſuffragia fiat; ad maiorẽ verò partem firmandã ſufficit quicumque ſupra medietatem ſuffragiorum exceſſus; electio aliter facta irrita ſit, & nulla. Electio huiuſmodi per ſuffragia ſecreta iuxta Concil. Tridentini decreta fieri debet, vnde præcipimus Prouincialibus, vt per cedulas ſecretas ad huiuſmodi electionem procedant; cũ hoc ſit ritui omnibus in Canonicis electionibus obſeruato magis conforme.

Nulla Monialis in Abbatiſſam eligatur, quæ ad quadrageſimum ætatis ſuæ annum non attingat, quæque per octennium ad minus ab expreſſa profeſſione non vixerit. Quòd ſi nulla his conditionibus prædita in aliquo Monaſterio reperiatur, eligi poſſit ex alieno. Quòd ſi hoc Superiori videatur incõueniens, eligi poſſit ex ipſo Monaſterio Abbatiſſa de ſuis, dummodo trigeſimum ſaltem ætatis annum, & quintum ab emiſſa profeſſione laudabiliter exceſſerit; ſi Prælatus in illam conſentiat.

Ibid. c. 7.

S. x. V. cõmunis circa Paſtoralis &c. 26. Iulij 1682.

Nulla Abbatiſſa vltra triennium continuare poſſit in officio: nullaque ex Abbatiſſa ad munus ipſum reeligi poſſit, niſi poſt integrum à die ſuæ Vacationis triennium.

Ex Tol. c. 5. ex Pariſ. 1579 ex Rom. 1588

Ad electionẽ Abbatiſſæ, ſingulæ Religioſæ ſuffragium habeant; dummodo ſextum Religionis annum exceſſerint, & non aliàs.

Huiuſmodi ſemper in electione votum habebit Prouincialis; quod ſi aliquando præſidentiam in electione alteri delegabit, poterit eidem votum ſuum committere, dummodo hoc in patentibus delegationis exprimat.

Si Monialium vota in electione ita diſcordent, vt per diem naturalem in vnius legitima electione non conueniant, Prouinciali, qui præſidebit, liberum erit, eam eligere, quæ ſecundùm Deum magis idonea ſibi videbitur.

Abbatiſſæ tamquam cæterarum Monialium ſuarum Prælatæ, Capiti, & Matri obedientiam omnes ac reuerentiam præſtare debent: auctoritate fungetur etiam ad præcipiendum in virtute S. obedientiæ, vt ſupra dictum eſt, atque corrigendi, pœnitentias iniungendi, omneſque puniendi, quæ contra profeſſionem ſuam deliquerint.

ex Tol. c. 5.

Inuigilet Abbatiſſa veluti communis Mater, vt cum ſingulis indifferenter ſe habeat, æqualiter, prudenter, & diſcretè præcipiendo; conditiones, & qualitates ſingularum conſiderando, charitatiuè, & abſque ſingularitate ad omnes ſe habendo, æqualitatem, atque iuſtitiam inter omnes conſeruando, prout ex officio ſibi competit, contentionem aliquam non cõmiſcendo.

Ibid.

Præcipimus, vt Abbatiſſa, vel Præſidens, (eâ legitimè impeditâ) Nouitiarum omniũ profeſſionem excipiat.

Ibid.

Procuret omni diligentia Abbatiſſa, vt in ſuo Conuentu Dei, & Domini noſtri timor,

mor, & Amor effulgeant; Regula, & Conſtitutiones obſeruentur, & ſingulæ ad actus communitatis conueniant: quòd vt efficaciùs operetur, Communitatem ipſam ſequatur in omnibus; in Refectorio vnà cum cæteris ad prandium, cænam, & ad refectiunculam, in diebus ieiunij, & in Choro ad actus omnes aſſiſtat:in habitu, in calceamentis, in comeſtione, & in cubili aſperitatem, paupertatemque cuſtodiat,

Sollicitè inuigilet, vt Moniales omnes in ſuis cellis abſque diuagatione perſiſtant, præſertim tempore ſilentij; eas interdiù vocitet, obſeruando quomodo occupentur, ſilentiumque cuſtodiant, quod eſt ornamentum, & perfectio Religionis:aliquando etiã interdiù per ſe, atque per Vicariam ſuam locutoria viſitabit, obſeruatura colloquentes; & ſi quas abſque ſua facultate adeſſe comperiet, inde repellat, eaſque ad fatendam in refectorio culpam obligabit, atque pro defectus qualitate corripiet.

Officinas item interdum viſitare debet, vt quid in ipſis agatur, exploret; officialibus ad ſuas reſpectiuè miniſteria ritè peragenda neceſſaria debet miniſtrare.

Præcipitur Abbatiſſis ſub pœna priuationis officiorum ſuorum, ne uel in toto, vel in parte dotes, aut cenſus, qui redimuntur, abſumanr (etiamſi in vtilitatem Conuentus fieret) abſque licentia Prælati Generalis, aut totius Diffinitorij Prouincialis, quod ſoli Miniſtro Prouinciali non poteſt hoc committere, quin ſaltem in caſu vrgentis neceſſitatis Patres duos de Diffinitorio conuocare debeat, ad hoc vt expetitam licentiam poſſit impertiri: Ante Generalem, aut Prouinciale Diffinitorium modo prædicto præſentabitur ſupplicatio Conuentus, cauſas allegando, ex quibus diſpenſatio fieri debeat; quæ ſi exceptionem non patientur, diſpenſatio in ſcriptis poterit concedi; quæ ſi vltimo modo fiat, coram pleno Diffinitorio prima vice debet præſentari.

Abbatiſſa, vel Præſidens, quæ Vicarium à Capitulo, vel à Prouinciali deputatum non receperit, officio ſuo priuetur. Ex Tol. c. 5.

Quoniam verò ex Vniuerſali Religionis conſuetudine non ſolet Conuentibus recenter fundatis electio Abbatiſſæ concedi, ad hoc vt Moniales ab hac ſolicitudine liberæ, ad ediſcendas Regulam, & cæremonias Ordinis, cæteraſque functiones attentiùs incumbant, declaramus inter recentia Monaſteria illa omnia computari, quæ vigeſimum ſuæ fundationis annum non compleuerinr; quibus ideò ſoli Generales, aut Prouinciales de Abbatiſſa prouidebunt, vel præexiſtentem in officio continuando, vel nouam aliunde deductam inſtituendo. Vigeſimo autem ſuæ fundationis anno completo, ſtatim Monaſterium ipſum Abbatiſſæ ſuæ debet electionem habere ad inſtar antiquorum.

Præcipitur item Abbatiſſę ſub pœna priuationis officij, ne vllam domus partem, aut deſtruat, aut ædificet de nouo, nec aliquid graue de nouo intentet, abſque licentia Prouincialis in ſcriptis; qui eam non concedet, donec à Diſcretis, & Senioribus Monaſterij fuerit informatus, quod ita fieri expediat, quæ ſi conſentiant, licentiam ipſe concedet in ſcriptis, mandando tamen, vt opus inchoandum, priùs erigatur in figura, ad hoc vt perfectiùs, & leuioribus expenſis, compleri valeat.

De Capitulo culparum per Abbatiſſam habendo.

Inter cætera omnia, quæ ad ſtatum Religioſum in perfecta ſua obſeruantia, & primitiuo rigore conſeruandum, efficaciùs conducunt, præcipuum eſt capitula Conuentualia non omittere, in quibus Regulæ, Regulariſque ſtatus Obſeruantia, virtutumque exercitia viuidè commendantur. Statuimus ergo, & præcipimus, vt Abbatiſſa ſaltem ſexies per annum ſolemne Capitulum habeat, in quo Religioſæ culpas ſuas accuſabunt, eo modo, quo ſupra dictum eſt, habendum eſſe à Prouinciali Capitulum; deinde ſermonem habebit ad ipſas ad virtutum, atque ſuarum obligationum obſeruantiam exhortans, corrigendo defectus, & errores, qui reformatione indigent; defectuoſas corrigendo, atque puniendo: quoniam verò dietim defectus emendabiles occurrunt, ſingulis ſextis ferijs per annum ad Capitulum Subditas conuocabit, quas, vbi errores ſuos accuſauerint, breuiùs admonebit, atque corripiet, prout expedire iudicauerit: Si qua Abbatiſſa in hoc negligens fuerit, ſemeſtris ſuſpenſionis ab officio pœnam incurrat. Ex Tol. c. 9.

Nulla Monialium reuelare audeat, quæ tali in Capitulo geruntur, ſub pœna priuationis actuum legitimorum per annum; & infidelis ſuæ Religioni reputabitur. Inuigilent etiam ſolerter, ne defectus in capitulo correcti Nouitijs vllo modo manifeſtentur; nec etiam ordinationibus aſſiſtant, quando graue aliquod in ipſis tractandum occurrat. Ibid.

Si aliqua Monialis, dum in Capitulo reprehenditur, indecenter reſponderit; aut contra Abbatiſſam verba iniurioſa proferre audeat, etiamſi alio quouis in loco domus exiſtat; illicò recludatur in domo diſciplinæ, & pedes compedibus adſtringantur; ſtatimque Prouincialis de caſu certioretur, vt il-

illam pro qualitate delicti punire debeat.

Nulla etiam Monialis audeat defectum de re præterita alteri coram exprobrare, iniurioſis verbis illam offendendendo, ſub pœna diſciplinæ in communitate pro prima vice; pro ſecunda in domo diſciplinæ duobus menſibus recludatur.

De ordine pœnarum.

PRiuatio actuum legitimorum paſſiuam inhabilitatem includit ad officium Abbatiſſæ, & ad cætera Conuentus officia, & priuationem vocis actiuæ in eorum electionibus, atque in Nouitiarum receptione.

Pœna carceris eſt recluſio in aliquo loco obfirmato, cum priuatione veli, & habitus; hanc pœnam infligere non poteſt Abbatiſſa.ſed ad ſolos pertinet Generales, aut Prouinciales. Quæ autem in carcere fuerit, ipſo facto priuatur actibus legitimis: In carcere recluſæ Sacramentum pœnitentiæ concedatur, quandocunque poſtulauerit; ſi Abbatiſſa ita conuenire iudicabit: Sacramentum verò Euchariſtiæ in Paſchate Reſurectionis in Valetudinario, aut in alio loco ſecreto recipiet.

Si qua Monialium abſque Abbatiſſæ licentia cum recluſa in carcere loquetur, vel epiſtolam ei miniſtrabit, aut ab ea recipiet, ad tres menſes velo priuetur; quæ verò auſa fuerit è carcere illam educere, per annum actibus legitimis priuetur, & ſex menſibus recludatur.

Pœna recluſionis eſt aliquam in carcerem, vel alium in locum clauſum detrudere, vnde nec exire, nec alijs cum Monialibus communicare valeat, ibi ipſam vinculis conſtringere licebit, ſi expediat; velo tamen, & habitu non priuabitur; vnde locus iſte, non carcer, ſed domus diſciplinæ nuncupabitur; ibique aliquam occludere iuxta delicti qualitatem Abbatiſſæ licebit.

Quæcunque Religioſa motus violentos in aliam iniecerit, aut eam vulnerauerit, pœnam excommunicationis incurrit, & in Communitate debet abſolui, recitando Pſalmum *Miſerere*, eamque flagellando; quod ſi grauis fuerit percuſſio, ad quatuor menſes in domo diſciplinæ detinebitur: Si verò læſio fuerit enormis, aut periculoſa, per annum carceri mancipetur: Si autem (quod Deus auertat) percuſſa ex vulnere moriatur, percutiens ſexennali carcere puniatur.

Si qua Monialis in Abbatiſſam manus violentas iniecerit, annuo carcere, ſi vulnerauerit triennali carcere plectatur.

Religioſa quæ extra clauſuram, etiamſi ad breue tempus exiliet, ab excommunicatione in plena communitate abſoluatur; quod ſi probari poſſit, eam cum aliquo viro ſolitariè, vel in aliquo loco recluſam extitiſſe ad decennium in carcere recludatur, actibuſque legitimis perpetuò priuetur; nec ad Crates, Turnum, aut ad Ianuam poſſit exire. Eadem pœna punietur, quæ virum intra Clauſuram recipiet, aut ſola cum ipſo clauſa ſteterit, quamuis iſte de Officialibus fuerit ad laborandum, vel ad alia Conuentus miniſteria introductus.

Quæ ad Principes pro fauoribus recurrerit, aut ad aliquid tractandum contra iuriſdictionem Ordinis, in domo diſciplinæ detineatur ad annum, ſi verò poſt hæc fuerit incorrigibilis, ſeu non ſe emendauerit, biennali carcere mancipetur.

Decernimus vt pęnę, quæ hiſce in Conſtitutionibus non ſunt expreſsæ pro aliquibus delictis, quæ poſſunt occurrere, per leges iuris communis, atque per aſſignatas in Conſtitutionibus generalibus Ordinis noſtri contra Religioſos delinquentes, regulari debeant, & imponi.

CAP. X.

De Officialibus Monaſteriorum.

AD hoc vt Conuentuum regimen regulariter, & ordinatè procedat, ſtatuimus, vt poſt Abbatiſſæ electionem, atq; confirmationem, cætera etiam officia prudenti gubernio conuenientia, iuxta laudabilem Monaſteriorum reſpectiuè conſuetudinem diſtribuantur. *Ex Tol. c. 5. & 6.*

Vicaria domus, cæterǽque Officiales per Abbatiſſæ, ac perpetuarum Conuentus Diſcretarum vota eligantur, illas adnotando in Tabula, quæ à maiori ſuffragiorum parte fuerint deſignatæ; & Prouinciali præſentabuntur, ad hoc vt ipſas in officio confirmet; cui tamen committimus, vt ſi aliquam de electis, reijciendam eſſe, rationabiliter iudicauerit, eam à Tabula delere valeat, aliamque ſubſtituere.

In Conuentibus Diſcalceatarum, ſeu de prima Regula, Officiales maiores per vota totius communitatis eligantur, prout in ipſarum regula continetur c.4.

Quæcumque ad officia fuerint electæ, electionem ſuam humiliter acceptent; ſi qua iniunctum ſibi munus abſque legitima cauſa per Abbatiſſam, & Diſcretas approbanda, acceptare recuſauerit, ad nullum officium toto illo triennio aſſumi valeat; & pane, & aqua in Refectorio puniatur.

Si ex cauſa mortis, aut renunciationis officium aliquod in tabula deſcriptum vacare contigerit, electio eius per Abbatiſſæ, atque

atque Diſcretarum ſuffragia fiat,& ad Prouincialem pro obtinenda confirmatione transſmittatur, modo ſuperiùs deſignato.

De officio Vicariæ.

Ibid.c.5. PRæcipuò zelo curare debent,vt ad Vicariatum Conuentus Religioſa eligatur de grauioribus, zelãtioribus,& prudentioribus, ætatis competentis, quæ ad omnes communitatis actus in Choro, & Refectorio, & ad cætera peragenda poſſit concurrere, quæ abſente Abbatiſſa in omni communitatis actu præſidebit, & inuigilare debebit, vt Sancta Regula, ſimul & conſtitutiones in omnibus obſeruentur.

Curæ illius, & ſollicitudinis eſſe debet, vt ſilentium continuò cuſtodiatur, zelando vt nocte Religioſæ in cellam ſe ſe recipiant; claudi, & recludi facere Iannas dormitorij, ſcalæ, cæterorumque locorum ad huiuſmodi cuſtodiam, & clauſuram attinentium.

Die vno per hebdomadas ſingulas, moniales conuocare debet ad verendam partem Monaſterij principalem; officinas autem, reliquumque Conuentus Magiſtram cum Nouitijs, & Iunioribus verere debet, quibus Vicaria ſcopas ſubminiſtrare debebit.

De Diſcretis Conuentus.

Ibid.c.6. DIſcretæ perpetuæ Conuentus eſſe debent, quæ fuerunt in ipſo Abbatiſſæ, veluti de omnibus ad ſanctius eius gubernium attinentibus magis edoctæ,ac expertæ. Diſcreta etiam erit, actualis domus Vicaria. Præter has aliæ item quatuor Diſcretæ, quæ virtute, prudentia, & experientia præcellant, eligi debent, quoties eligitur Abbatiſſa.

Sine conſenſu Diſcretarum nihil agere poſſit Abbatiſſa, quod graue ſit, & ad Monaſterium, eiuſque diſpoſitionem reſpiciat. Contractus, venditiones, emptiones, locationes, computorum redditiones, & alia hniuſmodi abſque Diſcretarum, maiorisq; Monialium partis aſſenſu, & conſilio fieri omninò non poſſint.

De Ianitricibus.

IN vnoquoque Conuentu Ianitrix vna principalis, cum vna,vel duabus ſocijs iuxta domus emergentiam eligetur; quæ ætate, virtute, zeloque commendentur, quarum erit portas aperire,atque recludere, per quas neceſſaria in Conuentum deportantur. Porta regularis non aperietur, nec ad hoc Tornaria vocabit, niſi præmonita Abbatiſſa; eius autem obtenta facultate,non aperietur,niſi cum Ianitrice Vicaria domus etiam aſſiſtat; vbi hoc ſit vſu receptum,claues autem nulli alteri committent, ſed omnes in aperitione ſimul aſſiſtent, ſub pœna priuationis officiorum pro ſingulis, ante aperitionem ſingulæ velum ſuper faciem dimittent, quod coram extraneis elenare non poſſint.

Ianitricibus rigoroſè præcipimus, vt nemini, etiam Monialis alicuius Patri, vel Matri, vel noſtri Ordinis Religioſo, & cuiuſcunque fuerit conditionis, omnino permittant, vt ad Ianuas aliquod tractent negotium, aut colloquantur etiam ſtando; nec ibi nuncia recipiant ad Moniales deferenda, ſub pœna priuationis ſuorum officiorum, vociſque actiuæ, ac paſſiuæ ad biennium. Abbatiſſa verò in hoc conſentiens ipſo facto indiſpenſabiliter officio priuetur. Prouincialibus efficaciùs iniungimus, vt in actu viſitationis ſuper hæc diligentius inquirant, pœnas contra delinquentes appoſitas exequendo.

De Turnarijs.

IN vnoquoque Conuentu duæ, vel tres Turnariæ ex maximè virtuoſis aſſignentur; quarum prima, vel maior ætate, zeloque præcellat: harum intereſt ad Turnum reſpondere accedentibus, & colloquium cum Monialibus poſtulantibus, nunciaque deferenda recipere.

Nuncium nullum aut negotium,aut Epiſtola deferetur, niſi præmonita Abbatiſſa, ad hoc vt non niſi de ipſius licentia,& benedictione peragatur.

Turnariæ minores maiori debent aſſiſtere, & Monialibus reſpondere, nuncia de Turno ad Prælatam deferre,vt quid agendũ ſit,diſponat,nuncia verò à Turno recipere, vel ad Turnum deportare, ipſis non licet, niſi in maioris abſentia, cui grauiter iniungimus, vt pro poſſe ſemper aſſiſtat. Si qua colloquium vltra neceſſitatem permittat ad Turnum, officio ſuo priuetur.

Procurent, vt ad Turnum maxima ſit ſilentij cuſtodia;colloquia verò voce ſubmiſſa fiant, vt ab extraneis audiri non poſſint. Turnariæ diligenter, & exactius nuntia deferant ad Moniales, ne ex dilatione querelæ, aut iurgia inter ipſas ſuſcitentur.

Nulli Monialium liceat, Turni cubiculum intrare, niſi poſt exactos à Profeſſione duodecim annos: at vbi vſu receptum ſit, vt non niſi poſt annos viginti hoc concedatur, vſus adeo Religioſus,& conueniens prorſus obſeruetur:Quæcumque verò (Vicaria, Diſcre-

ſecretis, Magiſtra, atque Procuratrice exceptis) præfatum Turni cubiculum intrare debet, non niſi de Abbatiſſæ licentia expreſſa intret: Si qua in hoc deliquerit, pane, & aqua in Refectorio puniatur, et ſi ſe non emendauerit, in domo diſciplinæ recludatur.

Statuimus, vt Turni pars exterior ferream vectem ab intus habeat, quæ horis competentibus ab intus occludatur; in parte verò interiori portam habeat ſeris ferreis munitam, quam Turnariæ in hyeme hora ſexta, & octaua tempore æſtiuo debeant obſirmare; quam de mane, niſi poſt ſolis ortum, poſtpam orationi mentali cum cæteris in Choro interſuerint, aperire non debeant.

Exactiſſimè Turnum occludere debent ad ſonitum campanulæ pro ſilentio, & tempore Miſſæ, Veſperarum, orationiſque mentalis, niſi grauis neceſſitas per Abbatiſſam approbanda, contrarium aliquando requirat.

Ad Turnarias pertinet prandium, & cœnam Vicarijs miniſtrare tempore opportuno, ita vt ſilentij tempus non lædatur, & Turnum tempore præfixo poſſit occludi. Rigoroſè verò præcipimus, vt Vicarijs ad comedendum in mane, & in ſerò nihil præſtetur ſupra id quod à Computiſtis fuerit conſtitutum. Turnaria verò, aut Monialis alia quæcumque, quæ aliud ſupra præſignatum ſuperaddere voluerit, veluti de propria, non de communitatis eleemoſyna, triennalem vocis actiuæ, atque paſſiuæ priuationem incurrat pro omnibus ſuæ domus officijs: & conſtitutionis huius rigidam executionem Prouincialibus grauiter iniungimus.

De Auditricibus, & ad Cratem aſſiſtentibus.

Auditrices, quæ ſcilicet ad locutoria, & ad crates debent aſſiſtere, vt audiant illarum colloquia, quæ cum legitima facultate ad loquendum accedunt, decernimus eſſe domus Vicariam, & Diſcretas in tabula deſcriptas: Quod ſi Prouinciali videatur, vt pro maiori Conuentus, & Monialium amplitudine, Auditrices aliquas eſſe ſuperaddendas, id præſtare poterit procurando, vt de zelantioribus eligantur.

Nulli Monialium permittatur, vt ad locutorium, vel ad crates compareat, colloquatur, aut negotietur cum extraneo quocumque, niſi Auditrice vna in diſtantia tanta aſſiſtente, vt ſermones omnes, quicumque illi ſint, valeat intelligere: Si qua ex Auditricibus contrarium permiſerit, ab Abbatiſſa corrigatur, & puniatur.

Monialibus ad locutoria, vel ad crates accedentibus non liceat Auditrices ſibi benè viſas aſſumere, ſed illas, quæ per Abbatiſſam fuerint aſſignatæ: Si quæ Auditrix ab eundo ſe exeuſauerit, aut quod ab Abbatiſſa ſibi imponitur, non exequetur, & ab eadem admonita non obediet, culpam ſuam accuſabit in Refectorio; quod ſi nec ita ſe emendauerit, Diſcretæ, vel Auditricis officio priuetur.

Cratium, & locutorij claues ſemper eſſe debent apud Abbatiſſam; & quando Monialis aliqua eò de Abbatiſſæ licentia accedere debet, claues Auditrici committet, quæ locum aperiet, & completo colloquio, ipſam ex integro recludet, clauesque Abbatiſſæ reſtituet.

Locutorium, & crates ſingillatim duabus clauibus, & portis obſerari debent; clauem portæ interioris (vt dictum eſt) ſemper cuſtodire debet Abbatiſſa: Clauem portæ exterioſis Vicarius Monaſterij, & in eius abſentia ſocius eiuſdem aſſeruabit; qui quàm maximè curare debent, vt niſi ex cauſa actualis acceſſus aperiantur. Vbi verò Vicarius Monaſterio non aſſiſtit, clauis hæc exterior pœnes Turnariam maiorem reſidebit, quæ modo eodem inuigilare tenetur, ne præter caſum præciſæ neceſſitatis aperiatur.

Locutoria ſingula duabus ferreis cratibus obſirmari debent vlna vna, & quarta eiuſdem parte ab inuicem diſtantibus, vtriuſq; verò ferra tali denſitate diſponenda ſunt, vt manus vna per foramina intrare non valeat. Statuti huius executionem veluti pro Conuentuum reformatione ſummopere neceſſariam Patribus Prouincialibus tota ſingularitate iniungimus. In omnibus locutorijs velum à parte anteriori apponendum eſt, quo mediante maiori modeſtia, & honeſtate Moniales aſſiſtant.

Præcipimus, ne ad locutoria, vel ad crates Turnuli apponantur: imò ſi alicubi reperiantur, ſtatim per Abbatiſſam amoueantur, & Prouincialis in actu Viſitationis ſuper hoc maximè inuigilet, & vbi amoti non fuerint, abſque dilatione illos amoueri faciat. Abbatiſſa verò, quæ præfatos Turnulos, vel apponet, vel tolerabit, per quatuor menſes ſuſpendatur ab officio.

Omni cum rigore Abbatiſſæ, atque Turnarijs interdicimus, ſub pœna trimeſtris ab officio ſuſpenſionis, ne ad crates, aut ad locutoria prandium, aut cœnam alicui conſentiant, nec etiam Monialis cuiuslibet Patri, vel Matri, illa verò, quæ comeſtionem huiuſmodi miniſtrabit, per ſex menſes illùc accedere non poſſit.

De Magiſtra Nouitiarum.

MAgiſtra Nouitiarum ex melioribus, prudentioribus, atque zelantioribus de vniuerſo Monaſterio debet aſſumi, quæ optima valetudine, viribuſque polleat, quæ ad ſingulos Communitatis actus valeat aſſiſtere: quæ Nouitias, & Iuniores ſuæ curæ commiſſas indefeſſa vigilantia, & præſentiali aſſiſtentia cuſtodiat, in charitate, & amore Dei, eas educando, & in ſancta oratione, quæ eſt ſpirituale Animæ alimentum ipſas plurimùm exercendo, & quæ in primo Capit. ordinata ſunt adamuſſim exequendo.

Singulari applicatione inquirat, & examinet, quantum in præfato ſpiritus, & orationis incremento proficiant, quemque fructum de Myſterio, quod meditantur, exhauriunt, exactè ipſas inſtruendo, qualiter in exercitio ſanctæ orationis habere ſe debeant.

Ad Magiſtram cum ſuis Nouitijs attinet, ad Conuentus ordinationes intendere, humilitatis officia, cæteraque ſubire, iuxta commendabiles Conuentuum conſuetudines.

Quando ad viſitandam Nouitiam Parentes eius, aut Fratres accedent, (quod rariùs in anno probationis tolerari debet) Magiſtra cum Nouitia ſemper aſſiſtat: & quæcumque ad Nouitias ſint deferenda, primitus ad Abbatiſſam deferri debent à Turnaria; Abbatiſſa verò pro reſponſione facienda Magiſtræ committere debet.

De Vicaria Chori.

VIcaria Chori grandi ſtudio procurare debet, vt diuinum officium maxima deuotione decantetur, & recitetur, cum debitis interpunctis, vt omnes inſimul incipiant, eodemque tempore compleant, vt vniformitas, & conſtantia conſeruetur, maximè inuigilando, vt Religioſæ ſingulæ, in cantu, & recitatione officij coopetentur: quòd ſi negligentem aliquam, aut cum ſilentio non ſtantem aduerterit, ipſam charitatiuè admonere debet. Abbatiſſæ verò, domuſque Vicariæ iniungimus, vt in huius executione diligentius inuigilent.

Ad Vicariã Chori attinere dicimus, vt lectiones, & omnia in publico legenda tũ Hebdomadariæ, tum cantatrices coram ipſa quotidie poſt Veſperas recognoſcant, aut alio tempore per ipſam deſignando, campanulæ ſonitu Religioſas ad hæc congregando, ſimiliter & illa prœcognoſcere alijs debet, quæ tum in Refectorio, tum in loco laboritij ſunt legenda, accentus, erroreſque cæteros, quæ in hiſce contingere poſſunt, corrigere debet, ac graui cum modeſtia, & ſilentio.

Sollicitè ſtudeat, vt cęremonias, ritúſque in ceremoniali præfixos calleat, non modò pro maiori Hebdomada, ſed & pro totius anni curriculo, ad hoc vt cæteras edocere, & continua in praxi valeat inſtruere.

Ad Chori Vicariam, & ad Sacriſtam attinet, vt dotationes, & feſtiuitates quibus Conuentus obligatur, præfixo tempore compleantur.

Si quando aliqua ex cauſa continget, vt præfixo tempore ſignum campanæ non fiat, quo Moniales ad diuinum officium conuocentur; ad Chori Vicariam attinebit Sacriſtas admonere, vel excitare, vt muneri ſuo reſpectiuè per ſonum campanæ ſatisfaciant.

De Sacriſta.

SAcriſta de Sacratio, & vniuerſis ad ipſum attinentibus curam habere debet, de ornamentis, albaque ſupellectile eſſe ſollicita; agenda Sacriſtæ Religioſo communicando, & opportunè graui cũ ſilentio ab ipſo ea recipiendo ſociam habebit in adiutorium.

Ipſius intereſt ſignum dare tempore opportuno pro conuocandis ad Diuina Monialibus, ad ſermones, ad diſciplinam, vtq; nocturnis, cæteriſque ſilentij horis ſeſe in cellam recipiant, ad cætera denique peragenda iuxta laudabilem Monaſteriorum conſuetudiuem.

Ad ſecundam Sacriſtam attinet, ad Matutinas media nocte pulſare, monialeſque vt conueniant, expergeſacere. Ad Primam euocabit Sacriſta maior; ad Auroram verò pro vt in Religione eſt vſu receptum, quæ ab Abbatiſſa deputabitur.

Turnus, aut arcula per quam paramenta, vel alia ad vſum Eccleſiæ neceſſaria conſignantur, claue debet obſerari conſignatione peracta; Sacriſtis ipſis ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ ad omnia ad biennium officia, præcipimus, ne ad Turnum hunc cuicumque Moniali permittant acceſſum, aut nuntia illis referenda recipiant; ſed vniuerſa Turnarijs ad hoc deputatis remittere debeant.

Sacriſtis iniungimus, vt ſummo mane vniuerſa præparauiſſe debeant, ad officium illius diei pertinentia, quæ Sacriſtæ Religioſo opportunè conſignent, cum mandato de his quæ peragenda ſunt ad hoc, vt ipſæ Sacriſtæ diuino poſſint officio aſſiſtere, quo durante eundo, & redeundo Chorum inquietare non debeant.

De

De Infirmaria.

Locus ſeparatus pro valetudinario in ſingulis domibus deputari debet, in quo commodiùs, ac decentiùs Infirmæ curari valeant; vbi erit Altare erectum, in quo data cauſa Miſſa celebrari valeat.

Quoniam à diligentia procurandis ſollicitè,& charitatiuè infirmis dependet perfecta regularis obſeruantiæ cuſtodia; Abbatiſſæ grauiter iniungimus, eamque in Ieſu Chriſto exhortamur, vt in Infirmarum curatione diligens ſit,& per maximè ſollicita, teneræ matris viſcera oſtendendo, & inuigilando, vt omni ſolicitudine atque charitate curentur, abſque reſpectu neceſſitatis, vel paupertatis. Quod vt perfectiùs exequatur,in vnaquaque domo eligatur Infirmaria, quæ ſit Religioſa totius charitatis, quam cum ægris exerceat,qualem erga ſe cuperet exerceri: Ad ipſam attinet, de alba ſupellectile: deque ſingulis ad valetudinarium attinentibus procurare.

Seriò inuigilabunt Abbatiſſa ſimul,& Infirmaria, vt valetudinarium lectis, linteis, ſtragulis, mattis, ſubuculis, ſiue induſijs, cęteriſque ad infirmarum curam neceſſarijs abundanter ſit inſtructum.

Abbatiſſæ atque Vicariæ grauiter iniungimus, vt ſæpè infirmas viſiteut, eas in domino conſolando, vniuerſaque neceſſaria pro illarum ſalute Infirmariæ miniſtrando, agentque vt poſt Cœnam Religioſæ omnes ad illarum accommodanda cubilia conueniant, quod ſi aliquando communitati non erit opportunum, per Magiſtram cum ſuis Nouitijs, & Iunioribus ſuppleatur.

Accedente Medico, & Minutore curet Infirmaria, vt Infirmæ cum habitu, velo, &c. prout in Regula præcipitur, ſuis in lectulis Religioſa compoſitione perſiſtant. Cum quibus, niſi ex neceſſitate, ad edocendum de ſingularum infirmitatibus non loquetur, ſuper modeſtiam, religioſamque compoſitionem tunc ſingulariter inuigilando, atque cæteræ recedant, quarum aſſiſtentia non ſit neceſſaria.

Inuigilet quàm maximè Abbatiſſa, vt Infirmæ tempore opportuno Sancta Sacramenta recipiant, ſe priùs expropriando modo ſuperius aſſignato.

Infirma aliqua vitæ ad extremum propinquante, vt iam in agone ſpirituale requirat auxilium, debet Infirmaria dato ſigno campanæ Moniales omnes conuocare, vt communibus orationibus aſſiſtant, & ſymbolum fidei alta voce decantent.

Quando ex neceſſitate intrabunt Confeſſarij ad miniſtranda infirmis Sacramenta, in loco apto ad hoc in ipſo Valetudinario deputato Miſſam celebrare poterunt, eaque occaſione Sacram Synaxim ægris illis communicare, quæ ad commune Communicatorium non poſſunt accedere, cæteris nequaquam, etiamſi aliquæ infirmitate premantur.

De Procuratrice.

Spectat ad Procuratricem ſuper Monialium prouiſiones neceſſarias inuigilare, vt tempore opportuno emantur, quæ ad earum ſuſtentationem requiruntur, prudenterque dirigantur, & diuidantur, ad hoc vt in Refectorio Monialibus diſtribuantur, vbi per ſeruitrices in Tabula per Hebdomadam deſignatas modeſtè deferantur.

Si Procuratrices vltra præſcriptum in taxa pro ſingulis Monialibus expenderint, à Computiſtis non referatur inter accepta: Procuratricibus itidem mandamus ſub pœna priuationis actuum legitimorum ad annum, vt nihil vltra præſcriptum donent, etiamſi de particularibus eleemoſynis eſſet aſſumptum.

Officinam deputatam habebunt in qua omnia ad prouiſionem vtenſilium .... Conuentus, cæterorumque ad Coquinam neceſſariorum cuſtodientur, procurando, vt ad regulam paupertatis, quam profitemur, conſetuentur, & expendantur.

De Veſtium, &c. Cuſtode, ſeu Depoſitaria.

CVM ſtatui Religioſo magis conueniat, vt omnes ad rigorem viuant Communitatis, ſtatuimus, vt in Cœnobijs, in quibus eſt vſu receptum, vt Sarcinatorium aſſignetur, in quo ſingularum Monialium habitus, & veſtes reponantur, ſancta hæc conſuetudo rigidè obſeruetur, Prouincialibus, & Abbatiſſis ſeriò iniungentes, vt vbi fuerit hæc relaxata, vſuque contrario deperdita, ipſam vt rem maximi momenti reſtituendam, & obſeruandam eſſe procurent.

Huiuſmodi Depoſitaria ſeu Cuſtos ſollicitè curare debet, vt linea, & lanea, ſiue Communitati, ſiue particularibus Monialibus aſſignata congruenter aptata, mundaque ſeruentur, ſinguliſque Sabbatis diſtribuantur, ad hoc vt in Religioſis munditiес effulgeat, caueatque, ne res vnius vſui deputata cum ſimili alterius confundatur, aut commutetur, ne inde confuſiones oriantur: de omnibus apud ſe exi-

ſtenti-

ſtentibus, deque neceſſarijs, quæ deſunt, Abbatiſſæ rationem reddat; ad hoc vt iſta de neceſſarijs prouidere debeat: omnia ſecundum exigentiam ſuere, ac repetiare tenetur, ad quod ſociam illi deputare debebunt.

In Conuentibus Commune Sarcinatorium ad veſtes particularium reponendas non habentibus ad Vicariam Domus ſingulariter attinet, de veſtibus, & alijs ad hoſpitium, vt vocant, & ad Communitatem attinentibus curam gerere.

De Diſpenſatrice.

DIſpenſatrix, ſine Refectorij præpoſita ſtudioſè laborare debet, vt ipſum Refectorium cum munditie, integraque diſpoſitione conſeruetur, menſæque decenter accomodæ: mantilia opportunè mutabit, lintea, ſiue ſudaria Seruitricibus miniſtrabit, in omnibus denique ad Refectorium attinentibus ſedulò inuigilabit, aduertens, ne vltra neceſſitatem expendatur. Quæ ſui muneris ſunt, ea diligentia exequetur, vt à Communitate Chori non abſit, nec ante completum Officium indè recedat, niſi aliquando ex particulari occaſione, de licentia tamen Abbatiſſæ aliter ſit agendum, quòd ſi ad hæc ritè complenda ſocia indigeat, illi erit aſſignanda.

Recedente à Refectorio Communitate, procurare debet, vt ſi quæ ibi remanſerunt, ſilentium cuſtodiant, nec colloquia, vel conuerſationes in Refectorio permittat.

De Depoſitaria.

Ex Toletan. cap. 7. AD meliùs obſeruandam ſanctam paupertatem, quam Moniales ſponte Deo promiſerunt, ſtatuimus, vt in vnoquoque Monaſterio vna de Senioribus, & perfectioribus deputetur, quæ ſit Depoſitaria vniuerſæ pecuniæ, quæ Monialibus, quæcumque illæ ſint, donantur, vel attinere aliàs poſſunt, quam ipſa Monaſterij nomine retineat, & cuſtodiat (nunquam tamen nomine Monialium particularium): ex illo verò peculio ipſarum ſingularium neceſſitatibus prouideatur, quarum intuitu obuenerunt.

Abbatiſſæ ſub pœna priuationis ſui officij non liceat pecuniam apud Depoſitariam exiſtentem expendere, niſi de licentia Prouincialis, qui tamen licentiam huiuſmodi non concedat, niſi priùs certò conſtiterit, quòd adueniente Monialis illius neceſſitate, ipſi prouidebitur pro rata eleemoſynæ, quæ ipſius intuitu poſita fuerat in depoſito.

Omni cautela ſuper pecuniam pro particularium Monialium vſu receptam ſedulò inuigilet depoſitaria, quam mutuam dare vel commodare alteri, eidem non liceat, ſine Abbatiſſæ licentia, & Monialis illius aſſenſu, pro cuius vſu, & neceſſitatibus fuit depoſitata.

Quæcumque, Religioſæ cuiuſuis intuitu, à depoſitaria recipiuntur, & quæ expenduntur, in libro ad hoc ſpecialiter deputato fideliter adnotentur, ad hoc vt de fidelitate conſtare poſſit in computo.

Præcipimus vniuerſis Monaſterij Officialibus, vt ne oboli quidem valorem in ſeruitio ſuorum reſpectiuè Officiorum inſumere valeant, præter id, quod pro eodem officio ſibi à Monaſterio confertur, niſi fuerit de actuali peculio ſibi ſingulariter conceſſo ad expendendum, ſemper tamen de Abbatiſſæ licentia. Si verò ſumptus huiuſmodi ſupererogationis, vel mutuo accipere, vel aliundè procura re debeat, omnino ſub pœna priuationis vocis actiuæ & paſſiuæ in proximè futura electione, tales expenſas ſupererogationis interdicimus, quia directè ſunt contra votum ſanctæ Paupertatis, in quo inſuper ipſarum conſcientias ſeriò oneramus.

CAP. XI.

De Patribus Vicarijs, & Confeſſarijs.

OBligantur Moniales vniuerſæ apud Vicarios pro ſingulis earum Conuentibus deſignatos conſcientiam ſuam Sacramentaliter expiare, nec apud alios peccata confiteri eis licet, niſi de licentia Prælati, de qua conſtare debet Abbatiſſæ.

Miſſas omnes, quas legunt Patres Vicarius, eiuſque Socius, ad intentionem Abbatiſſæ debent applicare, ijs exceptis, quas pro Fratribus defunctis ſuæ Prouinciæ tenentur applicare, & hoc ſub pœna proprietatis, quam etiam incurrant, ſi pro feſtis, alijſuè de cauſis pecuniam aut quæuis alia munera, quamuis gratis à Monialibus, vel ab alijs illatum nomine ſibi donentur, prout in Conſtitutionibus Generalibus Ordinis continetur. Abbatiſſa contrarium permittens quadrimeſtris ſuſpenſionis ab officio pœnam incurrat.

Præcipimus Vicarijs Monialium ſub pœna priuationis ſuorum Officiorum, ne hoſpites vllos, nec conſanguineos ſuos ad commorandum, etiam ex titulo paupertatis excipiant; nec in ſuis Cubiculis, aut Ex Tol. 1583. c. 10. ex Segob 1621. c. 5 tit. de conf. Mon

in

in alijs Monaſterio contiguis Fratres, & ſæculares dormire permittant. Prouincialibus autem iniungimus, vt Confeſſarios in hoc delinquentes cum rigore puniant.

Si aliquis Confeſſarius deuotiones, vt vocant, aliquas recipiat cum *ſcandalo* Monialium, officio priuetur, quod Prouincialis ſtatim exequi poterit, de veritate benè informatus in viſitatione ſecreta abſque eo quòd informationes iuridicas aſſumere, aut Diffinitorij ſententiam ſuper hoc exquirere teneatur, ſed cum duobus de Diffinitorio Patribus hoc tantùm conſultare debebit.

CAP. XII.

De Tertiarijs ſiue Oblatis, aut Laicis.

Ex Tol. c. 10. CAueant Superiores, ne in Conuentibus Laicæ Tertiariæ ſiue Oblatæ recipiantur, prout cautum eſt in Conſtitutionibus antiquis; quòd ſi aliquando per Diffinitorium Prouinciale iudicetur expedire, vt vice famularum ſæcularium ad inſeruiendum Communitati Tertiariæ huiuſmodi intra Conuentum recipiantur, abſque licentia Prouincialis in ſcriptis, & aſſenſu maioris partis Conuentus recipi non poſſit, conſenſus autem huiuſmodi pro illarum receptione tum ad habitum, tum ad profeſſionem per ſuffragia ſecreta requiratur, vti de Monialibus fuit ſuperiùs ordinatum.

Nulla huiuſmodi Tertiaria recipiatur, niſi dotem ſecum deferat, videlicet tertiam partem dotis, quæ pro Monialibus præſcribitur, aut aliquid ampliùs, iuxta quod Prouinciali, atque Conuentui expedire videbitur.

Huiuſmodi Tertiariæ, ſiue Laicæ integrum probationis annum ſub cura Magiſtræ Nouitiarum debent explere, quo completo, & ſuffragantibus per ſuffragia ſecreta Monialibus, ſi ſextumdecimum ætatis annum exceſſerint, in manibus Abbatiſſæ, vel Præſidis profeſſionis vota nuncupabunt promittendo obedientiam, paupertatem, caſtitatem, atque Clauſuram ad inſtar Monialium, velum tamen album, nigrum nullo modo eis permittitur, in quo diſtinguantur à Monialibus Choriſtis. Quòd ſi alicubi vſu ſit receptum, vt Laicæ, ſiue Oblatæ huiuſmodi velo nigro vtantur, ijs tamen, quæ de nouo recipientur, non niſi album concedatur.

Choro aſſiſtent, cum eis per otium vacauerit, & obligantur ad recitandum Diuinum Officium, non quidem ex Breuiario, ſed per Orationem Dominicalem, itaut pro Matutino viginti quatuor, pro Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, & Nona, atque Completorio, pro quarumqualibet horarum, ſeptem, & pro Veſperis duodecim Pater noſter recitare debeant.

In nulla electionum, quæ in Monaſterio celebrantur, voce actiua gaudebunt, nec ad officium Abbatiſſæ, vel Vicariæ, vel Diſcretarum, aut aliorum principalium eligi poteruut, munia tamen inferiora poterunt exercere, ſi Prouinciali cum Abbatiſſa, & Diſcretis ita expedire videbitur. Quoniam verò vſu receptum fuerat, vt aliquibus in domibus huiuſmodi Laicæ, vel Tertiariæ cum voto actiuo ad vniuerſas electiones concurrerent, decernimus, atque ſtatuimus, vt vſus ille cum Laicis nunc viuentibus terminetur, itaut quæ in poſterum recipientur huiuſmodi voto actiuo gaudere non valeant, propterea ex nunc irritas, & nullas declaramus electiones quaſcumque, quas in poſterum cum ſuffragio nouarum Laicarum celebrari contigerit.

Tertiariæ vel Laicæ huiuſmodi niſi ad taxam vnius pro decem Monialibus non admittantur, itaut vbi adſint Quadraginta Moniales, Laicæ quatuor, & non vltra recipiantur.

Obligantur Laicæ vel Tertiariæ ad vniuerſa Conuentuum humilitatis officia, nempe Coquinam, Valetudinarium, Sarcinatorium, & huiuſmodi, itaut nullum quantumlibet humile audeant reſpuere, vel ab eo ſe excuſare, dum ipſis ab Abbatiſſa iniungitur, id ſemper mente reuoluentes, quòd Monaſterium Intrarunt, non vt ſibi ſeruiretur, ſed vt Monialibus deſeruirent.

CAP. XIII.

De Seruis, & Ancillis Sæcularibus.

ABbatiſſis, & Subditis ſeriò iniungitur, vt excluſis à Monaſterio Seruis, & Ancillis ſæcularibus, ſibi inuicem cum charitate deſeruiant, quod plurimis Gregor. XIII Bull. Regnibe. 1581. in Cœnobijs cum plurimo Conuentuum ipſorum, atque Monialium profectu obſeruari videmus. Quoniam verò in multis, vbi nec ſunt Tertiariæ, vel Laicæ ſine talibus Ancillis ſæcularibus ad Communitatis ſeruitia deputatis viuere non poſſunt, obſeruetur omnino in ipſis, quod per Summos Pontifices ſanctè ſuper his fuit ordinatum, videlicet vt pro quolibet Monialium denario vnica, & non ampliùs Ancilla ſæcularis recipiatur, itaut vbi triginta fuerint Religioſæ,

ligioſæ, tres Ancillæ, & non vltra poſſint admitti, & ſic de reliquis Cœnobijs ſeruata proportione.

Quoniam verò alicubi fuit introductum, vt Ancillæ huiuſmodi ſæculares, habitu, & velo albo ad inſtar Laicarum induantur, ex quo non leuia inconuenientia fuere ſuborta, vnde item Abbatiſſæ abſque vlla Prælatorum authoritate illas inducant, ad emittenda vota Obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, cum grauiſſimis exindè querimonijs, & litibus ſuper dubio, an forent veræ Religioſæ: Præcipimus Abbatiſſis ſub pœna priuationis ſuorum officiorum, ne ſæcularibus huiuſmodi Ancillis habitum Laicarum, vel Tertiariarum omnino permittant, ſed veſte prorſus ſæculari, honeſta tamen, & moderata induantur. Eadem ſub pœna ſtatuimus, vt ſi qua ſeruientium huiuſmodi votum aliquod ex ſua deuotione voluerit emittere, id in manibus Abbatiſſæ præſtare non valeat: declaramuſque, ſimilia vota, quæ vel emiſſa iam ſint, vel in futurum emittantur, ſolemnia non eſſe, ſed ſimplicia, vnde ipſas, quotieſcumque expedire iudicauerint, poſſint è Monaſterio depellere.

Ancillas particulares habere, nulli Monialium liceat, abſque ſpeciali Summi Pontificis diſpenſatione, vel alterius ab ipſo ad id facultatem habentis, omnes tamen ſeriùs adhortamur, vt ab huiuſmodi Ancillis abſtineant. Vbi verò vſu receptum ſit, vt huiuſmodi non admittantur, laudabilis adeò, & ſancta conſuetudo prorſus obſeruetur.

Si pro tenenda Ancilla ſpeciali Monialis aliqua Breue Apoſtolicum impetrauerit, non admittatur tale Breue, niſi priùs per Prouincialem examinetur, atque per ſecreta Conuentus ſuffragia, nempe per fabas nigras, & albas præſidente cum duobus Teſtibus Guardiano, vel alio per ipſum delegato, Monialium conſenſus accedat. Seriò tamen iniungimus Monialibus omnibus, ne fauorabile ſuffragium in hoc præſtent, niſi de veritate cauſarum, & conditionum in Breui expoſitarum antea conſtiterit, veramque ſubſiſtere neceſſitatem à Religioſa narratam, quoniam hæc eſt materia ſcrupulis maximè obnoxia, de qua propterea rigoroſam Deo ſunt reddituræ rationem.

Monialis quæcunque particularem ex Apoſtolico Indulto habens Ancillam, ipſam proprijs expenſis, nil penitùs aſſumendo de Communitate, debet enutrire: ſeclusis etiam expenſis communibus olei, lignorum, domus, & cæterorum ineuitabilium, quæ exinde Communitati obueniunt, ſoluent etiam, quæ illas habent, ducata, vel ſcuta viginti cœnobio ſingulis annis, pro onere ſolo, vt vocare conſueuerunt. Abbatiſſis verò ſub pœna priuationis ſuorum officiorum præcipimus, vt Ancillas huiuſmodi particulares penitùs non recipiant in domum, niſi Monialis illa, cuius intuitu venit, ſcuta decem ante illius ingreſſum effectiuè perſoluerit, & alia decem completo anni circulo; de quo Computiſtæ rigidam rationem exquirent, vt appareat de veritate ſolutionis prædictæ, & aliàs de Monialis illius, quæ non ſoluit, peculio, vel prouentu particulari compenſetur, Ancilla verò irremiſſibiliter de Conuentu expellatur.

De Sæcularibus.

VBI Mulieres Sæculares, cuiuſcumque ſint conditionis, intra Conuentum admitti non conſueuerunt, Religioſas ſeriùs exhortamur, eiſque iniungimus, vt à tam ſancta, & commendabili conſuetudine non recedant; in cæteris etiam volumus, vt pro ſæcularibus huiuſmodi ad commorandum vt ſupra, in Conuentu non admittendis, integra ſinceritate laborent; quoniam experientia teſte cognouimus, quàm grauia inconuenientia ex ſæcularium, atque Monialium in cœnobijs conuerſatione proueniant.

Sin aliqua ex graui, atque ineuitabili cauſa, aut ex eminenti perſonæ conditione aliqua ſit recipienda; nouerint Moniales, id abſque Sedis Apoſtolicæ, vel ab ipſa legitimam facultatem habentis ſpeciali licentia fieri non poſſe: talis verò licentia non admittatur, donec à Prouinciali examinetur, & per Monialium ſecreta ſuffragia, modo ſuperiùs explicato fuerit approbata.

Præcipimus Abbatiſſæ, vt ſæcularibus huiuſmodi non permittat veſtibus, & ornamentis prophanis intra Monaſterium indui; ſed habitu decenti, qualemque decet intra Conuentus ambitum, & cum Ieſu Chriſti ſponſis cohabitantes, induta procedant.

Omni diligentia intendant Prælatæ, vt ſæculares iſtæ in loco ſeparato commorentur; vndè quàm minimum fieri poteſt, cum Religioſis conuerſentur.

Ali debent iſtæ ſuis expenſis; atque pro ſe, ſuiſque pro Ancillis (ſi eas habeant) ex titulo oneris, vt vocant, ſoluere tenentur eam pecuniæ quantitatem, quæ de conſenſu Prouincialis, & Computiſtæ fuerit per Abbatiſſam, Diſcretaſque taxata.

C A P. XIV.

De Monaſteriorum prouentibus, eorumque adminiſtratione.

AD euitandam proprietatem, tuendamque communem domus vtilitatem, ſtatuimus, vt pecunia omnis, quæ vel ex Monaſterij redditibus, vel dotibus, vel legatis, vel hæreditatibus, vel ex eleemoſynis, aut ex Capellanijs, vel alio quocumque legitimo titulo Monaſterijs obuenerit, non per domus æconomum, ſed per Abbatiſſam recipiatur: Clauium vnam Abbatiſſa, alteram antiquior Diſcreta, tertiam conſeruabit Vicarius Monaſterij, ſine cuius aſſenſu aperiri non poſſit, clauem ſuam data aperiendi occaſione, Moniali alicui ſibi benè viſæ, quamque fideliorem exiſtimet, concedere debet.

In libro ad hoc ſpecialiter deputato per Vicarium Conuentus, aut per Religioſam illam ab ipſo deſignatam fideliter adnotabitur quicquid in ipſa reponitur, & quo etiam titulo ſpecialiter obuenerit; item quidquid ex arcula educitur, & ad quid educitur; ſummas ſingulas tùm receptionis, tùm eductionis ſingillatim adnotando; vt de fidelitate, aut veritate conſtare poſſit in computo; liber autem iſte ipſa in arcula conſeruetur.

Statuimus etiam, vt publica taxatione præfigatur; quidquid Monialibus ſingulis ad comedendum miniſtrari debet, quæ nota ſoli Procuratrici per Hebdomadam, vel ſingulis menſibus conſignetur, ad hoc vt taxata Religioſis adminiſtrentur in Communitate, atque in propria ſpecie, numquã verò in pecunia, iuxta ſuperiùs ordinata. Hinc Abbatiſſæ, vel Æconomo non liceat, quidquid vltra taxam alicui concedere, aliàs in redditione computi non eis admittatur. Taxari etiam, & præfigi debent expenſæ communes per Abbatiſſam fiendæ. Prouinciali, & Computiſtæ grauiter iniungimus, vt in præfigendis taxationibus prædictis omninò caueant, ne ſumptus vltra redditTuum quantitatem excedant, imò aliquantò ſint minores, vt reſiduum pro domus reparatione, necnon pro extraordinarijs expenſis, poſſit applicari. Prædictarum taxationum nota in libro Conuentus per Abbatiſſam, & Computiſtam ſubſcribi, & rubricari debet; ad hoc vt in redditione computi patere poſſit Computiſtis, quid hac in re fuerit determinatum.

In Conuentibus taxationem non habentibus, ſingulis Sabbatis debebit Procuratrix Abbatiſſæ, Diſcretiſque rationem reddere de pecunia pro ordinarijs, ac extraordinarijs expenſis; & omnia ſingillatim deſcribantur; ad hoc vt poſtea in computo generali per Computiſtas de mandato Prouincialis habendo, de legitimis conſtare valeat expenſis.

Interdicimus Abbatiſſæ, Procuratrici, & cuiuis alteri officiali, & Æcónomo, vel cuicunque alteri Conuentus exactori, ne cedulã confidentialem concedant, qua confiteantur, ſe ab ipſo recepiſſe, vel eidem ſe debere vllam pecuniæ ſummam, niſi verè, atque realiter in numerata pecuniã ipſam receperit, non verò ſi pecuniæ talis valorem in alijs rebus acceperit, quæ pro Monaſterij ſeruitio coemptæ fuerint; hæc enim omnia per diſpenſatores, ac emptores ad hoc ſpecialiter deputatos debent exerceri. Schedulæ ſingulæ de confeſſa receptione, ſeu quitantiæ à Vicario, necnon à Monialibus illis debent regiſtrari, penès quas antedictæ Arculæ claues aſſeruantur; alio quocumque modo expeditæ declarantur inualidæ, & quòd in redditione computi pro legitimis acceptari non debeant; præterquam quod Abbatiſſa, vel officiales aliter agentes ſuis omninò priuentur officijs.

Quando aliquid .... notabilis pretij, vel valoris emendum fit, ordinamus, vt pecunia in ipſo Monaſterio per Abbatiſſam, aut Procuratricem illi ſoluatur, à quo res emitur, poſtquam Æconomo, & Vicario de viſu conſtiterit, rem ipſam fuiſſe Monialibus conſignatam, libroque in antedicto res empta, prætiumque illius, quo die, menſe, & anno empta fuerit, modo ſuperiùs explicato exſcribentur.

Statuimus etiam, vt Prôuinciales de conſenſu Abbatiſſæ, Computiſtarum, Diſcretarumque Conuentus, dotem taxare debeant per ſingulas Nouitias afferendam, conſideratis locis, & temporibus magis, minuſque calamitoſis: taxationis nota in libro Conuentus exſcribetur; doteſque ad annuos redditus deputabuntur, ad euitanda magna, quæ hucuſque fuerunt inconuenientia, nempe quod ex adaucto annuatim Monialium numero, nunquam Conuentuum prouentus excreuerint. Abbatiſſa, quæ dotem aliquam conſumet, in redditione computi non acceptetur; & ſecundùm antedicta officio ſuo priuetur.

Statuimus etiam, vt nulla dos, cenſus redemptus, aut aliud quodcumque ad Conuentum pertinens, diſtribuatur ad cenſum niſi præmonito Prouinciali, qui Computiſtam, vel alium prudentem Religioſum deputare debeat, qui de qualitate, bonis ſtabilibus, ac Hypotecis illius, qui cenſus eiuſdem onus vult ſubire, integram, & ſinceram informationem deferre valeat, & ad au-

authorizandum cenſus inſtrumentum aſſiſtere. Abbatiſſa aliter faciens deponatur ab officio; ſicut & ſi bona ſtabilia Conuentus non præmonito Prouinciali vendiderit, à quo pro venditione peragenda licentiam in ſcriptis præhabuiſſe tenetur.

Singulis annis ab Abbatiſſa, ab Officialibus, atque ab Æconomis Monaſterij computum exigatur omnium bonorum, quæ ad ipſos peruenerint, ſiue de redditibus, ſiue de dotibus, aut vtenſilibus, & ſimilibus, quæ à Nouitijs pro communibus officinis exigi ſolent, item de expenſis eo anno peractis. Diſcalceatæ quæ redditus non poſſident, de eleemoſynis, legatis, cæteriſque ſimilibus, quæ ſub eorum reſpectiuè officio peruenerunt, computum reddere debent, eo modo, quo à Religioſis S. P.N. Franciſci reddi conuenit.

Hæc vt exactiùs obſeruentur, ſtatuimus, vt in vnaquaque Prouincia duo, vel tres Computiſtæ deputentur, ex perfectioribus, zelantioribus, de tota Prouincia delecti, quique materiam prouentuum magis calleant; qui ex auctoritate Capituli, vel Patris Prouincialis computa præfata debent exigere, atque per litteras patentes deſtinabuntur; ad hoc, vt Abbatiſſa, cæteræque Religioſæ in cauſa prouentuum, & tranſactionum, quidquid ab ipſis decretum fuerit, aut ſtabilitum, obſeruare teneantur. Computiſtæ liceat, vbi Oeconomum aliquem vtilitati Conuentus non expedire compererit, ipſo amoto, alium in officio ſubſtituere, præmonito tamen Prouinciali, ad hoc vt de illius beneplacito, & licentia expedietur.

Non ſolùm de prouentibus modo prædicto, ſed & de legatis, Cappellanijs, miſſis, & patronatibus in Monaſterio fundatis tenentur inquirere Computiſtæ, vtrum eis fuerit per Moniales ex integro ſatisfactum, & efficere, vt iuxta tenorem obligationis eiſdem omnimodè ſatisfiat.

Quoniam verò Prælati tenentur in actu viſitationis, non modò de attinentibus ad animam, ſed & de Conuentuum redditibus inquirere; Prouincialibus iniungimus, vt in actu Viſitationis à Monialibus ſiſcitentur, & informentur vtrum prouentus, & eleemoſynæ Conuentus fideliter diſtribuantur, & expendantur, ſitue fraus vlla in diſtributione, vel expenſis, ſiue ex parte Abbatiſſæ, ſiue Monialium, aut Oeconomi.

Eos etiam ſub pœna ſuſpenſionis ab officio ad duos menſes, volumus obligatos eſſe, vt in præfatæ viſitationis actu per ſeipſos cum aliquo Religioſo de hac materia experto computa recognoſcat iam per Cōputiſtam antea peracta, in computorum libro id exſcribendo, ſuoque muniendo ſigillo, quod circa computorum illorum approbationem, aut correctionem decreuerint.

Cum autem poſſeſſiones fructum facientes verbi gratia vineæ, culturæ, labores manuum, pecora, & ſimilia, grauiſſima cauſent Monaſterijs incommoda, & damna; Abbatiſſas, earumque Prælatos feriùs hortamur & rogamus, vt omni ſtudio inuigilent, modumque perquirant, (ſi commodè fieri poſſit) vt præfata omnia, præſertim Vineæ, & Pecora vendantur; quorum pretium in Iuribus, cenſibus, reddiribuſque perpetuis, vel in terris de facili locabilibus collocetur.

Verùm quoniam alicubi fieri non poteſt, quin Grangiæ poſſideantur, ad granum, vinum, & oleum colligendum, eo quod illis in locis non facilè reperiatur, qui fruges illas pendentes emere, vel colonico titulo iuſtum ſoluendo pretium ſibi aſſumere velit; idcircò ſtatuimus, atque præcipimus, vt integrum Prouinciæ Diffinitorium de huiuſmodi vera neceſſitate iudicet, qua probata licentiam concedat Monaſterio; pro talibus Grangijs formaliter retinendis; at ſi Abbatiſſa, ſecluſa Diffinitorij licentia, eas habere præſumpſerit, ab officio deponatur.

Vbi Grangiæ huiuſmodi poſſidentur, non deferatur intra ſepta Monaſterij Vindemia, ad euitandas diſtractiones nimias, quæ exindè ſolent oriri, ſed cella vinaria pro vino, & oleo deputata ianuam habeat omninò extra clauſuram, cuius clauis pœnes Vicarium, aut Monaſterij Præpoſitum aſſeruetur; cui vinum exactiſſimo computo conſignabitur; ipſe verò rationem, computumque reddere tenebitur, quantum, & quomodo fuit conſumptum, ſingula in libro ſpeciali deſcribendo, ad hoc vt Computiſta veniens ad computum, integerrimam de omnibus rationem habere valeat.

Statuimus etiam, vbi granarium intra Clauſuram exiſtit, tribus differentibus clauibus obſeretur, quarum cuſtodia Abbatiſſæ, Vicariæ domus, & antiquiori Diſcretæ diuiſim committetur; quæ ſemper coram aſſiſtere debent, quando frumenta quæcumque recipiuntur, in libro ad hoc ſpecialiter deputato adnotando ſingillatim acceptum, & à quo recipiatur, quo etiam à Locatore, vel Colono ſoluatur, cui annotationi ſemper tres antedictæ Religioſæ ſimul, & Vicarius ſubſcribent ſingulis vicibus; quod idem prorsùs obſeruetur, quandocumque granum cuiuſuis generis vel ad conſumendum, vel ad vendendum extrahi debebit: antedictis autem Monialibus ſub pœ-

pœna bimeſtris à ſuis reſpectiuè officijs ſuſpenſionis iniungimus, vt ad ſingulas grani, vt ſupra extractiones præſentialiter aſſiſtant, claues verò ſuas reſpectiuè nulli alteri omnino committant. Vbi verò granarium extra Clauſuram Conuentus exiſtit, claues eius penes Vicarium aſſeruabuntur; qui de frumento, ſicuti de vino ſuperiùs cautum eſt, curam gerere, rationemque reddere tenebitur.

Rigorosè præcipimus vt triticum præfatum cuiuſuis generis ſemper in Granarijs vt ſupra reponatur, ita vt ad manus Oeconomi nunquam peruenire valeat.

Terrarum, cæterorumque ſtabilium locationes, nunquam fiant ſine præcedentibus intimationibus, cæteriſque diligentijs à Iure conſuetis, & abſque conſilio, & aſſiſtentia Vicarij, aut Præpoſiti Monaſterio, imo ſi fieri poſſet cum interuentu iuſtitiæ: ſi quas aliter fieri contingat, nullas declaramus; & Abbatiſſa, quæ aliter fieri permittet, ab officio deponatur.

Ne autem dum hæreditatum, domorum, vinearumque locationes explentur, locationes ipſas intermitti, aut vacare contingat, teneatur Oeconomus, per ſex menſes ante cuiuſlibet locationis finem illis in locis, atque vicinis, & circumadiacentibus nullam non adhibere diligentiam pro nouis locationibus habendis, cedulas ad Eccleſiarum Valuas apponendo, imo & in domibus ipſis, ſi domus erunt locandæ, atq; per Præconem in Platæis, alijſque locis publicis locationes futuras intimando (de quibus omnibus peractis litteras teſtimoniales habere debeat) ad hoc vt qui præfata locare, ſeu cōducere velit, ad Abbatiſſam, vel Oeconomum tempore opportuno poſſit accedere; inſtrumentum verò, ſiue ſcriptura autentica de locatione coram Scriba Monaſterij conficiatur. Locationem, ſiue conductionem pro ſe, nec nomine proprio, nec per interpoſitam perſonam accipere poſſit Oeconomus (ſicut & in iure prohibetur) ſub pœna perdendi ſalarium ipſi à Conuentu aſſignatum; pœnas etiam, & damna ſoluendi, quæ ex dicta cauſa prouenient, quæ omnia in vtilitatem Conuentus conuertentur.

Mandamus itidem, vt in vnoquoq; Monaſterio conſtituatur Archiuium, in quo ſcripturæ publicæ domus reponantur, quæ ipſius Conuentus fundationem, Patronatum, Capellanias, obligationes, locationes, cæteraque Domum ipſam concernentia, contineant ſub proprijs numeris diſtribuenda.

Quotieſcumque ſcriptura aliqua ex Archiuio extrahenda ſit ob cauſam neceſſariam, nempe, vt coram Iudice præſentetur, aut in ordine ad aliquam exactionem, aut propter quoduis aliud ad Oeconomum ſpectans, & ſimilia, teneatur Oeconomus ipſe, vel is cui ſcriptura illa conſignanda eſt, cōfeſſionem à ſe ſubſcriptam de ſcriptura recepta dare Monaſterio regiſtratam in libro Iurium Monaſterij ad hæc ſpecialiter deputando, in quo ſcriptura ipſa recepta declaretur, & quo anno, & cuius ſit quantitatis, & ante quem Notarium fuerit confecta, & contra quos, & ad quid conceſſa fuerit, adnotetur; Abbatiſſa verò, & Monaſterij Scriba Religioſa ſcripturam ipſam non conſignent ſub pœna ſuorum officiorum, donec confeſſionem antedictam receperint; caveantque ſollicitè ne ſcriptura præfata pœnes Oeconomum vltra præciſam neceſſitatem remaneat: quando verò illa reſtituetur, reſtitutio ipſa præfato in libro adnotetur per Abbatiſſæ, Scribæque ſubſcriptionem, ad hoc vt de facta reſtitutione ſemper conſtare valeat.

Item in vnoquoq; Monaſterio liber deputetur, quē vulgò *de Becedero* dicunt; in quo per modum repertorij deſcribantur fundatio, Patronatuſq; Monaſterij, legata etiam, & memoriæ ad ipſum pertinentes, & nota omnium bonorum eius, nempè Iurium, cenſuum, domorum, hæreditatum, aliorumque quoruncunque quocunque titulo poſſeſſorum à Monaſterio, & in qua forma conſiſtant, quo titulo habeantur, & cuius vigore inſtrumenti, à quo Notario, quo die, menſe, & anno confectum fuerit de ſingulis inſtrumentum, cum numero proprio, & Becedario &c. Adnotentur ibidem priuilegia, & conceſſiones Regiæ, redditus item Monialium particularium, qui poſt earum obitum Conuentui debent obuenire: vnde decens erit, vt decimo quoque anno renouetur hoc Inuentarium, & explicatio bonorum maioris claritatis gratia, qui liber ſemper in Conuentus Archiuio conſeruabitur, nulli conſignandus, niſi Computiſtis ad facienda computa venientibus; computo verò expleto, iterum in Archiuio reponetur.

Præter hoc præfatum aliud eſſe debet inuentarium eodem ordine, & Abecedario diſpoſitum, Oeconomo tradendum, vel Adminiſtratori, aut exactori prouentuum.

Alio in libro locationes ſtabilium deſcribentur, adnotando locationis cuiuſque diem, menſem, & annum, quantitatem, & pretium, atque Notarium, ſingulas rerum locationes in folio diſtincto deſcribendo, ad hoc vt appareat, quo pretio bona ſingula locentur, & quantum ſingulæ creſcant, aut decreſcant: quòd ſi de damno, aut colluſione manifeſta in præiudicium Conuentus ob lo-

locationem minori pretio factam appareat, videndum ſit per Computiſtam, ac de opportuno remedio citiùs agatur.

Eodem in libro deſignētur pacta,& conuentiones cum Oeconomis ſingulis acta, & conditiones, ſub quibus recipi debeant (quæ ſtatim deſcribentur)quæ conditiones in Inſtrumento cum Oeconomo contrahendo per extenſum debent adnotari: idem prorsùs intelligitur de viris cæteris, atque Mulieribus Conuentui ſeruientibus, ſingulorum nomen apponendo diem,menſem,& annum receptionis, ſalarium eis conſtitutum, ſecuritates qnas præſtant, & coram quo Notario, ſubſcribente ſeruo ipſo, Oeconomo, Vicario, Abbatiſſa, atque Diſcretis; ad hoc vt de facto ſemper appareat, ſi fortè regiſtrum amitti contigerit. Nulli verò ex prædictis ſalarium poſſit augeri vel per Abbatiſſam, vel per Moniales(aliàs in redditione computi non acceptandum) abſque Prouincialis licentia in ſcriptis, quam ipſe concedere nequeat, quin priùs à Computiſta, vel ab alio fide digno de tali conuenientia pro augendo ſalario fuerit informatus.

Nullus de Ordine noſtro poſſit eſſe Monaſterij cuiuſuis Oeconomus,ita vt ex Monialium authoritate, ac nomine redditus exigat,pecuniam recipiat,ſolutiones faciat, lites proſequatur,cæteraque ſimilia præſtet contra ſtatum noſtrum, & Regulam directè pugnantia. Licebit tamen Vicario,vel alteri Religioſo Abbatiſſam, & Oeconomum admonere, quomodo in exactione redditųum,atque in litium proſequutione gerere ſe debeanr, liteſqne ipſas leniter, & ſaluo ſtatu Minoritico proſequi, debitores etiam nomine Abbariſſæ dulciter hortari, vt quæ debent Monaſterio,perſoluant.

Conditiones quibus recipiendi ſunt Oeconomi, & expedienda inſtrumenta publica.

OEconomi Monialium domibus deputandi Viri graues, optimæ famæ, in materia negotiorum verſati eſſe debent; qui & ſecuras de ſe cautiones à Prouinciali, & Computiſta Prouinciæ approbandas anteà præſtent: nec abſque horum participatione recipi valeant. Cum de illius receptione ſcribendum erit inſtrumentum, Religioſus grauis à Prouinciali,& Computiſta præfatis aſſignandus debet aſſiſtere, ad hoc vt conditiones hic adnotandæ(ſine quibus recipiendus omnino non eſt) illa in ſcriptura, vel iuſtrumento publico deſcribantur.

Primò obligare ſe debet ad integram pecuniæ vel etiam minimę, tritici, & cuiuſcunque rei, atque prouentus, quæ ad Conuentum attineant, ſiue de præſenti, ſiue de præterito vſque ad tempus conuentionis; nec tantùm quæ ad Communitatem, ſed & quæ ad Religioſas ſingulas pertineant,& in omnibus diligenter laborando tam iudicialiter, quàm extraiudicialiter, iuxta rerum contingentias, vt ſi ex negligentiæ ſuæ defectu, vel aliter ex culpa ſua aliquid ſiue de Communitate, ſiue de Monialibus particularibus deperire contigerit, Oeconomo imputetur, qui de ſuo damnum reparare teneatur.

Teneatur etiam pecuniam, & cætera, prout ſucceſſiuè exigere poterit, ſingula ſine dilatione conſignare, videlicet, pecuniam illis, quibus Arcula fuit commiſſa, in qua ſtatim iuxta ſuperiùs dicta, reponatur; triticum verò &c. Abbatiſſæ cæteriſque granario præfectis, à ſingulis de conſignato atteſtationem recipiens, per quam ipſe releuetur ab onere. Abbatiſſæ verò, Computiſtæ, Vicarioque Conuentus grauiter iniungimus, vt tota ſinceritate inuigilent, vt dictæ conſignationes adamuſſim compleantur; ex quarum defectu, ſi damnum aliquod Conuentui ſuperueniat v. g. quòd pecuniam ad vſuram, vel cenſum accipere cogatur, hæc omnia Oeconomus de proprio compenſare teneatur.

Debet etiam Oeconomus arieres, aut verues, cæteraque Conuentui neceſſaria emere tempore opportuno, quando ſcilicet minimò venduntur, vt Conuentus vtilitas præferatur; adnotare verò debet rei emptæ, vel emendæ quantitatem, à quo, quanti, & quo tempore empta, vel emenda ſit, aliaque pretia, quæ de ſimili occnrrent, de ſingulis atteſtationem habeat, & mandatum pro ſolutione facienda; cuius vigore pretium vniuerſum à Præfectis Arcę recipiat.

Obligatur inſuper Oeconomus,vt ſingulos cenſus recognoſci faciat, ad Conuentum attinentes de præſenti, & qui anteà præfuerunt, decimo quoque anno; ad hoc ne temporis decurſu, ex culpa omiſſæ recognitionis, atque deuolutionis hypotecarum ad diuerſos poſſeſſores aliquid deperdi contingat; vndè ſi ex non facta tali recognitione, lites, vel expenſæ,vel damna Monaſterio accidant, Oeconomns ad ſingula teneatur de proprio.

Terminos poſſeſſionum, ſeù poſſeſsionis circumemptiones,quas Monaſteria habent, viſitare debet Oeconomus, quæ ſi antiquæ reperiantur, eas vigeſimo quoque anno recognoſcendas, & renouandas curare teneatur, omnes, & ſingulos citando intereſſe habentes in cauſa: ſed ante omnia per ſe ipſū per-

perſonaliter, & cum alijs hac de materia pleniùs informatis terminos, & conterminos viſitare debet, & diligenter obſeruare vtrum omnia ſalua ſint, & illæſa, vel aliqua in parte damnificata, ad hoc, vt damnum Monaſterio illatum opportunè reparetur. Prouincialibus etiam iniungimus, vt Computiſtam, vel Religioſum alium hac in materia verſatum adigant, vt in præfata cenſuum, ſcripturarum &c. recognitione aſſiſtant; cum hoc ad Monaſterij vtilitatem quàm maximè conducat; vndè ſi Abbatiſſa, & Moniales negligentiam in hiſce deprehendant, Prouincialem admonere debent, qui illos ad hæc adimplenda compellat.

Singulis annis menſe Auguſti teneatur Oeconomus circuire per oppida &c. ad exigendum à Conductoribus triticum &c. vinum item, & oleum, cæteraque Conuentui debita tempore opportuno: fruges ipſas ad Conuentum vehi faciet, de pretio pro vectura quàm minimi potetit, conueniendo, in quo conſcientia eius oneratur: ſingula Monialibus, ſiue Abbatiſſæ conſignabit, vt in ſuis reſpectiuè locis, iuxta ſuperiùs ordinata, reponantur.

Reſiduum tritici aut ordei &c. conſiderata Monaſterij vſque ad nouam collectionem neceſsitate, ſi ex publica taxatione vendatur, toties, quoties, & quibuſcumque vendi poterit; ſi verò Coloni, aut Conductores ipſi eodem pretio illud poſtulauerint, media ſolutione cæteris præferantur: ſi autem pretium tantùm non habeat, vendi non poſsit niſi menſe Mayo, vel ad valorem eo menſe futurum. Hæc omnia ſine Prouincialis licentia in ſcriptis, agere non liceat Oeconomo; Prouincialis autem inconſultis Abbatiſſa, Monialibus, & Computiſta, facultatem illam non expediat: facta venditione conſtet de ipſa per Teſtes in ſcriptis, ad hoc, vt de pretio poſsit exinde apparere.

Oeconomus ad oppida, locaque digrediens, in quibus ſunt Monaſterij bona ſtabilia, vel aliquid ad ipſa pertinens, atteſtationem à Notario publico, vel ſi non adſit, à Parocho habere teneatur, quot diebus illa in occupatione fuerit detentus, quam ſi non habeat, dies illi, quibus ſe in tali loco fuiſſe prætendit, omnino non acceptentur.

Lites Monaſterij in ſuo ingreſſu iam poſitas, & quæ in poſterum ſuperuenient, proſequi debet, & cum quibuſcunque neceſſe fuerit, eas ſollicitare, itaut ſi eius ex negligentia, vel incuria Monaſterio pereant, aut non exigantur, aut quodcunque damnum incurratur; Oeconomo pereant, & imputentur.

Atteſtationes etiam habere debet Oeconomus de ſingulis iuribus ſolutis Scribæ, Cauſidico, Procuratori, Miniſtro iuſtitiæ, vel cuicumque alteri pro Monaſterij negotijs, aliàs non referantur in acceptum.

Oeconomus prolongationem ſolutionis conductori, vel cuiuis alij Conuentus debitori dare non poterit, quam ſi dederit; damnum omne Conuentui exinde proueniens Oeconomo imputetur.

Obligetur Oeconomus in eadem ſcriptura contracturus, ad non excedendum in dando, vel ſoluendo Abbatiſſæ, cæteriſue Conuentus Officialibus, vltra taxationem à Prouincialibus, Computiſque præfixam; quod ſi quouis modo exceſſerit, id ei non referatur acceptum.

Si Oeconomus in redditione computi ſummam aliquam non exactam aſſignauetit, & ſi peracta debita diligentia; niſi ſumma illa fuerit à debitore comprobata, & ſubſcripta coram Notario, & Teſtibus, atteſtante debitum, & debiti quantitatem vſque ad talem diem menſem, & annum, ab Oeconomo in ſui fauorem allegata, taliſque ſcriptura in ipſo computo producatur; nullo modo audiatur, ſummaque prætenſa repellatur.

C A P. XV.

De harum Conſtitutionum obſeruantia.

CVM à regulæ, harumque Conſtitutionum obſeruantia regularis vitæ, Monialiumque perfectio dependeat; omnibus, & ſingulis Ordinis noſtri obedientiæ ſubiectis Monialibus præcipiendo præcipimus, vt ordinationes iſtas, prout diſpoſitæ ſunt, integrè obſeruent: Prælatos Ordinis, & Abbatiſſas ſeriò admonemus, vt ad earum integram, & omnimodam obſeruantiam ſubditas ſuas reſpectiuè compellant.

Declaramus, harum vigore Conſtitutionum, & immediatè pro Diſcalceatis, atque Recollectis ſubſequentium nullam Religioſam ad culpam mortalem, vel venialem, ſed tantùm ad pœnas in his expreſſas obligari, niſi aliunde à iure aliquo ita obligentur, excepto etiam, vbi eiſdem in obligationibus præceptum ſanctæ obedientiæ, vel pœna excommunicationis apponitur, tunc enim præceptum illud ſub pęna peccati eſt adimplendum.

Ter per ſingulos annos, videlicet menſibus Ianuarij, Maij, & Septembris in Refectorij communitate tum Conſtitutiones has generales, tum particulares Prouinciarum legere teneantur, ad hoc vt Religioſæ ſingulæ de obligationibus ſuis ignorantiam al-

allegare non valeant: At ſingulis per annum ſextis ferijs Regula in Refectorio legi debet; vnde præcipimus vt Regulæ Monialium reſpectiuè typis imprimantur, hiſque in Conſtitutionibus in capite inſerantur, ad hoc vt omnes Id continuò legere poſſint, ad quod obligantur.

Declaramus, non eſſe intentionem Capituli generalis, particularia Prouinciarum Statuta pro ſanctiori ſuarum reſpectiuè Subditarum gubernio facta, nec laudabiles Monaſteriorum Conſuetudines, quæ puriorem Regulæ obſeruantiã concernunt, vel abrogare, vel irritare, niſi in quãtùm Sacris Canonibus & ordinationibus iſtis repugnarent.

Quòd ſi fortè caſus euениat in huiuſmodi Conſtitutionibus non expreſſus, ſtatuimus, vt per Generalia Ordinis, aut Prouinciarum ſtatuta, vel iuxta Sacros Canones, aut denique Miniſtri Prouincialis arbitrio, de conſilio Diſcretorum Prouinciæ debeat determinari.

Declaramus, non licere Prælatis Ordinis diſpenſare in Conſtitutionibus Apoſtolicis, quæ hiſce in ſtatutis alleganture, præterquàm in caſibus per Ordinis priuilegia ab Apoſtolica Sede in ordine ad diſpenſationem conceſſis.

Seriò Prælatis iniungimus, vt in cæteris, quæ videlicet à Religione ipſa fuerunt ſtabilitæ, non ſint faciles ad diſpenſandum, ſed rariùs, & cum plurima aduertentia, matura; conſideratione, vrgentiſſimiſque de cauſis ſeriùs examinatis ad diſpenſationem procedant; in quo conſcientias eorum grauiter oneramus.

Ijs exceptis, quæ Generalibus expreſsè reſeruantur, in reliquis poterunt etiam Prouinciales diſpenſare data cauſa, non tamen abſque ſui reſpectiuè Diffinitorij conſenſu. Quod ſi caſus alicuius vrgentia dilationem non patiatur ad congregandum Diffinitorium, duo Prouinciæ Diſcreti cum Prouinciali caſum examinare debent, de quorum aſſenſu licentia ſupplicata poſſit in ſcriptis concedi, motiuum diſpenſationis in ipſa declarando: Prouincialis qui alio modo diſpenſabit, à Generalibus puniatur.

Caſus qui pœnam priuationis Abbatiſſis imponunt, vel priuationem actuum legitimorum, vel pœnam carceris, Prouincialis ipſe ſententiare debet de conſenſu, & voto duorum ſaltem Prouinciæ Diſcretorum arbitrio ſuo eligendorũ, cæteros autem ex ſe ipſis poterunt reſoluere.

Conſtitutiones Generales ſpecialiter pro Diſcalceatis de prima S. Claræ, & pro Recollectis de ſecunda, ſeu Vrbaniſtarum Regula, nec non pro Conceptionis; atque de Tertio Ordine obedientiæ Religionis S. Franciſci ſubiectis eodem in Capitulo Generali anno 1639. editæ.

CAP. I.

De obligatione harum Conſtitutionum Generalium.

OMnes, & ſingulæ Moniales Diſcalceatæ, ac Recollectæ ad Conſtitutiones Generales obligantur, quæ pro Monialibus vniuerſis ſuperiùs fuerunt diſpoſitæ, non ſolùm in ijs, quæ à Sedis Apoſtolicæ, atque à Sacrorum Conciliorum generalium, ſed & in cæteris, quæ à Religionis authoritate dependent; quæ pro Monialibus in communi fuerunt ordinatæ, & puriorem Regulæ obſeruantiam, ſtatuſque Religioſi perfectionem concernunt. Cum ergo Religioſæ Diſcalceatæ, atque Recollectæ, rigore, atque puritate maiori Regulam, & laudabiles ſuas Conſuetudines obſeruare, teneãtur præcipimus, vt non modò antedictas Conſtitutiones generales Monialibus communes, ſed & conſequentes pro ipſis ſpecialiter editas exactiùs obſeruent, & adimpleant.

Declaramus, non eſſe intentionis abrogare ſtatuta per B. Coletam Boelet olim pro Diſcalceatis, aut particularia pro Sanctiori gubernio à Prouincijs edita, vel quæ ad diem ſingularibus in Conuentibus conſeruantur, aut laudabiles ipſarum conſuetudines, ſpecialeſque ritus, atque viuendi formam, quæ ſtrictiorem Regulæ obſeruantiam reſpiciunt: imo Capitulum Generale quàm maximè deſiderat, vt hæc omnia exactiùs obſeruentur, niſi Sacro Tridentino Concilio, vel Sacris Canonibus, aut præſentibus Conſtitutionibus aduerſentur.

Ea propter obligantur ter ſingulis annis, nempe menſibus Ianuarij, Maij, & Septembris in publica Communitate legere Conſtitutiones generales noſtris Monialibus communes atque præſentes pro Diſcalceatis, & Recollectis ſpecialiter editas, nec non particulares Prouinciarum, & Conuentuum, ad hoc vt obligationes ſuas non ignorent.

Declaramus, omnia, & ſingula contenta in prima S. Claræ Regula, quam Diſcalceatæ profitentur, ad culpam mortalem non obli-

obligare, quinque caſibus exceptis, videlicèt Obedientiæ, Paupertatis, Caſtitatis, atque Clauſuræ, & quæ modum eligendi ab officio Abbatiſſam ex capite quatto concernunt; prout ab Eugenio IV. fuit declaratum.

C A P. II.

De Officio Diuino, Oratione, & Silentio.

ETiamſi conſnetudo cantandi diuinum officium Sancta ſit, & pia, per Sanctos Patres introducta: ad hoc tamen, vt Diſcalceatæ, atque Recollectæ Orationi, Contemplationi, cæteriſque pænitentialibus exercitijs diutiùs vacare queant; præcipimus, & ſtatuimus, vt officium nec etiam, in cantu plano, ſiue Gregoriano cantare permittantur, ſed deuoto vnitono, clara, & diſtincta voce, cum deuotis interpunctis recitari debeat, vt omnes vniformiter incipiant, & vniformiter ad finem vſque proſequantur.

Matutinas ſemper in media nocte, Primam, & Completorium tempore opportuno recitabunt, ad hoc vt orationi mentali diutiùs vacare poſſint. Tertiam tamen, Miſſam, & Veſperas in tono alto perſolnent, cauendo, vt in feſtis ſolemnioribus altiori voce, atque ſolemniùs officium ipſum debeat perſolui.

Diſcalceatarum, & Rectollectarum Chori vniuerſi ſint in loco eminenti; quod ſi alicubi ex præciſa neceſſitate debent eſſe in inferioribus, duabus ferreis cratibus vlna cum dimidia diſtantibus ab innicem ornentur; ne autem in cratibus huiuſmodi difformitas, aut ſingularitas appareat, ſed omnes commendabili vniformitate decorentur; ſtatuimns, vt in vno quoque Choro vnica ſit huiuſmodi crates ferrea, & fortis, cum ferreis intermedijs condenſatis, magniſque ferreis aculeis in parte exteriori munita, palmos decem in latitudine, totidemque in altitudine non excedet; velo nigro interiùs obtegatur, quod niſi ad audiendum verbum Dei, & ad eleuationem SS. Sacramenti contrahi non liceat.

Vt Regulæ ſtatutorum, piarumque conſuetudinum ſuarum rigores feruentiori ſpiritus denotione cuſtodiant, ſtatuimus, vt quotidie mentali otationi dnarum cum dimidia horatum ſpatio vacent, hoc ordine; vt hora vna poſt Primam, vna poſt Completorium, & dimidia poſt Matutinum; quę tamen dimidia à Reſurrectione Domini ad feſtum vſque exaltationis S. Crucis, ob noctium breuitatem, poſt Nonam poterit haberi, præmiſſa ſemper lectione ſpirituali, vt in Conſtitutionibus generalibus ordinatur.

Diſcalceatis de prima Regula eſus carnium, excepto caſu neceſſitaris interdicitur; quotidiè ieiunabunt, eo modo quo in ipſarum Regula præſcribitur. Cæteræ Recollectæ ieiunia ſingula ab Eccleſia præſcripta, item Aduentuale à feſto omnium Sanctorum, vſque ad Natiuitatem Domini, & ſingulis ferijs ſextis per annnm, & in vigilijs B. V. Mariæ obſeruare debent; quæ verò quadrageſimam Benedictam, vt vocant, à S. P. Franciſco commendatam ieiunare voluerint; Benedictæ ſint à Domino.

Silentij rigorem ab abſoluto in Veſpere Completorio vſque ad perſolutas in mane horas Diuinas cuſtodient; perpetuumque erit in Choro, Dormitorio, Clauſtro, in Refectorio tempore commeſtionis: In Valetudinario pro Infirmarum conſolatione, alijſque in locis loqui poterunt, at ſubmiſſa, compoſitaque voce, quæ contra hæc deliquerint, ab Abbatiſſa puniantut.

C A P. III.

De vita Communi, & habitu Monialium.

QVoniam in Conuentibus præcipuè Reformatis, ex Monialium multitudine ſolet oriri confuſio, ſtatuimus, & præcipimus, vt in Diſcalceatarum, Recollectarumqne cænobijs Religioſæ numerum taxatum non excedant, (excipitur ab hac reſtrictione Regius Diſcalceatarum Matritenſis Connentus, cuius taxatio à Regio Patronatu dependet:) ita tamen, vt de his triginta tribus tria ſemper loca vacent, ad hoc vt ſi perſona aliqua notabilis ſingularitatis aliquando recipienda ſit, inter triginta tres locum habere debeat.

Singulæ Religioſæ in communi Dormitorio conquieſcenr; concedimus tamen, vt dormitorium in cellas repartiri poſſit Monialibus ſingulis diſtribuendas, ſed ea diſpoſitione, vt Abbatiſſa cum vna vel duabus portis illud de noctu occludere debeat: ſtatuimus eriam vt prædictæ cellulæ ex vnico cubiculo anguſto conſtent, & per omnia recollecto.

Nullam in dictis cellis curioſitatem, nec etiā ad titulū deuotionis Abbatiſſa permittat; ſed in omnibus Spiritus ſanctæ paupertatis, atqne reformationis effulgeat: lignea Cruce, atque imagine paupere ſint contentæ: Abbatiſſa ſi quid aliud permittat, bimeſtrem ab officio ſuſpenſionem incurrat, Monialis verò puniatut.

Rigoroſè præcipimus, vt etiam vbi Dormitorium eſt ſine cellarum diuiſione commune, & in cæteris etiam, nulli Religioſæ cella particularis concedatur; ſi qua Abbatiſsa

tiſſa contrarium permiſerit, ad ſex menſes ſuſpendatur ab officio: & Prouincialis de hoc informatus cellam Religioſæ auferat, & pro Conuentus Communitate conſtituat.

Habitum omnes veſtiant ex ſago, vel leui denia, quòd ſi aliqua in Prouincia neceſſe ſit, vt panno vtantur, ſit de humiliori, atque vilioris pretij: & ad formam habituum Recollectarum abſque omni ornamento componantur, quatuordecim, vel quindecim palmos in amplitudine non excedanr, ad ſolum longitudine non protendantur, ora manicarum vnico palmo compræhendantur, pallia pro tertia vlnæ parte ad terram non pertingant.

Alba vela Monialium ex lino protenſo, & plano fiant, ad chordam vſque producta, funis ipſa de cannabo, vel herba: vela nigra nullatenus ex ſerico, vel alia pretioſa, aut curioſa materia permittantur, ſed ſtatui Recollecto pet omnia correſpondeant: Abbatiſſa contrarium tolerans, per duos menſes ſuſpendatur ab officio.

Moniales Diſcalceatæ calceis tantùm ex cannabo apertis vtantur, excepto caſu neceſſitatis, quo interueniente de Abbatiſſę licentia pedalibus laneis vti poterunt: Recollectæ autem calceatæ poſſunt incedere, ſed calceis ex corio, vel cannabo, crepidis verò minimè vtantur, Abbatiſſa contrarium permittens officio priuetur.

Diſcalceatæ de prima Sanctæ Claræ Regula rebus vtentur in ſua Regula conceſſis: Recollectæ verò lineis omnino non vtantur, niſi ex præciſa neceſſitate per Abbatiſſam approbata, paruas tamen tunicas ex ſtamine, aliaque iuxta diſcretionem, & iudicium Abbatiſſæ habere permittuntur.

Cubile omnes habeant veræ paupertati conforme, ſtramento ſolo ſubſtrato, tempore verò neceſſitatis, & Anaclinteria, lintea, vt & ſubuculas poſſint adhibere.

Infirmę quæcunque Communitatis actus ſequi non poſſunt, in communi valetudinario conquieſcent, extra quod nec ipſi Abbatiſſæ conceditur, vt curetur. In cubili habitum cum velo integra compoſitione tenebunt, præſertim ad Medici acceſſum, vel cuiuſcunque alterius extranei, & tunc velo vultum operient.

Adhæc vt vniformes ſint Salutationes, hoc titulo ſe ſe inuicem omnes ſalutabunt, *Veſtra Charitas*, ad Abbatiſſam tamen, & ad Ex-Abbatiſſas loquendo, eas ſic interpellabunt, *Veſtra Reuerentia*.

C A P. IV.

De Paupertate.

Diſcalceatas de prima Regula exhortamur, vt in ſancta paupertate per Regulam eis præſcriptam perſeuerent, prouentus nec in particulari, nec in communi habendo, ſed ex Fidelium eleemoſynis viuant, in Domino Deo confidentes, cuius prouidentia eis in neceſſitate non deficiet: Vndè ſtatuimus, vt ad poſſidendum in communi non debeanr compelli, iuxta priuilegium paupertatis à D. Innocentio Papa IV. eis conceſſum.

Declaramus tamen, licere Monialibus Diſcalceatis, illæſo tum in communi, tum in particulari paupertatis Seraphicæ rigore, prouentus annuos habere pro ſæcularium, & Eccleſiaſticorum ſuſtentatione, qui earum reſpectiuè Conuentibus inſeruiunt, item pro reparatione domus, pro Eccleſiæ, atque Sacrarij ornamento, denique pro omnibus illis rebus, quæ ad ſuſtentationem, & veſtimenta Religioſarum non pertinent.

Declaramus etiam, licere Diſcalceatis eiſdem, ſalua eadem paupertate, legata, & collocationes à Loci Patronis, aut alijs Benefactoribus deputatas, & per modum eleemoſynę illis diſtribuendas retinere, quoniam nullo acquiſito iure ſuper eis, per modum ſimplicis eleemoſynæ, ſicut & Religioſi noſtri poſſunt, atque cum limitationibus in generalibus Ordinis noſtri Statutis deſignatis eas recipiunt. Concil. Trid. ſeſſ. 25 cap. 5. Miranda in expoſit. Regul. S. Claræ par. 1. cap. 6. Portell. in dub. regul. ver hæred. num 7. Hieron. Rodrig. reſol. 129 num. 15.

Cum verò plures Diſcalceatarum Conuentus in locis paruis & pauperibus fundati ſint, & de nouo fundentur, vbi ſine miraculo moraliter eſt impoſſibile, vt viuant ex quotidianis eleemoſynis, declaramus, licere Diſcalceatis ipſis abſque Regulæ tranſgreſſione, annuos prouentus habere, ſicut aliorum habent Ordinum Moniales, & ita ſine peccato dotes pro Nouitijs recipere, eaſque ad annuos prouentus collocare.

Recollectis Monialibus prouentus in communi poſſidentibus omnino interdicimus, ne pro ſuis particularibus neceſſitatibus prouentus, aut peculium habeant in particulari, ſed quæcunque à Conſanguineis, vel à Benefactoribus offerentur, inter bona Communitatis incorporentur, ſingulæ namque de communi viuere debent, illo contentæ, quod in communitate diſtribuitur.

Abbatiſſis grauiter iniungimus, vt Subditis ſuis, tum in veſtitu, tum in alimentis, & in cæteris neceſſaria exactiſſimè prouideant,

deant, ne illis neceſſitas inferatur recurrendi ad amicos ſpirituales, qui ſibi prouideant,& inde relaxatio proueniat in re tam cauta, & graui, qualis eſt integra Communitatis conſeruatio: Vnde & Prouincialibus grauiſſimè committimus, vt in actu viſitationis ſuper hoc ſeriùs inuigilent, atque Abbatiſſas in hoc culpabiles ab officio deponant.

Præcipimus etiam, vt vniuerſa prædictarum Monialium laboritia Communitati applicentur, quocirca ſingulæ debent quidquid actu compleuerint, illicò Abbatiſſæ conſignare, quæ de ipſo ſecundùm exigentiam diſponet, imò & vniuerſæ tenentur ei laboritio incumbere, quod ipſis fuerit ab Abbatiſſa iniunctum, quæ in hoc inuigilare debet, vt Moniales, poſtquam Chori, & Orationis obligationibus, cæteriſque ſatisfecerint neceſſarijs, laboritio ſe ſe dedant, otiumque animæ tam pernicioſum ſuper omnia deuitent.

CAP. V.

De Clauſura, Ianuis, & Cratibus.

QVOAD Clauſuram attinet, ea omnia obſeruare debent, quæ à Decretis Apoſtolicis, & generalibus antedictis Monialium noſtrarum Conſtitutionibus præſcribuntur, quæ vt in Conuentibus Diſcalceatarum, ac Recollectarum exactiùs obſeruentur, præcipimus omnino, vt in Conuentibus huiuſmodi porta vnica Regularis permittatur, duabus clauibus obſerata, quarum vna pœnes Abbatiſſam, altera per Turnariam cuſtodiatur, ad quam nulli prorſùs licebit colloqui, nec Prouincialis licentiam ibi colloquendi vllo modo concedet: Abbatiſſa, & Ianitrix, ſi colloquia ibi permiſerint, ab officijs ſuis reſpectiuè ſint ipſo facto depoſitæ, cum inhabilitate perpetua ad hæc, & alia in poſterùm obtinenda.

Cratis etiam vnica eiſdem in Conuentibus concedatur, ad quam accedere liceat Monialibus, quæ vel in altitudine, vel in latitudine vnius vlnæ menſuram non excedat, quæ Cratæ ferrea forti, & denſa obfirmetur cum aculeis vnius quartæ longitudinis: à parte verò interiori laminam ferream habeat cum foraminibus adeò anguſtis, vt vox audiri poſſit, Perſona videri non poſſit, ad quod etiam velo nigro contegetur, à parte etiam interiori ianuam habere debet, nunquam aperiendam, niſi ex occaſione alicuius acceſſus.

Cratis ipſa & Turnus eodem in cubiculo collocentur, ad quod ſine Abbatiſſæ licentia nulli accedere liceat, exceptis Turnaria, atque Vicariæ.

Præcipimus, vt nulli Monialium, etiam de Abbatiſſæ licentia, loqui ad Cratem permittatur, niſi aſſiſtentibus duabus Diſcretis (vnde & Diſcretas octo, ſed non vltra in ſingulis hiſce Conuentibus permittimus) quæ verò ſine Diſcretarum aſſiſtentia colloquetur, culpam accuſabit pro prima vice in communitate, pro ſecunda velo priuetur ad duos menſes, Abbatiſſa verò, quæ pœnas huiuſmodi non exequetur, Prouincialis arbitrio puniatur.

Ante ſolis ortum, & poſt ſolis occaſum, & in quadrageſima Sancti Martini, atque in maiori nulli permittatur ad Cratem colloquium habere, niſi fortè grauiſſima cauſa occurrat ab Abbatiſſa comprobanda, vel cum Sacerdote ex cauſa Confeſſionis.

Nuntia ſingula, & epiſtolæ ad Moniales tranſmiſſæ priùs à Turnarijs ad Abbatiſſam perferantur, adhoc vt illa videat, atque regiſtret, nulli etiam liceat epiſtolas ſcribere, niſi pro eis emittendis licentiam ab Abbatiſſa receperit, vbi eam legerit, ſi qua in hoc deliquerit, prima vice culpam ſuam in Refectorio confitebitur, grauiterque reprehendetur, pro ſecunda vice ad duos menſes velo priuetur.

In Conuentibus Diſcalceatarum, nec famulæ, nec Laicæ, nec Oblatæ, vel Tertiariæ poſſint eſſe ad ſeruitutem deſtinatæ, ſed ipſæ ſibi inuicem deſeruiant, & officia domus per ſingulas Hebdomadas Sabbato in tabula legenda diſtribuantur.

Cæteras etiam Recollectarum domus, ad hoc itidem obſeruandum exhortamur, ſi tamen ex cauſa vrgentiſſima iudicauerit Diſfinitorium, alicubi recipiendas eſſe ſeruitrices, curent, vt Laicæ ſint, vel Tertiariæ, quæ cum conditionibus illis ſuperiùs in Conſtitutionibus generalibus Monialium deſignatis acceptari debeant, ſicut & Ancillæ ſæculares, caſu quo Laicæ, vel Tertiariæ haberi nequeant.

Conſtitutiones Generales pro Collegijs Puellarum Sæcularium in Conuentibus Ordinis S. P. Franciſci conſtitutis, ſub cura Monialium, & Prælatorum Ordinis, eodem in Generali Capitulo edita anno 1639.

CVM in Conuentibus non paucis noſtræ Religionis Puellarum Sæcularium Collegia ſubſiſtant, ſub Monialium noſtrarum regimine, adhoc vt in actibus virtutis, & ſanctis moribus educentur, idcirco præcipimus

cipimus, vt domum à Conuentu aliquo modo diſtinctam habeant, cum Porta Regulari, Turno, Cratibuſque diſtinctis à Monialium receptaculis, cum quibus conuerſari, aut communicare non valeant.

Quotieſcunque Abbatiſſa eligenda erit, eligatur eodem modo per ſecreta omnium Monialium ſuffragia Gubernatrix, ſiue Mater Collegij, quæ Puellas illas regat, & gubernet, Religioſas tres è parte Monaſterij educet, quarum vna Ianuæ, & Turno præficiatur, altera ſit Puellarum Magiſtra, Tertia cum titulo Procuratricis Collegij ſuſtentationi prouidebit, prout à Gubernatrice, ſeu Matre ſibi committetur. Hæc autem officia per Abbatiſſam, & Diſcretas debent aſſignari, & cum cæteris de Conuentu in Tabula legi.

Gubernatrix, & Officiales huiuſmodi ſubduntur Abbatiſſæ ad inſtar cæterarum, vtque ſubditas poterit ipſas viſitare, corrigere, atque punire, ad quod quotieſcumque voluerit, & pro bono Collegij regimine opportunum iudicauerit, Collegium intrare poterit.

Seriò iniungimus Gubernatrici, vt Puellas virtutibus imbuat, & ad voluntarium ſeceſſum inſtruat, ſub pœna priuationis Officij veſtes, & ornamenta incompoſita, ac ſi eſſent in ſæculo, eis nullatenùs permittat, ſed abſque vlla vana curioſitate, cum omnimoda vniformitate, nec vel cingulo differentes induantur, & ornentur.

Ad colloquendum non accedant, niſi cum Patre, Matre, vel Fratribus ſuis, cum alijs verò vbi periculum timeri non debeat, non niſi de licentia Abbatiſſæ, atque Gubernatricis, & aſſiſtentia Monialis alicuius. Ianitrix, atque Gubernatrix, quæ Puellæ cuiquam correſpondentiam conſuetudinariam permittent, ab Officio deponantur, eademque ſub pœna non concedant, vt apetta permaneat ad colloquendum Porta Regularis, etiamſi ſtando colloquantur in illa.

Magiſtra inuigilare debet, vt Puellæ quotidie Miſſæ ſacrificio interſint, Sancta Sacramenta ſaltem bis per ſingulos menſes frequentent, Officium paruum, atque Coronam Beatæ Virginis Mariæ quotidie recitent, Orationi Mentali per horæ vnius quadrantem vacent, alijſque ſpiritualibus exercitijs: legere, ſcribere, ac laborare diligenter eas edocebit, quæ ignorant, itaut nec in momento eas otiari contingat, cum otium vitiorum omnium ſit origo, ad quod ſolerter euitandum, tempora diſtribuat.

In ſuo communi Refectorio in communitate ad prandium, cœnamque conueniant, vbi Gubernatrix, & huius in abſentia, Magiſtra præſidere debebit, interimque vna de Puellis librum ſpiritualem perleget.

Turni, & locutoria claudentur, & ſilentium obſeruabitur, ſicuti pro Monialium Conuentibus fuit ordinatum, & generaliter illa omnia, quæ pro Conuentuum ſanctiori regimine ſancita leguntur, hiſce in Collegijs cuſtodiantur: Ad Turnariæ cubiculum, vel ad Turnum, vel ad Portam Regularem non accedent Puellæ; Turnaria verò id permittens, ſemeſtris ſuſpenſionis ab Officio pœnam incurrat.

Penſioniſtæ, quæ huiuſmodi in Collegia recipientur, penſionem, & alimenta ſoluere debent iuxta taxationem a Prouinciali factam de Abbatiſſæ, Gubernatricis, & Diſcretarum Conuentus aſſenſu: Taxatio verò hæc iuxta locorum, & temporum varietatem fieri debet, cuius nec minima pars poſſit alicui, vel etiam ex paupertatis titulo condonari, pauperiora namque ſunt cœnobia. Quòd ſi Penſioniſta aliqua ſecum ducat Ancillam (quòd tamen pro poſſe recuſari debet) ducata viginti pro ipſa ex ſolo oneris titulo ſoluere tenebitur, prout de particularibus Monialium Ancillis fuit ordinatum.

Præcipimus Prouinciali, & Computiſtis, vt cum certa præfixione deſcribant, quid ſingulis diebus, ſingulis Collegij Monialibus, & Puellis apponi debeat ad menſam, adhoc vt neceſſaria præbendo non excedatur in ſumptibus, ſed omnia cum computo, & ratione diſponantur.

Nulla Puella ſiue pro Collegiali, ſiue vt Penſioniſta recipiatur in Collegium, niſi per fauorabilia Abbatiſſæ, Gubernatricis, & Diſcretarum Monaſterij, & Guardiani talis diſtrictus ſuffragia, qui ſuffragia Monialium præfata debet excipere, conſcientiam verò earumdem ſeriò oneramus, vt Puellæ conditiones attentè conſiderent, ſi virtute, bonis moribus, & integra fama commendetur, fauente tandem maiori ſuffragiorum parte, indicetur Prouinciali, qui licentiam in ſcriptis, maiori Prouinciæ ſigillo munitam expediet: Abbatiſſa, Gubernatrix, Monialeſque alia ſub forma Perſonam quamcunque admittentes, veluti Clauſuræ cœnobij Violatrices puniantur.

Quàm grauiſſimè iniungimus, ne intra prædicta Collegia, vel Nuptæ, vel Viduæ admittantur, quòd ſi grauiſſima, atque ineuitabili de cauſa interdum aliquam recipi neceſſe ſit, priùs de vita eius, & moribus dili-

diligenti perquiſitione Moniales informentur, deindè per ſecreta ſuffragia, vt in §. Immediatò dictum eſt, approbetur, & ſi approbata fuerit, ad Prouincialem remittatur approbatio pro impetranda licentia, vt ſupra.

Quotieſcunque Prouincialis ad Monaſterij viſitationem accedit, ſuper Puellas etiam iſtas ſæculares inquirat de forma illarum vitæ, earum conſtitutiones, ſanctaſque conſuetudines obſeruent, relaxationes ſingulas euellat, incorrigibiles expellat, demum cum clauſura Conuentus, Clauſuram etiam Collegij viſitet integro rigore.

Nec Puellæ ad habitaculum Monialium, nec Moniales (exceptis Abbatiſſa, ſiue Præſide, atque Vicaria Conuentus) ad Puellarum Collegium intrare permittantur. Quòd vt exactiùs obſeruetur, vnica debet eſſe ianua pro tranſitu à Collegio ad Conuentum, ſemper claue obſirmata, cuius clauis pœnes Abbatiſſam, & Gubernatricem ſemper debet aſſeruari, nec aperietur niſi pro Abbatiſſæ, vel Vicariæ Conuentus, vel Monialium de Collegio tranſitu. Cæterùm Abbatiſſæ, atque Gubernatrici ſub pœna ſuorum reſpectiuè priuationis officiorum prorſus interdicimus, ne cuicunque alteri tranſitum hinc indè permittant, præterquàm in Dominica ſola Reſurrectionis, nec non in Aſſumptionis, & Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, & Sancti Patris Noſtri Franciſci ſolemnitatibus.

Adhoc autem vt Moniales, atque Puellæ poſſint ad inuicem ex legitima occaſione colloqui, ſtatuimus vt Cratis ordinetur, ad quam Moniales de Abbatiſſæ, Puellæ verò de Gubernatricis licentia conuenire permittantur.

Quotieſcunque Abbatiſſa, & Oeconomus de bonis Conuentus rationem reddet Computiſtę Prouinciæ, eodem modo de bonis Collegij, de Penſioniſtarum ſolutionibus, de Ancillarum onere, vt vocant, deque cęteris ad Collegium ex hoc titulo pertinentibus rationem tenetur reddere Gubernatrix, & Computiſta eadem omnino ſub forma computa huiuſmodi recipiet. Quòd ſi deductis omnibus Collegij expenſis, & repartitionibus aliquid erit reſiduum, totum ex integro Monialium Conuentui debet applicari, nec vllo modo pœnes Gubernatricem remanere, aliàs Gubernatrix ipſa officio ſuo priuetur, & pœna proprietariarum puniatur.

Hæc omnia, vt ſinceriùs exequantur, liber ſit in Collegio ad hoc expreſsè deputatus, in quo ex vna parte nomen, Parentes, & Patria ſingularum Collegialium Puellarum adnotetur, & quo die, menſe, & anno Collegium ingreditur, quo item die, menſe, & anno egreditur, aut cum explet Collegialitatem.

Alio ſimiliter in libro deſcribantur Penſioniſtæ, qualem penſionem pro ſe, quid pro ſuis Ancillis exſoluunt, quando ingrediuntur, & quando egrediuntur: Quæ omnia per Abbatiſſam, Gubernatricem, Diſcretaſque Conuentus ſunt omnino ſubſcribenda.

Si quæ alia Statuta, ſanctæque conſuetudines in aliquo huiuſmodi Collegio reperiantur, pro Puellarum, & Sæcularium huiuſmodi ſanctiori gubernio, ſtatuimus, vt exactè, & adamuſſim cuſtodiantur, niſi fortè præſentibus conſtitutionibus aduerſentur.

Abbatiſſam, Gubernatricem, cæteraſque Religioſas ſeriò exhortamur in Domino, vt pro integra legum iſtarum obſeruantia, pro ſancta educatione, atque inſtructione prædictarum ſæcularium omni ſolicitudine inuigilent, veluti pro opere inſigniter Heroico, Deique Maieſtati ſingulariter accepto.

Si tandem in aliquo Collegio, vel Monaſterio ſæcularis aliqua in periculo conſtituta ſit, quæ teſtamentum debeat ex neceſſitate conficere, ſtatuimus, vt teſtes, qui teſtamento debent intereſſe, à Conuentus Guardiano deſignentur, quòd ſi vrgentiſſima cauſa adhoc differri non poſſit, ab Abbatiſſa, nec non à Monaſterij Vicario nominentur, ita tamen vt Monialium non ſint Conſanguinei, vel Amici, aut Familiares, aut cogniti, ſed ex ijs, qui cum Monialibus quàm minimam habeant familiaritatem.

Conſtitutiones præfatæ in prællegato Capitulo Generali anno 1639. per Capitulum ipſum ordinatæ fuerunt, & approbatæ, per ſpeciale Capituli ipſius ſtatutum, quo præcipitur, vt inuiolabiliter obſeruentur.

Fr. Ioannes Merinero Miniſter Generalis.

Locus ✝ Sigilli.

De mandato ſuæ Reuer. Paternitatis.

Fr. Franciſcus Suarez Secretarius Gen. Ord.

Congregatio Generalis Romæ anno 1642.

Expleto primo poſt Generale Capitulum triennio, celebrata eſt Romę Congregatio Generalis Familiæ Ciſmontanæ, ad quam Reuerendiſſ. Miniſter Generalis accedere non potuit, ſed per Breue ſpeciale Sanctiſſ. D.N. Vrbani VIII. deputatus præſedit in ea Emin. Franciſcus Cardinal. Barbe-

Barberinus Pontificis Nepos, & Ordinis Protector.

Ecce Congregationis acta.

In Nomine Domini Amen.

Pro Anno 1642.

Hac eſt Tabula celeberrima Congregationis Generalis.

Ex Statutis General. Romæ impreſſ. 1642. IN hoc Conuentu Sanctæ Mariæ de Ara-Cœli Vrbis Romæ celebratæ 7. die menſis Iunij 1642. Præſidente Eminentiſſimo & Reuerendiſſimo Domino Franciſco titulo Sancti Laurentij in Damaſo Diacono Cardinali Barberino S. R. E. Vice-Cancellario Protectore noſtro, & à Sanctiſſimo D. N. Vrbano VIII. ſpecialiter delegato.

In primis, triennio Reuerendiſſimi Patris Fr. Benigni à Genua fœlicitér abſolutò, idem Reuerendiſſimus totius Ordinis Pater perpetuus, ſuffragijs Religionis in Commiſſarium Generalem noſtræ Ciſmontanæ Familiæ cooptatus eſt.

Procurator Generalis Ordinis in Curia Romana.

Adm. R.P.Fr.Gaſpar Sanchez Lector Iubilatus Prouinciæ Caſtellæ, & Ordinis Pater, continuatur.

Commiſſarius Generalis Curiæ Romanæ.

Adm. R. P. Fr. Fabius Papazzonius Lector Iubilatus Prouinciç Bononiç Cuſtos.

Procurator Generalis Reformatorum Familiæ Ciſmontanæ.

Adm. R. P. Fr. Ludouicus à Monte Gabione Prouinciæ Reformatæ S. P. Franciſci.

Diffinitores Generales Ciſmontanæ Familiæ.

Adm. R. P. Fr. Ioannes Andreas à Genua Prouinciæ Reformatæ Genuæ Cuſtos.

Adm.R.P.Fr.Ioannes de Roma Lector Iubilatus Prouinciæ Romanæ Ex-Miniſter.

Adm. R. P. Fr. Bonauentura de Aquauiua Prouinciæ S.Nicolai Miniſter.

Adm. R. P. Fr. Stephanus à Bettona Prouinciæ S.Franciſci Miniſter.

Adm.R.P.Fr.Michael Angelus à Sambuca Secretarius Generalis, & Prouinciæ Reformatorum Vallis Mazariæ Cuſtos.

Adm. R. P. Fr.Paulus de Tauris Prouinciæ S.Mariæ Hungariæ Miniſter.

Guardianus Terræ Sanctæ.

Committitur diſpoſitioni Reuerendiſſ. Patris Commiſſarij Generalis.

Sacra Theologiæ Studia Generalia in Ordine ad Iubilationem deſtinata iuxta Conſtitutiones Apoſtolicas Clementis VIII. & S.D.N. Vrbani VIII.

In Conuentibus.

SAnctæ Mariæ de Ara-Cœli Romæ.
Sanctæ Mariæ Nouæ Neapolis.
Sancti Franciſci de Monte Peruſij.
Omnium Sanctorum Florentiæ.
Sanctiſſimæ Annuntiatæ Bononiæ.
Sancti Franciſci Paduæ.
Sanctiſſimæ Annuntiatæ Genuæ.
Sanctæ Mariæ Angelorum Mediolani.
Sanctæ Mariæ Angelorum Panhormi.
Sancti Bernardini Aquilæ.
Sancti Hieronymi Viennæ.
Sancti Bernardini Cracouiæ.

Alia Studia Sacræ Theologiæ Generalia.

SAncti Franciſci Lucæ.
Sancti Didaci Neapolis.
Sancti Franciſci Anconæ.
Sanctæ Mariæ Nouæ Phani.
Sancti Franciſci Mantuæ.
Sanctæ Mariæ Ieſu de Meſſana.
Sanctæ Mariæ Ieſu Motucæ.
Sancti Antonij Licij.
Sancti Ioſeph Brixiæ.
Sancti Franciſci Coſentiæ.
Sanctæ Mariæ Foggiæ.
Sancti Thomæ Taurini.
Paradiſi Viterbij.
Sancti Spiritus Ferrariæ.
Sanctæ Mariæ de Vrſeolo.
Sanctæ Mariæ Ieſu Montis Leonis.
Tyrnauiæ.
Sancti Bernardini Alexandriæ.

Ordinationes facta in Congregatione Generali.

PRimò, prohibetur Miniſtris Prouincialibus, & Superioribus Localibus, ſub pœna priuationis ſuorum Officiorum, ne vltra triduum Fratres aliarum Prouinciarum apud ſe retinere audeant, niſi ad id ſpecialem facultatem oſtenderint.

Secundò, nullus poſt hàc ad ſtudia aliarum Prouinciarum mittatur, niſi ad requiſitionem Diffinitorij ſuæ Prouinciæ,

quæ

quæ teneatur ſeruatis, ſeruandis, eorum indigentijs, neceſſaria ſuppeditare.

Tertiò, renouatur Statutum, quo cauetur, ne Prædicatores extra ſuas Prouincias ad concionandum mittantur, neuè Laicorum, vel Ordinariorum fauoribus Pulpitos ſibi procurare audeant: ſed quid de illis Superiores diſponant, humiliter attendant.

Quartò, Breue Sanctiſſimi Domini Noſtri Vrbani VIII. nuper emanatum, pro reſtituendo candore in Ordine, vbique inuiolabiliter obſeruetur, & obſeruari procurent Superiores ſub pœna arbitraria.

Quartò, prohibetur, ne Commiſſarij, qui ad viſitandas Prouincias Regni Poloniæ, ſicut, nec ij, quos ſecum à ſecretis duxerint, vel in Socios in poſterum mittentur, ad Prouincialatum, Cuſtodiatum, ſeu ad aliquam aliam earum Prouinciarum dignitatem promoueri valeant.

Sextò, Studia Generalia in Ordine ad Iubilationem, in quibus, qui iubilare voluerint, ſaltem per tres Annos continuos Sacram Theologiam legere debebunt, deputantur.

Ad hæc autem Studia nullus deinceps Lectorum promoueatur, niſi alibi per ſexennium Sacram Theologiam legerit in Studijs Generalibus, & Prouincialibus.

Tres dumtaxat Lectores Theologi in huiuſmodi Studijs pro Iubilatione deſtinatis, ponantur, quorum vnus primum, alius ſecundum, & tertium: Tertius verò Quartum ſententiarum, iuxta Generalem Conſtit. à fel. mem. Clem. VIII. confirmatam legat.

Ille verò, qui Quartum ſententiarum exponendum aſſumpſerit ſemel in hebdomada lectionem Caſuum Conſcientiæ habebit, ad quam omnes Fratres Conuentus conuenire teneantur.

Lectores, qui per ſex Annos ſine interpollatione, vel octo cum interpellatione Sacram Theologiam legerint, vltra id, quod per Statuta Generalia ipſis conceditur, connumerentur inter eos, qui Diffinitoriatus Officio functi ſunt.

Septimò, ſancitur quòd Secretarij Patris Procuratoris, & Commiſſarij Curiæ Romanæ præcedant Secretarios Prouinciales, etiam in hoc Conuentu Ara-Cœlitano.

Ad executionem (ſi quæ contigerit) Bullæ de Apoſtatis, & eiectis deputantur Admodum RR. Patres Fabius Papazzonius, Ioannes de Roma, Stephanus de Bettona, Hieronymus à Cilento, Euangeliſta à Momigno, & Antonius à Montagna Prouinciæ Terræ Laboris Miniſter.

Pro Reformatis deputantur.

ADM. RR. PP. Procurator Reformatorum pro tempore, Ioannes Andreas de Genua, Aſcanius de Aſſiſio, Michael Angelus à Sambuca, Nicolaus à Spinatiola, & P. Miniſter Prouinciæ Reformatæ Romæ pro tempore.

Prouinciæ Auſtriæ, Sancti Saluatoris, Hungariæ, & Tyrolis eadem præcedentia inter Prouincias Obſeruantiæ gaudeant, quàm antequam titulo Reformatorum potirentur, habebant.

Supplicatum fuit Sanctiſſ. D. N. Vrbano VIII. per Diffinitorium Generale.

PRimò, quod electiones omnes à Prouinciarum Diffinitorio fiendæ, Guardianorum videlicet, Prominiſtrorum, Cuſtodum, & aliorum, poſt hàc non fiant, niſi per vota ſecreta, & per ballottationes. Ea tamen lege, vt in æqualitate votorum, Præſidens, ſiue Miniſter, pro parte ſibi beneuiſa votum deciſiuum habeat, & hoc tum pro Obſeruantibus, tum pro Reformatis.

Secundò, quod impreſſis Statutis Generalibus, iam compilatis, & à PP. Deputatis reuidendis, & approbandis, nullæ aliæ deinceps Conſtitutiones Generales fiant in hac Ciſmontana Familia, ſed illæ ſemper obſeruentur.

Tertiò, quod Fratribus de Familia non concedatur tranſitus ad Reformationem, niſi in Capitulo, vel Congregatione Prouinciali, & cum conſenſu vtriuſque Miniſtri, vel Superioris Generalis. Cum ijs verò, qui ex Reformatione ad Familiam tranſire voluerint, attendatur Breue fælic. mem. Clementis VIII. Pauli V. & Vrbani VIII.

Quartò, quòd concedatur Confeſſarijs S. Mariæ Angelorum apud Aſſiſium in feſto Portiunculæ facultas Pœnitentiariorum Romæ.

Quibus omnibus Sanctiſſ. D. N. Vrbanus VIII. libenter annuit, & ita obſeruari mandauit, ab omnibus, & vniuerſis Patribus, & Fratribus huius Ciſmontanæ Familiæ Obſeruantibus, & Reformatis reſpectiuè. Immò & per Bullam hic appoſitam confirmauit, prout ſequitur.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Religioſos viros, qui abnegantes ſemetipſos, vt facerent voluntatem Domini, ſuam fregerunt, ſicuti peculiaribus huius Sanctæ Sedis fauoribus, & gratijs dignos exiſtimamus, ita ad circumſpectam illius prouidentiam pertinere dignoſcimus, ea ſedulò ſtatuere, atque ordinare, quibus Religioſi ipſi, qui in ea, quam ſingulari diuinæ benedictionis præſidio ingreſſi ſunt, via dignè ambulantes, amplioribus in dies coram oculis Domini proficiant incrementis. Hinc eſt, quod Nos dilectorum Filiorum Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum pro paterno, quo eos proſequimur, charitatis affectu, ſtatui, & fælici gubernio conſulere, eiſque ſpecialem gratiam facere volentes, ſupplicationibus dilecti Filij Fabij Papazzoni Commiſſarij Generalis Curiæ eiuſdem Ordinis Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, vt de cætero omnes, & ſingulæ electiones, tam Miniſtrorum Prouincialium, & Cuſtodum, quàm Guardianorum dicti Ordinis per ſuffragia ſecreta, & ballottationes fiant, & in paritate ſuffragiorum, Præſidens electionibus huiuſmodi, votum ſiue ſuffragium deciſiuum habeat. Præterea vt poſtquam ſtatuta generalia dicti Ordinis in vnum volumen compilata, & Typis edita, & reuiſa, & approbata per Sedem Apoſtolicam fuerint, nulla alia ab inde in futurum ſtatuta, ſeu Conſtitutiones in Familia Ciſmontana eiuſdem Ordinis fieri, ſeu condi poſſint, ſed prædicta generalia ſtatuta poſtquam, vt præfertur, reuiſa, & approbata per dictam Sedem fuerint, inpoſterum ſeruari debeant. Ad hæc vt de cætero Fratribus de Familia nuncupati dicti Ordinis tranſitus ad Fratres Reformatos eiuſdem Ordinis non concedatur, niſi in Capitulis, ſeu Congregationibus Prouincialibus cum conſenſu vtriuſq; Miniſtri Prouincialis, vel Miniſtri Generalis, & quo ad eos, qui à Fratribus Reformatis huiuſmodi ad illos de Familia tráſire velint, fæl. rec. Clem. VIII. & Pauli V. Rom. Pontif. Prædeceſſ. noſtrorum, ac noſtrarum in ſimili forma Breuis hac ſuper re aliàs emanatarum litterarum forma omnino ſeruetur, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium ſtatuimus, mandamus, & ordinamus. Demum, vt Fratres eiuſdem Ordinis ad audiendas Chriſtifidelium confeſſiones aliàs approbati omnibus, & ſingulis facultatibus Pœnitentiarijs Apoſtolicis in hac alma Vrbe noſtra conceſſis circa adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ in Eccleſiâ Sanctæ Mariæ Angelorum nuncupata, eiuſdem Ordinis propè Aſſiſium quotannis die ſecunda Auguſti, qua feſtum ſolemne in dicto Ordine celebrari conſueuit dumtaxat, vti poſſint, eiſdem auctoritate, & tenore concedimus. Decernentes præſentes litteras validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & ab omnibus, ad quos ſpectat inuiolabiliter obſeruari, ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, &c. Quibus omnibus, & ſingulis illorum omnium tenores, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ, &c. die x. Nouembris 1642. Pontif. noſtri anno vigeſimo.

Hac in Generali Congregatione per primarios totius Reforma Patres ad hoc ſpecialiter deputatos, collecta in vnum Conſtitutiones pro Reformatis Ciſmontana Familia Prouincijs, examinatæ, & approbatæ, atque poſtquam confirmationem in forma ſpeciali publicatæ fuerunt, contra quarum tenorem ad alia ſtatuta obligari non poſſunt, quas appono.

Incipiunt Conſtitutiones Generales pro Reformatis Prouincijs Familia Ciſmontanæ. Editæ, & acceptatæ anno 1642.

MOTVS PROPRIVS.

S. D. N. D. Vrbani VIII. Erectionis Cuſtodiarum Reformatorum S. P. Franciſci in Prouincias Reformatas.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam. Iniuncti nobis per abundantiam diuinæ gratiæ Paſtoralis Officij ratio poſtulat, vt circa ſtatum Regularium perſonarum quarumlibet, præſertim illarum, quæ ſub arctiori obſeruantiæ norma gratum Altiſſimo exhibent famulatum, iugiter inuigilantes, ad ea, per quæ pium, eorum inſtitutum, ad maiorem Dei gloriam, & eius Eccleſiæ decorem propagetur, pax & concordia

inter

inter eos conſtruetur, ipſique facilioribus in dies, in via Domini proficiant incrementis, propenſius intendamus: ac in his eiuſdem officij noſtri partes interponamus, prout conſpicimus in Domino fæliciter expedire. Cum itaque ſicut accepimus, Cuſtodiæ Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci, Reformatorum nuncupati, adeò excreuerint, vt in Prouincias erigi poſsint; diſtinctaſque Fratrum Reformatorum huiuſmodi, ab illis Fratrum de Obſeruantia eiuſdem Ordinis Prouincias inſtitui, pacis inter illos ſtabiliendæ plurimum interſit; Idcirco Motu proprio, ac ex certa ſcientia, maturaque deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Maioris, & Minoris Poloniæ, ac omnes alias Ciſmontanas Fratrum huiuſmodi Cuſtodias, quæ duodecim ſaltem Conuentus habent, in Prouincias Fratrum Reformatorum Ordinis huiuſmodi, tenore præſentium erigimus. Ac dilecto filio noſtro Franciſco Sancti Laurentij in Damaſo Diacono Cardinali Barbarino nuncupato S.R.E. Vice-Cancellario, noſtro ſecundùm carnem, ex Fratre germano Nepoti, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectori, Miniſtros Prouinciales Prouinciarum huiuſmodi, & Diffinitores, pro prima vice, conſtituendi, & deputandi; Capitulis verò Prouincialibus cæteros officiales facultatem concedimus. Nec non, quòd Prouinciæ, ſic vt præfertur, per Nos erectæ retineant proprium nomen, addito ſolummodo, quòd ſunt reformatæ: Ac habeant locum, & præcedentiam iuxta conſuetudinem dicti Ordinis, poſt Prouincias iam erectas: ita vt eo loco permaneant, quo, dum Cuſtodiæ nominabantur, erant. Ac inſuper, quòd Prouinciæ Reformatæ huiuſmodi habeant Procuratorem Generalem, nominandum, & eligendum à dicto Franciſco Cardinale, & pro tempore exiſtenti Ordinis prædicti Protectore; Qui Procurator Generalis in Capitulis, & Congregationibus, ac Diffinitorijs Generalibus ſedeat immediatè poſt Procuratorem, & Commiſſarium Generalem dicti Ordinis familiæ, & in eis votum, ſeu ſuffragium habeat, quemadmodum habent Procurator Generalis Ordinis, & Commiſſarius Curiæ. Finito autem ſuo Officio remaneat Pater Ordinis perpetuus, cum omnibus priuilegijs, exemptionibus, & præcedentijs, quæ conceduntur Procuratori Generali Fratrum de Obſeruantia, & Commiſſario Curiæ eiuſdem Ordinis. Ad hæc, quòd quando Miniſter Generalis erit ex Vltramontana familia, Commiſſarius Generalis eligatur ex Ciſmontana familia, & idem ſeruetur in electione Vicarij Generalis, quando Miniſter Generalis, ex Ciſmontana familia diſceſſurus eſt vltramontes; Reſeruata Nobis hac vice Commiſſarij Generalis huiuſmodi electione, & deputatione, ſuo tempore per Nos declaranda. Deindè, quòd Diffinitores Generales ex diuerſis Prouincijs, iuxta formam Statutorum Generalium dicti Ordinis, quorum tamen quatuor ex familia, & duo ex Reformatis eſſe debeant. Dictique Reformati, & eorum Conuentus, niſi per Patres alicuius ex Prouincijs Reformatis huiuſmodi viſitari minimè poſſint. Gubernarique debeant cum ſolis ſtatutis Reformationum. Quæ nec à Capitulo, nec à Miniſtro Generali poſſint alterari ſeu immutari; ſed eorum moderatio fieri debeat à Reformatis tantùm, in Capitulo, vel Congregatione Generali. Nec Miniſter Generalis Conſtitutiones, vel Ordinationes perpetuas, vel ad tempus, quæ Reformatos obligent, vel contra illos condere poſsit. Ipſique Reformati ad peculiaria illius mandata, quæ Diffinitorum Prouinciæ iudicio, dictorum Reformatorum Reformationi, & Obſeruantiæ non fuerint congruentia, minimè teneantur. Inſuper, quòd ad Viſitationes, & negotia Reformatorum nullo modo poſsint deputari Fratres de familia, ſed ſolummodo ipſimet Reformati. Ac demum, quòd tranſitus ab Obſeruantia ad Reformationem concedatur, prout hactenus Obſeruantes habuere; ita ut dictæ Prouinciæ Reformatæ inſeruiant pro reformatione Obſeruantium huiuſmodi. Sublata eiſdem Obſeruantibus in perpetuum, nouam reformationem erigendi, ſeu inſtituendi, facultate. Quodque reformati prædicti poſſint etiam tranſire ad Obſeruantes, ex cauſis in Conſtitutione fælic. recor. Pauli Papæ V. hac ſuper re emanata, expreſſis. Et ſic tranſeuntes nequeant ab Obſeruantibus reijci, earundem tenore præſentium, ſtatuimus, volumus, & ordinamus. Mandantes prætereà in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac ſub indignationis noſtræ, alijſque noſtri, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis arbitrij pœnis, omnibus, & ſingulis Ordinis prædicti Superioribus, & Fratribus, quomodocunque, & qualitercunque qualificatis, vt præſentes noſtras litteras, ac in eis contenta quæcumque inuiolabiliter obſeruent, & ab eis ad quos ſpectat, adamuſſim ſeruari curent, & faciant. Et nihilominus ex nunc irritum, & inane decernimus, quidquid ſecùs ſuper his à quoquam, quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quo circa eidem Franciſco Cardinali per præſentes iniungimus, quatenus ipſe per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Fratrum prædictorum fuerit requiſitus, ſolemniter publicans, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtens, faciat illa authoritate noſtra, ab omnibus, ad quos ſpectabit, inuiolabiliter obſeruari. Contradictores quoslibet, & rebelles, per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Legitimiſque ſuper his habenben-

bendis ſeruatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Non obſtan. felic. recor. Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, de vna: & in Concilio Generali edita de duabus dietis, alijſque Apoſtolicis, & in Vniuerſalibus, Prouincialibuſque, & Synodalibus Concilijs editis, Generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus. Necnon dicti Ordinis, & illius Prouinciarum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſtitutionibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis, eidem Ordini, illiuſque Prouincijs, Superioribus, & Fratribus, & quibuſcunque alijs, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, & cum quibuſuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & alijs decretis, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum, quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis; quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die 12. *Maij* 1639. *Pontif. noſtri Anno* 16.

M. A. Maraldus.

PROEMIO.

L'erettione delle noſtre Riforme in Prouincie, ſeguita nel Capitolo Generale paſſato, come l'hà dato corpo diſtinto, così deue darli leggi più certe; Perciò è parſo alli PP. Miniſtri, e Cuſtodi reformati, congregati in detti Capitolo, e Congregatione generale, celebrata il preſente anno, far riuedere da Padri à ciò deſtinati li ſtatuti delle Riforme, e corretti, & aggiunti, come ſi vede, darli à Riformati perche gl'oſſeruino. Li ſtatuti ſono li ſeguenti.

CAP. I.

Regula, & vita Fratrum &c.

1 PER oſſeruanza di queſto primo Capitolo ſi commanda à tutti i Riformati, che oſſeruino la Regola de Fratri Minori ſecondo la dichiaratione di Nicolò III. e Clemente V; le quali contengono la purità di eſſa, e l'eſpongono ſecondo lo ſpirito del noſtro Serafico Padre S. Franceſco, al che ſono obligati per le Bolle Pontificie; inſtitutrici della Riforma. Clem. 7. In ſupremæ. Greg. XIII. cum illius vicem. Clem. VIII. Pro muniā...

2 E perciò ſecondo ſi è vſato ſin'al preſente, ſi rinunciano tutti li Priuilegij, e dichiarationi relaſſatiue della pura oſſeruanza, e ſi commanda, che le ſudette Decretali ſiano legate nel fine di queſti Statuti, e lette ogni volta, che i medemi Statuti ſi leggeranno.

3 E perche la vera libertà religioſa, e la materia del merito, per la maggior parte, conſiſte nella virtù dell'obedienza, ſecondo gl'oracoli dello Spirito Santo, & eſempio datoci dal Saluatore, ſtrettiſſimamente incarrichiamo à tutti l'obedienza, e riuerenza douuta al Sommo Pontefice Vicario di Chriſto, & alla Chieſa Romana. Dopò quali s'obedirà al Padre Generale dell'Ordine, & à tutti li Superiori della Religione reſpettiuamente, & per caſtigo delli diſobedienti ci rimettiamo alli Statuti generali. Ad Rom. 13. Ad Hebr. 13. Bernard. ſuper miſſus eſt. Io. Climac. grad. 4. Caſſian. lib. 4 c. 1.

CAP. II.

Si qui voluerint &c.

1 NON ſi ammetta alcuno all'habito de Nouitij, ſe prima non coſti, che habbia le conditioni richieſte da Siſto V. cioè, che ſia nato di legitimo matrimonio, che non habbia commeſſo homicidio, ò ſimile delitto, che non ſia inquiſito, ò bandito, che non habbia debiti eccedenti le ſue facoltà, che non ſia obligato à render conto d'amminiſtratione de beni, ò denari d'altri. Cum de omnibus Ecclesiaſticis.

2 In oltre, che non ſi dia l'habito della noſtra Religione à deſcendenti da Hebrei, ò Mori, ò da quelli Heretici, li corpi, ò ſtatue de quali ſiano ſtate bruggiate, ſin' alla quarta generatione. Clem. 7. Paulus 3. Greg. 13.

3 Di più quelli, che s'hanno da riceuere, ſian Catholici, non ſoſpetti d'alcuno errore. Non ligati in Matrimonio, ſani di corpo, e di mente, Non notati d'alcuna publica infamia; Che paſſino li quindeci anni d'età; e ſe ſeranno riceuuti per Chierici, che intendano bene la lingua latina

Che habbiano riceuuto il Sacramento della Confirmatione, ò almeno lo riceuino auanti la profeſſione.

Clem. 8. de receptione. Nouit.

4 Le medeme conditioni deuono hauer quelli, che per Laici ſi riceuono, fuor che le lettere, e l'età; perche niuno può eſſer riceuuto per Laico, che non habbia almeno vinti anni compiti, e che non paſſi li trenta, eccetto che ſe la perſona non foſſe tale, che la ſua recettione doueſſe recare edificatione al ſecolo, e decoro alla Religione.

Rom. 1639.

5 Non ſi riceuano in Italia Oltramontani, ò oltramarini, perche la loro recettione è poco vtile à queſte Prouincie, oltre che non ſi può hauer cognitione, qual ſi richiede di eſſi. S'eccettua la Prouincia di Roma, in caſo, che non ſi poſſa far di meno.

Vltram. c. 1. Vallisſ. 1591 Salman c. 2. Statuta Reform.

6 Religioſo d'altra Religione non ſi riceua ſe nō porta teſtimonij de vita, & moribus de ſuoi Superiori: e riceuuto faccia il Nouitiato come quelli, che vengono dal ſecolo. Il che faran'anco li Padri Capuccini, quando per authorità Apoſtolica ſi doueſſer riceuere; perche altrimente non poſſono eſſer riceuuti da noi, ne noi da loro.

Vrb. 8. post Clem. 8 Militantis Eccleſiæ.

7 La recettione de Nouitij ſi faccia dal Padre Miniſtro, e Diffinitorio nel Capitolo, ò Congregatione, ò fuori d'eſſi ſecondo la facoltà della Santità di N. S. Vrb. VIII. cioè con doi Diffinitori, e doi Guardiani, che ſi intende, quando non vi ſiano preſenti gl'altri doi Diffinitori. Chi riceuerà altrimente di quello, che di ſopra è ordinato, tanto il Miniſtro, quanto i Diffinitori ſiano priui di loro officij, e più grauemente caſtigati ad arbitrio del Superiore.

Sixt. 4. Regimini.

8 Quelli che riceueranno l'habito della Religione, per indulto Apoſtolico poſſono da'Generali, Prouinciali, ò loro Vicarij eſſere aſſoluti da ogni cenſura, e diſpenſati da ogni irregolarità.

Clem. 8. pro recept. nouit.

9 Deuono li Nouitij fare la Confeſſione generale ſubito entrati.

10 Per la educatione de Nouitij ſi deputino in Capitolo, ò Congregatione Cōuenti ritirati, & arti allo ſpirito, e fuori di queſti Nouitiati formali non ſi trattenga alcun Nouitio lungo tempo, non potendo educarſi come conuiene.

Vallisſ. 1593 Clem. 8. de inſtit. Nouit.

11 In Capitolo, ò Congregatione ſi eleggano li Maeſtri de Nouitij perſone de coſtumi graui, vita prouata, di competente ſcienza, e non minori d'anni trentacinque d'età prudenti, zelanti, diſcreti, quali habbiano continua cura de Nouitij Chierici, e Laici, inſegnando loro con eſempij, e parole la via del Signore, li buoni coſtumi, & il modo di conſeruare la purità del cuore, la Dottrina Chriſtiana, li precetti della Regola. li facciano confeſſare, e communicare almeno due volte la ſettimana, l'inſegnino il Diuino Offitio, e ſopra tutto li facciano diligenti nello ſtudio dell'oratione, e deuotione: in che ſi ſeruiranno ſpecialmente dell'inſtruttione de'Nouitij di S. Bonauentura, la quale ſi farà leggere alla menſa commune in detti Conuenti di Nouitiato, e perciò nell' Anno del Nouitiato prohibiſcono à Nouitij li ſtudij Scholaſtici.

12 Li Maeſtri de Nouitij, che non ſono Guardiani, potranno penitentiare eſſi Nouitij, ma non in Refettorio preſente il Guardiano, con penitenze publiche; manifeſtaranno però li difetti loro ad eſſo Guardiano, quale ſarà in libertà di penitentiarli, ò commetter'ad eſſo Maeſtro, che gl'imponga la penitenza.

13 Biſognando per morte, ò renuntia fuor di Capitolo, ò Congregatione far' il Maeſtro de Nouitij, lo faccia il Miniſtro con il conſenſo del Diffinitorio. Clem. 8. de educat. Nou.

14 Chi ſenza cauſa da approuarſi dal Diffinitorio recuſarà l'eſſer Maeſtro de Nouitij, ſia priuo di voce attiua, e paſſiua per ſei Anni. Salmat. c. 2. Vallisſ. 1591.

15 Senza neceſſità non ſi mandino li Nouitij fuori di Conuento, & in tal caſo, li ſia aſſegnato Compagno graue, & eſſemplare, à cui ſiano obligati obedire, ſin che tornino in Conuento, come al loro Maeſtro. Clem. 8 ſup. Neap. c. 18

16 Li Nouitij, che foſſero Sacerdoti, nell' Anno del Nouitiato non poſſono aſcoltare confeſſioni di ninna ſorte, e ſiano tenuti à fare le mortificationi de gl'altri Nouitij. Refor. c. 4.

17 Non parlino li Nouitij ſenza la licenza, & aſſiſtenza del Maeſtro, ò Guardiano, ò altro deputato da eſſi, ne con ſecolari, ne con altri Religioſi. Clem. 8. de educ. nouit.

Salm. c. 2. Vallisſ. 1593.

18 Non entrino in cella de Nouitij, ne de Profeſſi, eccetto che del Guardiano, ò Maeſtro loro, e con la porta, che liberamente ſi poſſa aprire di fuora; Ne altri entraranno in Cella di eſſi, dalli nominati in poi: chi contrauerrà mangi in terra pane, & acqua per due volte, e faccia la diſciplina: per la terza volta ſia cacciato fuori della Religione, & il profeſſo ſimilmente, per le due volte faccia le ſudette penitenze, e per la terza il Guardiano lo mandi al Padre Miniſtro, il quale li dia altro Conuento, e lo priui di voce attiua, e paſſiua per tre anni, & à chi queſto non conueniſſe, li faccia portare la probatione per vn meſe. Ibid.

19 Le pezzette, quali ſi attaccano à No-

Nouitij, ſiano longhe vn palmo.

Vallif.1593. 20 Non ſi muti dal Nouitiato, ſe non per cauſa d'infirmità, ò altra vrgente cagione, & in tal caſo, doue ſarà dimorato intorno à ſei meſi, ſi piglino li voti de' Frati, de quali non hauendo la maggior parte, ſia mandato via ſenz'altro.

Clem. exiui de verb. ſignif. in 6. 21 Niun Frate s'ingeriſca nella diſtributione de beni de' Nouitij, mà in ciò ſi oſſerui la Regola dichiarata da Clemente V. Chi contrauerrà, s'è Guardiano ſia priuo dell'offitio, s'è ſuddito, ſia dichiarato proprietario.

Conc. Trid. ſeſſ.25. c.18. 22 Non ardiſca niſſuno con preghiere, e promeſſe indurre Nouitij à profeſſare, ò impedirli con ſubornationi, ò modi illeciti, che non profeſſino, come ſarebbe il mutarli da vn luogo ad vn'altro, violentare i voti &c. li Superiori, che contrauerranno, ſiano ipſo facto priui dell' Offitij, & i Sudditi di voto per ſei anni, & anco più grauemente puniti, e gl'vni, e gl'altri ſcommunicati conforme il Sacro Concilio di Trento determina delle donne.

Vltram. c.1. Vallif.1593. 23 Nell'anno del Nouitiato ogni quattro meſi ciaſchedun Nouitio ſia eſpoſto à voti ſegreti de Frati del Conuento, che non ſiano foraſtieri; e ſe la prima, e la ſeconda volta alcun di loro non ſarà giudicato buono per la Religione dalla maggior parte de vocali, il detto Guardiano ſia tenuto ſubito darne auuiſo al P. Miniſtro, il quale ſe per cauſe vrgentiſſime non giudicaſſe altrimente, darà ordine, che ſia mandato fuori della Religione.

Trid. ſeſſ.25 c.19. Vallif 1593. 24 Finito l'anno del nouitiato, chi non hauerà la maggior parte de voti, ſia omninamente cacciato dalla Religione; eſſendo vguali, ſe n'auiſi il Padre Miniſtro, il quale inchinerà à quella parte, che gl'inſpirerà il Signore, e niuno potrà dar voto alla profeſſione de Nouitij, che non habbia compito vn'anno di profeſſione.

21 Tutti li Frati ſi confeſſaran due volte la ſettimana à Confeſſori notificati al Guardiano, acciò ſappia riconoſcere le ſue pecore, ma li Chierici, e Laici giouani ſi confeſſaranno dal loro Maeſtro, à quali il Superiore tre volte l'anno almeno darà licenza, che ſi confeſſino da altri Confeſſori approuati dell'Ordine noſtro, perche ad altri fuori dell'Ordine non è conceſſo, ſe non in caſo di neceſſità; l'iſteſſo ſi preſcriue de' Frati foraſtieri, che ſi confeſſino à Confeſſori approuati come di ſopra dal Superiore.

Refor. 1639.

22 Non ſi poſſano ſtampare, ò publicar libri, ſe oltre la licenza de gl'Ordinarij, non vi ſia quella del Padre Generale, ſotto le pene canoniche contra li tranſgreſſori fulminate.

CAP. X.

Fratres qui ſunt Miniſtri, &c.

QVanto concerne le Viſitè paternali, correttioni de' coſtumi, punitioni giudiciarie, che in queſto Capitolo ſi toccano, comandiamo, che ſi oſſerui la pratica criminale vltimamente compoſta d'ordine dell'Eminentiſſimo Signor Cardinale Protettore, e ſtampata con decreto del Capitolo Generale del 1639. Salm. c. 11.

CAP. XI.

Præcipio firmiter Fratribus vniuerſis, ne habeant ſuſpecta, &c.

1 SOſpetto conſortio prohibito nella Regola dichiariamo eſſere non ſolo, atto, conuerſatione, colloquio, che ſuole cagionar violento ſtimolo di tentatione carnale, e fomento al peccato, mà etiamdio qualunque coſa delle ſudette, che nella mente delli aſtanti poteſſe cauſar ſoſpetto, ò ſcandolo, quantunque non fuſſero fatte, ò dette in mala intentione, il che ſi congettura dalla retiratezza del luogo, dall'importunità del tempo, dalla diſſolutezza de geſti, riſi, approſſimatione ſouerchia alla perſona delle Donne, ò altri dell'età ſoſpetta, ò ſimili altri accidenti. Vallis. 1593. S. Bonau. in Reg.

2 Se alcuno dunque fuſſe notato de ſimili ſoſpetti conſortij, ſia per la prima volta caritatiuamente ammonito, e corretto, e non emendandoſi, s'è Superiore, ſia ſoſpeſo, ò priuo dell'offitio ſecondo la grauezza della colpa. S'è ſuddito, ſia priuo delli atti legittimi per tre anni, e più grauemente punito come ſopra, ò non conuenendoli queſta pena, porti il ſegno della probatione ad arbitrio del Miniſtro. Ibid. Refor. 1638.

3 Al che ſogiaceranno li giouani, che non arriuano à vinticinque anni, quali ſtanno in Cella d'altri ferrata, che di fuora non ſi poſſa facilmente aprire, & anco quelli, che detti giouani Religioſi, ò ſecolari teneranno nelle Celle loro come di ſopra. Ibid.

4 Chi è ſolito à ſequeſtrarſi dal compagno, ò parlare, ò conuerſare con donne, dal che poſſa ſorgere ragioneuole giuditio di ſoſpetto conſortio, ſia ammonito, e non emendandoſi ſia caſtigato delle pene ſudette, come reo di ſoſpetto conſortio, e ſe dopò fuſſe conuinto di recidiua, ſia carcerato ad arbitrio del Diffinitorio.

Ordi-

Ibid. 5 Ordiniamo, che quando ſi và à confeſſar donne inferme, ò à trattare altri negotij non ſi ſerri la porta di modo, che dal compagno non poſſa eſſer veduto, ne che dopo l'Aue Maria ſi confeſſino donne ſotto pena arbitraria al Superiore.

S. Cōg. Regul 6 Nelle ſtanze de Confeſſori di Monache non ſi poſſano introdurre donne ſotto pena di carcere à transgreſſori ad arbitrio del Superiore.

Refor. c. 11. 7 Niuno ſcongiurarà indemoniati ſenza licenza del Miniſtro con il conſenſo del Diffinitorio in ſcriptis, e transgredendo, ſia priuo di voto ad arbitrio del Superiore, ò portarà la probatione.

Refor. 1642. 8 Intorno alle Monache, e Confeſſori di eſſe inuiolabilmente ſi oſſerui quello, che ordinano li Statuti generali dell' Ordine.

C A P. XII.

Quicumque Fratrum diuina inſpiratione, &c.

Refor. 1639. 1 PER quello, che concerne l'andar'à ſeruir i ſanti luoghi di Gieruſalemme, & à predicare la parola di Dio à gl'Infedeli, ci rimettiamo à quanto ordinaranno i Padri generali, e gli Statuti dell'Ordine diſpongono.

Refor. 1639. 1642. 2 E perche ſon vane le leggi, ſe non ſi oſſeruano; commandiamo l'oſſeruanza de' preſenti Statuti à noſtri Reformati, ſotto le pene fulminate in eſſi. Caſſando, & annullando tutti gli altri Statuti, e Conſtitutioni, tanto generali quanto particolari fatti ſino à queſto giorno. Conforme la diſpoſitione Apoſtolica dalla Santità di N. S. Papa Vrbano Ottauo, le quali repugnaſſero alli preſenti, & al viuere Riformato.

Ibid. Greg. 13. Cum illius vi- cem. Valliſ. 1591. 3 Perche in caſi à ciò non repugnanti, vogliamo, che ſi ricorra alli ſtatuti generali dell'Ordine.

4 Dichiarando non obligare à peccato, ſe non quanto obligano la legge diuina, le Conſtitutioni Apoſtoliche, e la noſtra Regola, e doue non interuenga il diſpreggio.

Refor. 1639. 5 Si dichiara anco, che quando ne' preſenti ſtatuti ſi nomina il Padre Generale, s'intende tanto del Padre Miniſtro, quanto de' Padri Vicarij, e Commiſſarij Generali.

Ibid. 6 E di più, che la pena della probatione impoſta in molti caſi, ſi poſſa commutare in altra pena dal Padre Prouinciale ad arbitrio del Diffinitorio.

Salmant. c. 12. Valliſ. 1591. 7 Comandiamo finalmente à tutti i Superiori locali, che in publico Refettorio facciano leggere queſti ſtatuti ogni ſei meſi vna volta, acciò neſſuno poſſa ſcuſarſi ſotto preteſto d'ignoranza. E mancando, ſijno priui de'loro offitij.

8 Perciò ſotto la medeſima pena ſijno obligati i Miniſtri, che nel ſpatio d'vn meſe dopò che i preſenti ſtatuti ſaran ſtampati, ne facciano prendere tanti, quanti Conuenti ſono nelle loro Prouincie, e ne diſtribuiſcano vno per ciaſchedun di eſſi. Reſor. 1642.

9 E per non multiplicare tutto il giorno nuoue leggi, s'ordina, che per l'auenire, oltre queſti ſtatuti generali compilati, & approuati, non ſe ne poſſano far altri, ma s'oſſeruino li preſenti conforme l'vltima Conſtitutione Apoſtolica del medeſimo Santiſſimo N.S. Papa Vrbano Ottauo. Vrban 8. & Cong. Gen. Rom. 1645.

Franciſcus Card. Barberinus Protector.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALiàs pro Congregatione Generali proximè præterita Prouincijs Reformatis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum, quòd electiones in Capitulis, & Congregationibus Capitularibus earundem Prouinciarum per ſecreta ſuffragia fiant, & in ſuffragiorum paritate Præſidens ipſius Capituli, ſeu Congregationis votum deciſiuum habeat, ac circa tranſitum eorundem Reformatorum ad Fratres de Familia, ſeu Obſeruantes eiuſdem Ordinis, Conſtitutiones Fel. Rec. Clementis Octaui, necnon Pauli V. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, & noſtræ deſuper editæ obſeruentur, Apoſtolica authoritate ſtatuimus, conceſſimus, & indulſimus, & aliàs prout in noſtris deſuper expeditis litteris, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, pleniùs continetur. Cum autem ſicut dilectus Filius Commiſſarius Generalis eorundem Fratrum Reformatorum Ordinis huiuſmodi nobis nuper exponi fecit, Statuta Generalia omnium, & ſingularum Prouinciarum Reformatarum Ciſmontanæ Familiæ dicti Ordinis à nobis approbata, & confirmata typis mandari debeant, præmiſſa verò conceſſiones, & indulta, necnon ordo in eiſdem ſtatutis circa præcedentiam ſtabilitus cum nonnullis Conſtitutionibus Apoſtolicis non concordent. Nobis propterea idem Commiſſarius Generalis ſupplicari fecit, vt præmiſſa pro illorum ſubſiſtentia firmiori, Apoſtolicæ noſtræ confirmationis patrocinio communire

de

de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur eundem Commiſſarium Generalem ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluen. & abſolutum fore cenſentes huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, præfata conceſſiones, & indulta, Apoſtolica authoritate tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos tam iuris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus, & inſuper quòd Diffinitores ſecundùm Ordinis antianitatem præcedant. Quinam autem, & quomodo præcedere debeant, vt ſciatur: quòd Miniſter Prouincialis actualis, qui aliàs Miniſtri Generales, ſeu Commiſſarij Generales, qui tamen vni ſoli dumtaxat Superiori actuali ſuberunt, ac qui Procuratores, aut Diffinitores Generales, qui propriæ, aut alterius Prouinciæ Miniſtri Prouinciales, qui Cnſtodes regiminis in ſua, aut aliena Cuſtodia Reformata, qui Secretarij Generales per triennium iuxta Bullam vnionis, aut qui Guardiani Terræ Sanctæ fuerunt; necnon Cuſtos vocalis, & Diffinitores actuales durante officio: Prouinciales actuales extra Prouinciam præcedant eos, qui aliàs Miniſtri Prouinciales fuerunt: poſt eoſdem Miniſtros Prouinciales actuales, in Sacra Theologia Lectores actuales, ac Guardiani in eorũ Conuentibus omnes, & ſingulos, eorum Superioribus actualibus exceptis; Vicarij omnes alios (præter Ordinis, & Prouinciæ Patres) præcedant, ſedebunt tamen in Refectorio iuxta, & prope Guardianos immediatè, & abſentibus ipſis Guardianis in actionibus publicis, etiam omnes ſupradictos præcedent: poſt ipſos autem Vicarios, Sacerdotes, deinde Clerici, & poſt Clericos, Laici dicti Ordinis iuxta antiquitatem receptionis habitus pariter præcedent, declaramus; ac vt cuius perturbationi, quæ circa modum præcedentiæ huiuſmodi oriri poſſet obuiam eatur, mandamus omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Superioribus Reformatis huiuſmodi ſub ſuorum officiorum priuationis ipſo facto incurrenda pœna, vt prædictum præcedentiæ modum, & ordinem inter eoſdem Fratres Reformatos, vt præfertur ſtabilitum, ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inuiolabiliter obſeruari curent, & faciant, & ipſimet obſeruent. Decernentes irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, Prouinciarum, & Cuſtodiarum Reformatarum huiuſmodi, etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habenillis aliàs iu ſuo robore permanſuris, ad effectum præmiſſorum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 22. Decembris 1642. Pontificatus noſtri anno vigeſimo.

M.A. Maraldus.

Loco ✝ Sigilli Annuli Piſcatoris.

CXXXII. *Cap. Gen. Toleti anno* 1645.

Celebratio, & acta Capituli Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia celebrati in Conuentu Sancti Ioannis Regum Ciuitatis Toleti in Vigilia Pentecoſtes die 3. Iunij anno ſalutis noſtræ 1645. Regeſt. 7. Viuam. fol. 145.

Innocentius X. dato Breui *Cum ſicut, &c.* Dat. Romæ die 10. Februarij 1645. Pont. ſui anno primo Indulgentiam plenariam pro fœliciori eiuſdem Capituli progreſſu, tũ Fratribus, tũ Monialibus, tum omnibus Chriſtifidelibus Eccleſias Minorum Fratrum de Regulari, & Strictiori Obſeruantia, in forma conſueta viſitantibus benignè conceſſit. Datis etiam alijs litteris. *Cum ſicut accepimus, &c.* Datum Romæ die 14. Februarij 1645. Pontif. ſui anno 1. delegauit Iulium Roſpiglioſum tunc per Hiſpanias Nuncium Apoſtolicum, qui deinde fuit Summus Pontifex O.M. Clem. IX. vt Comitijs Generalibus authoritate Apoſtolica præſideret.

Tabula Capituli Generalis prædicti.

In Dei nomine Amen.

HÆC eſt Tabula huius celeberrimi Capituli Generalis celebrati Toleti in Conuentu S. Ioannis Regum die 3. menſis Iunij, anno Domini 1645. Præſidente Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Domino D. Iulio Roſpiglioſo Archiepiſcopo Tarſenſi,

ſenſi, apud Regem Catholicum in Regnis Hiſpaniarum Nuntio Apoſtolico.

In primis ſexennio Reuerendiſs. P. Fr. Ioannis Merinero fæliciter abſoluto, Reuerendiſs. P. Fr. Ioannes à Neapoli Prouinciæ Terræ Laboris Pater, & Ex-Diffinitor Generalis ſuffragijs Religionis in Generalem Miniſtrum totius Ordinis Minorum eſt electus.

Commiſſarius Generalis Familiæ Ciſmontanæ.

Reuerendiſs. P. Fr. Ioannes à Palma Prouinciæ Angelorum Pater, & Cuſtos, ac Catholicæ Reginæ olim, & nunc Sereniſſimæ Infantiſſæ Hiſpaniarum à Sacris Confeſſionibus.

Patres, & Diffinitores perpetui totius Ordinis.

Reuerendiſsimus P. F. Ioannes Merinero Miniſter Generalis præteritus.

Reuerendiſs. P. Fr. Benignus à Genua olim Miniſter, & Commiſſarius Generalis.

Procurator Generalis in Curia Romana.

Adm. R. P. Fr. Franciſcus Quareſmius Prouinciæ Mediolan. Miniſter.

Commiſſarius Generalis in Curia Romana.

Adm. R. P. Fr. Antonius de Ribera in Prouincia Caſtellæ Lector Iubilatus.

Procurator pro Reformatis in Curia Romana.

Adm. R. P. Fr. N.

Diffinitores Generales Vltramontanæ Familiæ.

Adm. R. P. Fr. Hieronymus de Cilento Prouinciæ Principatus olim Miniſter, & Procurator Generalis, & Prouinciæ eiuſdem Cuſtos, & nunc Secretarius Ordinis.

Adm. R. P. Fr. Aloyſius de Roma Prædicator Generalis, & eiuſdem Prouinciæ Reformatæ Cuſtos.

Adm. R. P. Fr. Benignus à Florentia Lect. Iubilatus, & ſuæ Prouinciæ Cuſtos.

Adm. R. P. Fr. Federicus de Monachio Prouinciæ Tirolenſis Miniſter olim, & Cuſtos.

Adm. R. P. Marcellinus Radaellus Prouinciæ Mediolanenſis olim Miniſter, & Cuſtos.

Adm. R. P. Fr. Iuniperus de Neapoli Lector, & Prædicator Generalis, & Prouinciæ Terræ Laboris Reformatæ Cuſtos.

Diffinitores Generales Familiæ Ciſmontanæ.

Adm. R. P. Fr. Franciſcus Andreas de la Torre Lector Iubilatus, & Prouinciæ Burgenſis Miniſter.

Adm. R. P. Fr. Gaſpar de Fuenre Lector Iubilatus, & Miniſter Prouinciæ Caſtellæ.

Adm. R. P. F. Sauinianus le Fort Guardianus Magni Conuentus Pariſienſis.

Adm. R. P. Fr. Dominicus Irhier Prominiſter Prouinciæ Aquitaniæ antiquioris, & Guardianus Toloſæ.

Adm. R. P. Fr. Petrus Ritz Prouinciæ Daciæ Miniſter.

Adm. R. P. Fr. Boetius Eganus Prominiſter Hiberniæ.

Guardianus S. Saluatoris in Hieroſolyma.

Adm. R. P. Fr. Auguſtinus de Padua Prouinciæ S. Antonij Venetiarum Ex-Diffinitor, & nunc Guardianus Sancti Franciſci.

Vicarius eiuſdem Conuentus.

R. P. Fr. Petrus Moboul Lector Linguæ Arabicæ in Vrbe.

Guardianus Conſtantinopolis.

R. P. Fr. Bonauentura de Crema continuatur.

Philippus Rex Catholicus in Religionem Seraphicam affectu pluſquam paterno ſemper exæſtuans, vt Ioannis ad Generalatum promotionem intellexit, datis ad eum litteris ſub die 16. Iunij 1645. peramanter ipſi adgratulatus eſt, ordiniſque vniuerſi pacem, & ſanctitatem enixè ipſi commendans Regiam ſuam protectionem, tam pro Generalis eiuſdem, quàm pro Ordinis totius maiori ſemper proſperitate fuit conteſtatus, vt videre eſt in Regeſt. Vltram. t. 5. fol. 180.

CONSTITVTIONES GENERALES.

Facta in ſupradicto Toletano Capitulo.

Fr. Ioannes à Neapoli totius Ordinis Fratrum Minorum Miniſter Generalis, & Seruus.

Dilectis nobis in Chriſto Patribus, & Fratribus vniuerſis Superioribus, & Subditis noſtræ Seraphicæ Religionis ſalutem in Domino ſempiternam.

NON damus Statuta noua: authoritas enim legum in multitudine imprudenti aſpernatione vileſcit; priſtina cupimus

pimus fideli obſeruantiâ reſtitui. Attamen in Capitulo Generali curauimus aliquibus additamentis, & expreſſioribus declarationibus abigere abuſus, & prauas interpretationes aliquorum, quia ad conſeruationem antiquarum Conſtitutionum neceſſaria ſunt firma, & noua fulcimenta. Hoc in primis Cœtibus, & Congregationibus primitiuæ Eccleſiæ Fidelium obſeruauit Vetuſtas. Vnde dixit Tertullianus in Apologetico cap. 39. Nihilominus Chriſtianam diſciplinam præceptorum inculcationibus denſamus. Quæ occurrebant de exhortatione ad perfectam obſeruantiam Regulæ noſtræ, & Generalium Conſtitutionum, iam diximus in Epiſtola noſtra, ad omnem Religionem remiſſa, de cuius executione, dum omnes Prouincias colluſtrabimus (vt ſperamus) ſeuera exactione requiremus. Interim vos Patres, ac Fratres amantiſſimi obſecramus, & exhortamur in Domino, vt compleatis deſideria noſtra fideli Obſeruantia veſtra, & quòd viuatis perpetuò honeſta menſura, laude morum, & glorioſa æmulatione virtutum. Valete.

Fr. Ioannes à Neapoli Miniſter Generalis.

Pro Familia Vltramontana.

1. IN primis rationabilibus de cauſis Diffinitorium Generale decreuit, vt pro bona obſeruantia diſciplinæ regularis attendantur, & executioni mandentur Statuta Generalia edita Valliſoleti, tempore Reuerendiſſ. P. Calatagironenſis, eo addito, quòd ſi quæ Conſtitutiones de nouo aliud decreuerint, vel ordinauerint, id prorſus exequatur, & eiſdem noſtris Conſtitutionibus inſerantur, vt inuiolabiliter obſeruetur, quapropter quia Statuta Generalia Romæ nuperrimè edita, non extiterunt reuiſa, neque à Sede Apoſtolica approbata, prout in ſuo Breui mandat Vrbanus VIII. nullo modo ſunt obſeruanda.

2. Iſta tamen obſeruantia Statutorum nullo modo intendimus renouare electionem Diſcretorum Localium, quam volumus manere ſuppreſſam propter tranquillitatem Prouinciarum.

3. Præſenti etiam Conſtitutione intendimus, quòd Diffinitores Generales habeant votum conſultiuum, deciſiuum, & electiuum, tam in Capitulo Generali, quàm in Capitulis ſuarum Prouinciarum, ſicuti habent Prouinciales Diffinitores.

4. Decernitur etiam, quòd inſtituatur vnum Studium Generale Artium liberalium pro tota Italia, inſtituendi verò modum Miniſtro Generali relinquimus. Similiter, vt in vnaquaque Prouincia inſtituatur Studium Prouinciale Artium, in quo ſaltem decem Clerici ſub vno Lectore proficiant.

5. Deinde decreuit, quòd in poſterum in quolibet Capitulo Prouinciali ſemper eligatur Cuſtos, etiam ſi non occurrat tempus celebrationis Comitiorum Generalium.

6. Decernitur, Prouinciam S. Vigilij Auſtriæ contiguam remanere, & recenſeri debere inter Italiæ Prouincias, ſicuti de facto recenſetur.

7. Inſuper decernitur, quòd Fratres Laici profeſſi Nouitios omnes præcedant, de præcedentia verò cum Clericis obſeruetur Breue fæl. recor. Vrbani VIII.

8. Ad inſtantiam Sereniſſimi Magni Ducis Hetruriæ, & præcipuorum Patrum Prouinciæ Thuſciæ, decernitur, quòd in Conuentu S. Crucis Piſarum inſtituatur Studium generale Sacræ Theologiæ.

9. Præterea Iudices aſſignantur ad expellendos Fratres incorrigibiles iuxta Decretum Vrbani VIII.

Adm. Reu. P. Procurator Curiæ Romanæ,

Adm. R. P. Fr. Hieronymus à Cilento Diffinitor Generalis, & Secretarius Ordinis.

Adm. R. P. Fr. Miniſter Prouincialis Romæ.

Adm. R. P. Fr. Aloyſius de Roma Diffinitor Generalis.

Adm. R. P. Fr. Miniſter Prouincialis Romæ Reformatorum.

Adm. R. P. Fr. Iuniperus à Neapoli Diffinitor Generalis.

10. Vnanimi conſenſu Diffinitorij Generalis fuit Decretum, quòd Conuentus Angelorum Neapolis erigatur in Collegium, quod immediatè ſit ſubiectum Miniſtro Generali Ordinis, ſed quia ad nouam erectionem Collegij requiritur aſſignari qualitates, & numerum, & Nationes Studentium, & Lectorum, nec non facultates legendas, & ſtabilire Statuta, quorum norma Collegium gubernetur, hæc omnia Capitulum generale diſpoſitioni, & iudicio Reuerendiſſ. Miniſtri Generalis præſentis reliquit.

11. Capitulum Generale præcipit, ne quis imprimat Memoriale, aut Concluſiones ſine expreſſa licentia Miniſtri Prouincialis, & quod facultas ad imprimendos libros ad Miniſtrum Generalem pertineat.

12. Præterea præcipimus, quod in omni Miſſa, tam ſolemni, quàm priuata, non omittatur: *Et Famulos tuos, &c.* quando

do rubricæ Miſſalis conſentiant.

13. Omnes Fratres cuiuſcumque Familiæ, qui vadunt Romam negotiorum cauſa, poſt tres dies ingreſſus Conuentus teneantur obedire Guardiano, cuius declarantur ſubditi, nec audeant exire extra domum, niſi requiſita facultate Guardianorum, qui nullo modo poſſint negate talem licentiam, nec expellere illos à Conuentu, nec moleſtare illos domeſticorum officiorum onere.

De hoc vide declarat, & deciſionem factam à Miniſtro Gen. Sammaniego in t. 1 fol. 4.0. & in Archiu. Aracæl. Curia Viitramon. to. 9. fol. 136.

14. Denique quia ad aures Capituli Generalis rumor ſcandoloſus peruenit, quòd quidam Fratres pacis publicæ perturbatores in Curia Romana contendunt, vt electio Diſcretorum Localium denuò in Religione excitetur, ideò Capitulum Generale, obnixè rogat Reuerendiſſ. Miniſtrum Generalem, quòd ſtatim ad pedes Sanctiſſimi peruolutus humiliter referat quantam ſtragem, & perniciem fecerit in regulari diſciplina talis conſuetudo, dum viguit, & quanta turbatione integrum Capitulum Generale ſola leuis fama concuſſit; Siquidem longa experientia eſt compertum, quòd illa conſuetudo fuit ſeminarium interminabilis odij, & quòd ipſa abrogata, omnia, tam in Hiſpania, quam in Italia ſumma pace, & fælici tranquillitate procedunt.

Statuta pro Cuſtodia Terræ Sanctæ.

1. Capitulum Generale ſtatuit, quòd in Conuentu Sancti Saluatoris Hieroſolymæ ſtrictè obſeruetur Clauſura, vt decet Religioſorum honeſtatem, quare prohibemus, ne mulieres poſſint intrare Infirmariam, nec tranſire per Cameram vulgò dictam *Talla Panno*. Proinde etiam inhibemus, ne deinceps Fr. Infirmarius, ſeu Chirurgus poſſit mederi, vel ſcindere venas infirmarum Mulierum, tam intra, quam extra Conuentum.

2. Decernitur deinde, quòd pueri Filij Interpretum, & alij qui in Hieroſolyma, Bethlem, & Nazareth ſeruiunt Monaſterijs doceantur, & inſtruantur in doctrina Chriſtiana, quouſque nouem annos attigerint, poſtea tamen ſuis Parentibus relinquantur.

3. His verò Pueris detur hora meridiana moderatum alimentum ad eorum ſuſtentationem, in veſpera tamen in domos paternas mittantur cœnaturi.

4. Præterea decretum eſt, quòd vt loca Sacratiſſima Redemptionis noſtræ debito Ordine, & tranquillitate gubernentur, inſtituantur Diſcreti Conuentus Sancti Saluatoris, quorum conſilio Pater Guardianus Hieroſolymæ res graues diſponat, & decernat. Capitulum autem Generale nominat in Diſcretos Patrem Guardianum Hieroſolymæ, & Patrem Vicarium eiuſdem Conuentus, & Patrem Procuratorem, & hi tres alios duos Religioſos honeſtæ conuerſationis, & Officijs Religionis, ac prudentia magis commendatos nominabunt in Diſcretos: Vnum ſcilicet ex Natione Hiſpaniæ, & alium ex Natione Galliæ. Et vt omni dolo, & Fraudi via præcludatur, mandamus, quòd ſi aliquis Diſcretus Nationum, aliqua cauſa fuerit abſens, ſtatim inſtituatur alius eiuſdem Nationis abſentis, qui ferat vices eius in omni Diſcretorio, vſque ad aduentum dumtaxat illius, qui abſens erat.

5. Deinde ſtatuitur, quòd P. Procurator Sancti Saluatoris habeat Rationale, ſeu Librum, in quo fideliter, & manifeſtè ſcribat numerum omnium eleemoſynarum, quæ ex Hiſpania, Gallia, Italia, Germania, & Flandria mittuntur, & ibi nominet expreſsè perſonam Principis, vel Nobilis, qui eleemoſynam conceſſit, ſimulque Patriam, & Nationem cuiuſcumque benefactoris. Deinde ſcribatur ibi, nomen & Natio Patris Commiſſarij, qui eleemoſynam mittit, & illius cuius opera ad Hieroſolymam remittuntur. Prędictus autem P. Procurator teneatur ſingulis Menſibus dare rationem coram P. Guardiano, & Diſcretis Conuentus de ſumptibus, qui fiunt in ſubueniendis neceſſitatibus Fratrum, & de illis, qui fiunt ad placandos Mauros.

6. Præterea Capitulum Generale decreuit, ne Pater Guardianus Hieroſolymæ poſſit deinceps ſua abſoluta libertate mutare Guardianum, ſeu Præſidentem de vno Conuentu in alium, nec facere nouas Conſtitutiones, nec mittere Commiſſarios Conſtantinopolim, aut in Europam ad Terras Chriſtianorum, nec expellere Fratres ex Locis Sacris, qui per decem annos ibidem laudabiliter vixerunt, aut Fratrem remittere, qui nondum impleuerit ibi triennium, niſi graui cauſa, adhibito priùs conſilio, & conſenſu Patrum Diſcretorum, quorum conſultatione, & deliberatione hęc omnia diſponentur.

7. Mandatur etiam ſimiliter, quòd quando aliquis Religioſus veniat de nouo Hieroſolymam ipſe Pater Procurator Conuentus ſcribat fideliter Libros, & omnem ſupellectilem, quam nouus Frater portat, qui etiam debet ſcribere, & ſi contingat huiuſmodi Fratrem exire de Terra Sancta, & reuerti ad has partes, tunc dabuntur eidem Fratri Libri proprij vſus, ſupellectiles

les verò, nempe Pallinm, Tunica, Habitus, &c. dentur ipſi meliorati, non tamen plures numero, quam portauerat, niſi cognoſcatur non portaſſe neceſſaria.

8. Habitus Militares Sancti Sepulchri non dentur indiſcriminatim, ſed ſolùm perſonis nobilibus ad iudicium Patris Guardiani, ſimul cum Diſcretorio: Eleemoſyna autem, quæ pro ipſis offertur, reputatur ſufficiens, centum Reales de ocho, iuxta monetam Hiſpaniæ.

9. Vlterius Capitulnm Generale decreuit, quòd ordinata, & Statuta Romæ die vigeſima Martij anno Domini 1628. à Reuerendiſſ. P. Fr. Bernardino de Sena pro bono regimine Sacrorum Locorum inuiolabiliter à Prælatis, & ſubditis obſeruentur.

10. Et quia ſemper inualuit antiquiſſima, & laudabilis conſuetudo, quòd vnus Fratrum Conuentus Sancti Salnatoris Hieroſolymæ vadat ſingulis diebus in pretioſum ſepulchrum Beatæ Virginis Mariæ celebrare ibi ſacrificium Miſſæ, ideò præcipimus, quòd ſingulis diebus vadat Sacerdos in dictum locum Sacrum celebrare, niſi grauiſſima cauſa impediatur ad iudicium Guardiani.

11. Poſtremò quia deſeruire Locis Sacris Redemptionis noſtræ non ſolùm apud Diuinam Maieſtatem exiſtimatur meritorium, ſed etiam apud Seraphicam Religionem æquè dijudicatur glorioſum, ideo præcipimus, omnibus Miniſtris Prouincialibus, quòd ſua auctoritate, & zelo faueant omnibus Commiſſarijs, & Vice-Commiſſarijs Terræ Sanctæ; & ſi qui ſunt, qui fideliter longo tempore laborauerint, Diffinitorium Generale reliquit arbitrio Reuerendiſſ. Commiſſarij Generalis Familiæ, quòd poſſit ipſis præmia proportionata deſtinare.

Pro Familia Ciſmontana.

1. IN hac Familia Ciſmontana per Breue Apoſtolieum Sanctiſſimi D.N. Vrbani VIII. admiſſum in hoc Capitulo Generali expeditum Romæ die 14. Septembris Anno Domini 1642. quod incipit. *Cum per quaſdam noſtras, &c.* Secretarij P. Procuratoris Generalis, ac Commiſſarij Curiæ Romanæ, ac Commiſſarij Generalis Indiarum reſidentis in Curia Regis Catholici, non gaudent (etiam finitis officijs per triennium, vel ſexennium) priuilegijs quibus gaudent, qui fuerunt Diffinitores in ſuis Prouincijs, qualiter Decreto Apoſtolico, & generali Conſtitutione antea ſancitum fuerat, quòd gauderent, niſi tales Secretarij per ſexennium munus Prædicatoris principalis in aliquo Conuentu exercuerint, vel per completum triennium officio Guardianatus laudabiliter functi fuerint. Secretarij autem illi, qui munus exercebant Secretariorum, quando præſens Decretum fuit expeditum per voluntatem Pontificis etiam non poſſunt gaudere tali priuilegio, quouſque aliquod officium prædictorum tempore præſcripto exercuerint. Quæ omnia prouidè ordinauit Pontifex, ne ex voluntate priuata indigni, ſeu minus idonei in Secretarios eligerentur.

2. Quia Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. de reformat. cap. 4. diſponit, quòd Epiſcopi in Synodo Diœceſana, & Generales Religionum in Capitulis Generalibus Ordinum poſſint ſtatuere, quæ viderint expedire, quando numerus Miſſarum celebrandarum, ex perpetuis legatis Defunctorum, eſt ita magnus, quòd eleemoſynæ aſſignatæ pro celebrandis Miſſis, ita ſunt tenues, ac diminutæ, quod non ſufficiant, vt quis poſſit ſe ſubijcere earundem Miſſarum celebrationi, ideò ne pereat pia Defunctorum Commemoratio, Capitulum Generale decreuit, quòd huiuſmodi memoriæ perpetuæ, quarum eleemoſynæ inueniantur in Conuentibus, tam Fratrum, quàm Monialium valdè diminutæ, à Diffinitorijs Prouinciarum pro iſta vice hac lege diſponantur: quòd pro ſingulis Miſſis illa eleemoſyna taxetur, quàm Teſtator in prima diſpoſitione ſuę voluntatis pro ſingulis Miſſis in Teſtamento reliquerat: ſeruata in cæteris proportione.

3. Iudices aſſignantur ad expellendos Fratres incorrigibiles de Religione iuxta Decretum Vrbani VIII.

Reuerendiſſ. Commiſſarius Generalis Familiæ.

Reuerendiſſ. Commiſſarius Generalis Indiarum.

Ambo Diffinitores Generales Nationis.

Miniſter Prouincialis Caſtellæ.

Guardianus Matritenſis.

Et ſi quis iſtorum fuerit impeditus loco euiuſcumque ſubrogetur.

Guardianus Complutenſis.

4. Statutum Romanum, quod diſponit, ne eligantur in Prouinciales Fratres inexperti in officijs Religionis, Capitulum Generale declarat, quod illi reputandi ſunt inexperti, qui per duos integros annos non exercuerint laudabiliter Officium Guardianatus.

5. Ad euitanda litigia decernitur, quòd ſi Lector Iubilatus, & alius Prædicator qui

in

in Religione eſt antiquior, ſimul electi fuerint in Diffinitorio Prouinciæ, Lector Iubilatus, ſi iam habet ius approbatum Iubilarionis, etiam ſi contingat adhuc non habere ſuffragium, præcedat in omnibus Diffinitori non Iubilato in Religione antiquiori.

6. Capitulum Generale decernit, quòd nullus Lector Artium poſſit inſtitui ſine oppoſitione, & ſi aliter quis inſtituatur, iubet ne talis Lectura ſeruiat gratia obtinendi Iubilationem.

7. Ne honor Religionis quotidie exponatur contemptui, decernimus, quòd in ſingulis Prouincijs aſſignentur in Diffinitorio duo Patres graues, ac docti ad examinandum Prædicatores, & Confeſſores, Qui Examinatores authoritatem habeant approbandi, & reprobandi, cum conſenſu tamen Miniſtri Prouincialis.

8. Præterea Decretum eſt, quòd in ſubrogatione Diffinitorum Generalium ſeruentur antiqua Statuta.

9. Nullus Donatus habitu Religionis noſtræ veſtiatur, niſi explorata eius honeſta conuerſatione per ſeptennium, & requiſita facultate à Reuerendiſſ. Generali, vel Commiſſario Familiæ.

Pro Prouincijs Indiarum Occidentalium.

1. COnſtitutione generali declaratum eſt, quòd Reuerendiſſ. Commiſſarius Generalis Indiarum reſidens in Curia Regis Catholici, in omnibus, & per omnia eſt ſubditus, & ſubiectus Miniſtro Generali.

2. Eadem pariter auctoritate ſancimus, & declaramus, quòd nominatio, electio, miſſio, viſitatio, & correctio Commiſſariorum Generalium, qui ad nouam Hiſpaniam, & ad Regnum Peruanum mittuntur, pertinet priuatiuè ad Miniſtrum Generalem, qui eſt ſupremum caput Religionis; Vndè prædicti Commiſſarij debent in ſuis officijs perdurare, donec accedant alij miſſi à Miniſtro Generali.

3. Attamen, ne ex tarditate recurſus ad Miniſtrum Generalem abſentem, aliqua negotia experiantur incommoda, prædictus Commiſſarius Generalis Indiarum reſidens in Curia Regis Catholici in abſentia Miniſtri Generalis à Regnis Hiſpaniarum ex auctoritate Reuerendiſſ. habeat facultatem, vt ex graui cauſa poſſit mittere Viſitatores ad Indias, qui cognoſcant de exceſſibus Commiſſariorum Generalium Nouæ Hiſpaniæ, & Regni Peruani.

4. Per Breue Apoſtolicum Sanctiſſimi D.N. Vrbani VIII. expeditum Romæ die 17. Iunij anno 1643., quod incipit: *Exponi nobis nuper fecit*, admiſſum à Diffinitorio Generali, ſancitum fuit, quòd diſpoſitio Clemen. VIII. in qua decernitur, quòd incorporatio Fratrum in Prouincijs Indiarum debet fieri apponendo expreſsè, nominatim, & perſonaliter nomen ipſius Religioſi miſſi, & incorporandi, debet ſolùm intelligi de illis Fratribus, quos Commiſſarij Generales Indiarum Nouę Hiſpaniæ, & Regni Peruani ſecum deferunt, non tamen de alijs Fratribus, qui Dei zelo, & ex Decreto conſilij Regis Catholici commigrant ad Prouincias Indiarum, iſti enim iam manent incorporati modo ordinario, & in his miſſionibus vſitato.

5. Vlteriùs Capitulum Generale decreuit, quòd ſi quis Fratrum petat Indias cauſa agendi, vel ſollicitandi aliquod negotium particulare cum tempore determinato, & poſtea voluerit ibi remanere, non poſſit aſſumi ad officium, vel dignitatem Religionis, nec poſſit vnquam incorporari in aliqua Prouincia.

6. Etiam Decretum eſt, quòd ſi aliquis Frater ex ipſa Hiſpania petit Indias, hinc ad particularem aliquam Prouinciam deſtinatus, & ipſe ſe diuertat ad aliam Prouinciam, in illa non poterit obtinere aliquod officium, ſeu dignitatem, quia ſemper reputabitur extraneus, & non incorporatus in tali Prouincia.

7. Quia Cuſtodia Sanctæ Catharinæ fluminis viridis penuria, & paucitate Religioſorum non poteſt commodè intereſſe conuerſioni Infidelium confinium, iubetur, quòd iterum incorporetur cum Prouincia de Mechoacam, à qua antea fuerat ſegregata.

8. Vt præcludatur occaſio vagandi decernimus, ne deinceps Fratres Sancti Antonij Charcarum poſſint tranſire ad Prouinciam duodecim Apoſtolorum de Lima, nec è contra, niſi mutuo conſenſu Miniſtrorum Prouincialium, & obſeruando quæ Statuta diſponunt de incorporatione.

9. Quia ſtatus Recollectorum in noſtra Religione eſt nobiliſſima portio, oportet curare de eius incolumitate, & augmento, quare Miniſtro Prouinciali Sancti Antonij Charcarum in Regno Peruano, & Commiſſario Viſitatori pro tempore exiſtenti, per obedientiam præcipimus, ne audeant in Conſtitutionibus Recollectorum diſpenſare, nec Fratres diſcolos illuc mittere puniendi, vel caſtigandi cauſa, imò faueant Conuentibus Recollectis, & Inſtituto.

10. Et ſub pœna priuationis officiorum præcipimus eidem Miniſtro Prouinciali Sancti Antonij Charcarum, & Com-

miſſario, quando in Capitulo Prouinciali contingat præſidere, quòd ex tribus Conuentibus Recollectis, ſi tres fuerint, eligatur vnus Diffinitor Recollectus, iuxta Conſtitutiones Generales, qui in omnibus Diffinitorijs aſſiſtat cum voce, & cuius conſultatione negotia Recollectorum Miniſter Prouincialis diſpenſet.

11. Capitulum Generale confirmat alternatiuam in Prouincia Sancti Ioſeph de Yucatan, eo modo quo ex conſenſu Patrum illius Prouinciæ fuit confirmata à Reuerendiſſ. P. Fr. Ioanne Merinero præterito Generali Miniſtro. Et quia immediata electio futura pertinet ad partem illam, in qua ſunt ſimul Patres illi, qui dicuntur Filij Prouinciæ, & Patres dicti Cryolli, & in præteritis electionibus factis, ex hac parte electi ſunt filij Prouinciæ. Diffinitorium Generale vnanimi conſenſu decreuit, quòd in futura, & immediata electione eligatur Pater Cryollus ex Patria eiuſdem Prouinciæ originarius, & naturalis.

12. Præterea Diffinitorium Generale declarauit, quòd in Prouincia Nominis IESV de Guatimala in Noua Hiſpania obſeruetur alternatiua inter Patres dictos Cryollos ex vna parte, & inter Patres dictos Cachupinos, & Filios Prouinciæ ex alia, & quod cætera officia æqualiter diuidantur inter prædictas duas partes.

13. Capitulum Generale diſpoſuit, quòd in Prouincia Sancti Petri, & Pauli de Mechoacam obſeruetur alternatiua hoc modo, quòd Fratres Cachupini, cum medietate Filiorum Prouinciæ faciant vnam partem, & Fratres Cryolli cum altera medietate Prouinciæ faciant aliam: in cæteris obſeruetur, quod in Prouincia de Xaliſco.

14. Præterea ſancitum fuit, quòd in Prouincia Sancti Franciſci de Quito in Regno Peruano ſeruetur alternatiua inter Religioſos, qui dicuntur Cachupini, & Filij Prouinciæ ex vna parte, & inter Religioſos dictos Cryollos ex altera, eo modo quo diſpoſuit, & ordinauit Reuerendiſſ. P. Fr. Ioannes Merinero Generalis Miniſter præteritus litteris ſuis die 4. Maij anno Domini 1642.

15. Præcipimus, ſub pœna Officiorum, Commiſſarijs Generalibus Nouæ Hiſpaniæ, & Regni Peruani, quòd nullum Fratrem Laicum ad ſtatum Clericorum aſſumant, quia hoc attentare, Sede Apoſtolica, aut Capitulo Generali non requiſitis, temerarium eſt.

16. Et ſub eadem pœna eiſdem præcipimus, ne ſinant ſe nominari à Fratribus titulo Reuerendiſſimorum, & omnibus ſubditis Indiarum ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda mandamus, ne deinceps audeant prædictos Commiſſarios tali titulo ſalutare, ſcribere, aut nominare.

17. Si ob mortem Commiſſarij Generalis, Miniſter, ſeu Prælatus Prouinciæ habeat ſigilla defuncti (iuxta Statuta noſtra) declaramus, quòd facta electione ſtatim dentur ſigilla Prælato nouiter electo, hæc enim ſubſtitutio officium Prælaturæ ſequitur, non perſonam.

18. Si contingat, huiuſmodi Prelatum, qui ſigilla habet, ob mortem Commiſſarij Generalis, ipſum etiam obire in Prouincia aliena, declaramus, ſigillum pertinere ad Prælatum Prouinciæ, in qua iſte moritur, non autem ad illam, in qua mortuus fuerat Commiſſarius Generalis.

19. Quicumque igitur Prælatus, qui ob mortem Commiſſarij Generalis ſigillum habeat, poteſt alienas Prouincias perſonaliter viſitare, & in Capitulis Prouincialibus præſidere, ſeruando in cæteris omnino, quæ Statuta Generalia diſponunt.

20. Nullus Prælatus, qui ob mortem Commiſſarij Generalis ſigillum talis Officij habuerit, ob talem ſubſtitutionem, priuilegium aliquod, aut præeminentiam habere præſumat.

21. Si in Prouincijs Indiarum contingat, quod ex inuoluntaria tarditate Commiſſarij Viſitatoris ob diſtantiam itineris, vel ob mortem ipſius, & ob difficilem ad Commiſſarium Generalem recurſum, Guardianos Prouinciæ adimpleſſe tres Annos ſupra dimidium ſuorum officiorum, Capitulum Generale declarat, prædictos Guardianos habere vota, & ſuffragia legitima ad futuram electionem Miniſtri eligendi.

22. Decernimus pariter, quòd Commiſſarij Generales Nouæ Hiſpaniæ, & Regni Peruani, qui timore nauigationum, vel impedimento infirmitatum voluerunt in aliqua Prouincia illarum remanere, gaudeant in illa præeminentia Patris Prouinciæ, cæteroſque Patres præcedant ob præteritum Præſulatum.

23. Decernimus, quòd Secretarius Commiſſarij Indiarum reſidentis in Curia Regis Catholici, qui fuerit filius ex Prouincijs Indijs, ſi legerit Theologiam per triennium, vel ſexennium exercuerit officium Prædicatoris principalis in aliquo Conuentu, vel per triennium functus fuerit Officio Guardianatus, gaudeat finito ſexennio Secretariatus, in Prouincia ſua priuilegijs Patrum Prouinciæ: at in Prouincijs Hiſpaniarum tali priuilegio vetamus gaudere.

24. Omnes Patres Commiſſarij, qui ex Indijs ad Capitulum Generale Romanum præteritum, & hi,qui ad præſens Toletanum conuenerunt, vt deferrent ſuffragia Miniſtrorum Prouincialium, gaudeant in ſuis Prouincijs priuilegijs, quibus gaudent, qui fuerunt Diffinitores: in poſterum verò,qui primò in ſua Prouincia per triennium non exercuerint laudabiliter Guardianatum,tali priuilegio gaudere nequeant, & cum iſta modificatione fuit admiſſum Breue Apoſtolicum.

Pro Natione Gallica.

1. CApitulum Generale ſupplicat Reuerendiſſ. Miniſtro Generali, vt quàm citiùs poſſit, curet Gallias adire, quia ex tarda Generalium abſentia, grauiſſima experiuntur in illis Prouincijs incommoda in detrimentum Religionis,quę in abſentia Prælatorum partibus inauditis exterminari non poſſunt, quare præſentia ſua exiſtimatur neceſſaria ad componendas lites,ad ſedandas turbationes,ad reſtaurandam Religionem,& ad ſtabiliendam pacem perpetuam.

2. Præterea Decretum eſt, quòd acta, ordinata, & Statuta Apoſtolica, & regia auctoritate confirmata, & approbata circa ſuppreſſionem, & ſuſpenſionem Officij Vicarij, ſeu Viſitatoris Generalis, & circa ſeparationem Prouinciæ Sancti Franciſci, & Sancti Iuonis, & diſpoſita circa gubernationem Conuentus Romani, nec non quatuor Prouinciarum Tertij Ordinis de pœnitentia Seraphici P.N.Franciſci, quæ ſunt in Gallia, videlicet Prouincia Sancti Franciſci, Sancti Iuonis, Sancti Ludouici, & Sancti Elzearij eorundem Fratrum de pœnitentia Tertij Ordinis confirmata, & approbata maneant, & perſeuerent, ſicut à Reuerendiſſ. Miniſtro Generali præterito P.Fr.Ioanne Merinero fuerunt approbata, & confirmata. Victoriæ 29. Aprilis anno Domini 1644.

Pro Natione Germanica, & Belgica.

1. DEcernitur, vt Miniſtri Titulares non aſſumantur deinceps, niſi ex Patribus, qui in alterutra reſpectiuè natione, in qua Prouinciæ titulares exiſtunt profeſſi, vel legitimè incorporati fuerint, illi verò Tituli non niſi grauioribus,& benemeritis Patribus conferantur.

2. Si ex Natione Belgica contingat non venire ad Capitulum Diffinitorem Generalem legitimè electum, aut ſubrogatum, tunc ex eius ſubſtituatur Miniſter, vel Commiſſarius illius Prouinciæ, ex qua fuerat Diffinitor Generalis legitimè electus.

3. Statutum illud, vt nullus ad Prouincialatum poſſit eligi, niſi qui inferiorum officiorum gradibus aptitudinis ſuæ ad gubernandum ſpecimen præbuerit, Capitulum Generale declarat, id non de officijs, ſed ſolo de Guardianatu, cui animarum cura, & ſpecies regiminis propriè annexa eſt, intelligi debere, ita vt in eodem, ad minus per duos completos annos perſeuerauerint.

4. Patres Prouinciarum, qui actualiter Diffinitorio interſunt, ſicut etiam Cuſtodes, & Diffinitores actuales Prouinciarum, in Guardianos non aſſumantur, niſi de Diffinitorij conſenſu, & Generalibus Prælatis requiſitis, & iuxta antiqua Statuta, quæ in Prouincijs Hiſpaniarum in viridi ſunt obſeruantia, illoque Guardianatus tempore Diffinitorio intereſſe nequeant.

5. In ſubrogatione Diffinitorum Patres Prouinciæ, qui pro tunc Diffinitorio non interſunt, cæteris omnibus præferantur.

6. Declarat Capitulum Generale, quòd pro ſingulis ſtudijs, duo eſſe poſſint Lectores Iubilati, ita vt, vbi duo Studia Theologiæ Scholaſticæ ſunt in Prouincia, quatuor ſimul ſint Lectores Iubilati. At Lectores Iubilati cum à docendo ceſſauerint, nullatenus à ſequela Chori, & Communitatis excuſari decernimus. Similiter ipſorum Iubilationem ad plenum Capitulum pertinere dicimus, vbi de eorum diligentia in docendo per teſtimonia Guardianorum in ſcriptis fiat diſquiſitio, quibus deficientibus ad Iubilationem idonei non habeantur. Neque vllus quouis quæſito colore titulum Lectoris Iubilati vſurpare præſumat,niſi iuxta formam Statutorum duodecim annis ſine interpollatione Curſum Theologiæ Scholaſticæ perfecerit, etiamſi interpollatio fiat maiorum Officiorum Ordinis occupatione.

Pro Natione Hibernica.

1. CApitulum Generale conſentit, quòd Prouincia Hiberniæ diuidatur in duas Prouincias, quarum antiquior appelletur Prouincia Hiberniæ,altera Prouincia Sancti Patritij, obtenta priùs facultate, & auctoritate Apoſtolica, ad arbitrium Miniſtri Prouincialis,ſimul cum Diffinitorio,adhibitis etiam reliquis Prouincię Patribus grauibus, quorum deliberatione omnia diſponantur.

2. Pro-

2. Prouincia erigenda nominabitur Sancti Patritij in Regno Hiberniæ, cuius ſigillum erit imago Sancti Patritij cum hac inſcriptione: Sigillum Prouinciæ Sancti Patritij. Inter has Prouincias, illa exiſtimetur antiquior, quæ, in parte ſuæ diuiſionis, habere contingat antiquiorem Conuentum à quo Prouincia duxit originem.

3. Præterea ad Diffinitorium ſimul cum Miniſtro Prouinciali, & prædictis Patribus, remittitur facultas aſſignandi limites, & territotium Guardianis vtriuſque Prouinciæ.

Petitiones, quas curæ Miniſtri Generalis Capitulum Generale reliquit.

1. Capitulum Generale ſupplicat Reuerendiſſimo, quòd curet impetrare confirmationem priſtini priuilegij, ne poſſint Epiſcopi, vel eorum Vicarij extrahere Nouitias à Clauſura ad examinandam earundem libertatem.

2. Quòd curet, quod Feſtum Sanctæ Claræ Matris noſtræ recitetur in tota Eccleſia duplex ex præcepto Pontificis, ſicut ex permiſſione fuit cônceſſum ab Vrbano VIII. & idem ſupplicat pro feſto S.Bernardini.

3. Quod in noſtra Religione fiat Officium de Stigmatibus Domini Noſtri IESV Chriſti, & de ipſo feſto recitetur, ſicut de Stigmatibus Patris Noſtri Franciſci.

4. Quod petat fieri Officinm apud Fratres de B.Colleta, ſicut apud Moniales fit ex conceſſione Pontificis.

5. Quod curet aſſignare duos Patres, graues in Regnis de Perù, & Nouæ Hiſpaniæ, qui in ſingulis ſexennijs mittant ad Capitulum Generale, omnia, quæ facta ſunt in conuerſionibus Indorum, & alia, quæ ad ędificationem poſſent conducere.

6. Quod committatur viro docto, & erudito proſecutio Chronologi Franciſcani, qui eadem methodo proſequatur Chronicon Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi D. Fr. Franciſci de Gonzaga Epiſcopi Mantuani. Actum eſt Matriti in Conuentu noſtro Sancti Franciſci die 9. Iulij anno 1645.

Fr. Ioannes à Neapoli Miniſter Generalis.

Fr. Hieronymus de Cilento Diffinitor, & Secretarius Generalis.

Fr. Aloyſius Romanus Diffinitor Generalis.

Fr. Benignus à Florentia Diffinitor Generalis.

Fr. Federicus à Monachio Diffinitor Generalis.

Fr. Marcellinus Radaellus Diffinitor Generalis.

Fr. Iuniperus de Neapoli Diffinitor Generalis.

Fr. Ioannes Merinero Pater Ordinis.

Fr. Ioannes de Palma Commiſſarius Generalis.

Fr. Ioſeph Maldonado Commiſſarius Generalis Indiarum.

Fr. Antonius de Ribera Commiſſarius Generalis Curiæ.

F. Franciſcus Andreas de la Torre Diffinitor Generalis.

Fr. Gaſpar de la Fuente Diffinitor Generalis.

Fr. Sauinianus Lefort' Diffinitor Generalis.

Fr. Dominicus Ythier Diffinitor Generalis.

Fr. Petrus Ritz' Diffinitor Generalis.

Fr. Boetius Eganus Diffinitor Generalis.

Loco ✝ Sigilli.

De Mandato Reuerendiſſimi.

Fr. Petrus Manero Secretarius Gen. Ord.

Sacræ Theologiæ Studia Generalia Vltramontanæ Familiæ iuxta Apoſtolicarum, & noſtrarum Conſtitutionum præſcriptum.

Sanctæ Mariæ de Ara-Cæli Romæ.
Sanctæ Mariæ Nouæ Neapolis.
Sancti Franciſci de Monte Peruſij.
Sanctæ Mariæ Nouæ Phani.
Omnium Sanctorum Florentiæ.
Sancti Franciſci Lucæ.
Sanctæ Crucis Piſarum.
Sanctiſſimæ Annuntiatæ Bononiæ.
Sancti Spiritus Ferrariæ.
Sanctæ Mariæ Angelorum Mediolani.
Sancti Didaci Neapolis.
Sanctæ Mariæ Ieſu Meſſanæ.
Sancti Antonij Licij.
Sanctæ Mariæ Angelorum Panormi.
Sanctæ Mariæ Ieſu Motucæ.
Sancti Bernardini Aquilæ.
Sancti Franciſci Paduæ.
Sancti Franciſci Mantuæ.
Sanctiſſimæ Annuntiatæ Genuæ.
Sancti Thomæ Taurini.
Sancti Franciſci Coſſentiæ.
Sanctæ Mariæ Ieſu Foggiæ.
Sancti Ioſeph Brixiæ.

Sanctæ Mariæ de Vrſeolo.
Sancti Bernardini Alexandriæ.
Sanctæ Mariæ de Ieſu Montis Leonis.
Paradiſi Viterbij.

Anno 1644. die 29. Iulij Vrb. VIII. Pontif. O. M. ad ſuperos euolante, Innocentius X. eius in Petri Cathedra SS. ſucceſſor die 4. Octobris in ſolemnitate Sancti Franciſci ſolemniter coronari voluit; & anno 1648. cum Eminentiſs. Barberinus Ordinis Protector in Gallias profectus eſſet, Cardinalis Iuſtinianus Comprotector cum poteſtatis plenitudine, & independentia conſtitutus eſt, vt diximus Tom. I.

Congregatio Generalis Victorienſis ann. 1648.

In Nomine Domini Amen.

HÆc eſt Tabula Capituli Intermedij, ſeu Congregationis Generalis celebratæ in Alma Prouincia Cantabriæ, in Conuentu S. P. N. Franciſci Ciuitatis Victoriæ die 27. Iunij anno 1648. Aſſiſtente, & Præſidente Reuerendiſs. P. Fr. Ioanne de Neapoli Miniſtro Generali totius Ordinis Fratrum Minorum, ſecundum Decretum Apoſtolicum Leonis X. fel. rec. in Bulla *Vnionis*.

In primis Reuerendiſs. P. Fr. Ioannes à Palma, ex Reformatiſſima Prouincia Angelorum, Commiſſarius Generalis Familię, & Confeſſarius Reginæ Catholicæ, necnon Sereniſſimę Hiſpaniarum Infantiſſę Mariæ Thereſiæ, poſt fęliciſſimam gubernationem, & exemplarem vitam cohoneſtatam ſplendore virtutum, & eximio candore meritorum, ferè in extremo ſui miniſterij triennio finiuit Commiſſariatum, acerbiſſimo caſu mortis, cum ſummo totius Religionis dolore, & detrimento, in cuius locum canonicè electus fuit ferè omnium concurrentium Vocalium conſenſu in Commiſſarium Generalem Familiæ Ciſmontanæ Reuerendiſsimus P. Fr. Ioſephus Maldonadus, qui iam fæliciter præerat Commiſſarius Generalis Indiarum.

Procurator Generalis Ordinis in Curia Romana.

Adm. R. P. F. Angelus Franciſcus de Genua Lector Iubilatus, & Miniſter Prouinciæ Genuæ.

Commiſſarius Generalis in Curia Romana.

dm. R. P. Fr. Franciſcus Suarez Lector Iubilatus, Cuſtos, & Pater Prouinciæ Beticæ.

Diffinitores Generales.

Adm. R. P. F. Ignatius Zegama Lector Iubilatus, Cuſtos, & Pater Prouinciæ Puriſſimæ Conceptionis.

Adm. R. P. F. Petrus Manero Lector Iubilatus, Secretarius Ordinis, & Prouincialis Miniſter Prouinciæ Aragoniæ.

Adm. R. P. F. Bernardus Iourdain S. Theologiæ Lector Prominiſter, & Pater Prouinciæ Aquitaniæ Antiquioris.

Adm. R. P. F. Ægidius à Bruxellis Miniſter Prouinciæ Saxoniæ S. Ioannis Baptiſtæ.

Adm. R. P. F. Gregorius de Zanedy Sacræ Theologię Lector, & Prominiſter Prouinciæ puriſſimæ Conceptionis Recollectorum in Gallia.

Adm. R. P. F. Franciſcus Galuienſis Lector Iubilatus, & Miniſter Prouinciæ Scotiæ.

Guardianus Hieroſolymorum.

Adm. R. P. F. Antonius de Gaeta Sacræ Theologiæ Lector, & Pater Prouinciæ Terræ Laboris.

Guardianus Conſtantinopolis.

Relinquitur arbitrio Reuerendiſſimi Miniſtri Generalis.

Conſtitutiones Generales, pro Familia Ciſmontana noſtræ Seraphicæ Religionis factæ in Generali Congregatione, celebrata in Conuentu S. P. N. Franciſci Ciuitatis Victoriæ, Almæ Prouinciæ Cantabriæ die 27. Iunij anno Domini 1648.

Aſſiſtente, & Præſidente Reuerendiſs. P. Fr. Ioanne à Neapoli Miniſtro Generali totius Ordinis Fratrum Minorum pro tota Familia.

1. CIrca ius præſidendi, in Capitulis, aut Congregationibus Generalibus, Congregatio Generalis apertè declarat, quod ſi Capitulo, aut Congregatione Generali conuocato, contingat officium Miniſtri Generalis, (ad quem de iure pertinet Comitiorum præſidentia) quacumque cauſa vacare, protinùs ſine vlla dilatione Vicarius Ordinis (iuxta ſtatuta pristina) eligatur, qui ex auctoritate officij habeat dignitatem præſidentiæ.

2. Si verò Capitulo, aut Congregatione Generali conuocato, ob quamcumque

cau-

cauſam vacauerit officiũ Miniſtri Generalis, & propter inſuperabilem difficultatem eligi non poſſit Vicarius Generalis Ordinis (vt iura diſponunt) vel nondum vacans ob poſſibilem euentum Miniſter Generalis abſens tempore opportuno non adſit, tunc Commiſſarius Generalis familiæ, qui actu eſt, debet habere præſidentiam.

3. Similiter etiam ſi contingat, Commiſſarium Familiæ, Capitulo, aut Congregatione Generalis conuocato, morte deficere, aut vacare quacumque alia cauſa, tunc ſine aliqua dilatione Vice-Commiſſarius Generali eligendus eſt (iuxta priſtinas leges Ordinis) qui in abſentia Generalis Miniſtri habeat prærogatinam præſidendi.

4. Si verò in aliquo imaginabili caſu (abſente Generali Miniſtro, mortuo Commiſſario Generali, & conuocata Familia) Vice-Commiſſarius Generalis eligi non poſſit, propter inuincibilem impoſſibilitatem, vel iam electus, ob poſſibilem caſum, etiam abſit, tunc dignior Pater Ordinis debet præſidere.

5. Digniorem Patrem illum eſſe declarat, qui iuxta ſtatuta Religionis Generalatu, aut Vicariatu Generali, aut Commiſſariatu ſeu Vice-Commiſſariatu Generali Familiæ functus fuerit: poſt quos dignior reputandus eſt Commiſſarius Generalis Indiarum qui actu exercet.

6. Si verò contingat eiſdem, vel de alijs cauſis, prædictos Patres Ordinis abeſſe, tunc præſidentia infraſcriptis Patribus hac irrefragabili ſubordinatione debet cõpetere. Primò præſideat actualis Procurator, aut Commiſſarius Romanæ Curiæ. Si verò iſti deſiderentur, Diffinitores Generales actuales illius nationis, vbi Capitulum, aut Congregatio Generalis celebratur, præferuntur, inter quos primũ præerit antiquior, ac ſi vterque Diffinitor actualis deficiat, præſidentia ad habituales Procuratores, ſeu Commiſſarios Romanæ Curiæ debet pertranſire, ac denique ad habituales Diffinitores Generales obſeruata ad inuicem reſpectiuè antiquitate.

7. Itaque Congregatio Generalis, lege ſancit, ac diffinit, omnes præfatos Patres in prædicto iure præſidendi ſemper debere præferri Miniſtro Prouinciali illius Prouinciæ, in qua Capitulum, aut Congregatio Generalis celebratur, reuocata quacũque lege, aut conſuetudine in contrarium: poſt quos omnes dumtaxat prædictus Miniſter Prouincialis debet obtinere dignitatem præſidentiæ.

8. His tamen decretis Congregatio Generalis nihil immutare, aut innouare prætendit circa præſidentiam, aut ius conuocandi in electione Vicarij, aut Vice-Commiſſarij Generalis immò vult, vt quæ in ſtatutis Generalibus ſunt iam dudum prædecreta, firma perſeuerent, & rata, etiã ſi cupiat, quod graduatio, ſeu ſubordinatio Patrum Ordinis clariori expoſitione pateſcat.

9. In Diffinitorijs Generalibus, in quibus ſit ſindicatio Miniſtri, aut Commiſſarij Generalis, & in alijs Diffinitorijs, vbi ſuperiores Generales non adſint, præſidebit in poſterum antiquior Pater Ordinis, qui ibidem adſit, reuocata quacumque Conſtitutione, aut conſuetudine in contrarium.

10. Congregatio Generalis vnanimi conſenſu declarauit, quòd qui poſſunt ſubſtitui in Generali Capitulo, aut Congregatione Vice-Diffinitorum Generalium abſentium (qualiter in Romanis Conſtitutionibus diſponitur) vt poſſint gaudere priuilegio Patrum, debent eſſe ad minus Diffinitores actuales, vel habituales, Lectores Iubilati, vel qui per ſexennium ſacram Theologiam legerint, vel in maiori Conuentu laudabiliter exercuerint officium Guardianatus: attamen Patres, qui fuerunt Prouinciales, habiles iure reputauit ad ſubſtituendum.

11. Deindè decretum eſt, quòd Prominiſtri, & Cuſtodes, qui in Capitulo, aut Congregatione Generali ſuffragauerint, ne eorum labor euadat inanis, gaudeant deinceps nudo titulo Paternitatis abſque voto, & præcedentia, ſi dicti Prominiſtri ſint Lectores Iubilati, aut Diffinitores actuales.

12. Nunc igitur cum pœnis ſtabilitum eſt, quod iam dudum ſola animaduerſione fuerat ordinatum, ſcilicet ne quis Fratrum cuiuſcumque ſit conditionis audeant Typis mandare, Libros, abſque expreſſa licentia Reuerendiſs. P. Miniſtri, aut Commiſſarij Generalis, ſub pœna excommunicationis, & alijs infligendis pro arbitrio Reuerendiſſimorum; quibus Auctores mittere teneantur vnum librum ex impreſſis; pro imprimendis autem Concluſionibus, & alijs rebus leuioris momenti, vnaquæque Prouincia prouideat, & aſſignet duos, vel tres Lectores Iubilatos, aut actuales, qui imprimenda diſcutiant, examinent, & approbent.

13. Quia in dies noſtra Seraphica Religio magna experitur detrimenta in honore publico Religionis, temerarijs abuſibus aliquorum, qui prætextu informationum, aut vindicandi honorem proprium, memorialia, aut Libellos imprimunt abſque Superiorum facultate; proindè determinatum eſt ſub pœna excommunicationis maio-

maioris, & priuationis actuum legitimorum, vt nullus deinceps audeat, vel præſumat talia Memorialia, Informationes, aut Libellos imprimere abſque expreſſa licentia Generalium Superiorum. Si quæ verò depræhendantur impreſſa, ſummo ſtudio à Miniſtris recolligantur, & ad prædictos Superiores transmittantur.

14 Miniſtri, & Cuſtodes, qui iuxta mandata Apoſtolica ad Comitia Capituli, ſeu Congregationis Generalis nunc non venerunt, aut poſtea non venient, per ſex menſes abſoluuntur ab officijs, ſi non conſtiterit de legitimo impedimento.

15. Reuerendiſs. P. Miniſter Generalis pro ſua benignitate commutauit ſpirituales pœnas poſitas in mandatis ſuis (ſi aliqua ibi eſt, quæ propria ſit, & non apertè inſerta in Generalibus Conſtitutionibus totius Familiæ) in pœnas temporales, ea tamen lege, quòd tranſgreſſores temporalibus ibi præfixis pœnis omninò ſubiaceant.

16. Ad vindicandas calumnias iniquè noſtræ Seraphicę Religioni impoſitas à quibuſdam, prouiſum eſt, quod à Reuerendiſs. P. Miniſtro Generali deputentur aliqui viri docti, & eruditi, qui robore veritatis, & candore modeſtiæ dictas impoſturas retundant, nè moderatiſſima patientia noſtra, qua abutuntur in perniciem cedat candidiſſimæ Religionis.

17. Præterea, vniuerſali ſupplicatione concurrentium Vocalium prouiſum eſt, decernendo, quod quando extra officium Diuinum, fit commemoratio de S. P. N. Franciſco, ſemper fiat pariter commemoratio de Patriarcha Sancto Dominico.

18. Et vt magis incaleſcat feruor noſtræ Religionis, communi applauſu Nationum, decretum eſt, quòd ex parte Generalis Congregationis Summus Pontifex exoretur, quatenùs pro ſua benignitate dignetur concedere pro toto Ordine Minorum, tam Fratrum, quàm Monialium facultatem recitandi diuinum Officium Feſti S. Dominici P. N. cum tota octaua, eo ritu, & ſolemnitate, primæ Claſſis, quo feſtum Seraphici P. N. Franciſci celebratur in vniuerſo Ordine, & ad regulas, ſeu rubricas Breuiarij Romani prætenſum officium cum octaua coopretur, apud eundem Sanctiſſimum exorandum eſt.

19. Diffinitorium Generale declarat, ſtatutum generale editum in Comitijs Generalibus vltimis Toletanis, vt Fratres Hoſpites in Curia Romana, elapſis tribus diebus, ſint ſubditi Patri Guardiano, non fuiſſe inculcatum proprio arbitratu, aut arbitrio Reuerendiſs. P. Generalis, ſed excogitatum, ac dimiſſum vnanimi conſenſu, & conſilio Patrum vtriuſque Familiæ.

Vide de hoc nouiſſimam declarat. Reu. Min. Gen Ioſeph Samaniego in Reg. 9. Aracæl. Curiæ Vltram. & in noſtro 1 tom. de Auct. Offic. Curiæ.

Pro Natione Hiſpanica.

1. VT priſtinæ Conſtitutiones Generales Segobienſes, ſcilicet, & Romanæ aperta intelligentia percurrant; declaratum eſt, quòd Patres, qui fuerunt Prouinciales in quacumque Prouincia ditionis Regis Catholici, cum ad propriam reuertuntur, vbi ſacrum habitum induerunt, ſint eiuſdem Prouinciæ Patres, cum præcedentia dumtaxat, titulo paternitatis, & Socio. Præcedentia autem iſta exponitur, quòd ſint Patres, poſt Prouinciæ Patres, qui in Prouincia iure tales ſunt, & ante actuales, & habituales Diffinitores. Cæterùm ex iſta gratia, nullum ius habere prę ſumant, vt poſſint inpoſterum ſubrogari, aut votum in Capitulis habere.

2. Præterea ſtabilitum eſt, quòd Lectores Sacræ Theologię inter ſe præcedentiam obſeruent, iuxta tempus ſuæ inſtitutionis in lectoratu, non tamen iuxta antiquitatem habitus in Religione, non obſtante quacumque Conſtitutione, vel conſuetudine in contrarium.

3. Diſpoſitum etiam fuit, vt Lectores, qui ſexennio Artes, vel Sacram Theologiam, vel triennio Artes, & triennio Sacram Theologiam perlegerint gaudeant his gratijs, quibus ex Statutis gaudere ſolent, qui fuerunt per ſexennium Prędicatores Conuentuales.

4. Vt ſtudia ſacrarum litterarum in Religione habeant honeſtum incitamentum Congregatio Generalis decreuit, quòd ſi quis Patrum Lectorum indefeſſa manu fructuoſis exercitijs plauſibili ſplendore, & bono exemplo Morum, per viginti quatuor annos Sacram Theologiam ſcholaſticam perlegerit, gaudeat priuilegio Patrum Prouinciæ, quoad paternitatis titulum, & præcedentiam dumtaxat.

5. Decernitur deinde, vt Breue Sanctiſſimi Vrbani VIII. quo inhibetur, duos Fratres vterinos non poſſe eligi in Diffinitores, neque alio titulo in eodem Diffinitorio ſimul conuenire ad ſuffragandum, deinceps in Prouincijs Hiſpaniarum obſeruetur, quandoquidem à Generali Congregatione fuit admiſſum pro dictis Prouincijs.

6. Prædicatores Regij Catholicæ Maieſtatis, qui in proprijs Prouincijs non fuerunt Diffinitores, aut Lectores Iubilati, aut Guardiani in inſigniori Conuentu, nullo modo gaudebunt honore præcedentiæ, aut titulo Paternitatis, cum ſufficienter eos eſ-

ſe cohoneſtatos honore cenſeamus, qui Regis gratia ad tam ſublimem dignitatem extolluntur.

7. Conſtitutio Generalis, & Apoſtolica, in qua præcipitur, ne vllus Fratrum Confeſſiones Sæcularium audiat, niſi trigeſimum annum attingat, inuiolabili executione obſeruanda eſt.

8. Abbatiſſæ Monialium,ſi ſemel præfatum officium admiſerunt, & in ipſo ſaltem per duos integros annos non permanſerint, gaudere non poterunt priuilegijs conceſſis his Præfectis, quæ fuerunt laudabiliter Abbatiſſæ.

Pro Natione Gallica.

1. Inter Patres Prouinciæ hic Ordo ſeruari debet, quòd Patres qui iure tales ſunt, præcedant omnes alios, qui ſine gubernio, & regimine Prouinciarum, ſolùm ex mera gratia, aut conſuetudine Patres ſunt Prouinciæ.

Pro Natione Germanica, & Belgica.

1. PRO Prouincijs titularibus decretum eſt, quòd nullus in poſterum inſtituatur Miniſter, & Cuſtos, abſque eo quod ſit, aut fuerit in propria Prouincia Diffinitor, aut Sacræ Theologiæ Lector, vel in Prouincijs infidelium inſeruierit ad minus per triennium ſumma cum laude, & cum litteris teſtimonialibus probetur fuiſſe verus Miſſionarius Apoſtolicus.

2. Ob difficilem recurſum Prouinciarum Belgij, & Germaniæ ad Iudices deputatos in hac Familia, Congregatio Generalis decreuit, quòd Reuerendiſs. P. Miniſter Generalis pro ſua benignitate, quatuor, vel quinque Patres eiuſdem Nationis Germaniæ, & Belgij pios, & doctos deputet, & inſtituat ad expellendos incorrigibiles, iuxta Decretum fel. rec. Vrbani VIII.

3. Decernit præterea Diffinitorium Generale, vt Agentes Romæ pro Prouincijs Belgicis, in omnibus, & per omnia dependeant à Procuratoribus, vel Commiſſarijs Curiæ huius Familiæ Ciſmontanæ, ità vt nullatenùs aliqua poſſint pertractare negotia, abſque expreſſo aſſenſu, & conſilio illius Commiſſarij, aut Procuratoris Curiæ.

Pro Prouincijs Indiarum.

1. CVſtodes Indiarum, qui proximè ad Capitulum Generale Toletanum cum voce conuenerunt, & qui in poſterum ad Comitia generalia venerint cum ſuffragio, gaudeant nomine tantùm Patrum Prouinciæ, & titulo Paternitatis, cæteroſque præcedant, qui fuerunt Diffinitores, dummodo priùs in Prouincijs proprijs officium Guardianatus laudabiliter exercuerint, vel Lectorum, aut Prædicatorum Conuentualium munere functi ſint, cum prærogatiua, & laude Prouinciæ.

2. Vt Congregatio Generalis anſam præbeat augendi pretioſiſſimum inſtitutum Recollectorum, vnanimi conſenſu decreuit, quòd in Prouincijs Indiarum Occidentalium, vbi ad minus non fuerint tres Conuentus Recollectorum cum ſeuera obſeruantia illius Inſtituti, non eligatur Diffinitor Recollectus, in his autem Prouincijs, vbi tres Conuentus Recollectorum inueniuntur, inuiolabiliter vnus ex ipſis eligatur in Diffinitorem, ſi verò contingat, quòd Miniſter, aut Cuſtos electus ſit ex Recollectis; Congregatio Generalis declarauit, eo ſatisfactum eſſe Apoſtolicis, & Generalibus Conſtitutionibus, quin alius Diffinitor Recollectus denuo eligatur.

3. Commiſſarijs Generalibus Indiarum Occidentalium inhibetur, ſub pœna priuationis officiorum ſuorum, ne deinceps audeant aduocare ad ſe cauſas, quæ in prima inſtantia iure pertinent ad Miniſtros Prouinciales, & Diffinitores, nec procedere per ſe ſolos, nec per Coniudices ab ipſis deputatos in cauſis ab ipſis immediatè actis, vel fulminatis, niſi adhibito aſſenſu, & conſenſu Diffinitoriorum Prouinciarum reſpectiuè.

F. Ioannes à Neapoli Miniſter Generalis.

F. Ioſeph Maldonado Commiſſarius Generalis Familiæ, & Indiarum.

F. Franciſcus Suares Commiſſarius Curię Romanæ.

F. Petrus Manero Diffinitor Generalis.

F. Ægidius à Bruxellis Diffinitor Generalis.

F. Franciſcus Galuienſis Diffinitor Generalis.

F. Ignatius [illegible] Diffinitor Generalis.

F. Bernardus [illegible] Diffinitor Generalis.

F. Gregorius de Zaurdij Diffinitor Generalis.

Locus † Sigilli.

Ità eſt Fr. Petrus Manero Secretarius Generalis.

CXXXIII. *Cap. Gen. Romæ anno* 1651.

Capituli huius ſtatuta, vel ob aliqua minus probata, quæ ab initio continerent, vel quia deinde priuatim corrupta, ſæpiùs, & nulla non diligentia P. Procuratoris Ordinis Sacræ Congregationi pro obtinenda confirmatione præſentata, nunquã confirmationem habere potuerunt Apoſtolicam; tandem præuia correctione confirmata, iterum in impreſſione fuerunt vitiata ob cauſas particulares, quas in Archiuio Matritenſi eſt videre, quod nos tom. 1. lib. 3. vbi de promotione Miniſtri Generalis, adnotauimus; Tandem de Religionis, & Sacræ Congregationis mandato correcta, prout ſequitur edita fuerunt; Hæc ad enitandas aliarum editionum corruptiones prætetire non potui.

STATVTA GENERALIA

Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſeruantiæ Seraphici Patris noſtri Franciſci.

Edita in Capitulo Generaliſſimo celebrato Romæ in Conuentu S. Mariæ de Aracæli die 27. Maij 1651.

Sub Reuerendiſſimo P. Fr. Petro Manero Miniſtro Generali totius Ordinis Fratrum Minorum in eodem Capitulo Generali nouiter electo.

Et nouiſſimè reuiſa, reformata, & cuilibet nationi accommodata, iuxta decretum vltimi Capituli Generalis Toletani, de anno 1658.

Fr. Michael Angelus de Sambuca totius Ordinis Minorum Sancti Franciſci Miniſter Generalis, & ſeruus. Nobis in Chriſto dilectis eiuſdem Ordinis Patribus, & Fratribus Superioribus, ac Subditis, ſalutem.

Ad regularem diſciplinam, & Obſeruantiam, ac pacem in Ordine noſtro ſtabiliendam in Prouincijs, ſtatuta condere, declarare, & reformare in omnibus fere Comitijs Generalibus iuxta rerum, & temporum viciſſitudinem Religio noſtra conſueuit. Quo circa ad tollendas confuſiones, difficultates, & iurgia quæ oriri ſolent inter familias, & nationes ſuper intelligentia Statutorum vltimi Capituli Generalis Romani; Capitulum Generale Toletanum nuper celebratum decreuit, & mandauit, quòd huiuſmodi ſtatuta per Reuerendiſſimos Miniſtrum, & Commiſſarium Generales reuideantur, & reformentur ad normam conſtitutionum Apoſtolicarum, & Ordinis, & vnicuique Familiæ, & nationi adaptentur, quæ omnia ſimul cum Commiſſario Generali diligenter, & toto animi affectu præſtitimus, & denuo typis mandari curauimus, ſicque vobis omnibus reformata exhibemus, & inuiolabiliter obſeruari mandamus, Sanctæ obedientiæ meritum, & paternam benedictionem illa obſeruaturis indulgentes. Valete in Domino, noſtri in orationibus, & ſacrificijs memores. Datum Matriti, ex Conuentu noſtro S. Frãciſci, die 15. Auguſti 1658.

Fr. Michael Angelus de Sambuca Miniſter Generalis.

De mandato ſuæ Reuerendiſſimæ Paternitatis.

Fr. Petrus Roche, Secretarius Generalis.

Fr. Petrus Manero Miniſter Generalis, & ſeruus totius Ordinis Minorum Sancti Patris Franciſci.

Dilectis nobis in Chriſto Patribus, & Fratribus, Superioribus, ac ſubditis eiuſdem Ordinis, ſalutem in Domino.

Leges multiplicare, omnibus ſemper inuiſum, & nobis nimis odioſum, tnam nouis veteres opprimuntur: Vnde his Conſtitutionibus, non tam leges imponimus, quàm lites exterminamus declarationibus expreſſiſſimis: eliminatis enim æquiuocationibus, erit Obſeruantia fælicior. Quæ nouiter ſunt additæ Conſtitutiones, fulcimenta ſunt dumtaxat ad ſubſtentaculum priſtinarum. Studia obſeruantiæ veſtræ requirimus, ambimus, & deprecamur: vt incremento virtutum veſtrarum fæliciſſima probentur vota noſtra. Valete. Romæ in noſtro Conuentu de Aracæli, die 14. Auguſti 1651.

Fr. Petrus Manero Miniſter Gen.

CON-

CONSTITVTIONES GENERALES ORDINIS.

Pro vtraque Familia.

CAPVT I.

De interno, & externo Ornatu Religionis.

§. I.

De his, quæ Capitulum Generale Superioribus Generalibus commiſit.

1 IN primis integrum Capitulum Generale proteſtatum eſt, ſe velle obſeruare Regulam Sancti Franciſci ad litteram ſine vlla diſpenſatione, iuxta declarationes Apoſtolicas, quæ puritatem noſtræ Regulæ declararunt.

2 Vt hoc faciliùs exequatur, decretum eſt omnium Vocalium vtriuſque Familiæ conſenſu (vtroque Diffinitorio atque Diſcretorio Generali per authenticum compromiſſum conſentiente) quòd Reuerendiſſimi Patres Miniſter Generalis, Commiſſarius Generalis Familiæ actualis, & Vicarius Generalis præteritus declarent aliquas dubias Conſtitutiones circa electiones, renunciationes, ſubrogationes, iubilationes, præcedentias, vacantias officiorum, & alia quæ conducere poſſint ad maiorem obſeruantiam Regulæ.

3 Proinde Capitulum Generale diſponit, quòd pro Familia Vltramontana incorporentur in laudatiſſimis ſtatutis Barchinonenſibus reuiſis Segobiæ Bullæ, & Apoſtolica Decreta, necnon Conſtitutiones Generales, quæ deinceps inſtitutæ sũt, abolendo reuocata, & collocando Conſtitutiones diſperſas in vno Codice clara methodo.

4 Pro Familia Ciſmontana decernit, quòd colligantur omnia diuerſa Statuta ipſius Familiæ (ſecluſis reuocatis per noua Decreta Apoſtolica) ex quibus fiat liber vnus ſtatutorum, per quæ permanenter, & inuiolabiliter prædicta Familia deinceps gubernetur.

§. II.

De reſtitutione Obſeruantiæ Regulæ noſtræ.

1 SVmma reſtituendi veterem ſplendorem Religionis hæc eſt, obſeruantia priſtinarum Conſtitutionum. Vnde Capitulum Generale hoc ſancit maximum, & ſupremum ſtatutum, ſcilicet, quòd priſtina inuiolabiliter obſeruentur.

2 Ad infallibilem verò obſeruantiam Conſtitutionum hoc meditatur remedium, ſcilicet, quòd prius Superiores ſeruent exemplo, quæ alijs verbo proponunt obſeruanda.

3 Vnde ſi vniuerſitas Fratrum videat Miniſtros, & Commiſſarios Generales, Prouinciales, Cuſtodes, Diffinitores, Guardianos, Lectores, Vicarios, & alios Officiales, ſuis officijs fideliter inſeruire, iuxta tenorem Regulæ, & Conſtitutionum; ſine dubio cæteri Fratres, aut ſeruabunt ſtrictè conſtituta, aut faciliùs ferent pœnam transgreſsionum.

4 Inter omnia præcipuum remedium eſt vigilantia Commiſſariorum Viſitatorum. Eaque propter Capitulum Generale rogat Reuerendiſſimos Superiores Generales, vt pro ſua prudentia prouideant de Commiſſarijs Viſitatoribus, qui verbo, exemplo, & zelo Dei exequantur pœnas in Statutis præfixas contra tranſgreſſores reſpectiuè.

5 Deinde nullus inſtituatur Miniſter Prouincialis, nec Guardianus Conuentus, qui non ſequatur vitam communem, qui Chorum non frequentet, Orationi non aſſiſtat, Refectorium die, noctuque Communitatis non ſequatur, ac probatiſsimus non inueniatur obſeruator, & zelator Regulæ noſtræ, & Conſtitutionum.

§. III.

De ſacro Ordine Prædicatorum.

1 IN primis hortamur in Domino omnes Fratres noſtri Ordinis, quòd exhibeant diligenter omnia exercitia charitatis, humilitatis, & modeſtiæ, erga omnes perſonas Eccleſiaſticas, ſcilicet Cleri, & omnium Regularium; ita vt in noſtra conuerſatione Minorum nil aliud experiantur, quàm humilitatis inditia, officia ſeruitutis, & reuerentiam in obſequijs.

2 Cum præclariſsima verò Religione Prædicatorum hoc debet habere noſtra Religio commercium, quòd illius ſacræ Religionis progreſſus, & incrementa, verbo, & opere ſollicitemus ingenuè, quaſi vtrique Religioni communia, & iura innatæ fraternitatis expoſtulant.

3 Obſequia igitur noſtræ ſeruitutis erga ſacrum Ordinem Prædicatorum non ſunt collocanda in rebus, quibus abuti poteſt etiam iniurioſus affectus; ſed in illis, quæ poſſint ſinceritatem oſtendere, charitatem radicare, ſocietatem exercere, corroborare pacem, mentes vnire, placere Domi-

mino, ac ædificare ſæculum.

4 Occaſionem igitur diſcordiæ ſcindere cupientes, præcipimus omnibus Fratribus noſtri Ordinis, ſub pœna priuationis officiorum, & alijs infligendis arbitrio Superiorum: ne deinceps in controuerſijs ſcholaſticis, verbo, aut ſcripto taxent minus reuerenter, notis, cenſuris, & exagerationibus opiniones Angelicæ ſcholæ euiuſcumque ſint qualitatis; nam multoties inimicus ludit ſcholarum ludis, in præiudicium fraternæ ſocietatis: negotia enim ſcholaſtica non ſunt tractanda exaſperatione puerili, ſed candore mentis, modeſtia verborum, & pondere rationum.

5 Noſtri inſuper Conuentus debent eſſe hoſpitia omnium Patrum Ordinis Prædicatorum, vbi tractari debent ſumma charitate, humanitate, & obſequio. Vnde Prælati locales rogare debent tranſeuntes, vt ad noſtros Conuentus ſe recipiant, ne nimia modeſtia tranſeuntium diuertat, aut retardet acceſſum.

6 Si aliquis Frater noſtri Ordinis (quòd Deus auertat) tentaret ſcribere, aut loqui contra ſacrum Ordinem Prædicatorum, in particulari, vel in communi; in eaſdem pœnas cenſeatur incurſus, quæ ſanciunrur in noſtris Conſtitutionibus contra turbatores pacis, & infamatores noſtri Ordinis.

§. IV.

De Commiſſarijs Generalibus delegatis pro Nationibus.

1 Circa Commiſſarios Generales Superioris, & Inferioris Germaniæ inſtitutos à Miniſtris Generalibus, declaratur, nullam aliam habere auctoritatem, quàm illam, quæ conceditur per delegationem.

2 Vnde prædicti Commiſſarij ex vi officij non habent auctoritatem recipiendi Nouitios, licentiandi Fratres ad partes extra territorium ſuæ Commiſſionis, neque aduocandi ad ſe cauſas in prima inſtantia, nec vſurpandi ſibi titulum Reuerendiſſimorum.

3 Deinde ſancitum fuit, officium iſtorum Commiſſariorum non extendi vltra triennium, & quòd eligendus in ipſum debet eſſe filius earumdem Prouinciarum, quæ ſunt ſub obedientia talis commiſſionis.

§. V.

De inſtruendis Archiuijs Generalibus pro vtraque Familia.

1 Deinde quoniam ex diminuta aut truncata relatione, quam, Miniſtri Prouinciales adducunt ad Capitulũ Generale, vix poteſt haberi ratio de ſtatu Prouinciarum, nedùm de ſtatu integro Religionis; ideo Capitulum Generale mandat omnibus Prouincialibus, & Cuſtodibus, vtriuſque Familiæ, ſub pœna priuationis ſuorum officiorum, exequenda in ipſo Capitulo Generali (etiam ſi Miniſtri Prouinciales abſint à Capitulo) quòd deinceps inſtituant diſpoſitiones adducendas ad Capitulum Generale ſub norma infraſcripta.

PROVINCIA........

2 Habet Conuentus......
Habet Fratres......
Habet Conuentus Monialium.....
Habet Sorores.......
Habet viuentes Fratres.......
Habet viuentes Sorores.....
Habet Prædicatores.......
Habet Lectores Iubilatos.....
Habet Patres Prouinciæ.......

3 A Capitulo Generali vſque modo mortui ſunt Fratres......

A Capitulo Generali vſque modo mortuæ ſunr Moniales.......

4 Adducantur conciſo ſtylo vitæ Fratrum, vel Sororum, qui mortui fuerint cum aliquo odore, & opinione ſanctitatis: Conuentus Fratrum, & monialium recenter fundati: Nomina, qualitates, & beneficia fundatorum: Nomina inſigniorum benefactorum, vt eos Religio in ſuis precibus habeat commendatos.

5 Informationes Fratrum morientium cum opinione ſanctitatis, debent incipere hoc modo. In Prouincia...... tali die, tali anno, in tali Conuentu, mortuus eſt talis Frater, vel Monialis, cuius vita, poſt informationes factas ab Ordinario, adducitur fideliter ſcripta in hoc libello iſto modo &c.

6 Debent referri conuerſiones Infidelium, propagationes Fidei Catholicæ, miracula ibidem facta quodcumque mirabile opus, quod cedat in laudem Dei, & exaltationem Fidei, & honorem Religionis.

7 Hæc omnia conſuta filo complicato, in libello ſine curioſitate diſpoſito, ne folia diſpergantur, Latina lingua, littera clara, & charactere Latino, ſigillata ſigillo Prouinciæ, & ſubſcripta à toto Diffinitorio; debet Miniſter Prouincialis, ſeu Cuſtos adducere ad Capitulum Generale, vt iſti libelli ſub proprijs titulis Prouinciarum legantur in Capitulo, & ſeruentur in Archiuio generali Religionis.

8 Vt hæ ſcripturæ, & aliæ pertinentes ad beneficium publicum Religionis ſeruẽtur,

tur, inſtituantur duo Archiuia Generalia; vnum Romæ in noſtro Conuentu de Aracæli; aliud Matriti in noſtro Conuentu Sancti Franciſci in Camara ad hunc finem deſtinata, ſpatioſa, & bene diſpoſita, ad inſtar illarum, quæ ſunt in Eccleſijs Cathedralibus, prout Miniſter Generalis meliùs arbitrabitur expedire.

9 Pro ſingulis Archiuijs præficiatur à Miniſtro Generali vnus Archiuarius, qui ſit Pater grauis, doctus, expertus, & fidus Religioni; qui fideliter ſeruet ſcripturas, & collocet eas proportionata diſtributione, vt cum regiſtro faciliùs inueniantur.

10 Prædictis Archiuarijs, à Miniſtro Generali ſic inſtitutis, pleniſſimam, & vniuerſalem concedimus facultatem ſcribendi ad omnes Prouincias, præcipuè ad illas propriæ Familiæ reſpectiuè, vt ſibi tranſmittantur legalizata omnia inſtrumenta, priſtina, & moderna, pertinentia ad ſingulas Prouincias, & Conuentus, vt in Archiuio Generali depoſitentur.

11 Miniſtris verò Prouincialibus præcipimus, vt facta omni diligentia per Fratres idoneos, procurent, quòd in vno codice omnia pertinentia ad Prouinciam, & Conuentus, ſcribantur, ſumma fide, & relicta copia in Archiuio Prouinciæ aliam mittat ad Archiuiarium, ſubſcriptam manu Diffinitorum, & ſigillatam.

12 Et vt executioni mandetur, ſine vlla dilatione, erectio iſtorum Archiuiorum Generalium, & collectio omnium Scripturarum Ordinis, per eandem obedientiam præcipimus omnibus Miniſtris Prouincialibus totius Ordinis, quòd ſub pœna priuationis ſuorum officiorum intra ſpatium vnius anni computandi à receptione præſentis Conſtitutionis (Indiarū Prouincialibus duos annos aſſignamus) mittant debita ſecuritate integras, & plenas relationes ſuarum Prouinciarum Superioribus Generalibus reſpectiuè; nam olim factæ, vel penitus ſunt diminutæ, vel ſine methodo diſpoſitę, vel per manus priuatas tranſeuntes miſerè ſunt deperditæ.

13 Hæc autem Generalis collectio ſcripturarum facienda in Prouincijs induſtria Miniſtrorum Prouincialium peritos Fratres ab ipſis deputandos infraſcripta methodo, & ſtylo debet fieri.

14 Primò à fundatione Prouinciæ debet narrari, quid actum ſit in illa, exprimendo quomodo, à quo, quibus patrocinijs, & priuilegijs fuit fundata.

15 Deinde debent ſuo ordine referri fundationes omnium Conuentuum Fratrum, recenſitis Fundatoribus, Patronis, & Benefactoribus Communitatum. Idem agendum eſt de omnibus Monaſterijs Monialium.

16 Præterea debent ſcribi omnia priuilegia Apoſtolica, Regalia, & Municipalia, quæ habeat vnuſquiſque Conuentus, tam Fratrum, quàm Sororum; hac tamen lege ſeruata, quòd ſi Indultum Apoſtolicum, vel Regale fuerit cunctæ Religioni commune, & circumfertur iam in monumentis antiquis Ordinis ſufficiet, quòd citatione notetur; ſi verò eſt aliquod Originale ſingulare, gratias particulares indulgens, ad litteram apponatur.

17 Similiter ſcribantur Reliquiæ inſignes, celebres Imagines deuotionis, Bibliothecæ nobiles, maximè manuſcripta veterum Virorum noſtræ Religionis, qui opinione litteraria celebrantur, & cætera notabilia Conuentuum, quæ afferre poſſint ædificationem.

18 Prouinciæ Indiarum Orientalium, & Occidentalium, necnon illæ, quæ degunt inter Infideles Turcas, aut Hæreticos, ſcribant miſſiones, conuerſiones, erectiones Doctrinarum, ſiue Collegiorum, & adinuentiones nouarum Gentium, propagationes Fidei, labores, pœnas, & mortes Miniſtrorum, ac mirabilia, quæ patrauit Dominus ope Fratrum in confirmationem noſtræ Fidei.

19 Præterea in ſingulis Prouincijs adnotandæ ſunt vitæ illorum Fratrum, aut Sororum, quæ ab exordio Prouinciæ mortuæ ſunt inſigni opinione ſanctitatis.

28 Demum recenſeri debent viri inſignes litteratura, & qui pro fide Chriſti, aut defenſione Romanæ Sedis mortem ſubierunt.

21 Cæterùm in his ſcribendis ſeruanda eſt norma, quam Apoſtolica Sedes præfixit ingenua fidelitate, religioſa modeſtia, & veritate nuda, penitus abigendo omnia apocripha, incerta, & dubia tamquam alieniſſima à candore noſtræ ſinceritatis.

22 Hæc debent fieri non raptim, ſed ex profeſſo: non procraſtinando, ſed ſtatim quàm primò fieri poſſit, ſine vlla dilatione; non vulgari ſermone, ſed Latino; non charactere Germanico, aut Illyrico, ſed communi Latinorum; non digreſſionibus faſtidioſiſſimis, ſed preſſo, & conciſo ſtylo, ita vt nullū verbum in ſcripturis redundet; non conglomeratis, illegibilibus, & confuſis characteribus, ſed claris formatis, & diſtinctis, margines relinquentes amplas, & limpidiſſimas, quæ plicata in vno, vel pluribus libris filo conſuta, & membranis curioſè cooperta, remittantur ad Superiores Generales, vel ad Archiuarios Familiæ.

23 Ipſi verò Archiuarij nulli cuiuſcum-

cumque conditionis permittent videre, aut extrahere ſcripturas ab Archiuio, niſi de licentia in ſcriptis Superiorum Generalium ſub pœna priuationis actuum legitimorum per triennium.

24 Singulis triennijs dabunt rationem Archiuiarij Superioribus Generalibus de incremento ſcripturarum, de ſtatu Archiuij; & de his, quæ facienda ſunt, vt ſcripturæ integrè recolligantur.

25 In fine officiorum Superiores Generales petent rationem à prædictis Archiuarijs, de numero ſcripturarum, de induſtria poſita in acquirendis ſcripturis, & de Regiſtris.

26 Habita experientia de vtilitate huius officij, Capitulum Generale futurum honores deputabit officialibus, interim Archiuarius habebit in ſocium ſcribam, quo poterit vti pro ſcribendis Epiſtolis, Regiſtris, & alijs, & ambo quoad regularem diſciplinam Miniſtro Prouinciali, & Guardiano Conuentus ſubijciantur; qui nec eos amouere poterunt à ſuis officijs, nec ipſos occupare in alijs, quæ hoc officij munus diuertant.

§. VI.

De ordine ſeruando inter Patres Religionis.

1 Quoniam in Conſtitutione Romana 1639. titulo de Patribus Ordinis fol. 21. num. 1. dicitur: quòd perpetui Ordinis Patres, & Familiæ ſecundùm à Superiore locum ſemper obtineant, ita vt ipſos tantùm præcedat vnus Superior, quicumque ille ſit, ſcilicet, Miniſter Generalis, ſi adſit, & hoc abſente, Commiſſarius Generalis, & hoc abſente, Miniſter Prouincialis; & hoc abſente Guardianus. Et poſtea in eiſdem ſtatutis, titulo de præcedentia, 29. num. 3. dicitur, quòd Patres perpetui Ordinis ſedeant poſt Prælatos, ſcilicet, poſt Miniſtrum, & Commiſſarium Generalem, poſt Commiſſarios Viſitatores, & Prouinciales. Ideò Capitulum Generale declarat, hanc ſecundam partem Conſtitutionum eſſe intelligendam diuiſiuè; ſcilicet, quòd ſi vnus tantùm iſtorum Prælatorum adſit, & abſint alij, ille debet præcedere Patres perpetuos Ordinis: non verò copulatiuè, ſi omnes cohæreant ſimul, nam in quocumque congreſſu Capitulari, vel extra Capitulari, vnus Prælatus tantùm, quicumque ille ſit, debet præcedere Patres Ordinis ſecundùm primam Conſtitutionem pro vtraque Familia: idem ſeruetur cum Patribus abſente Generali Miniſtro.

Roman. 1639. fol. 21. nu. 1.

Roman. 1639 fol. 29. n. 3.

2 Præterea declaratur, quòd præſente Generali Miniſtro, actualis Commiſſarius Generalis Familiæ, præcedit omnes Patres, qui fuerint Commiſſarij Generales cuiuſcumque Familiæ.

3 Inter Procuratorem, & Commiſſarium Romanæ Curiæ tam actualem, quàm habitualem, hic ordo ſeruandus eſt, quòd, cæteris paribus, ſemper, & vtrobique Procurator actualis debet præcedere actualem Commiſſarium, & habitualis Procurator habitualem Commiſſarium, etiam in iure ſubrogandi, iuxta Romanam Conſtitutionem.

Roman. 1639 tit. de præc. fol 29. nu. 4. & 6.

4 Statutum Romanum, quod diſponit, ne eligantur in Prouinciales, niſi illi, qui præbuerint ſpecimen ſuæ aptitudinis ad gubernandum in gradibus inferiorum officiorum, declaratur, quòd illi reputandi ſunt experti, qui, vel per duos integros annos exercuerint laudabiliter Guardianatus officium, vt declaratum eſt Toleti; vel qui in alijs Superioribus muneribus, in obſequium Religionis exhibitis, dederint notoriam experientiam de ſcientia, & prudentia ad gubernandum in officijs æquiualentibus, iuxta Superiorum Generalium iudicium.

Statut. Rom. 1639. fol. 23. tit. de Min. Prou.

CAP. II.

De modo inſtituendi, & exercendi officia Ordinis.

§. I.

De Patribus Prouinciæ.

1 Capitulum Generale decernit, non poſſe, neque à Capitulo Generali, neque à Miniſtro, aut Commiſſario Generali, inſtitui Patres Prouinciæ, niſi iuxta ſtatuta Generalia Religionis, facta vel fienda: & quòd quidquid in contrarium factum ſit in Prouincijs, & deinceps fiet, declarat, tamquam attentatum, & nullis valoris: & quòd, ſi aliqui inueniantur aliter inſtituti, deponantur, & reducantur illico ad gradus priſtinos, quos habebant in Prouincijs.

Vrban. VIII conſtit. edita 25. Iulij an 1636.

2 Eaque propter Capitulum Generale declarat, facultatem ſtabiliendi ſtatuta, taxando labores, & virtutes, quæ in poſterum remunerari poterunt, & titulis, & prærogatiuis Patrum Prouinciæ iuxta declarationem Conſtitutionis Romanæ reſidere in Capitulo Generali dumtaxat ſeruata forma Conſtitutionum Apoſtolicarum.

Stat. Roman. 1639. tit. de Patribus Prouinciæ.

3 Vnde nulla particularis Prouincia per ſe in Diffinitorio, aut in Capitulo Prouinciali congregata, neque vnà cum Miniſtro Generali, poterit condere ſtatuta

per

per quæ reſultet aliquos inſtitui Patres Prouinciæ, alioquin Conſtitutiones Apoſtolicæ fraude Religioſorum, omnino maneant læſæ.

Barchi.cap.1. tit. de prec. fol.56. 4 Patres Prouinciæ ſunt, qui fuerunt Miniſtri Prouinciales, qui biennio fuerunt Prouinciales Vicarij: Procuratores, & Commiſſarij Romanæ Curiæ; Diffinitores Generales, Secretarij Generales Ordinis, Barchi. & Seg. fol. 56. 116.117.118 qui per triennium ſeruierunt Superioribus Generalibus canonicè electis, & Excommiſſarij Generales nouæ Hiſpaniæ, & Regni del Perù, finita cum laude reſidentia,& Diffinitores, ac Cuſtodes actuales in ſuis Prouincijs.

Rom. Segob. fol.36.cap.3. 5 Hi omnes ſunt Patres Prouinciæ cum titulis, & honoribus, & priuilegijs Patrum, cum iure ſubrogandi, qui debent obſeruare inter ſe ordinem, & præcedentiam, iuxta diſpoſita in ſtatutis Generalibus.

Roman.1639 fol.26. 6 Patres Prouinciæ in Familia Vltramontana (quoad titulum Paternitatis, & præcedentiam dumtaxat, ſine iure ſubrogandi) ſunt Confeſſores, & Prædicatores Victor. 1648. fol.12.n.3. Regum, & Reginarum (ſi actu exerceent talia munera, non verò ſi nomine tenus) qui per vigintiquatuor annos iuſſu Prouinciarum, laudabiliter legerint Theologiam Rom. 1639. fol.23.n.3. ſcholaſticam: qui ſubſtituerunt pro Diffinitoribus Generalibus, iuxta leges Conſtitutionis.

§. II.

De Diffinitoribus Generalibus.

Rom. 1639. fol.22. 1 DIffinitores Generales actuales habent ius ſuffragandi in omnibus electionibus, & functionibus diffinitorialibus propriæ Prouinciæ, ac Capituli, & Congregationis Generalis.

2 Si contingat aliquem ex Diffinitoribus Generalibus vita, vel officio defungi: Tolet. 1633. pro Famil. Ciſ.n.2. loco ipſius ſubrogetur alius ex eadem natione, ex his, qui fuerunt Procuratores, vel Commiſſarij Romanæ Curiæ, vel Diffinitores Generales, ſeruata ad innicem antiquitate, qui vocem habeant in Prouincijs ſuis, & in Comitijs Generalibus.

3 Si verò in vacantia Diffinitoris Generalis contingat, quòd in Prouincia propria ſit Ex-Diffinitor Generalis, & extra Prouinciam ſit alius antiquior in iure ſubrogandi, iſte antiquior præferendus eſt, propter præcedentiam, dummodo ſit eiuſdem nationis.

Rom. 1639. fol.23. 4 Quoad ſubrogationes Diffinitorum Generalium, quæ debent fieri ob abſentiam actualium Diffinitorum in Capitulo Generali iuxta Conſtitutiones Romanas, declaramus, & præcipimus, quòd illa ſubrogatio non eſt facienda ad arbitrium vniuſcuiuſque, extra Generale Capitulum, in natione, vel Prouincia Diffinitoris Generalis ire non valentis.

5 Hæc igitur ſubrogatio in ipſo Capitulo Generali debet fieri, vbi noſcitur vacare munus Diffinitoris ex vocalibus præſentibus, qui iure vocalium conuenerunt, intra Prouincias enim vel intra nationes, ſubrogationes fiunt Diffinitorum, tam Generalium, quàm Prouincialium per veras vacantias officiorum dumtaxat, non tamen per abſentias.

6 Itaque quicumq; Ex-Diffinitor Generalis tentauerit deinceps venire ad Capitulum Generale, prætextu ſubrogationis Diffinitoris Generalis actualis non venientis, aut ſpe affectatæ ſubrogationis conſequendæ, excludatur à Capitulo tamquam illegitimus vocalis, perdat ius ſubrogationis per vnum annum, & puniatur pœnis decretis contra illos, qui diſcedunt à Prouincia ſine licentia Superiorum.

7 Deinde in ſubſtitutione Diffinitorum Generalium abſentium, hic ordo obſeruandus eſt. Quòd primo ſubſtituatur, qui Rom. 1639. fol.23. fuerit Procurator, & Commiſſarius Romanæ Curiæ, Ex-Diffinitor Generalis nationis, ſi contingat actu ibi adeſſe vt Vocalis; ſi iſti abſint, ſubſtituatur Miniſter, aut Vicarius, aut Commiſſarius Prouincialis Prouinciæ, ex qua erat Diffinitor abſens; ſi verò iſti abſint, Cuſtos eiuſdem Prouinciæ debent ſubſtitui per præſentem Conſtitutionem.

8 Subrogati iſti (qui aliàs non erant Patres Prouinciæ) gaudent prærogatiuis Patrum, quoad Paternitatem, & præcedentiam dumtaxat (ſi habeant conditiones taxatas Victoriæ) non verò quoad ius ſubrogationis, quod habent, qui fuerunt Prouinciales, & alij Patres, neque ad alia nam indecorum exiſtimamus ex vno actu ſubſtitutionis, qui exercetur quaſi momento, habere prærogatiuas Miniſtrorum Prouincialium, & Procuratorum, & Secretariorum Ordinis, quæ tot laboribus acquiruntur. Victor.1648 fol.6.n.10.

§. III.

De Cuſtodibus Prouinciarum.

1 CApitulum Generale denuò intimat, quòd Cuſtos non poteſt eligi in Greg. 13. Conſt. Cuſtodem, nec Diffinitor in Diffinitorem, niſi per ſexennium vacauerint. Hoc ſexennium computandum eſt à fine, ſeu ab expletione officij, iuxta declarationes Sacræ

Sac Congreg. 9. Iulij 1631. Congregationis; aliter electio nulla erit; reuocata quacunq; Conſtitutione, & conſuetudine in contrarium.

2 Cuſtos non poteſt eligi in Diffinitorem, niſi triennio integro, hoc eſt de vno Capitulo in aliud vacet: aliter electio erit nulla.

3 In munere ſubrogandi non eſt attendendum ad ſexennium vacantiæ; ſubrogari enim poterunt, qui non vacauerunt per ſexennium.

4 Cùm igitur Capitulum Generale conſpexerit, officium Cuſtodis tali arte partiri per renunciationes, & nouas electiones, quòd in vno triennio tres, vel quatuor priuilegiati augeantur in Prouincijs, voluit huic damno mederi, præcipiendo, quòd admittantur priuilegia Cuſtodum per voluntarias renunciationes officij, declarando Conſtitutiones Romanas modo infraſcripto.

Rom. 1639. tit. de Cuſt. fol. 21. declarat. 5 Cuſtos, electus extra Capitulum, ſi per duos integros annos functus ſit officio ſuo, gaudeat priuilegio Cuſtodis, ſi poſtea Rom. 1639. non renunciet, niſi in Capitulo.

Rom. 1639 6 Cuſtos qui in Capitulo, aut Congregatione generali ſuffragatus fuerit, gaudeat iure Cuſtodum, quamuis non expleat biennium, ſi non renuntiet, niſi in Capitulo.

7 Pater Prouinciæ eligi poterit in Cuſtodem, & priuilegia Patris, & Cuſtodis obtinebit, ſi non renunciet, niſi in Capitulo.

8 Itaque Capitulum Generale ſancit, declarat, & præcipit, quòd per ſubſequentes renunciationes officij Cuſtodis, amittantur omnino omnia priuilegia Cuſtodum.

9 Si tamen aliquo caſu tempore faciendi expeditionem ad Capitulum Generale, contingat, Cuſtodem Prouinciæ infirmari actualiter, vel habitualiter, tunc ne defraudetur Capitulum Generale præſentia Cuſtodis, fiat noua electio Cuſtodis iuxta diſpoſitionem Statutorum.

§. IV.

De Diffinitoribus Prouinciarum.

1 Circa Diffinitores Prouinciarum Capitulum Generale ſanxit, debere venerari tanquam Coniudices Miniſtrorum Prouincialium, & gaudere priuilegijs in ſtatutis præſcriptis.

Segou. 1621. c. 7. fol. 123. n. 5 2 Priuilegia verò præſcripta in Statutis pro Diffinitoribus, & Cuſtodibus Prouinciarum, hæc ſunt; quòd ſuffragentur in omnibus electionibus, iudicijs, ſententijs, & deliberationibus Prouinciarum: quòd præcedant iuxta ſtatuta reſpectiuè, teneantur tamen intereſſe Choro, cum alijs Religioſis, die noctuque obſeruare Communitatem, de victu, & veſtitu, & petere veniam eundi è Conuentu à Superiori locali, toties quoties, ſicuti, & cæteri Fratres.

CAPVT III.

De modo celebrandi electiones in vacantijs officiorum.

§. I.

De Vicario Generali Ordinis.

1 Superueniente (quacumque ex cauſa) vacantia officij Miniſtri Generalis, electio Vicarij Generalis illico celebranda eſt iuxta Conſtitutiones Apoſtolicas, & Generales. Clem. exiul.

2 Electio celebranda eſt in illa Familia, & per ſuffragia eiuſdem, ex qua Miniſter Generalis fuit aſſumptus per compromiſſum factum in Capitulo Romano anno 1639. reuocata Conſtitutione Segobienſi. Sego 1621. c. 5. fol. 141.

3 Vltramontana igitur Familia tribus Nationibus conſtat, Hiſpanica, ſcilicet, Gallica, & Belgica, cum Germanica. Vnde electio Vicarij Generalis celebranda eſt in quacunque iſtarum Nationum, cum Vocalibus eiuſdem Nationis, ex qua contingat eſſe aſſumptum Miniſtrum Generalem, qui vacauit reſpectiuè. Seg. c. 7. tit. de Vic. per. n. 1 fol. 142.

4 Electores Vicarij Generalis debent conuenire ad illum Conuentum, ad quem Præſes electionis ipſos conuocauerit: dummodo ſit in Natione Familiæ, ex qua erat Generalis Miniſter, qui vacauit. Ciſmontana verò Familia, quæ non diſtinguit in ea Nationes in negotio electionis celebrandæ, ſeruare debet in hoc priſtina Statuta propriæ Familiæ.

5 In Familia Vltramontana electores Vicarij Generalis ſunt omnes Patres Ordinis, ſcilicet, qui fuerunt Miniſtri, & Commiſſarij Generales Familiæ, necnon qui biennio integro exciterunt Vicarij, & Vicecommiſſarij Generales Familiæ electi ſecundùm Statuta Religionis: Commiſſarius Generalis Indiarum, qui actu exercet: & Diffinitores Generales actuales Nationis, in qua electio celebrari contingat, ac Diffinitores Generales Ciſmontanæ Familiæ, vel alterius Nationis, ſi contingant adeſſe. Similiter electores etiam ſunt ſex Miniſtri Prouinciales, & Cuſtodes ſex Prouinciarum, quæ viciniores ſint Prouinciæ illius Patris, cui competit habere ſigilla. Segou. 1621. c. 7. fol. 142.

6 In

6 In Familia Ciſmontana electores Vicarij, & Vice-Commiſſarij Generalis ſunt, qui fuerunt Miniſtri, aut Commiſſarij Generales Familiæ Vicarij, & Vice-Commiſſarij Generales, qui biennio gubernarunt, electi canonicè, iuxta Conſtitutiones: omnes Diffinitores Generales actuales Familiæ: Procurator, & Commiſſarius Romanæ Curiæ: Procurator Generalis Reformatorum; ac denique Diffinitores Generales Vltramontanæ Familiæ, ſi contingat adeſſe, vbi electio celebratur; nam ſi abſentes ſint, nec ſunt vocandi, nec expectandi ad electionem.

Vallif. 1593. tit. de Vic. Gen.

7 Hos igitur dumtaxat Capitulum Generale declarat, & denuo conſtituit electores Vicarij, vel Vicecommiſſarij Generalis

Vallef. 1593. tit. de habentibus votum.

8 Si verò Pater, qui ſigilla habet in Familia Vltramontana, non habeat Prouinciam propriam in Natione, ſed ſit alterius Prouinciæ filius, & in aliqua per habituale domicilium, & permanentiam habitauerit per triennium; reſpectu iſtius, vbi domicilium habet, computanda eſt vicinitas Prouinciarum in prædicta Familia.

9 Si verò Pater dignior habeat Prouinciam propriam in Natione, & in ipſa incorporatus perſeueret, vicinitas Prouinciarum numeranda eſt à propria Prouincia ſuę filiationis, niſi in aliena contingat habere diuturnum domicilium.

10 Si contingat Patrem Ordinis, vel Diffinitorem Generalem alterius Familiæ Ciſmontanæ adeſſe in Prouincia, vbi ſit electio, poſſunt in ipſa ſuffragari, quamuis conuocari non debeant.

Rom 1639. fol. 7.

11 Si tamen aliqua ex ſex Prouincijs vicinioribus, propter bellum, vel peſtem, vel aliam cauſam, conuocari non poſſit: loco illius conuocanda eſt illa, quę poſt ipſam cenſeatur vicinior. Si verò etiam illa æquali difficultate laboret, electio non eſt diutius differenda, ſed celebrari debet cum Vocalibus aliarum Prouinciarum, qui ſuperſunt.

12 Similiter ſi aliquis Diffinitorum Generalium, vel alius Vocalis propter eaſdem cauſas belli, peſtis, &c. conuocari non poſſit, alius qui iure ſubrogationis ſuccedat, loco illius, conuocari debet, ſi ille etiam ſimili difficultati ſubiaceat, non eſt conuocandus alius, ſed cum præſentibus electio eſt celebranda.

13 Si contingat etiam, officium Vicarij Generalis vacare propter eaſdem cauſas, quibus Generalis Miniſter, tunc procedendum eſt ad electionem alterius Vicarij Generalis, cum eiſdem ſuffragijs, ſolemnitatibus, & ritu, quibus fuit electus primus (ſeruatis tamen ſeruandis) qui non dicetur Vicarius Vicarij, ſed Vicarius Miniſtri Generalis.

14 Sed quia officium Miniſtri Generalis ſolet vacare, vel propter mortem, vel propter renunciationem, vel propter promotionem; ideo de ſingulis dicendum eſt, ne controuerſiæ exoriantur.

§. II.

De electione Vicarij Generalis propter mortem Generalis Miniſtri.

1 SI Miniſtri Generalis mors contingat in eadem Natione Familiæ, ex qua aſſumptus eſt, in hoc caſu fiat, quod iam Statuta diſponunt. Segou. 1621. c.7. fol. 141.

2 Si verò in eadem Familia Vltramontana, ſed in diuerſa Natione ab illa, ex qua erat, Miniſter Generalis moriatur, tunc Patres Nationis in qua mors contingat, faciant cum Natione illa ex qua erat Generalis defunctus, omnia illa munera mittendi ſigilla, Regiſtrum, quæ debent exercere ad inuicem Familiæ, quando Miniſter Generalis decedit in Familia aliena, vt infra diſponitur. Familia verò Ciſmontana ſeruet priſtina Statuta propria.

3 Si extra ſuam Familiam moriatur, tunc Commiſſarius, vel Vicecommiſſarius Generalis illius Familiæ, in qua vacatio contingit, aſſumptis Sigillis, Scripturis, & Regiſtro, mittant, cum vno, vel duobus Secretarijs defuncti, ad digniorem Patrem alterius Familiæ, cui competit conuocare, & præſidere.

4 Hic verò Pater, qui debet mittere ſigilla, & regiſtra, ſtatim moneat per epiſtolas triplicatas, ſigillatas, & authentico teſtimonio legalizatas, Patrem digniorem alterius Familiæ, cui competit conuocare, & præſidere, de morte Miniſtri Generalis, vt certo conſtet de vacantia, vt fiant preces in Ordine.

5 Quando verò dignior Pater Familiæ Generalis defuncti noſcat per Epiſtolas authenticas mortem, & vacantiam; ac peruenerint iam ſigilla, & regiſtra, conuocet electores, & electio fiat ſecundùm Statuta Familiarum reſpectiuè.

6 Si tamen conſtiterit de morte, & ſigilla non aduenerint, debet vlteriùs expectare per quatuor integros menſes, vt accedant. Si verò, aliqua fraude, vel infortunio maris, aut belli, in iſto tempore Secretarij cum ſigillis non comparuerint, & authenticè conſtet de morte, tunc non debet vlterius expectare, ſed procedere ad conuocationem, & electionem, iuxta Conſtitutiones Generales Familiarum reſpectiuè cudendo priùs ſigillum Ordinis, vt debita ſolemnitate celebretur electio.

7 Si

7 Si verò dignior Pater vbi mors contingit, qui debebat mittere Secretarios, ſigilla, & Epiſtolas monitorias de vacantia aliqua omiſſione retardauerit exequi hæc officia; punietur grauiter ad arbitrium Vicarij Generalis futuri.

8 Si verò fraude Secretariorum retardetur nuntius, & aduentus ſigillorum; per hanc Conſtitutionem maneant priuati actibus legitimis per ſeptennium.

§. III.

De electione Vicarij Generalis facienda propter renunciationem Miniſtri Generalis,

1 SI Miniſter Generalis voluerit extra Capitulum officio ſuo renunciare, vel propter infirmitates habituales, vel propter nimiam ſenectutem, vel propter exercitium humilitatis; non eſt cur prohibeamus tam arduum humilitatis documentum in Seraphico Patre, & in alijs Miniſtris Generalibus toties exemplo commendatum.

2 Quapropter, ſi ob aliquam ex dictis cauſis Miniſter Generalis officio renunciare voluerit, cum Capitulum Generale egrè congregari poſſit; ideò Capitulum Generale per vniforme compromiſſum, ſuam auctoritatem delegauit, ad hunc effectum, illis Patribus, qui iure ſunt electores Vicarij Generalis reſpectiuè, vt nomine ſuo examinent cauſas renunciationis: & ſi maiori parti probentur eſſe legitimæ, poterunt illam admittere, & acceptare.

3 Itaque Miniſter Generalis, volens officio ſuo renunciare, conuocet priùs Patres illos, qui per Statuta ſunt electores Vicarij Generalis, qui ponderabunt motiua renunciationis: & ſi maiori parti illorum Vocalium apparuerint vtilia, & proficua Religioni: tunc dignior Pater ex congreſſu coram alijs, & teſtibus admittet, & acceptabit renunciationem nomine Capituli Generalis; reuocata quacumque lege, & conſuetudine in contrarium. Stat. Valliſol. 1593. & nunc vtraque compromiſit.

4 Hæc renunciatio, admiſſio, & acceptatio debet fieri verbo, & ſcripto, coram teſtibus, & Secretario: & publicata renunciatione, & admiſſione, tunc officium vacat.

5 Publicata igitur vacantia officij, idem Exminiſter Generalis, qui renunciauit, debet conuocare eoſdem Patres ad electionem Vicarij Generalis, in qua ipſe præſidebit cum ſuffragio, etiamſi concurrat alius Pater Ordinis antiquior.

6 Si verò Exminiſter Generalis his muneribus conuocandi, & præſidendi, etiam renunciauerit, illa exercebit dignior Pater ex congreſſu.

§. IV.

De electione Vicarij Generalis propter promotionem Generalis Miniſtri.

1 SI Miniſter Generalis aſſumptus fuerit ad aliquam ſublimiorem dignitatem, ſimiliter eligendus eſt Vicarius Generalis Ordinis, iuxta præſcripta in Statutis Generalibus Familiæ reſpectiuè. Segou. cap. 7. tit. de Vicar. Ord. fol. 41.

2 Si aſſumptio Miniſtri Generalis fuerit ad Epiſcopatum, verbi gratia poſt publicam inſtitutionem in tali dignitate factam à Summo Pontifice, iam nec debet, nec poteſt habere ſigilla, nec exercere aliam iuriſdictionem in Ordine; niſi aliter à Sede Apoſtolica fuerit ordinatum.

3 In hoc caſu dignior Pater Familiæ debet habere ſigilla, conuocare, præſidere, & ſuffragari in electione Vicarij Generalis, non minùs, ac ſi vacantia fuiſſet introducta per mortem, ſeruando in reliquis omnibus Statuta, non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium. Barchin. fol. 248. cap. 7.

§. V.

De munere quod Commiſſarius delegatus debet habere in electione Vicarij Generalis.

1 COmmiſſarius Generalis delegatus eſt, qui per Patentes litteras regit vnam, vel plures Nationes Familiarum in abſentia Generalis Miniſtri. Segou. § 1621. c. 7. fol. 39. tit. de Commiſſar. Gener. num. 8

2 De his Commiſſarijs iamdudum decretum eſt (& denuo diffinimus) quod tranſacta commiſſione, remaneant in illo gradu, in quo erant ante illam, ſine vlla præeminentia, etiamſi pluſquam biennio gubernauerint. Ibid. num. 10

3 Si verò tempore, quo iſti Commiſſarij Generales delegati gubernant (ob abſentiam Generalis Miniſtri) vnam, vel plures Nationes, contingat morte vacare officium Miniſtri Generalis abſentis; tunc Capitulum Generale decernit, præfatos Commiſſarios debere gubernare, auctoritate Capituli Generalis, eaſdem Nationes, ſibi à Miniſtro Generali concreditas, eo gradu facultatis, quo Miniſter Generalis delegauerat in ſuis Patentibus, vſque ad electionem Vicarij Generalis.

4 Attamen in caſu præfatæ vacantiæ, non pertinet ad Commiſſarium Generalem delegatum habere ſigilla, ſcripturas, conuoca-

-uocare, & præſidere in electione Vicarij Generalis, etiam ſi ſit de corpore Diffinitorij Generalis, nam hæc munera pertinent ad digniorem Patrem illius Familiæ, aut Nationis, vt Statuta diſponunt; delegatus enim non habet aliam auctoritatem, præter illam expreſſam in Patentibus delegationis.

5 Vnde talis Commiſſarius delegatus non intrabit conclauim electionis, ſi alio titulo non ſit de corpore eligentium: ſi verò alio titulo ſit elector, ſeu Vocalis, non debet nihilominus in conclaui electionis præſidere, nam hæc præſidentia pertinet ad digniorem Patrem; poſt quem ipſe Commiſſarius ſedebit in eo conſeſſu electionis ob gradum Præſulatus.

6 Cæterum in omnibus alijs actibus Communitatis, Chori, Refectorij, &c. Commiſſarius Generalis delegatus præſidebit; nam etiam dignior Pater, qui ſigilla ſeruat, non habet aliam iuriſdictionem, niſi in linea electionis celebrandę Vicarij Generalis, conuocando, præſidendo, & ſuffragando.

§. VI.

De electione Vicecommiſſarij Generalis Familiæ.

Leo X à num. 1517. Bullæ ſiue vot.

1 Officium Commiſſarij Generalis electi ſecundum Bullam Vnionis, poteſt etiam vacare, per mortem, renunciationem, aut promotionem, & quocumque modo introducatur vacantia, debet fieri electio Vicecommiſſarij Generalis.

Barch. c. 7. tit. de Comm. General. par. 6. fol. 839.

2 Vnde Capitulum Generale, per idem compromiſſum Nationum, determinat, quòd ſi officium Commiſſarij Generalis vacet per mortem; ſine mora fiat conuocatio, & electio Vicecommiſſarij Generalis, iuxta Statuta Generalia.

3 Si verò electio Vicecommiſſarij eſt facienda propter renunciationem: priùs Commiſſarius Generalis connocet Vocales deſtinatos ad eligendum Vicecommiſſarium, quibus proponat cauſas renunciationis: & ſi maiori parti appareant vrgentes, dignior Pater, coram alijs, nomine Capituli Generalis acceptabit renunciationem, vt dictum eſt de Miniſtro Generali; & publicata vacantia, ipſe Commiſſarius conuocet Vocales iam præſentes, & faciat electionem iuxta Statuta.

4 Si verò electio Vicecommiſſarij facienda eſt, quia officium Commiſſarij Generalis vacauit per aſſumptionem ipſius Commiſſarij ad aliquam dignitatem; electio Vicecommiſſarij debet fieri, ſicut electio Vicarij Generalis, ſeruata proportione, iuxta leges Religionis.

§. VII.

De Vicarijs Prouincialibus.

Roman. 1639 fol. 24. tit. Vicar. Prouinc.

1 Si officium Miniſtri Prouincialis, morte, aut alia cauſa, vacauerit, illicò debet eligi Vicarius Prouinciæ ab integro Diffinitorio, iuxta ſtatuta Generalia, vel Prouincialia approbata.

2 Sigilla adducet Secretarius, vel Guardianus, vel Præſes Conuentus, in quo, vel in cuius territorio mors contingat, ad digniorem Patrem Prouinciæ.

Rauoc. Barchinon. cap. 7 tit. de Commiſſ. Prouinc nu. 4 fol. 829. per Rom. 1639. & per iſta 1651.

3 Dignior verò Pater, ſine dilatione vlla debet conuocare omnes Patres, qui ſunt de corpore Diffinitorij, ad Conuentum, qui ſit in corde Prouinciæ, vel ad illum in quo electio poſſit fieri celeriùs, ſecundùm Conſtitutiones Ordinis.

4 Si verò dignior Pater fraude retardet electionem, præſenti Conſtitutione, priuatur per ſexennium iure Patris Prouinciæ, & omnibus prærogatiuis annexis illi dignitati.

Roman. 1639 fol. 24. num. 5

5 Pater dignior, qui tenet ſigilla, debet in electione præſidere, cum voce actiua, & paſſiua, ſi aliàs non eſt inhabilitatus alio iure. Loco ipſius Præſidentis non eſt ſubrogandus alius Pater, nam ipſe exercet officium dignioris.

Roman. 1639 fol. 29. declar.

6 Non eſt celebranda electio Vicarij Prouincialis, quin priùs Superior Generalis moneatur, ſi contingat adeſſe in ſpatio trium dietarum, hoc eſt triginta leucarum, computandarum à confinibus Prouinciæ, vbi vacantia contingit: ſi verò longiùs diſtet; non eſt conſulendus Superior.

Roman. 1639

7 Vicarij Prouinciales, qui inregro biennio extiterunt, gaudent priuilegijs Patrum Prouinciæ, poſt omnes, qui Miniſtri Prouinciales fuerunt, & eligi non poterunt in Miniſtros, nec in Vicarios duraturos biennio, niſi triennio vacauerint.

8 Qui verò minùs biennio extiterunt Vicarij Prouinciales, nullo Priuilegio Patrum gaudent; eligi tamen poſſunt in Miniſtros immediatè poſt, ſine vllo interſtitio vacationis.

9 In Vicarium Prouincialem eligi non poterit Miniſter proximè præteritus, nec qui per biennium extiterit Vicarius Prouincialis, niſi triennio vacauerit, aliter electio erit nulla; reuocata quacunque lege, & conſuetudine in contrarium.

10 Regimen, aut officium Vicarij Prouincia-

uincialis, nullo modo poteſt extendi vltra illud tempus, in quo Miniſter Prouincialis defunctus debebat finire officium.

Romæ. 1639 fol. 25. declar.

11 Si Miniſter Prouincialis aliqua cauſa à Prouincia diſceſſurus eſt, neceſſariò inſtituendus eſt (Diffinitorij ſuffragijs) Commiſſarius Prouincialis, qui Prouinciam regat.

12 Si verò in abſentia Miniſtri officium Prouincialis vacet morte, vel alia cauſa, idem Commiſſarius Prouincialis (ſine alia electione) cum titulo, & prærogatiuis Vicarij Prouincialis, debet continuare officium, vſque ad celebrationem Capituli.

13 Si verò in abſentia Miniſtri Prouincialis, Commiſſarius, qui remanſerat, moriatur, tunc, ſine aliqua electione, regimen Prouinciæ pertinet ad digniorem Patrem ipſius, cum auctoritate, & titulo Commiſſarij Prouinciæ.

14 Si verò ſub regimine Commiſſionariatus iſtius dignioris mors contingat Miniſtri Prouincialis abſentis, tunc Pater dignior (qui Commiſſarius nominabatur) cum titulo, & auctoritate Vicarij Prouincialis vſque ad Capitulum gubernet.

§. VIII.

De tempore quo durare debent Officiorum vacantia.

Gregor. XIII. Bull. 2. Cõſuetuit. Conſtitut Segou. 1621. cap. 7. fol. 143

1 VT Miniſter Generalis poſſit eligi in Miniſtrum, aut Commiſſarium Generalem, debet vacare per ſexdecim annos.

2 Vicarius Generalis, qui minùs biennio functus eſt officio Vicariatus, nullum priuilegium habebit; eligi tamen poterit in Miniſtrum, & Commiſſarium Generalem.

Gregor. XIII. Bull. 2. Cõſuetuit. Segou. an. 1621. cap. 7. fol. 14. tit. de Commiſſ. Gener.

3 Commiſſarius Generalis Familiæ eligi non poteſt in Miniſtrum Generalem, niſi per ſexdecim annos vacauerit.

4 Vicecommiſſarius Generalis, ſi biennio functus eſt officio ſuo, gaudet priuilegijs Patrum Ordinis, & Diſcretorum Familiæ.

Ciſmon. Famil. 1593. tit. de præſtit. per Vic. Gen. n. 8.

5 Si verò minùs biennio exercuerit officium Vicecommiſſionariatus Generalis Familiæ, nullum priuilegium habebit; eligi tamen poterit in Miniſtrum, & Vicarium Generalem Ordinis.

Gregor. XIII. Bull. 2. conſueuit.

6 Procurator, & Commiſſarius Romanæ Curiæ non poſſunt continuari in ſuo officio, nec eligi in Miniſtros, aut Commiſſarij Generales, niſi per ſexdecim annos vacauerint.

7 Miniſtri Prouinciales non poſſunt reeligi in Miniſtros, niſi per ſexennium vacent, numerandum ab expletione officij; neque in Vicarios Prouinciales, niſi triennio vacauerint.

8 Sexennium huius vacantiæ non eſt phyſicum, ſed morale, ita vt duæ electiones Miniſtri Prouincialis interueniant ab abſolutione ſui officij, etiam ſi intra quinquennium fiant.

9 Diffinitores, & Cuſtodes neceſſariò debent vacare per ſexennium, vt dictum eſt, eodem modo computandum.

10 Diffinitor ſubrogatus biennio durans, niſi ſexennio vacet, non poteſt eligi in Diffinitorem: ſi verò minùs biennio ſubrogarit (& aliàs ſit extra ſexennium) eligi poterit.

11 Ad ſubrogandum in vacantijs non eſt attendendum ad annos vacationis; ſubrogari enim poteſt, quin ſit impletum tempus vacantiæ.

12 Guardiani neceſſariò vacare debent per vnum annum: ſi in Capitulis creantur, & durare poſſunt à Capitulo in Capitulum: ſi extra Capitulum fiunt, ſolùm per triennium phyſicè durant.

13 Reeligi non poſſunt Guardiani poſt eorum triennium completum, etiam in alio Conuentu, niſi vacauerint per annum, aliter electio erit nulla; reuocata quacumque Conſtitutione.

14 Non poterit Guardianus remanere Præſes in Capite eiuſdem Conuentus, vbi fuit Guardianus, nec in alio poſt ſuum triennium.

15 Confeſſores, & Vicarij Monialium non poſſunt durare vltra triennium in eodem Conuentu: nec denuò inſtitui poſſunt, niſi triennio vacauerint.

16 Inſeruire officijs quibuſcumque per interim, & Vicariatum tam paruo tempore, quo non perueniatur ad gaudendum priuilegijs officiorum, non impedit electionem ad idem, vel ſimile officium: quia ſi adminiſtratio Officij non proficit inſeruienti, idem eſt parum ſeruiſſe, ac nil inſeruiſſe.

§. IX.

De Suffragijs celebrandis in obitu Superiorum Generalium.

1 SI Miniſter Generalis in officio obierit, ſinguli Sacerdotes Religionis dicant pro ipſo duas Miſſas, & omnes Conuentus vnam ſolemnem cum Officio magno Defunctorum: & ſinguli Clerici, Moniales, & Laici, tres Coronas Virginis, & duas Stationes.

2 Si Vicarius Generalis Ordinis moriatur,

riatur, omnes Sacerdotes dicent vnam Miſſam; omnes Conuentus vnam ſolemnem, cum vigilia Defunctorum, & ſinguli Clerici, & Laici duas Coronas.

3 Si Pater totius Ordinis moriatur, omnes Sacerdotes Ordinis dicent vnam Miſſam, omnes Conuentus aliam ſolemnem cum vigilia Defunctorum; omnes Clerici, & Laici vnam Coronam Virginis, & vnam Stationem.

4 Si Commiſſarius Generalis moriatur, omnes Sacerdotes Familiæ dicent vnam Miſſam, omnes Conuentus vnam ſolemnem, cum officio magno Defunctorum; omnes Clerici, Moniales, & Laici duas Coronas Virginis, & duas Stationes.

5 Si Vicecommiſſarius Generalis moriatur eadem fiant ſuffragia, ac pro Commiſſario Generali Familiæ.

6 Si Pater Familiæ moriatur, omnes Sacerdotes eiuſdem Familiæ dicent vnam Miſſam, omnes Conuentus vnam ſolemnem; & omnes Clerici, & Laici vnam Coronam, & vnam Stationem.

7 Præcipimus omnibus Miniſtris Prouincialibus, quòd in Conſtitutionibus Prouincialibus, faciant imprimere totam iſtam Conſtitutionem de ſuffragijs pro prædictis Superioribus Generalibus, vt legatur in Communitate, cum cæteris Statutis Prouinciæ.

8 Cæterum in relationibus, quas adducunt ad Capitulum Generale, inter alia debent adducere fidem de ſuffragijs ſolutis pro Prælatis Superioribus defunctis, vel pro Patribus Ordinis, ſeu Familiæ.

9 Vicarius Generalis, & Vicecommiſſarius Generalis reſpectiuè, litteris impreſſis debent monere totam Religionem, aut Familiam de tranſitu Superiorum, vt ſuffragia celeriter fiant. Cæteri verò Prælati Superiores monebunt Ordinem, ſeu Familiam de morte Patrum Ordinis, ſeu Familiæ.

CAP. IV.

De Patribus antiquiori, & moderniori Prouinciarum.

§. I.

Pro Familia Vltramontana.

Vrban. VIII. Conſtit. edit. 23. Iul. 1639.

1 PER Conſtitutionem Apoſtolidam duo Patres Prouinciæ debent intrare Diffinitorium in Familia Vltramontana, ſcilicet, dignior, ſeu primus Pater, & recentior, ſcilicet, qui immediatè Prouincialatum abſoluit.

2 Si aliquis iſtorum, alio titulo permanenti, ſcilicet actualis Diffinitoris Generalis, aut ſimili, Diffinitorium intret, loco illius alius debet aſſumi pro illo tempore, ſcilicet ille, qui ſublato antiquiori, remanet dignior, vel qui ſublato recentiori, Prouincialis extiterat immediatiùs. Roman. 1639 fol. 27.

3 Si verò per mortem, vel aliam cauſam, hæc munera antiquioris, & moderníoris Patrum vacare contingat; ſubrogatio eſt facienda, ſeruata lege dignioris, & recentioris Patris: tamen ſi caſu nullus erit Ex-prouincialis in Prouincia ſubrogandus, nulla fiat ſubrogatio loco modernioris.

4 Iſti duo Patres dignior, & recentior neceſſariò debent conuocari ad omnes electiones, non minus ac cæteri Diffinitores, aliàs electiones nullæ erunt; tamen ſi infirmitate, vel alia cauſa, ſemel vocati, non venerint, non ſunt expectandi; ſed procedendum ad electionem, ſicut decretum eſt de alijs Diffinitoribus Prouincialibus. Barchin. cap. 7. tit. de Diffinitoribus fol. 23.

5 Loco illorum Patrum abſentium non ſunt alij ſubrogandi, etiam ſi abſentia larga, & diſtantiſſima ſit, intra, vel extra Prouinciam; quia ſubrogatio non habet locum, niſi per vacantiam officij, ad inſtar Diffinitorum Prouincialum, vel quia antiquior, vel recentior Pater iam intrant Diffinitorium alio titulo.

6 Antiquior, vel recentior Pater etiam extra Prouinciam exiſtens, debet conuocari, ſi reperiatur, in diſtantia triginta leucarum, computandarum ab vltimo Conuentu territorij Prouinciæ, ſi verò plus diſtet, non eſt conuocandus, nec loco illius alius ſubſtituendus.

7 Si dignior, aut modernior Pater, propter vacantiam, vel abſentiam Miniſtri Prouincialis in Diffinitorio præſideat; loco illius non eſt ſubrogandus alius Pater, quia munus illud exercet titulo dignioris, aut modernioris, & ideò non eſt vacantia Officij.

8 Præter hos Patres Prouinciæ non poſſunt intrare Diffinitorium alij Patres ex vi iuris Patrum Prouinciæ, ab hac regula excipiuntur Prouinciæ illæ, quæ habent leges municipales Apoſtolica Conſtitutione firmatas, aut immemorabiles conſuetudines.

§. II.

De Lectoribus Scholaſticis.

1 LEctores Artium, non inſtituantur in poſterum niſi poſt ſolemnem oppoſitionem,& per ſecreta ſuffragia Diffinitorij,etiamſi conſtet de ſufficientia peritiæ.

Segou. 1618. n.1. fol.54 n. 24.

2 Nullus inſtituatur Lector Theologiæ,niſi priùs legerit Artes liberales, cum approbatione Prouinciæ, & vtilitate Diſcipulorum.

Stat. Roman. 1639. fol.39. tit.de Lect.

3 Singulis Congregationibus,& Capitulis fiat exactum examen per Miniſtros Prouinciales, & Commiſſarios Viſitatores, de moribus Lectorum, de exercitijs litteralibus, & ſufficientia doctrinæ, & qui inueniantur non eſſe doctrina,ſeu ingenij claritate idonei, aut moribus defeciſſe,puniantur, aut deponantur, aut applicentur alijs obſequijs Religionis.

4 Lectores inſtituere,& Lectores amouere, non pertinet ad Miniſtros Prouinciales tantùm, ſed ad integrum Diffinitorium per ſuffragia deciſiua, in Capitulo,vel Cõgregatione intermedia.

5 Vnde, ſicut inſtitui non debent ſine maturo examine de probitate morum, & ſufficientia doctrinæ, ita nec facilè amoueri debent ſine graui cauſa.

6 Lectores verò nullum ius habent,neque actionem ad continuandum officium legendi, & qui de ſuſpenſione Lectoratus conqueruntur,poſſunt tanquam inobedientes puniri.

Rom. 1619. tit. de Lect. fol.29.

7 Nullus Lector excluſus à Lectoratu, propter inſufficientiam doctrinæ, aut minorem claritatem ingenij, incurrit notam aliquam cenſuræ.

8 Lectores Theologiæ ſingulis diebus debent habere conferentias: ſingulis hebdomadibus Sabbatinas: ſingulis menſibus publicas Menſales: & ſingulis annis ſemel Concluſiones impreſſas; conferentiæ enim quotidianæ, & indefeſſa exercitia in negotio ſcholaſtico ſublimant prima ingenia, mediocria iuuant.

9 Ne igitur Apoſtolicæ Conſtitutiones illegitimis interpretationibus illudantur; Capitulum Generale determinat: nullas ſubſtitutiones Lectoratus: nullas Lecturas myſticæ, aut moralis Theologiæ,& nulla exercitia Magiſtrorum ſcholaſticorum poſſe,aut debere computari inter annos requiſitos ad Iubilationem.

Rom. 1613. Segou. nu.3. fol.55.

10 Miniſter Generalis non ſuppleat annorum numerum requiſitum in lectura ad iubilationem, neque in his habet locum interpretatio, *inceptum pro completo.*

11 Interpollatio nullo modo eſt diſpenſanda, niſi pro re graui, & Religioni honorifica: quam Miniſter Generalis non exhibebit, niſi priùs habeat informationem de cauſis, propter quas fuit amotus à lectura.

12 Nulla dabitur deinceps iubilatio ſub conditione; neque abſoluta iubilatio, niſi priùs conſtiterit iuridicè, Lectorem adimpleſſe conditiones.

13 Si propter grauem caſum concedatur aliqua Iubilatio conditionalis; antiquitas Iubilationis non eſt computanda à die inſtitutionis conditionalis, niſi à die, quo implentur anni requiſiti ab abſolutam Iubilationem.

14 Inter Lectores non eſt computanda præcedentia à pura inſtitutione officij, ſed ab inſtitutione ſimul cum annexo exercitio docendi.

15 Inter Lectores Iubilatos præcedant cæteris paribus, qui nullam habuerunt diſpenſationem in Lectoratus interpollatione. Inter diſpenſatos præcedent, qui priùs finierint tempus præfixum ad Iubilationem.

§. III.

1 PAtres Tertij Ordinis Prouinciæ Sancti Iacobi remanent ſub regimine Miniſtri Prouincialis, qui tenebitur facere electionem Cuſtodis,& Miniſtrorum per ſecreta ſuffragia, vt canonicè ſint electi Prælati; in quibus ipſe præſidebit cum plenitudine poteſtatis.

2 Si verò inter ipſos non appareat perſona idonea litteratura, & gubernio; Miniſter Generalis Prouinciæ Bæthicæ prouideat de Cuſtode pro hac vice,& ipſe Generalis diſponat Statuta, quibus debeant gubernari, vt ſtudia introducantur.

3 Conuentus Cæſarauguſtanus Monialium Clariſſarum Sanctæ Catherinæ Almæ Prouinciæ Aragonum, habebit deinceps Vicarium, ſeu Confeſſorem inſtituendum à Diffinitorio,qui in omnibus Capitulis Prouincialibus ſuffragetur, ad inſtar Guardianorum,eo quòd ferè omnium Monaſteriorum Clariſſarum Hiſpaniarum fundatione primus ſit, & non ſecundus virtute meritorum.

4 Conuentus Sanctæ Claræ Conimbricenſis habebit Vicarium, ſeu Confeſſorem cum ſimili ſuffragio; quia Sanctam Eliſabetham Reginam fundatricem viuentem habuit, & mortuam poſſidet miraculis coruſcantem.

5 Cõuentus Toletanus puriſſimę Conceptionis Almæ Prouinciæ Caſtellæ habebit

bit Vicarium cum ſimili prærogatiua; quia præter candorem virtutum, exordium, & Caput eſt omnium Monialium glorioſæ Conceptionis.

6 Vicarij ſeu Confeſſores Monialium, qui habent ſuffragium in Capitulis Prouincialibus, eligi poſſunt in Diffinitores, necnon in Guardianos, ſi alia intelligibilitas non obſtet.

De Prouincijs Indiarum Occidentalium.

§. IV.

De Commiſſarijs Generalibus Nouæ Hiſpaniæ, & Regni Peruani.

1 PRrædicti Commiſſarij, licèt per indultum Apoſtolicum poſsint

Clem. VIII. prolongare Capitula per ſex menſes vltra triennium, tamen ipſi nil poſſunt detrahere Miniſtris Prouincialibus de ſuis triennijs, niſi parum ex legitima cauſa.

2 Commiſſarij Generales non poſſunt limitare facultatem Diffinitorijs Prouinciarum eligendi Guardianos, qui vacant per tempus triennij Prouincialium, imò Miniſtri, inconſultis Commiſſarijs abſentibus debent eligere, ne maneant Conuentus deſtituti regimine.

3 Ipſe, nec Commiſſarij Viſitatores poſſunt ſeruare proceſſus vltra ſex menſes, poſt finitam Viſitationem.

4 Doctrinantes, qui ſuffragium habent, & qui non habuerint, ſed fiunt voto Diffinitorij, non poſſunt ante tempus auferri à Commiſſario Generali, neque à Prouinciali Miniſtro, niſi à Diffinitorio, præcedente cauſa, & ſententia.

5 Nullo modo poſſunt inſtitui Doctrinantes (tam de propria, quàm de aliena Prouincia) qui penitus ignorent idioma territorij; etiamſi per alios Miniſtros illorum imperitia ſuppleatur.

6 Si tamen iſta lege defraudentur aliquæ factiones, ſatisfiat ipſis per aliam æquiualentiam, vel inſtituantur Doctrinantes periti ad ipſorum ſatisfactionem.

7 Ijdem numero Religioſi, qui exponuntur ad examen, ipſi debent deſtinari ad doctrinas inſeruiendas, ſub pœna priuationis officiorum Miniſtri Prouincialis, & aliorum, qui conſentiant.

8 Guardianus, qui vicem Diffinitoris ſubrogauit, ſi biennio perduret ſubrogando, gaudet priuilegijs Diffinitorum, & eligi

Victor. 1648. fol. 20. non poterit Diffinitor in Capitulo: ſi verò minùs biennio, nullo priuilegio gaudet, & eligi poterit in Diffinitorem.

9 Conditiones, quas Generalis Con-

ſtitutio Victoriæ taxauit his, qui in Capitulis Generalibus ſuffragantur, vt poſſent gaudere priuilegijs, Capitulum Generale declarat, quòd extendantur & ad Prominiſtros.

10 Commiſſarius Generalis, qui impediat Prouincijs ius eligendi Vicarios Prouinciales, iuxta Conſtitutiones, priuatur officio, & in Reſidentia maneat priuatus actibus legitimis per decemni um.

§. V.

De Vicecommiſſarijs eligendis in Noua Hiſpania, & Regno Peruano.

1 SI aliquis ex dictis Commiſſarijs moriatur, ſtatim eligendus eſt Vicecommiſſarius, qui Prouincias regat, quouſque veniat Commiſſarius inſtitutus ex Hiſpania.

2 Ad Miniſtrum, ſeu Vicarium Prouincialem illius Prouinciæ, in qua, vel in cuius territorio mors contingat, pertinet habere ſigilla, conuocare, præſidere, & ſuffragari in electione Vicecommiſſarij. Commiſſarius verò Viſitator, ſi contingat adeſſe in illa Prouincia, nullam facultatem habet in negotio electionis Vicecommiſſarij; imò hac Conſtitutione penitus manet excluſus ab electione, ac ſi non eſſet in Prouincia.

3 Miniſter, aut Vicarius, qui habet ſigilla, nullam iuriſdictionem poteſt exercere cum illis, niſi in conuocando Electores, in præſidendo, & ſuffragando electioni.

4 Statim, vt habuerit ſigilla, debet cõuocare, vt fiat electio ſine mora, & ſi fraude retardauerit conuocationem, præter excommunicationem, quam incurrit, ſit priuatus actibus legitimis per decennium.

5 Electores conuocandi ſunt, Diffinitores actuales, Cuſtos, Patres Prouinciæ, qui fuerunt Miniſtri, & Vicarij Prouinciales per biennium: duo Lectores Iubilati, qui antiquiores ſint in Iubilatione, & Guardianus Conuentus, in quo eſt celebranda electio.

6 Hæc debet celebrari in Conuentu, in quo ſolent demorari pro maiori parte Patres Prouinciæ, vt citiùs fiat, vel in illo, qui ſit caput Prouinciæ.

7 Conuentis Electoribus, & propoſita vacantia in ipſo congreſſu, ante electionem, coram omnibus Electoribus, debent per tres triplicatas Epiſtolas ſubſcriptas ab omnibus, & ſigillatas, monere Miniſtrum Generalem, & Commiſſarium Generalem Indiarum de vacantia officij, vt prouideant.

8 Iſtæ Epiſtolæ mittendæ ſunt primò à

S 2 Mi-

Miniſtro, ſeu Vicario Prouinciali, ſecunda à Diffinitorio, tertia à Guardiano Conuentus. Similiter ſinguli ex Electoribus poterunt priuatim ſcribere monendo.

9 Semel vocati Electores ad diem præfixum cum tempore idoneo ad comparendum; ſi tali die non adſint, non ſunt expectandi, ſed procedendum ad electionem cum præſentibus.

10 Vocem paſſiuam habebunt in hac electione omnes (ſi ſunt ex obedientia talis Commiſſionis) qui fuerint Prouinciales, qui Lectores Iubilati, Diffinitores, & Cuſtodes Prouinciarum, qui Guardiani in inſignibus Conuentibus, & qui in mediocribus, cum laude, & exemplo.

11 Iſtorum, qui maiorem partem habuerint ſuffragiorum, declarandus eſt Vicecommiſſarius Generalis canonicè electus, cum iuriſdictione in omnes Fratres, & Moniales, vſque ad aduentum Commiſſarij.

12 Vicecommiſſarius electus non poterit amouere Viſitatores, qui iam aderant in Prouincijs, ſed debet ipſos continuare cum ſimili poteſtate. Non poteſt per ſeipsū cauſas decidere, niſi aſſumendo integrum Diffinitorium Prouinciæ, in qua contigerit adeſſe, quorum conſenſu, & ſuffragijs debet vti, & primas inſtantias non poterit iudicare.

13 Iſte Vicecommiſſarius nulla celebrabit Capitula Prouincialia (relinquenda enim ſunt futuro Commiſſario) tamen ſi inſtet tempus alicuius Capituli, ita vt ſi non celebretur, debeat prolongari vltra triennium, & ſex menſes: tunc perſonaliter exercebit viſitationem, & præſidentiam.

14 Tamen, ſi Capitula ſunt in tali diſpoſitione, quòd ſi expectaretur electio Vicecommiſſarij, protraheretur Capitulum vltra triennium, & ſex menſes; in tali caſu, ſi adeſt in Prouincia Commiſſarius Viſitator, ipſe celebrabit Capitulum, cum præſidentia, & ſuffragio in omnibus electionibus.

15 Si verò non adeſt Commiſſarius Viſitator, tunc Miniſter, aut Vicarius Prouincialis, ſimul cum Diffinitorio, eligant Patrem grauem eiuſdem Prouinciæ, qui, vel ſit Lector Iubilatus, vel fuerit Miniſter Prouincialis, vel Diffinitor, vel Guardianus, cum maiori parte ſuffragiorum: & iſte nomine Capituli, cum ſuffragio, & plenitudine poteſtatis viſitet.

16 In hac electione Viſitatoris, & Præſidis Capituli, Miniſter, aut Vicarius Prouincialis habebunt vocem actiuam, non verò paſſiuam, aliter electio erit nulla.

17 Deinde, inſtituto iam Vicecommiſſario Generali, ſi in Prouincijs Sancti Iacobi de Chile, Sanctæ Fidei, nouæ Granatæ, & Prouinciæ de Paraguay, ita inſtet tempus celebrandi Capitulum, vt præſentia Vicecommiſſarij expectari non poſſit, propter diſtantiam: in tali caſu ex Prouincijs eligatur Viſitator, & Præſes Capituli, ſicut dictum eſt ſupra, & Capitula celebrentur.

18 Si verò contingat in quacumque iſtarum Prouinciarum Vicecommiſſarium adeſſe; ipſe exercebit hæc munera: ac ſimiliter ſi eſt abſens, & monitus vult præſentialiter venire.

§. VI.

De Vicarijs Prouincialibus.

1. SI Miniſter Prouincialis moriatur, dignior Pater Prouinciæ debet habere ſigilla, conuocare, præſidere, & ſuffragari in electione Vicarij Prouincialis.

2. Secretarius Prouinciæ, vel Guardianus, vel Præſes Conuentus, in quo, vel in cuius territorio mors contingat Miniſtri Prouincialis, ſine vlla diuerſione, aut mora debet deferre ſigillum, ſcripturas, & regiſtrum digniori Patri Prouinciæ, etiam ſi Commiſſarius Generalis ſit præſens, aut in eodem Conuentu, vbi reſidet dignior Pater: quia Capitulum Generale non conſentit, quòd Patribus detrahantur ſua iura.

3. Iſte verò dignior Pater, qui ſigilla habet, debet illa, & ſe ipſum præſentare Commiſſario Generali (ſi adſit in eadem Prouincia) humili obſequio: ſi verò ſit extra Prouinciam, intra ſpatium trium dietarum, hoc eſt triginta leucarum, computandarum ab vltimo Conuentu Prouinciæ, debet ipſum monere de vacantia, & expectare ipſum ad electionem.

4. Tamen, ſi tempore vacantiæ Commiſſarius Generalis abſit pluſquam triginta leucis ab vltimo Conuentu Prouinciæ non debet dignior Pater ipſum monere, expectare, nec differre electionem; ſed illicò illam celebrare, iuxtà Conſtitutiones.

5 In electione iſta vocem habent omnes Patres, qui ſunt de corpore Diffinitorij dumtaxat; non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium.

6 Loco dignioris Patris Præſidentis, non eſt ſubrogandus alius, ipſe enim præeſt titulo dignioris.

7 Si verò Secretarius, vel Guardianus, vel Præſes, qui tenebatur portare ſigilla ad digniorem Patrem, ad alias obliquas vias ſe diuertat (etiam ſi affectet inquirere præſentiam Commiſſarij Generalis) maneat officio priuatus, & actibus legitimis per decennium.

8. Pa-

8. Patet verò dignior in hoc caſu debet vti ſuo iure, & procedere ad electionem, etiamſi non habeat ſigilla,& regiſtrum Prouinciæ, conuocando Electores,& præſidendo electioni:quæ vt fiat debita ſolemnitate, faciet aperiri ſigillum Prouinciæ, vel in materia ferrea, vel lignea; nam illa indiuidua materia, & figura, quæ erat in ſigillis ſuffuratis, non eſt de ſubſtantia electionis: alia enim poſſunt ſubſtitui.

Pro Familia Ciſmontana.

CAP. V.

De Studijs ſcholaſticis.

§. I.

De modo quo erigenda ſunt Studia ſcholaſtica.

1. Qvoniam ex vetuſta conſuetudine tranſmitrendi Lectores, & Studentes iuuenes ad diuerſa Studia extra Prouincias proprias, plura experiuntur incommoda his temporibus contra puritatem noſtræ Regulæ, in perniciem litterarum, & Profeſſionis noſtræ; ideò Capitulum Generale mandat, ne poſthàc ſtudentes gratia diſcendi, neque Lectores cauſa docendi poſſint exire à Prouincia propria ad demorandum in aliena, niſi ex vrgenti neceſſitate, vel ad ſtudia Generalia tantùm.

2 Omnes Prouinciæ habent facultatem inſtituendi pro ſuis Prouincijs reſpectiuè Lectores Artium,necnon Sacræ Theologiæ in Capitulo aut Congregatione Prouinciali iuxta meritum doctrinæ, & numerum Fratrum inſtruendorum.

3. Attamen ſi aliqui appareren Lectores, ita inſignes moribus, & eruditione, quòd in Curia Romana, vel alibi poſſunt proficere vtilitate communi, Superiores Generales poterunt aſſignare illos, vbi meliùs nouerint profecturos.

4. Singulæ Prouinciæ aſſignabunt duo Seminaria, ſeu Collegia pro Lectura Artium Liberalium, & alia duo, ad minus, pro Lectura Sacræ Theologiæ,in locis idoneis,vbi Studentes, & Lectores poſſint conferentijs extraneorum exerceri.

5. Pro Prouincijs,quæ Magiſtris egent, & pro Studentibus Prouinciarum,quæ degunt inter Infideles, Superiores Generales prouideant.

§. II.

De modo inſtituendi Lectores Artium.

1. Qvia incrementa ſtudiorum in re ſcholaſtica præcipuè proueniunt ex optima inſtitutione iuuentutis in Artibus Liberalibus, ideo hæc inſtitutio Lectorum Artium debet fieri ſumma cura, & prouidentia.

2. Qua propter Lectores Artium inſtituantur deinceps per Prælatum Generalem, vel per ſuffragia Diffinitorum, & Patrum præuia oppoſitione publica,per quam certò conſtet de idoneitate Lectorum.

3. Hæc oppoſitio debet fieri à peritioribus, & probatioribus ſcholaſticis, doctrina; & moribus.

4. Nullus Scholaſticus, qui iam perfecerit Studia Logica, Phyſica, & Theologica excludendus eſt ab oppoſitione, niſi notoriè conſtet,eſſe inhabilem, aut imperitia, aut morum prauitate.

5. Iudices ad eligendum Lectores Artium aſſignantur:Miniſter Prouincialis cum integro Diffinitorio,omnes Patres,qui fuerint Prouinciales, & duo Lectores Iubilati antiquiores in iubilatione. Oppoſitio celebranda eſt in Conuentu aſſignando à Miniſtro Prouinciali, vbi commodiùs poſſint Iudices conuenire.

6. Oppoſitoribus aſſignanda ſunt puncta coram Iudicibus,ſuper quæ inſtituenda eſt lectio oppoſitionis. puncta verò aſſignentur aperiendo primò librum Prædicabilium Porphirij, ſecundò aperiendo librum metaphyſicæ Ariſtotelis, & tertiò aperiendo librum phyſicorum eiuſdem, & notatis punctis,quæ ſorte contigerunt. Oppoſitor eliget vnum ex tribus,quod ſibi magis placuerit ad explicandum,& legendum intra ſpatium temporis viginti quatuor horarum.

8 Oppoſitores hoc modo debent diſtribuere lectionem; quòd in prima parte explicent textum,in ſecunda explanent dubia,quæ ſuper ipſum occurrant, & in tertia exagitent vnam quæſtionem deſumptam ex viſceribus textus. Lectio durabit per vnam horam,vel ſaltem per dimidiam.

8 Finita lectione vnius Oppoſitoris, duo ex alijs ſedebunt in medio conſeſſus, & vnus poſt alium arguet more ſcholaſtico contra illa,quæ notarunt,vel in explicatione textus, vel in reſolutione quæſtionis. Similia exercitia facient omnes Oppoſitores, vnus poſt alium, tam in legendo, quàm in arguendo.

9 Finitis,& auditis oppoſitionibus,Miniſter Prouincialis congregabit prædictos iu-

iudices, qui penſatis, & ponderatis qualitatibus Lectionum in claritate, & acumine ingeniorum, exhibebunt ſua ſuffragia ſecreta, & qui maiorem partem habuerit, declaretur Lector Artium.

10 Iudices, qui non ſeruauerint æquitatem in eligendis Lectoribus iuxta meritum doctrinæ, & morum, puniantur ad arbitrium Superiorum Generalium.

§. III.

De Lectoribus Sacræ Theologiæ.

1 LEctores Sacræ Theologiæ inſtituendi ſunt in Capitulo, vel in Congregatione Prouinciali iuxta ordinationem Concilij Tridentini. Attamen nullus inſtitui poſſit, quin primò in Lectoratu Artium exhibuerit ſpecimen ſuæ idoneitatis: Lectores Generales inſtitui debent à ſolis Prælatis Generalibus.

2 Lectores Theologiæ debent legere continuò indefeſſa manu, habere ſingulis diebus Conferentias, & ſingulis menſibus Concluſiones publicas, & ſingulis annis impreſſas.

3 Superiores Generales enixè procurent habere informationem per Commiſſarios Viſitatores, & per alia media, de modo procedendi Lectorum circa continuationem in lectura, circa conferentias, exercitia litteraria, & circa conuerſationem monaſticam, & ſi quid inuenerint contra ipſos, deponant eos à Lectoratu, ne indigni habeant priuilegium iubilationis.

§. IV.

De diſciplina obſeruanda in Collegijs Studentium.

1 NVllus Studentium poterit exire extra domum, niſi ob grauem neceſſitatem, & bis tantùm in menſe, iuxta moderationem Clementis VIII. & tunc aſſociatus Magiſtro Nouitiorum, vel ab alio grauiori Patre à Guardiano deſignando. Nec Guardianus poterit vlteriùs mittere foras Studentes cauſa petendi eleemoſynas, niſi in maxima neceſſitate.

2 Ad curam Miniſtrorum Prouincialium pertinebit procurare, vt nil ex neceſſarijs deficiat Studentibus, ne habeant illicitos recurſus; necnon, & aſſignare tempus, quo poſſint ſcholaſticis exercitijs vacare litterarum, & non abeſſe à Choro.

3 Docere diſcipulos per nudum textum Scoti, confuſiſſima eſt norma diſciplinæ, tum quia ibidem quædam deſiderantur, quæ recenter in ſcholis controuertuntur; tum quia ad inſtruendam iuuentutem non eſt idoneus Textus, quem verſatiſſimi Magiſtri vix potuerunt penetrare.

4 Quapropter Lectores Artium docebunt deinceps, vel per ſcripturam dictandam, & ſcribendam à Diſcipulis, vel per librum impreſſum aſſumendum ex probatioribus Doctoribus, qui ad mentem Scoti ſcripſerunt Curſum moderniorem.

6 Lectores verò Sacræ Theologiæ non diſcedendo à methodo præſcripta à ſanctæ memoriæ Clement. VIII. legent Theologicas materias iuxta methodum modernorum ad aures Subtilis Magiſtri, dictitando illas diſcipulis ſcribentibus.

CAPVT VI.

De ordine ſeruando inter Patres, qui officia obtinent, & obtinuerunt in Religione.

§. I.

De modo, quo intitulari debent aliqui Officiales.

1 COmmiſſarij Generales delegati à Miniſtro Generali, vt in ſua abſentia regant aliquas Prouincias, ſeu integram Familiam, non nominentur deinceps Vicarij Generales, ſicut hactenus factum eſt, ſed Commiſſarij Generales delegati, qualiter ipſos nominat Leo X. in ſua Conſtitutione Apoſtolica.

2 Similiter Prælati, qui in Prouincijs inſtituuntur, vt in abſentia Miniſtrorum Prouinciam regant, non ſunt appellandi Vicarij Prouinciales, ſed Commiſſarij Prouinciæ, vt in Familia Vltramontana obſeruatur.

3 Vicarij Generales Ordinis ſunt, qui per electionem ſubſtituunt tempus Miniſtri Generalis qui vacauit. Vicecommiſſarij Generales Familiæ ſunt, qui per electionem gubernant Familiam per vacantiam Commiſſarij Generalis. Vicarij Prouinciales intitulantur, qui per electionem gerunt vices Miniſtri Prouincialis, qui vacauit.

4 Cùm in nonnullis Prouincijs nimis excreuerit numerus Patrum aggregatorum, qui Ex-diffinitorum prærogatiuis gaudent, adeò vt interdum numerum Electorum excedat, idcirco Capitulum Generale decernit, vt in poſterum pro qualibet Prouincia Patres aggregati non ſint plures quàm quatuor: ſi verò alij inueniantur inſtituti à quocumque Superiore Generali, ipſo facto inſtitutio nulla ſit. Saluis tamen iis, qui obtinuerint, vel inſtituti fuerint ex indulto Apoſtolico.

5 Vo-

5 Volumus autem, huiuſmodi quatuor Patres aggregatos, vel aggregandos quocumque titulo polleant, connumerandos eſſe inter illos, qui numerum duodecim, vel ſexdecim Diffinitorum ſuis electionibus complent reſpectiuè ad magnas Prouincias, vel paruas. Ita vt Prouinciæ magnæ duodecim Patres per electionem, & quatuor aggregatos habeant; Prouinciæ verò paruæ octo Patres per electionem, & quatuor aggregatos teneant.

6 Magnas Prouincias appellamus, quæ triginta, aut plures habent Conuentus; paruas verò, ſeu mediocres, quæ ſolùm retinent infra triginta.

7 Diffinitores Generales in electione Prouincialis Miniſtri vocem habent actiuam, & paſſiuam, ſi cætera concurrant; in electione verò Cuſtodis, & Diffinitoris Prouinciæ, actiuam dumtaxat.

8 Omnes Patres, qui ſunt de corpore Diffinitorij vocari debent à Miniſtro, quando occurrat aliquid pertinens ad munus officij ſui; ſi vocati non compareant, loco illorum ſubrogandi ſunt alij iuxta leges ſubrogationis.

9 Lectores Iubilati quamuis non aſſumantur per electionem, tamen iure iubilationis poterunt deinceps ſubrogari.

10 Commiſſarij Viſitatores non poſſunt vſurpare ſibi ſigilla maiora Prouinciæ, nec mittere Clericos ad Ordines ſuſcipiendos, neque recipere Nouitios, neque deſtinare Prædicatores ad Quadrageſimas, ſeu Aduentus, neque deputare Confeſſores Monaſterijs Monialium, nec diſtribuere ſpolia defunctorum Fratrum, quæ omnia ad Miniſtros Prouinciarum pertinent; tamen poſſunt inquirere, an hæc iuſtè diſtributa ſint.

§. II.

De ordine ſeruando inter Diffinitores, & Cuſtodes Prouinciarum.

1 Diffinitores electi in eodem Capitulo ſeruent præcedentiam ab antiquitate habitus, ſi aliàs non habeant alios titulos, ob quos ſe adinuicem præcedebant, nam qui ante Diffinitoriatum præcedebant, in Diffinitorio præcedere debent.

2 Inter Diffinitores Generales habituales in poſterum, qui primo electi fuerunt, habebunt (cæteris paribus) præcedentiam, inter actuales verò præcedentia ſumenda eſt, cæteris paribus, ab antiquitate habitus.

3 Cuſtodes actuales, cæteris paribus actuales Diffinitorès præcedent in Prouincijs: habituales verò Cuſtodes præcedent habituales Diffinitores, qui in eodem Capitulo electi ſunt, ſicut aliàs declaratum eſt.

4 Actualis Cuſtos habitualem Cuſtodem præcedet, & actualis Diffinitor habitualem Diffinitorem.

5 Inpoſterum inter habituales Cuſtodes, cæteris paribus, præcedentia ſumenda eſt à prioritate electionis. Idem dicendum eſt de habitualibus Diffinitoribus inter ſe, non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium.

6 Omnes Diffinitores Generales, & Prouinciales, qui alios præcedunt ſede, & ordine, eoſdem etiam præcedere debent iure ſubrogandi.

7 Nullus Miniſter Prouincialis poteſt mittere Fratres extra ſuam Prouinciam, niſi ad contiguas, vel ad præſentiam Superiorum Generalium ob negotium arduum, & graue, ſalua tamen Conſtitutione ſanctæ memoriæ Vrbani VIII. quoad miſſionem ad Vrbem.

Numerus Defunctorum à poſtremo Capitulo Generali.

Mortui ſunt ab vltimo Capitulo Generali celebrato Toleti anno 1645. vſque ad præſens anno 1651. circiter nouem millia Fratrum, ex quibus plures pro Fide Chriſti propaganda, mortem ſubierunt; alij virtutibus emicarunt, de quibus ſuo loco.

Sequuntur Suffragia.

1 PRO Sanctiſſimo Domino noſtro Innocentio Papa Decimo, & pro eius incolumitate diuturna, à quolibet Sacerdote Ordinis tres Miſſæ celebrentur.

2 Pro Catholico Rege Philippo, Regina, & Regia prole, à quolibet Sacerdote duæ Miſſæ dicantur.

3 Pro Cæſarea Maieſtate, & Sereniſſimo Rege Hungariæ, & Auguſta prole, duæ Miſſæ dicantur.

4 Pro Chriſtianiſſimo Rege, & Matre Regina Galliarum, à quolibet Sacerdote duæ Miſſæ celebrentur.

5 Pro Eminentiſſima Congregatione Cardinalium, à quolibet Sacerdote vna Miſſa dicatur.

6 Pro Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo Domino Cardinali Franciſco Barberino Ordinis Protectore à quolibet Sacerdote vna Miſſa dicatur.

Pro

7 Pro Illuſtriſſimis Dominis Marchionibus de Cañete, Ciſmontani Capituli Patronis, quorum beneficentia expenſæ Capituli Generalis factæ ſunt, à quolibet Sacerdote vna Miſſa.

8 Pro fœlici ſtatu noſtræ Seraphicæ Religionis, à quolibet Sacerdote vna Miſſa dicatur.

4 Pro pace Principum Chriſtianorum, pro extirpatione hæreſum, propagatione Fidei, victoria contra Infideles, ac Eccleſiaſtici Status proſperitate, à quolibet Sacerdote dicantur duæ Miſſæ.

Fran. Cardinalis Barberinus, Protector.

Fr. Petrus Manero Miniſter Generalis.
Fr. Sebaſtianus de Caieta Commiſſarius Generalis.
Fr. Iulianus Perez Procurator Generalis Ordinis.
Fr. Franciſcus Suarez Ex-Commiſſarius Curiæ Romanæ.
Fr. Gregorius Santillam Diffinitor Generalis.
Fr. Alphonſus Mendoza Diffinitor Generalis.
Fr. Matthæus Ricault Diffinitor Generalis.
Fr. Seuerinus Vannier Diffinitor Generalis.
Fr. Bernardinus Betuiz Diffinitor Generalis.
Fr. Daniel à Dongo, Pater & Diſcretus Ordinis.
Fr. Ioſephus Maldonatus Commiſſarius Generalis Indiarum.
Fr. Fulgentius Meliorutius Commiſſarius Romanæ Curiæ.
Fr. Angelus Franciſcus à Genua Ex-Procurator Generalis.
Fr. Innocentius à Pauia Ex-Procurator Generalis Reformatorum.
Fr. Honoratus de Luca Diffinitor Generalis.
Fr. Euangeliſta de Gabbiano Diffinitor Generalis.
Fr. Coſmas de Palermo Diffinitor Generalis.
Fr. Euſebius Veles Diffinitor Generalis.
Fr. Antonius Oudenhonem Diffinitor Generalis.
Fr. Angelus de Guipana Diffinitor Generalis.
Fr. Franciſcus de Mendoza Diffinitor Generalis.

Locus ✝ Sigilli.

Ita eſt,

Fr. Franciſcus Serra Secretarius Gen. Ord.

DECRETVM
Sacræ Congregationis.

SAcra Congregatio S.R.E. Cardinalium, negocijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, præinſertas Conſtitutiones pro fœlici gubernio, & directione Fratrum Minorum de Obſeruantia in Capitulo Generali dicti Ordinis anno 1651. in Conuentu Beatæ Mariæ de Aracœli decretas, ac nuper à Patre Fratre Petro Manero totius Ordinis Miniſtro Generali eidem Sacræ Congregationi pro Apoſtolica confirmatione porrectas, Eminentiſſimis Carpineo, Franciotto, & Sancti Clementis referentibus, tenore præſentis Decreti, ſine tamen præiudicio Obſeruantiæ Regularis, & Statutorum Apoſtolica auctoritate confirmatorum, approbauit, ac dari typis, & ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in futurum, inuiolabiliter obſeruari iuſſit, contrarijs quibuſcumque non obſtantibus. Datum Romæ 20. Iunij 1653.

M. Cardinalis Ginetti.

Locus ✝ ſigilli.

Hieron. Archiepiſc. Patracenſis Secret.

Congregatio Generalis Romana Anno 1654.

TAbula Congregationis Generalis Romanæ anno 1654. die 6. Iunij ſub Eminentiſſimo Domino Cardinali Barberino Epiſcopo Portuenſi S.R.E. Vice-Cancellario, totius Ordinis Minorum Protectore, &c. atque per ſpeciale Breue Innocentij Papæ X. præſidente delegato.

Reuerendiſſimus P. Fr. Petrus Manero pro celebranda Congregatione Generali ſequentes litteras dedit.

Fr. Petrus Miniſter Generalis, & ſeruus totius Ordinis Fratrum Minorum Seraphici P.N.S. Franciſci, Reuerendiſſimo P. Commiſſario, Reuerendiſque Adm. Patribus Commiſſario Curiæ Romanæ, Procuratori Reformatorum, Diffinitoribus Generalibus, Miniſtris, Cuſtodibus, cæteriſque nobis ſubditis omnium Prouinciarum, & Cuſtodiarum totius noſtræ Vltramontanæ Familiæ ſalutem, & perpetuam fœlicitatem.

Generalem Congregationem totius noſtræ Familiæ Vltramontanæ in Vigilia Pentecoſtes Anni 1654. in Almo noſtro Conuentu Beatæ Mariæ Aracælitano de Vrbe (Deo fauente) celebraturi, id vobis omnibus, & ſingulis, per præſentes litteras, notum

tum facimus, indicimus, & publicamus, mandantes per ſanctam Obedientiam, & ſub pœnis in noſtris Generalibus Conſtitutionibus contentis, vniuerſis, ac ſingulis, qui ex præſcripto legum tenentur, quatenùs opportuno tempore ad præfatam Congregationem ſe transferant, & Romam tertiadecima die Menſis Maij ſupradicti Anni 1654., & non ante ingrediantur. Vt autem confuſioni, quæ ex Fratrum multitudine oriri poſſet, occurramus: vnicuique Vocalium præcipimus, vt non niſi vnicum dumtaxat ſocium ſecùm ducat. Quos etiam omnes in Domino monemus, ac pro noſtri muneris debito exhortamur, vt tam euntes, quàm redeuntes, adeò modeſtos, exemplares, atque religioſos, & graues ſe in itinere oſtendant, ſicut Seraphici P.N.S.Franciſci Filios ſanctæ humilitatis, altiſſimæque paupertatis, ac Euangelici Inſtituti profeſſores decet.

Ad Congregationem, præter Patres Vocales cum ſuis Socijs, & eos, quibus à nobis conceſſa fuerit licentia ſpecialis, nemo ſub quouis prætextu, aut quæſito colore accedere præſumat, ſub pœna Apoſtaſiæ ipſo facto incurrenda. In Prouincijs, donec ad eas Miniſtri reuertantur, iuxta Ordinis Statuta, nihil prorsùs innouetur: quidquid autem ſecùs factum fuerit, irritum, ac nullius valoris penitùs habeatur. Prouinciarum Cuſtodes, vt ſui muneris debito reſpondeant, iuxta antiquam laudabilem noſtrorum Patrum conſuetudinem, Conuentuum tam Fratrum, quàm Monialium, nomina eorumque, nec non & Sanctorum, vel Beatorum, cunctorumque Fratrum viuorum, & defunctorum numerum, ſicut etiam, & notabilium quorumcumque, quæ à poſtremo generali Capitulo celebrato in propria vniuſcuiuſcumque Prouincia reſpectiuè, poſt exactam diligentiam adhibitam accidiſſe cognouerint, fidele teſtimonium, authenticamque fidem ſecum deferre ſtudeant. Inſuper Patribus Miniſtris Prouincialibus eiuſdem Familiæ iniungimus, vt ſecum deferant monumenta omnia ſuarum Prouinciarum ſpectantia ad Chronicon Religionis, & ad Bullarium, vti per noſtras patentes, & impreſſas litteras Prouincijs omnibus ſignificauimus: imponentes contrafacientibus pœnas omnes, quæ in Statutis Generalibus imponuntur Cuſtodibus, ſecum non ferentibus ſcripturas ad ſe pertinentes.

Demùm, vt à Deo, omnium bonorum authore, noſtrarum actionum directionem, & fœlicem omnium agendorum ſucceſſum impetrare valeamus, his noſtris litteris acceptis, ac ſingulis Prouincijs ſolemniter promulgatis, preces ad Deum inceſſanter, ac ſine intermiſſione effundantur: & à Paſchate Reſurrectionis Domini eiuſdem Anni ſupradicti, vſque ad diem electionis faciendæ qualibet quinta feria, ſolemni feſto non impedita, in ſingulis Conuentibus Miſſa de Spiritu Sancto decantetur, ac de eodem à Sacerdotibus in Miſſis priuatis collecta dicatur: In Choro autem poſt Matutinum, Veſperas, & Miſſam maiorem dicatur etiam Hymnus *Veni Creator Spiritus, &c.* cum Antiphonis, & Orationibus de Spiritu Sancto, Immaculata Conceptione, & de Beato Patre Noſtro Franciſco. Ab Aſcenſione Domini vſque ad prædictum Feſtum Pentecoſtes proceſſiones ſolemnes fiant per Eccleſias, & Clauſtra, ac Litaniæ decantentur. In ipſa autem vigilia Pentecoſtes omnes peccata ſua confiteantur, quos Patres Confeſſores noſtra plenaria auctoritate poſſint abſoluere. Sacerdotes celebrent, alij Sanctiſſimam Euchariſtiam percipiant: Similiter ſummo maneSacrum fiat ſolemniter de Spiritu Sancto, & proceſſio per Eccleſiam, omneſque ad Dominum recurrant, vt quæ agenda ſunt, ad ſui laudem & honorem ad noſtræ Religionis incrementum, ad animarum ſalutem, totiuſque Eccleſiæ ſuæ ſanctæ vtilitatem, & profectum, præueniendo aſpiret, & adiuuando proſequatur. Valete Patres chariſſimi, Deumque pro nobis exorate; Datis in Conuentu noſtro Sancti Patris Noſtri Franciſci Matriti die prima Maij 1653.

Fr.Petrus Manero Miniſter Generalis.

De mandato ſuæ Paternitatis Reuerendiſſ.

Fr.Michael Angelus à Neapoli Secret.Ord.

Reuerendiſſimo Patre Generali iam poſt Paſcha Anno 1654. fruſtrà expectato Pater Iulianus Perez Procurator Generalis Ordinis coram Reuerendiſſimo Gaietta Commiſſario Generali Ciſmontano, cæteriſque Ordinis Patribus litteras præſentauit Reuerendiſſimi Patris Generalis, quibus poſtulabat, vt ad quindecim dies Comitia diferrentur, quod firmato ab omnibus ſupplici libello per Barberini Protectoris mediationem nullo negotio à Pontifice impetrarunt.

Interim dum plurimi, tum de Regulari, tum de Strictiori Obſeruantia pro eligendo in Commiſſarium Generalem aliquo Reformato efficaciùs adlaborarent, Sanctiſſimus ab alijs præuentus, rogante potiſſimum Barberino Protectore, expeditis litteris, *Cum ſicut nobis innotuit, &c.* Dat.Romæ die 27.Maij 1654. præfatum Sebaſtianum

num de Gaietta in Commiſſariatus officio confirmauit.

Tanto autem ſilentio huiuſmodi Breue celatum fuiſſe, legimus, vt quacumque diligentia à nemine penetrari potuerit. Vnde cum in præparatorijs Congreſſibus Pater Perez, quamuis ex Vltramontana Familia, tamen vt Procurator Generalis, & Miniſtri Generalis primarius adminiſter, vocem habere prætenderet, cauſa ad Eminentiſſimum Protectorem producta, eiuſque de mandato per Illuſtriſſimos Farneſium, & Faguanum examinata, Protector ipſe, habitis eorum votis, ſequens decretum expediuit.

[Nos Franciſcus miſeratione diuina Epiſcopus Portuenſis, Cardinalis Barberinus S. R. E. Vice-Cancellarius, & totius Ordinis Minorum Sancti Franciſci Corrector, Gubernator, & Protector. In controuerſia inter Patrem Iulianum Perez eiuſdem Ordinis, & pro Vltramontana Familia Procuratorem Generalem ex vna, & Patres Commiſſarium, & Diffinitores Generales huius Ciſmontanæ Familiæ partibus ex altera, pro qua decidenda ab vtraque parte ad Nos fuit habitus recurſus, ſuper prætenſo voto ipſius Procuratoris Generalis in Diffinitorio Generali, & alijs functionibus Capitularibus imminentis Congregationis Generalis partibus auditis, ſcripturis, ac iuribus vtrimque exhibitis accuratè perpenſis: dicimus, pronunciamus, decernimus, atque declaramus, prænominatum Iulianum Perez Procuratorem Generalem minimè habere votum in Diffinitorio Generali, cæteriſque functionibus Capitularibus imminentis Congregationis generalis, & in hac controuerſia perpetuum ſilentium eſſe imponendum, prout imponimus, non tantùm prædicto, ſed & omni alio meliori modo. Dat. Romę, &c. die 5. Iunij 1654.

Franciſ. Card. Barberinus Protector.

Agapitus Colorſius Secretarius.]

Deinde congregatis per Cardinalem Protectorem, & Præſidentem in Refectorio Vocalibus, lectum fuit de Protectoris eiuſdem mandato Breue Apoſtolicum ſupra citatum, per quod Sebaſtianus de Gaietta, vt dictum eſt in Commiſſariatus Generalis officio confirmatus eſt, quod hic in Regeſto P. Sancti Iuſti fol. 7. ſcribitur per extenſum. Poſtmodum electis Diffinitoribus Generalibus, vt infra dicetur, procurante Commiſſario Generali de Gaietta, & proponente Barberino Protectore per nouos Diffinitores Generales P. Lucius de Sancto Iuſto Prouinciæ Marchiæ Miniſter, in Commiſſarium Curiæ fuit, vel commendatus, vel approbatus, & per patentes Cardinalis Protectoris inſtitutus. Cum verò ad huiuſmodi inſtitutionem tanquam Miniſtri Generalis auctoritati præiudicialem contradicerent, Iulianus Perez Ex-Procurator, & Petrus de Alua Vice-Procurator Generalis, alijque nonnulli, voluit nihilominus Barberinus Protector, vt inſtitutio à ſe facta ſubſiſteret, addito præſertim titulo præſidentiæ ſuæ in Comitijs Generalibus, nec non exemplo Patris Braſauolæ de conſenſu Commiſſarij Generalis, & aliorum Ciſmontanæ Familiæ Patrum per Breue Pauli V. inſtitutum, quamuis exemplum hoc non ſit ad propoſitum, quoniam iam Braſanola per Vicarij Generalis litteras inſtitutus, hoc vnum difficultatis habebat, quòd Ciſmontanorum Patrum conſenſus non fuiſſet prærequiſitus. Sed de his fuſiùs in 1. tom. dictum fuiſſe cenſemus, Itaque omnibus abſolutis.

In Nomine Domini Amen.

HÆC eſt Tabula celeberrimæ Congregationis Generalis Ciſmontanæ Familiæ noſtri Ordinis Minorum nuperrimè celebratæ in Conuentu Sanctæ Mariæ de Ara-Cœli Almæ Vrbis die 6. Iunij Anni 1654. ſub Eminentiſſimo, & Reuerendiſſ. D.D. Franciſco Principe Cardinali Barberino Epiſcopo Portuenſi S.R.E. Vice-Cancellario, totius Ordinis Fratrum Minorum Protectore, Correctore, & Gubernatore vigilantiſſimo, atque per ſpeciale Breue Sanctiſſ. D. N. Innocentij Papæ Decimi Præſidente delegato.

In primis triennio Commiſſariatus Generalis Reuerendiſſimi Patris Sebaſtiani à Gaietta fæliciter abſoluto, idem Reuerendiſſimus Pater per Breue Sanctiſſ. D. N. Innocentij Papæ X. ad aliud triennium fuit confirmatus in Commiſſarium Generalem totius Familiæ Ciſmontanæ.

Pater Perpetuus dictæ Familiæ Ciſmontanæ.

Idem Reuerendiſſ. P. Sebaſtianus à Gaietta olim Commiſſarius Generalis.

Procurator Generalis Ordinis in Curia Romana.

Adm. R. P. Fr. Martinus Dieſt Lector Iubilatus, & Prouinciæ Aragoniæ Pater.

Commiſſarius Generalis Curiæ Romanæ.

Adm. R. P. F. Lucius de Sancto Iuſto, Lector, Prædicator Generalis, & Prouinciæ Marchiæ Miniſter.

Procu-

Procurator Generalis Reformatorum Familiæ Ciſmontanæ.

Adm. R. P. Fr. Innocentius à Papia continuatur.

Diffinitores Generales.

Adm. R. P. Fr. Ioſeph Radaellus Prouinciæ Mediolanenſis Lector Iubilatus, & Pater Ordinis.

Adm. R. P. Fr. Fabius Papazonius Prouinciæ Bononiæ Miniſter, Lector Iubilatus, & Pater Ordinis.

Adm. R. P. Fr. Ioannes Baptiſta de Venetijs Pater Prouinciæ Candiæ, & Actualis Cuſtos.

Adm. R. P. F. Auguſtinus de Monte Coruino Prouinciæ Principatus Miniſter, & Lector Iubilatus.

Adm. R. P. Fr. Angelus de Bergomo Prouinciæ Romanæ Reformatæ Actualis Miniſter.

Adm. R. P. Fr. Clemens de Martina Prouinciæ Reformatæ Sancti Nicolai Pater, & Actualis Cuſtos.

Guardianus Terræ Sanctæ.

Reu. P. Fr. Marianus de Maleo Prouinciæ Mediolanenſis continuatur.

Sacræ Theologiæ Studia generalia iuxta Conſtitutionem Apoſtolicam Clementis Papæ VIII.

IN Conuentibus. Sanctæ Mariæ de Ara-Cæli.
Sanctæ Mariæ Neapolis.
Sancti Franciſci Montis Peruſij.
Sancti Franciſci Anconæ.
Sanctæ Mariæ Nouæ Phani.
Omnium Sanctorum Florentiæ.
Sancti Franciſci Lucæ.
Sanctiſſimæ Annuntiatæ Bononiæ.
Sancti Franciſci Paduæ.
Sancti Bernardini Veronæ.
Sanctiſſimæ Annuntiatæ Ianuæ.
Sanctæ Mariæ Angelorum Mediolani.
Sancti Didaci Neapolis.
Sanctæ Mariæ Ieſu Meſſanæ.
Sanctæ Mariæ Angelorum Panormi.
Sanctæ Mariæ Ieſu Mantuæ.
Sancti Antonij Licij.
Sancti Bernardini Aquilæ.
Sancti Ioſeph Brixiæ.
Sancti Thomæ Taurini.
Paradiſij Viterbij.
Sancti Spiritus Ferrariæ.
Sancti Bernardini Alexandriæ.

Sequuntur, quæ acta fuere in Congregatione Generali.

In Dei Nomine Amen.

IN Diffinitorio Generali habito die 8. Iunij 1654. coram Reuerendiſſimo Patre Fr. Sebaſtiano à Gaietta Ciſmontanæ Familiæ Generali Commiſſario, factæ fuerunt infraſcriptæ declarationes.

1. Vt in Capitulis Prouincialibus Cuſtodes nouiter electi, & etiam confirmati, nullum habeant ſuffragium reſpectu Diffinitorum eligendorum in eodem Capitulo: ſicut, nec Diffinitores, ſi aliquem, vel aliquos in vno ſcrutinio, & reliquos in alio eligi quandoque contingat.

2. Pro Prouincia Reformata Brixiæ, ſicut, & pro reliquis, in caſu ſubrogationis, antiquior, qui fuit Miniſter, omnino in Diffinitorio ſubrogetur, etiam ſi non extiterit per integrum triennium Miniſter, ſed Cuſtos gubernij ante annum 1639. per aliquod tempus eiuſdem triennij.

3. Supplicetur Sacra Congregatio, vt indulgere dignetur Diffinitorio Generali, quòd non obſtante Statuto Generalis Capituli Anni 1651. aſpicere poſſit ad labores, & merita Commiſſarij Generalis Germaniæ præſentis, & futurorum laudabiliter, qui ſint per triennium ſuo officio functi, ac aliquo priuilegio, titulo, fauore, vel gratia proſeqni, prout meliùs, ad merita habito reſpectu, iudicabit expediens.

4. Liceat Miniſtro Prouinciæ Reformatæ Sancti Antonij ſigillum minus reformare, & imprimi facere iuxta formam, & ad inſtar ſigilli maioris dictæ Prouinciæ proportione, & inſcriptione ſeruatis.

5. Iniungatur ſub pœna priuationis officij, exequenda in caſu inobedientiæ ſuo tempore à Commiſſario Viſitatore, Miniſtro, Cuſtodi, & Diffinitoribus Prouinciæ Reformatæ Corſicæ, vt ſtatim deleant, & expurgent à Regiſtro Prouinciæ decretum, temerè ab ipſis factum in euidentem iacturam auctoritatis Superioris Generalis, de non volendo, nec debendo contribuere, & ſuccurrere ſumptibus, & expenſis factis, vel faciendis pro Congreſſibus Generalibus Ordinis.

6. Lectores ſupernumerarij in Studijs generalibus non deſcribantur in Tabulis Congregationis Generalis.

7. Clerici ordinati in Sacerdotes per biennium exerceant officia Clericorum in quacumqne fuerint ætate, ſub pœna ſuſpenſionis Guardianis, vel Prouincialibus, aliter facientibus, vel diſponentibus.

8. Nullus audeat deinceps aliquem cdere librum, niſi priùs Romam miſſus indi-

Iudicetur ab Examinatoribus à Reuerendiſſimo Patre Commiſſario Generali deputandis, an ſit impreſſione dignus, Miniſtris Prouincialibus huiuſmodi facultate ablata.

9. Supplicetur Sacra Congregatio, vt reducere, & moderari dignetur Annos Vacationis Procuratorum Ordinis,&Commiſſariorum Curiæ, nec non Superiorum Generalium, vt ſcilicet omnibus ſufficiat vacaſſe per duplum temporis poſt abſolutum officium.

10. Renouatur Statutum, vt in vnoquoque Studio Sacræ Theologiæ antiquior Lector legat Textum Scoti ad litteram ſine ſcriptis,tam in Studijs Obſeruantium,quàm Reformatorum.

11 Libellus nominatus *Biga duas vehens* editus à P.Illuminato Marono Reformato, iterum reuideatur à Patribus Generali Commiſſario beneuiſis,& iuxta nouam correctionem permittatur Authori,vt illum reimprimere poſſit.

Fr. Angelus de Bergomo Diffinitor Generalis.

Fr. Ioannes Baptiſta de Venetijs Diffinitor Generalis.

Fr.Clemens de Martina DiffinitorGeneralis.

Fr.Auguſtinus à Monte Coruino Diffinitor Generalis.

Fr.Fabius Papazzonius DiffinitorGeneralis.

Fr.Ioſeph Radaellus Diffinitor Generalis.

Fr.Fulgentius Miliorutius Ex-Commiſſarius Curiæ.

Fr.Lucius de SanctoIuſto CuriæCommiſſarius.

Fr. Sebaſtianus à Gaietta Commiſſarius Generalis.

Confirmamus ſuprascripta Decreta, eaque mandamus ab ijs, ad quos ſpectat,inuiolabiliter obſeruari.

Loco ✝ ſigilli.

Fr.Cardinal.Barberinus Protector.

Agapitus Colorſius Secretarius.

Pro Prouincijs Poloniæ plurima fuerunt propoſita à Miniſtris Prouincialibus Diffinitorio Generali,& ſunt, quæ ſequuntur, vnà cum reſolutionibus.

Primùm proponente, & ſupplicante Fr. Chriſtophoro Strzala Minoris Poloniæ Vicario Prouinciali; primò vt Studium Theologicum in Conuentu Vilnenſi ad Sancti Franciſci à Reuerendiſſimo Patre Sebaſtiano à Gaietta Commiſſario Generali inſtitutum, & declaratum pro Generali in ordine ad Iubilationem, authoritate Venerabilis Diffinitorij approbetur, & confirmetur, quæ approbatio, & confirmatio Statutis generalibus huius Congregationis inſeratur.

℞. Conceſſum fuit.

Secundò, quia per iniuriam peſtis Lectores Iubilati deceſſerunt,ſupplicauit præfatus Vicarius Generalis, vt duo Lectores Generales propinquiores ad Iubilationem, ſed cum interruptione Lecturæ, ad ipſam Iubilationem diſpenſentur.

℞. Fuit negatiuè, quia obſtant Conſtitutiones Apoſtolicæ.

Tertiò, quia eadem Prouincia ratione antiquitatis erectionis poſt diuiſionem aliarum à ſe Prouinciarum,ſigillum antiquum, cum titulo abſoluto Poloniæ abſque additamento maioris, vel minoris obtinuit,ideò ſupplicat præfatus Vicarius Prouincialis,vt eandem abſolutam nomenclaturam pro ſemper valeat obtinere.

℞. Nihil innouetur vſque ad nouam reuiſionem, & nouum Ordinem Prouinciarum in Statutis reponendum, ſed citrà præiudicium nominentur Prouinciæ maioris,& minoris Poloniæ. Romæ die 10.Iunij 1654.

Cum in tribus Poloniæ Prouincijs Obſeruantibus Prædicatores Generales, ſuper Lectores Generales præcedentiam prætenderent, Prouinciales illarum Prouinciarum pro authentica Diffinitione huius controuerſiæ ſupplicarunt in Diffinitorio Generali.

℞. Fuit, præcedant Lectores Generales, iuxta Conſtitutiones generales,& antiquam Ordinis conſuetudinem, &c. die 11. Iunij 1654.

Contra conſuetudinem,quæ erat in eiſdem Poloniæ Prouincijs, vt Fratres delinquentes per alienam manum, ſæpè numero ad ſanguinem vſque flagellarentur cum grauiſſimis exindè inconuenientibus, ſupplicarunt præfati Prouinciales,&c.

℞. Diffinitorium Generale prohibendo omnino huiuſmodi modum diſciplinandi,cum ſit contra Canonem, *Si quis, &c.* Sed ſeruetur modus, & conſuetudo Religionis,quoad modum diſciplinandi,& pœnitentiandi.

In præfata minoris Poloniæ Prouincia inualuerat abuſus, vt omnes Patres olim Prouincialis officio functi,Lectores Iubilati,& alij quouis titulo Paternitatis gaudentes cum maxima Capitulorum perturbatione in Capitulis Prouincialibus, & Congregationibus intermedijs interuenire vellent, etiam cum voto conſultiuo,& electiuo,ſupplicauit itaque, &c.

℞. Fuit

℞. Fuit, ſeruentur Conſtitutiones Apoſtolicæ ſub pœnis in eiſdem contentis die 13.Iunij 1654.

Contra quoddam concordatum factum inter Prouinciales Maioris, & Minoris Poloniæ, & Ruſſiæ ſubſcriptum, & ſigillatum in Vienn.Conuentu S.Hieronymi die 8.Iunij 1651. vt videlicet, quicumque Fratrum de ſuis ab vna Prouincia ad aliam phanatico inquietudinis ſpiritu agitatus, commigrare præſumpſerit, is omnino vltra pœnas in ſtatutis taxatas, caputio ſpoliatus cum irreligioſo dedecore ad ſuam Prouinciam remitti deberet. Hoc concordatum ſupplicarunt vnanimiter, vt confirmaretur à Diffinitorio Generali.

Sed ℞. fuit, bonum eſſe, vt ſic errantes ſecundùm Ordinis ſtatuta puniantur, non tamen exindè caputio ſpolientur, quia ſpectat ad formam habitus, ſed huius pœnæ loco, ſigna probationis apponantur, die 10. Iunij 1654.

Eodem die, & anno conceſſit Diffinitorium generale pro præfata Maioris Poloniæ Prouincia. Primò vt Patrum, & Fratrum recollectio fiat per tres dies, ter in anno repetenda; Secundò vt Nouitiatus ex locis Cuſtodialibus ad Prouinciales transſlati, in poſterum ad Cuſtodias non transferantur, niſi ſeruatis ſeruandis; Tertiò, vt Chori in Eccleſijs Fratrum poſt Altare maius iuxta vſitatiorem, & laudabiliorem conſuetudinem conſtituantur. Romæ, &c. die 10.Iunij 1654.

Fr Auguſtinus de Monte Coruino Diffinitor Generalis, & Secretarius Generalis Diffinitorij.

CXXXIV. *Cap Gen. Toleti anno* 1658.

OB bellorum, & peſtis incōmoda dilatum fuit authoritate Apoſtolica per annum Capitulum Generale: Interim Petro Manero Miniſtro Generali in anno quinto ſui Generalatus ad infulas Tyraſonenſes euecto, & Iuliano Perez, qui fuerat in Vicarium Generalem electus poſt annum defuncto, ſubſtitutus eſt in Vicarium Gen. Ordinis Fr. Ioannes de Robles, qui Vocales ad Comitia conuocauit.

TABVLA, ET ACTA,

Celeberrimi Capituli Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum nuperrimè celebrati.

In Regali conuentu S.Ioannis Regum Ciuitatis Toleti, in Vigilia Pentecoſtes, die octaua Iunij Anno Domini 1658.

Præſidente Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo Domino, D.Camillo de Maximis, Patriarcha Ieroſolymitano, Cameræ Apoſtolicæ Clerico, & in Regn s Hiſpaniarum, cum poteſtate Legati à Latere Nuntio Apoſtolico.

In quo viginti ſeptem ſupra ducenta ſuffragia, ex toto Terrarum Orbe ad electionem conuenerunt.

Sanctiſſimo Domino Noſtro Alexandro Septimo Summo Pontifice.

TABVLA
Capituli Generalis.

IN primis ſeptennio fæliciter abſoluto ſub Generalatu Reuerendiſs. Patris Fratris Petri Maneri intra quinquennium officij ad Epiſcopatum Tyraſonenſem euecti, & vno anno ſub Vicariatu Generali Reuerendiſſimi Patris Fratris Iuliani Perez in officio vita defuncti, & demum dilato per Breue Apoſtolicum ad alterum annum Generali Capitulo expleto: hoc eodem anno ſub Vicariatu Generali Reuerendiſs. Patris Fratris Ioannis de Robles, ferè omnibus ſuffragijs Religionis, in Miniſtrum Generalem totius Ordinis cooptatus eſt Reuerendiſſimus Pater F. Michael Angelus à Sambuca Prouinciæ Reformatæ Vallis Mazzariæ Pater, Exſecretarius Generalis, & bis Diffinitor Generalis Ordinis.

Commiſſarius Generalis Ciſmontanæ Familiæ.

Reuerendiſs. Pater Fr. Ioannes de Robles Prouinciæ Caſtellæ Pater, & Ex-Vicarius Generalis Ordinis.

Pater, & Diffinitor perpetuus Familiæ Vltramontanæ.

Reuerendiſs.Pater F.Sebaſtianus à Caieta Commiſſarius Generalis præteritus.

Procurator Generalis Ordinis in Curia Romana.

Adm. R.P. F.Theodorus à Vicentia Lector Theologiæ, & Cuſtos Prouinciæ Sancti Antonij.

Commiſſarius Generalis Curiæ Romanæ.

Adm.R.P. F.Rocchus à Villarejo Prouinciæ Granaten. Exdiffinitor.

Procurator Generalis Reformatorum Famili Vltramontanæ.

Adm.R.P.F.Ioannes à Pinarolio, Prouinciæ S.Thomæ Pater.

Diffi-

Diffinitores Generales Vltramontanæ Familiæ.

1. Adm. R. P. F. Marcellinus Radaelli Prouinciæ Mediolanen. & Ordinis Pater.
2. Adm. R. P. Fr. Bonauentura à Cluſa Prouinciæ Vallis Mazzariæ Prominiſter, & Pater.
3. Adm. R. P. F. Michael Angelus à Neapoli Lector Iubilatus, Prouinciæ Terræ Laboris Pater, & Cuſtos Terræ Sanctæ.
4. Adm. R. P. F. Fælix à Setia Reformatæ Prouinciæ Romanæ Pater.
5. Adm. R. P. F. Franciſcus Mancini Prouinciæ Tuſciæ Prominiſter.
6. Adm. R. P. F. Franciſcus Statfeldt Prouinciæ Auſtriæ Miniſter.

Diffinitores Generales Ciſmontanæ Familiæ.

1. Adm. R. P. F. Ioannes Munieza Prouinciæ Aragoniæ Cuſtos, & Pater.
2. Adm. R. P. F. Ioannes à Villamar Prouinciæ Conceptionis Miniſter, & Lector Iubilatus.
3. Adm. R. P. F. Andreas Houbercau Doctor, & magni Conuentus Pariſienſis ex-Guardianus.
4. Adm. R. P. F. Ludouicus Manis Miniſter Prouincialis S. Franciſci Recollectorum in Gallia.
5. Adm. R. P. F. Franciſcus Gend Cuſtos Prouinciæ Germaniæ inferioris.
6. Adm. R. P. F. Gerardus Ioannis Miniſter Prouinciæ Saxoniæ S. Crucis.

Guardianus Terræ Sanctæ.

Adm. R. P. F. Euſebius Velles Prouinciæ Mediolanenſis, & Ordinis Pater.

Vicarius Conuentus Sanctiſs. Saluatoris.

P. F. Ignatius Mourgues Prouinciæ S. Dionyſij Pariſienſis Recollectorum.

Guardianus Conſtantinopolitanus.

P. F. Sebaſtianus à Cammerata Prouinciæ Vallis Mazzariæ Reformatæ Prominiſter.

Sacræ Theologiæ Studia in ordine ad Iubilationem deſtinata, iuxta Conſtitutiones Apoſtolicas Clementis VIII. & S. D. N. Vrbani VIII. & Lectores generales.

1 *In Conuentu S. Mariæ de Aracæli Romæ Lectores.*

P. F. Paulus à Caſtronouo.
P. F. Petrus Paulus de Roma.
P. F. Alexius Romanus.

2 *In Conuentu S. Mariæ Nouæ Neapolis*

P. F. Claudius à Como.
P. F. Agnellus à Neapoli.
P. F. Bonauentura à Neapoli.

3 *In Conuentu S. Franciſci de monte Peruſij.*

P. F. Thomas de Lacu.
P. F. Coſtantius à Stronconio.
P. F. Franciſcus Maria à Peruſio.

4 *In Conuentu omnium Sanctorum Florentiæ.*

P. F. Bernardinus à Barberino.
P. F. Ioannes Baptiſta à Collina.
P. F. Blaſius à Florentia.

5 *In Conuentu Sanctiſſimæ Annunciatæ Bononiæ.*

P. F. Ioannes Baptiſta à Fugnano.
P. F. Ioſeph à Caſtro lauro.
P. F. Franciſcus Maria à Caſtro S. Petri.

6 *In Conuentu S. Franciſci Paduæ.*

P. F. Hieronymus à Vicentia.
P. F. Theodorus à Cento.
P. F. Hieronymus à Plebe Sacco.

7 *In Conuentu Sanctiſſimæ Annunciatæ Genuæ.*

P. F. Franciſcus à Portu Mauritio.
P. F. Petrus Franciſcus à Genua.
P. F. Angelus à Monelia.

8 *In Conuentu S. Mariæ Angelorum Mediolani.*

P. F. Antonius Cataneus à Lermenatè.
P. F. Hilarius Palacius à Caſtilione.
P. F. Andreas Radaelli à Mediolano.

9 *In Conuentu S. Mariæ Angelorum Panormi.*

P. F. Santus à Panormo.
P. F. Auguſtinus à Politio.
P. F. Ioſeph à Drepano.

10 *In Conuentu S. Bernardini Aquilæ.*

P. F. Rufinus à Caſtellis.
P. F. Franciſcus ab Aquila.
P. F. Bernardinus de Monte Brandone.

11 *In Conuentu S. Franciſci Lucæ.*

P. F. Ioannes à Cutiliano.
P. F. Carolus à Cutiliano.
P. F. Laurentius à Guiuizzano.

12 In

12 *In Conuentu S.Franciſci Anconæ.*

P.F.Carolus à Petriolo.
P.F.Didacus à Molleano.
P.F.Petrus à Fabriano.

13 *In Conuentu S.Antonij Licij.*

P.F.Antonius à Rutiliano.
P.F.Franciſcus à Bario.
P.F.Bonauentura à Licio.

14 *In Conuentu S. Bernardini Cracouiæ*

P.F.Benedictus Vadouita.
P.F.Andreas Souinouicz.
P.F.Dominicus Kochanousky.

Alia Studia Sacræ Theologiæ, & Lectores generales deputantur.

1 *In Conuentu Paradiſi Viterbij.*

P.F.Daniel Romanus.
P.F.Albertus de Roma.

2 *In Conuentu S. Mariæ Nouę Fani.*

P.F.Gabriel ab Aeſio.
P.F.Bonauentura de Fano.

3 *In Conuentu S.Crucis Piſarum.*

P.F.Seraphinus à Bibiena.
P.F.Franciſcus à Vellechia.

4 *In Conuentu S.Spiritus Ferrariæ.*

P.F.Honorius de Forliuio.
P.F.Hyppolithus Camillus ab Arimino.

5 *In Conuentu S.Franciſci Mantuæ.*

P.F.Ioſeph à Verona.
P.F.Bernardinus à Vienna.

6 *In Conuentu S.Didaci Neapolis.*

P.F.Iacobus à Caua.
P.F.Bernardinus à Fuſecchio.

7 *In Conuentu S.Mariæ de Ieſu Montis Leonis.*

P.F.Bonauentura à Meſſana.
P.F.Thomas de Monteleone.

8 *In Conuentu S.Mariæ Ieſu Meſſanæ.*

P.F.Stephanus à Ficarra.
P.F.Balthaſar à Meſſana.

9 *In Conuentu S.Mariæ Ieſu Montiea.*

P.F.Didacus Salemi.
P.F.Ignatius à Motica.

10 *In Conuentu S.Mariæ Ieſu Foggiæ.*

P.F.Hieronymus à S.Ioanne in Galdo.
P.Fr.

11 *In Conuentu S.Hieronymi Viennæ.*

P.F.Ludouicus Kriechenhoffer.
P.F.Hilarius Andreæ.

12 *In Conuentu S.Franciſci Vilnæ.*

P.F.Michael Maſzkousky.
P.F.Franciſcus Chrapouicky.

13 *In Conuentu S.Ioſephi Brixiæ.*

P.F.Andreas de Cucaleo.
P.F.Paulus Franciſcus à Gabiano.

14 *In Conuentu S.Mariæ de Vrſoleo.*

P.Fr.
P.Fr.

15 *In Conuentu S.Franciſci Coſentiæ.*

P.F.Coſmus Maria à Panorno.
P.F.Chryſoſtomus à Raguſio.

16 *In Conuentu S. Bernardini Alexandriæ.*

P.F.Paulus Baptiſta de Viadana.
P.F.Didacus à Setia.

17 *In Conuentu S.Thomæ Taurini.*

P.F.Hieronymus à Seledo.
P.F.Pellegrinus à Pratolongo.

18 *In Conuentu S.Mariæ de Aſſumptione Labaci.*

P.F.Paulus Budimir.
P.F.Daniel Lucanus.

19 *In Conuentu S.Andreæ Leopolis.*

P.F.Franciſcus Kaliſky.
P.F.Franciſcus Rayſzeuie.

20 *In Conuentu S.Bernardini Poſnaniæ.*

P. Fr.
P.Fr.

21 *In Conuentu Tyrnauiæ.*

P. Fr.
P. Fr.

22 In Conuentu S.Mariæ Angelorum Neapolis, & alijs Conuentibus pro Seminarijs iuuenum, Lectores deputabuntur ad libitum Reuerendiſſimi Patris Miniſtri Generalis.

Studia generalia in ordine ad Iubilationem, in quibus qui iubilare voluerit, ſaltem per tres annos continuos Sacram Theologiam legere debebit, deputantur.

S.Ma-

Conuentus
- S.Mariæ de Aracæli Romæ.
- S.Franciſci Montis Peruſij.
- S.Franciſci Anconæ.
- Omniũ Sanctorum Florentię.
- S.Franciſci Lucæ.
- Sanctiſs.Annunciatę Bononię.
- S.Franciſci Paduæ.
- Sanctiſs. Annuntiatæ Genuæ.
- S.Marię Angelorum Mediol.
- S.Marię Angelorum Panormi.
- S.Antonij Licij.
- S.Bernardini Aquilæ.
- S.Mariæ Nouæ Neapolis.
- S. Bernardini Cracouiæ.

Confirmatio electionis Reuerendiſſimi Patris Fratris Michaelis Angeli de Sambuca in Miniſtrum Generalem totius Ordinis Minorum Sancti Franciſci.

ALEXANDER PP. VII.

Dilecte fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CVM ſicut Nobis nuper exponi feciſti, tu in Capitulo Generali Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci de obſeruantia nuncupat. in Conuentu Sancti Ioannis Regum nuncupat. Toletan. vigilia Pentecoſtes anni M.DC. LVIII. celebrato, in Miniſtrum Generalem eiuſdem Ordinis canonicè electus fueris, & electionem huiuſmodi pro maiori illius validitate, & ſubſiſtentia Apoſtolicæ confirmationis robore communiri ſummopere deſideres: Nos ſperantes electionem huiuſmodi de perſona tua, vt præfertur, factam, ob tuum Religionis zelum, fidem, prudentiam, integritatem, & doctrinam eidem Ordini plurimùm profuturam, teque ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, Supplicationibus tuo nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Electionem de perſona tua in Miniſtrum Generalem dicti Ordinis; vt præfertur, factam Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, omneſque, & ſingulos tam iuris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die ſecunda Aprilis M.DC.LIX. Pontificatus noſtri anno Quinto.

Fr. Michael Angelus à Sambuca, totius Ordinis S. Franciſci Fratrum Minorum Miniſter Generalis.

Dilectis plurimum in Chriſto Seraphicæ noſtræ Religionis Patribus, & Fratribus Superioriorïbus, ac Subditis ſalutem in Domino ſempiternam.

INfinita, & verè admirabilis Dei prouidentia, cum paruitatem noſtram in ſummo apice Miniſteriatus Generalis dignara ſit collocare; de noſtri muneris debito ita nos admonet, vt quantum ſumus, & quantum poſſumus Officio noſtro incumbamus, Quapropter (Patres ac Fratres dilectiſſimi) mentem noſtram Franciſcana ſinceritate vobis aperire conamur, quæ in alio non conſiſtit, quàm in virtute prouehenda, in abuſibus exirpandis, in inſtituenda, & excolenda Regulæ noſtræ primæua, & Apoſtolica obſeruantia, in hoc abſolutiſſimè tendimus, hoc inflexibiliter prætendimus; iſtud eſt cogitationum noſtrarum pondus, cordis noſtri inuariabile deſiderium: Cum iam, Deo fauente, fecerimus, Miniſtrum Generalem egimus iuxta normam S.P.N. Franciſci: quia verò in hunc finem collimare nequimus, niſi in ſuo ſtudio Religio progrediatur; quod primò vobis erit omnino fugiendum, ſciatis eſſe ſæcularium ſauorum influxus, quemadmodum etenim virtus, atque Religioſitas nobis ex Iuſtitia videbitur meritum, ita extraneus fauor demeritum cenſebitur, pœna dignus, non præmio. Experientia ipſa docebit, an cor noſtrum loquatur, vel lingua; viuat in Religio-

gione Frater Minor,& nullo prætendat fieri maior, niſi in virtute, & obſeruantia, & noſtrum erit, niſi culpabiles ante Deum apparere velimus, de virtuoſo cogitare, & Regulam obſeruanti alios regendos tradere: vt gubernia ſint in virtutis augmentum, non in fomentum ambitionis. Ad hunc effectum conſequendum, aliquas Conſtitutiones, ſeu potius Legum declarationes, in Diſcretorio factas proponimus. Malitia namque hoſtis antiqui monet nos, vt Leges, vel inobſeruatas reſtituamus, vel perperam interpretatas, vero ſenſui donemus: Lux etenim non præſens non iuuat, & vmbris cooperta in ſuomet ſplendore langueſcit. Progrediamur itaque iu via vitæ nos, hæc deſideria fouendo; vos eiſdem cooperando: manſuetudinem profitebimur, ſed Legem innixam iuſtitiæ rigori, & quæ nobis ex Dei gratia naturalis eſt placiditas, merito acquiretur, culpa irrirabitur, cum Patrem ſimul, ac Iudicem vobiſcum agere debeamus. Hæc ſunt Veſtri Paſtoris voces, hæc vota ſucceſſoris S. P. Franciſci. Satis diximus, ea cuncta infallibiliter exequuturi. Valete in Domino. Dat. Matriti die 5. Iulij 1658.

Conſtitutiones Generales Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſeruantiæ, & Reformatorũ Seraphici P. N. S. Franciſci.

Edita in Generali Capitulo, celebrato Toleti, in Regali Conuentu S. Ioannis Regum, ſub die octaua Iunij Anno 1658.

Per vtrumque Diſcretorium etiam Reformatorum.

Præſidente Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo Domino, D. Camillo de Maximis, Patriarcha Ieroſolimitano, Cameræ Apoſtolicæ Clerico, & in Regnis Hiſpaniarum, cum poteſtate Legati à Latere, Nuntio Apoſtolico, & ſpecialiter ad hoc deputato.

Sub Reuerendiſſimo Patre Fratre Michaele Angelo de Sambuca, Miniſtro Generali Totius Ordinis Fratrum Minorum in eodem Generali Capitulo nouiter electo.

Pro Sacro Ordine Prædicatorum.

1. VT antiquus, & laudabilis fraternæ charitatis, & obſeruantiæ nexus inter ſacrum Ordinem Prædicatorum, & Noſtrum, in quo nati, & educati ſumus, magis in dies firmetur, & arctetur: renouamus omnia, ac ſingula tam antiqua, quàm recentia Statuta, quæ mutuã vtrorumque neceſſitudinem charitatis, & pacis fœdera reſpiciunt, & noſtra in eoſdem Venerabiles Patres, & chariſſimos in Chriſto Fratres beneuolentiæ, & ſeruitutis officia. Si quis verò ex noſtris (quod Deus auertat) depræhenſus fuerit temerario auſu, vel in minimo læſiſſe vnionem, & fraternitatem, quam Deo inſpirante ab infantia noſtræ Religionis ebibimus, in eum tanquam in optatiſſimæ pacis turbatorem Superiores animaduertant. *Vetus cum Ord. Prædic. fœdus renouatur.* *Et lædentes puniendi.*

2. Et vt pientiſſimis Fratribus pro modulo noſtro vicem rependamus, cum in Diuino Officio perſoluendo Romanis ritibus ex vi Regulæ ſimus adſtricti, Capitulum generale determinat, aſſiduas ad Sedem Apoſtolicam fundere preces, quouſque nobis liceat Sanctiſſimi Patriarchę Noſtri Dominici Natalem pari ritu celebrare, quo Seraphicum P.N. Franciſcum celebramus; vtque, quoties in anni decurſu contingat D. Franciſci fieri commemorationem, liceat & Symmiſtæ Dominici memoriam annectere, amboſque ſimul, & indiuisè colere, quos eadem fides, & gratia verè fecit eſſe Germanos. *Specialis ſancti Dominici cultus ſtatuitur.*

3. Sed & B. Catharinam Senenſem, illius, & noſtræ Religionis venerabile decus, eo ſaltem ritu celebrare, quo chariſſimi, & Religioſiſſimi Patres Claram noſtram, & ſuam dignati ſunt ſuis faſtis adſcribere. *Et S. Catharinæ Senen.*

Pro vtraque Familia.

1. PRæcipit Capitulum generale, ne deinceps in Capitulis, aut Congregationibus Generalibus, aut Prouincialibus proponantur Theſes propugnandæ cum iconibus ære inciſis, aut laminis quomodolibet ſumptuoſis: ſed omnes typis communibus, quantumuis magno Patrono dicatæ mandentur, qui ſecus fecerit, prohibetur eaſdem Theſes defendere: priuatur Lectoratu, ſi iam obtinuit: ſin minus: inhabilitatur ad obtinendum. Miniſter verò, vel Prælatus, qui contrarium fieri permiſerit, ſuſpendatur ab officio ad arbitrium Superioris. *Theſes cum iconibus non imprimantur.*

2 Inhibetur, ne Prouinciarum Procuratores ad Romanam Curiam, nec ad Curiam *Procuratores Prouinciæ & à Generali tantum deputentur.*

riam Matritenſem, nec aliorum Principum deinceps mittantur, niſi de licentia in ſcripto obtenta Reuerendiſſimi Miniſtri, aut Commiſſarij Generalis, & aliter miſſi, puniantur tanquam Apoſtatæ: Non audiantur, ſed ſtatim ad ſuas Prouincias mittantur; nec propterea tollitur à Miniſtris Prouinciarum vnà cum ſuis Diffinitorijs facultas mittendi, ob negotia vrgentia.

De hoc vide declarationē Reuerendiſſ. Gen. Samaniego ſupra citatam.

3. Fratres Forenſes, qui ad Romanam Curiam acceſſerint, cuiuſcunque ſint Prouinciæ, vel Nationis, aut Familiæ, ſiue etiam Obſeruantes ſint, ſiue Reformati, non poterunt deinceps exire è Domo ſub pœna Apoſtaſiæ, niſi obtenta licentia Guardiani, & etiam Procuratoris Generalis, aut Commiſſarij Curiæ reſpectiuè, quod quidem obſeruari debet, toto tempore, quo Romæ permanere contigerit. Non tamen impediri poterunt, niſi ex legitima cauſa.

Abſente Procuratore Ordinis à Curia eius vices gerens Procurator declaratur.

4 Ne per abſentiam Procuratoris Ordinis à Romana Curia vniuerſus Ordo deſtituatur proprio, & legitimo Procuratore, ſtatuitur, vt quoties Capitulum Generale extra Vrbem Romanam celebrari contigerit; Procurator Ordinis ad Capitulum profecturus, eo ipſo, quod ab Vrbe diſcedat, cenſeatur functus officio ſuo, & tanquam immediatus Exprocurator, debet ad Capitulum accedere, vbi præcedentiam habebit, & votum, etiam in Diffinitorio Generali, non ſecus, ac ſi actualis Procurator exiſtat. Interim qui inſtitutus fuerit in officio, & exercitio Procuratoris Ordinis, non iam Vice-Procurator erit: ſed verè, ac propriè totius Ordinis Procurator, qui à Curia Romana non poterit diſcedere, duraturus quidem in officio, donec Superiores Ordinis aliter prouideant.

Per antiquiorem Patrem dignior intelligitur.

5. Quoties in Conſtitutionibus Noſtris, Pater Antiquior vocatur ad ſubrogandum, præſidendum, aut ſimile aliquod munus obeundum, illum eſſe antiquiorem Patrem intelligimus, & declaramus, qui tunc temporis, ſeruata Statutorum ſerie primum locum tenet, & dignior inuenitur.

Subſidia pro expenſis à Prouincijs Procurator. Curiæ omninò præſtentur

6 Subſidia deſignata per Statuta Ordinis, ſiue ex conſuetudine diſtribuenda Procuratori, & Commiſſario Romanæ Curiæ, pro expenſis litterarum, & negotiorum expeditione, ſedulo, & opportuno tempore à Prouincijs ſubminiſtrentur. Si quæ verò ad præſens vſque non ſubminiſtrauerint, Reuerendiſſimus Pater Miniſter, & Commiſſarius Generalis conſtringat Miniſtros Prouinciales, vt his debitis ſine vlla mora ſatisfaciant.

Electio Prominiſtri intra diem non facta ad Superiorem deuoluitur.

7 In electione Prominiſtri ſeu Cuſtodis ad Generale Capitulum, ſiue ad Congregationem Generalem mittendi; ſi contigerit, ſuffragia in Prouincijs, etiam Reformatis intra vnius diei ſpatium non conformari, ita vt ex diſcordia eligentium electio non ſequatur; Electio deuoluatur ad Superiorem Generalem, qui nonniſi eiuſdem Prouinciæ Patrem emeritum nominabit.

Cuſtodes electi extra Capitulum non gaudent priuilegijs ante biennium.

8 Diffinitoriũ Generale declarat, Cuſtodes omnes extra Capitulum electos, niſi per integrum biennium functi fuerint munere Cuſtodiatus, aut in Generali Capitulo, vel Congregatione ſuffragium tulerint, non debere gaudere priuilegijs, & honoribus cęteris Cuſtodibus conceſſis; etiamſi in electionibus Vicarij, aut Vice-Commiſſarij Generalis, fuerint ſuffragati in ſua familia.

Similiter Procurator, & Commiſſarij Curiæ.

9 Fuit per Diffinitorium Generale declaratum, quod in futurum Procuratores, & Commiſſarij Curiæ Romanæ non gaudeant præeminentijs, & præcedentijs Procuratorum huiuſmodi, niſi per duos annos integros eiuſmodi officia exercuerint: qui verò non compleuerint, poterint inſtitui denuo in eadem officia abſque vacantia, ſicuti cauetur de Vicarijs Prouincialibus.

10 In caſu ſubrogationis Diffinitoris Prouincialis, ſi contingat in Prouincijs eſſe Diffinitores Generales actuales illius Prouinciæ, fiat deinceps ſubſtitutio in perſonam Patris dignioris, poſt ipſos Diffinitores Generales; & hoc pro tempore quo Diffinitores Generales durabunt in officio, quo tamen abſoluto, ſubrogatio talis intelligitur facta in perſonam dicti Diffinitoris generalis præteriti; & ille alius Pater antea ſubſtitutus ceſſabit ab officio Diffinitoriatus Prouinciæ. Idem intelligendum erit de Procuratoribus Ordinis, & Commiſſarijs Curiæ Romanæ.

Subſidia pro capitulo generali etiam Diffinitoribus generalibus præſtanda

11 Declaratum fuit, quòd iuxta Statuta generalia, non tantùm Miniſtris Prouincialibus, & Cuſtodibus, ſed etiam Diffinitoribus Generalibus ſubſidia neceſſaria pro peregrinatione ad Capitulum generale facienda, propriæ Prouinciæ cura, & ſollicitudine Miniſtri præſtare teneantur.

Miniſter elapſo etiam ſemeſtri poſt triennium Prouinciam gubernet.

12 Miniſtri Prouinciales, etiam Reformatorum expleto triennio, & ſemeſtri Miniſteriatus, ſi nullus ſit miſſus Cõmiſſarius ex aliquo accidenti, teneant ſigilla, & gubernent Prouincias tanquam Commiſſarij Prouinciales, cum ſuo Diffinitorio, ſed nõ habebunt votum in Capitulo immediatè ſequenti, niſi ipſis omnibus concedatur à Superiori Generali, cum conſenſu Procuratoris Generalis, & Diffinitorum Generalium ſi præſentes fuerint, ſicut nec

Guar-

Guardiani, qui compleuerunt triennium, & ſemeſtre Guardianatus; gubernent tamen tanquam Præſidentes.

Subrogare eſt totius Diffinitorij.

13 Subrogationes tam in Obſeruantia, quàm apud Reformatos fiant à toto Diffinitorio, & non à ſolo Miniſtro Prouinciali.

Qui in aliena Prouincia Miniſtri, veré Patres in propria.

14 Qui fuerunt Miniſtri Prouinciales in aliena Prouincia, reuerſi ad proprias Prouincias, in omnibus, & per omnia ſint Patres illarum, ſicuti & alij Patres, vltimum tamen locum inter Ex-Prouinciales teneant; & hoc tum pro Obſeruantibus, tum pro Reformatis.

15 Declaratum fuit in pleno Diffinitorio, quòd in caſu cuiuſcunque deciſionis, minor pars Diffinitorij debet ſubſcribere ſententiam maioris partis, etiam inter Reformatos.

Procuratores prouinciarū à Generali qua ratione inſtituendi.

16 Procuratores Prouinciarum in quacunque Curia, & pro quauis cauſa nō inſtituantur: attamen ſi aliquando Superiori Generali expedire videbitur, per ſuas Patentes inſtitui, non ſint niſi tantùm triénales: huiuſmodi autem Procuratores non inſtituantur, etiam per Superiores Generales, niſi ex maxima neceſſitate.

Commiſſarij generales nationum moneant Generalem de actis & ſindicatui ſubſint.

17 Capitulum Generale mandat, quòd Commiſſarij Generales Nationales quotannis rationem reddant Reuerendiſſimo Miniſtro Generali, de Capitulis in ſuis Prouincijs celebratis, & de rebus præcipuis intra, & extra Capitula determinatis: & aliter facientes ſuſpendantur ab officio ad arbitrium Superioris Generalis. Ipſique Commiſſarij Generales huiuſmodi in Capitulis, & Congregationibus generalibus ſubiaceant ſyndicationi, ſicuti & alij Superiores Generales.

Statuta vltima reuideantur, & reformentur.

18 Ad tollendas confuſiones, difficultates, & iurgia, quæ oriri ſolent inter familias, & Nationes ſuper intelligentia Statutorum vltimi Capituli generalis Romani; Capitulum Generale decreuit, & mandat, quòd huiuſmodi Statuta per Reuerendiſſimos Miniſtrum, & Commiſſarium Generales reuideantur, & reformentur ad normam Conſtitutionum Apoſtolicarum, & Ordinis, & vnicuique Familiæ, & Nationi adaptentur.

Renouatur Statutum de qualitatibus promouendorum.

19 Renouatur Statutum, quo cauetur, quòd nullus etiam inter Reformatos inſtituatur Miniſter Prouincialis, nec Guardianus, nec Diffinitor, aut Cuſtos, qui non ſequatur vitam communem, qui Chorum non frequentet, Orationi non aſſiſtat, Refectorium Communitatis non ſequatur, ac Regulæ noſtræ Zelator, & Conſtitutionum obſeruator non exiſtat; & electio aliter facta, ſit ipſo facto nulla.

Pro Familia Vltramontana.

Prouincia Romana inter magnas annumeranda.

1 Confirmatur Decretum factum in Capitulo Generali præterito, quòd Prouincia Romana Obſeruantium annumeranda ſit inter magnas Prouincias Familiæ Vltramontanæ, ob Conuentum Aracœlitanum, cæteraſque rationes in eodem Decreto expreſſas.

In Prouincia Brixiæ ſeruetur alternatiua etiam in ſubrogando.

2 In Prouincia Brixienſi Reformata ſeruetur alternatiua inter nationes Brixienſem, & Bergomenſem iuxta Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinis, tam quoad electiones, quàm quoad ſubrogationes, quæ fieri debent ex eadem natione, in qua defecit ſubrogandus, dummodo nil in contrarium obſtet.

Lectores in Profeſſorijs etiam Regulam legant.

3 Iuuenes profeſſi primo anno ab emiſſa profeſſione ſtudeant intelligentiæ Regulæ, quam profeſſi ſunt, & verbatim dicerunt; ac propterea illo anno, Lector qui inſtruendis Clericis recenter profeſſis præficitur, teneatur legere publicè, etiam ſi alij antiquiores profeſſi adeſſe voluerint, Regulam, iuxta declarationes Nicolai III. & Clementis V. nec poſſint aliter ad ſtudia Logicæ, & Philoſophiæ promoueri, niſi priùs in Regulæ intelligentia profecerint.

Exercitia ſpiritualia certo ſuoi tempore peragenda.

4 Reuerendiſſimus Pater Miniſter Generalis prouideat, vt in Prouincijs etiam Reformatis pro Iuuenum bona educatione inſtituantur certo anni tempore exercitia ſpiritualia decem, vel octo dierum, ad quæ peragenda Clerici, & Iuuenes ſint adſtricti: alij autem Patres hortentur cum regulis, & formis tradẽdis à Miniſtris Prouincialibus, cum Diffinitorio, vt cum pace Prouinciarum, & Conuentuum ad hoc deſignatorum commodè fiant.

Cuſtodes, & Prominiſtri Capituli generalis Hiſpani qualiter præcedant.

5 Capitulum generale, perpenſis periculis, & magnis laboribus in longo itinere à Patribus Vocalibus perpeſſis, maturo conſilio ſtatuit, quatenus Cuſtodes, & Prominiſtri, etiam Reformatorum Vltramontanæ Familiæ, qui venerunt ad præſens Capitulum generale, & poſtmodum venient ad Capitula Generalia in Hiſpanias, inter Diffinitores actuales vltimum locum, & præcedentiam habeant, niſi alius ſibi locus dignior competeret. Inter Reformatos autem Vicarius Conuentus, ac Lectores Sacræ Theologiæ actuales præcedant, iuxta Breue Vrbani Octaui.

Prominiſtrorum conditiones.

6 Prominiſtri autem huiuſmodi præeminentia, & præcedentia gaudebunt ſi Diffinitoriatu, vel Lectura S. Theologiæ per ſexennium, vel Guardianatu principalioris Conuentus antea decorati fuerint, vel ad minus Guardiani per tres vices in alijs

Conuentibus, aut Prædicatores eximij extiterint.

Conuentus Pinaroli ad Prouinciam S. Thomæ ſpectat.

7 Inhærendo Bullis Apoſtolicis, & Ordinis monumentis fuit declaratum, quòd Conuentus noſter Oppidi Pinaroli, & electio ipſius Guardiani ſpectat ad Prouinciam S. Thomæ Reformatorum. Ideo mandatur, quòd Prouincia Lugdunenſis nullum eligat Guardianum, ſiue diſcretum in prædicto Conuentu Pinaroli cum iure vocandi in Capitulo. Si quid autem in contrarium fieri contigerit, ipſo facto irritum ſit, & inane. Guardianus autem præſens electus à Prouincia Lugdunenſi, nullum ſuffragium habeat in Capitulo.

Miniſtrorum Capitulo generali abſentium pœnæ.

8 Ad eliminandas fraudes, & friuolas excuſationes Miniſtrorum Prouincialium, non accedentium ad Comitia generalia, iuxta diſpoſitionem Regulæ noſtræ, & Ordinis Conſtitutionum, ſtatuitur, quòd Miniſtri Prouinciales, etiam Reformati, non accedentes ad Comitia Generalia quacunque occaſione, vel cauſa, poſt expletum Miniſteriatum vltimum locum inter Exprouinciales præteritos, & futuros in perpetuum habeant. Qui verò abſque legitima cauſa neglexerint ad Capitulum generale accedere, vltra hoc, pœnis in Statutis Ordinis mulctentur.

Exeuſtodes, & Exdiffinitores ſubrogandi, & quando.

9 In Prouincijs Reformatis Vltramontanæ Familiæ, ex defectu PP. Ordinis, & Prouinciæ, in vacantia Diffinitoriatus Prouincialis, ſubrogari debent Exeuſtodes, & Exdiffinitores, & in defectu iſtorum Guardiani Principaliorum Conuentuum.

10 Quo verò ad alias ſubrogationes in prædictis Prouincijs Reformatis ſeruentur Statuta generalia Reformatorum, & Conſtitutiones Ordinis.

Diffinitor poteſt immediate eligi in Cuſtodem.

11 Statuitur, quòd in Prouincijs etiam Reformatis Diffinitor in eodem Capitulo, in quo explet diffinitoriatum, eligi poterit in Cuſtodem immediatè abſque vlla vacantia, ſicut etiam inter Reformatos ipſos, fuit ſemper vſu receptum.

Guardiani, vt dicitur de reſpectu non eligantur.

12 Prohibet Capitulum Generale, quòd in Capitulis, & Congregationibus Reformatorum, vltra electionem Guardianorum pro quolibet Conuentu, nulla fiat electio aliorum, vt dicitur (de reſpectu) qui in caſu vacantiæ ſuccedant, abſque alia electione, & ſi aliqua facta ſit, vel in futurum fiet, inualida, & nulla cenſeatur ipſo facto.

Diſcreti Conuentus quinam ſint.

13 Inter Reformatos, diſcreti Conuentus cenſendi ſunt, digniores officio reſpectiuè, & ipſis deficientibus Diſcreti erunt Antiquiores in Religione.

Præſes ſi ſit Diffinitor nõ renunciet.

14 Primus Pater Prouinciæ, etiam inter Reformatos, ſi ſit Diffinitor, & ei ob mortem, vel renunciationem Miniſtri Prouincialis, vel quacunque ex alia cauſa ſigilla Prouinciæ ſuccedant, non poterit renunciare Diffinitoriatum ad effectum conuocandi Electores, ſed benè poterit renunciare poſt electionem Vicarij Prouincialis.

15 In abſentia Guardiani, & Vicarij in Conuentibus etiam Reformatorum, ſi non adſint in Refectorio Patres Ordinis, vel Prouinciæ, vel alius à Guardiano, vel Vicario delegatus ad menſam regendam, ipſam regere debet, qui alios præcedit.

16 Præcedentia antianitatis inter Reformatos attendi debet à ſuſceptione habitus, non à profeſſione, dummodo habitus ſuſceptus fuerit in debita ætate illum ſuſcipiendi.

Guardianus de vno ad alium Conuẽtum qualiter queat transferri.

17 Non liceat Miniſtro Prouinciali, & Diffinitorio etiam Reformatorum infra annum, & extra Capitulum, & Congregationem mutare Guardianum, de vno Conuentu ad alium, abſque renunciatione, & noua electione, niſi de conſenſu amborum Guardianorum, & Diffinitorij. In Capitulo autem, & Congregatione poſſunt Guardiani à Diffinitorio mutari, de vno Conuentu ad alium, ante publicationem electionis.

Renunciationes extra Capitulum à Diffinitorio acceptandæ.

18 Declaratum fuit in pleno Diffinitorio generali, quòd acceptare renunciationem Guardianatus extra Capitulum, & Congregationem, etiam inter Reformatos ſpectat ad Diffinitorium Prouinciæ, & non ad ſolum Miniſtrum Prouincialem.

Statutorum omnium liber vnus compiletur.

19 Pro Familia Vltramontana pluries determinatum fuit in Comitijs Generalibus, quòd omnia ipſius diuerſa Statuta colligantur, (& ablatis reuocatis per noua Decreta Apoſtolica:) fiat ex ipſis liber vnus Statutorum, per quæ permanenter, & inuiolabiliter prædicta Familia deinceps gubernetur. Ideò Capitulum Generale præcipit, quòd huiuſmodi recollectio quamprimum fiat per Patres à Reuerendiſſimo Patre Miniſtro Generali deſignandos, & typis mandetur.

Pro Terra Sancta.

Commiſſarij terræ Sanctæ alios nõ ſubſtituant.

1 Prohibet Capitulum Generale, ne Commiſſarij Terræ Sanctæ inſtituti, & nominati præcipuè in partibus Germaniæ, & Italiæ, & Inſularum adiacentium inſtituant, nominent, aut ſubſtituant Vicecommiſſarium aliquem, ſeu aliquos in ſuis reſtrictibus, ſed per ſe ipſos, & ſocios ſuos negotia Terræ Sanctæ tractent; & ſi qui ſunt nominati, pro infectis, & nullis habeantur, ipſo facto; Tempore verò quæſtuationis poterunt vnum, vel plures Fratres ex Prouincijs ſui reſtrictus, eum be-

beneplacito, & approbatione proprij Miniſtri Prouincialis aſſumere, & ipſis quæſtuationem committere, qua peracta, infra terminum aliquot menſium, & reddita ratione de eleemoſynis perceptis eidem Commiſſario, ad ſuos Conuentus redeant.

Sed hoc eſt ſolius Generalis. 2 Si verò in aliqua Natione, ſeu reſidentia pro negotijs expediendis aliquem Procuratorem Terræ Sanctæ præter Commiſſarium institnere, & nominare neceſſe ſit, non niſi à Miniſtro Generali per ſuas litteras Patentes nominetur, & inſtituatur, & aliter inſtitutus pro infecto habeatur. Commiſſarij Terræ Sanctæ contrafacientes officijs priuentur.

Non exeant Domo ſine Guardiani benedictione. 3 Commiſſarij Terræ Sanctæ, eorumque Socij, & Fratres omnes ad ſeruitium Terræ Sanctæ applicati, recognoſcant, & venerentur Guardianos, & Superiores locales Conuentuum, in quibus morantur. Et ad egrediendum benedictionem ab ipſis, ſecundùm morem Religionis poſtulent. Guardiani non denegent, imò libenter impertiantur, & huiuſmodi Fratres omnibus charitatis, & beneuolentiæ officijs proſequantur, nec ipſos vllatenus impediant.

Pro Familia Ciſmontana.

Renunciationes in Capitulis à quibus admittendæ. 1 DIffinitorium Generale declarat, renunciationes Guardianorum, quæ de Iure, & conſuetudine in Capitulis, & Congregationibus intermedijs fiunt, non poſſe admitti à ſolo Præſide Capituli, ſed à maiori parte Diffinitorij, niſi Præſes ſit Reuerendiſſimus Superior Generalis perſonaliter aſſiſtens.

2 Conuentus Monialium Sanctę Claræ Diſcalceatarum Villæ Chinchon, Superiori Generali immediatè ſubiectus, habebit Vicarium, ſeu Confeſſarium inſtituendum à Miniſtro Generali, ſeu Commiſſario Generali ex qualibet Hiſpaniarum Prouincia; & in omnibus Capitulis propriæ Prouinciæ ſuffragium habebit ad inſtar Guardiani, ſi Diffinitoriatus munere, vel Guardianatus alicuius principalis Conuentus, antea fuerit decoratus.

Pro Gallia.

Prouincia S. Bernardini præcedat S. Dionyſij. ✠ 1 PRouincia S. Bernardini in Gallia manuteneatur in poſſeſſione ſuæ præcedentię reſpectu Prouinciæ S. Dionyſij; & ita determinatum fuit in Diffinitorio Generali auditis partibus.

2 Confeſſarij Monialium Sanctæ Claræ Prouinciæ S. Franciſci Recollectorum in Gallia, & aliorum Monaſteriorum Ordinis in Gallia non poſſunt vltra triennium continuari, nec aſſumi in Viſitatores eorundem Monaſteriorum, nec Viſitatores in Confeſſarios immediatè.

Deſignentur Conuentus pro reformatione. 3 Commiſſarij Viſitatores, & Miniſtri omnium Prouinciarum Obſeruantium Galliæ, aſſignent quàm citius in ſuis Prouincijs tres ſaltem Conuentus pro reformatione, iuxta Generalia Statuta, in quibus deinceps non inſtituantur Guardiani, nec alij Officiales, quàm illi, qui laudabiliter per biennium integrum in reformatione, reformatè vixerint, & hoc ſub pœna nullitatis aliter faciendo.

In Prouincijs Turoniæ qua les Guardiani inſtituendi Et ipſi tantū collocandi. 4 Pro Prouincia Turoniæ Pictauienſis decretum eſt, quod in Conuentibus Reformatis eiuſdem Prouincię, non debent eligi Guardiani, niſi illi, qui tunc temporis morantur in Conuentibus Reformatis, & per biennium ſaltem proximè præcedens, in eiſdem laudabiliter vixerint, nec à Conuentibus Reformatorum amoueri valeant, niſi caſu, quo fuerint apud Obſeruantes inſtituti Guardiani, aut Nouitiorum Magiſtri. Diffinitorium eiuſdem Prouinciæ, poterit liberè eligere Guardianos pro Conuentibus Reformatis, etiam non expectata poſtulatione Reformatorum, ſed ſufficit quòd eligantur in Guardianos, non niſi Reformati, vt ſupra dictum eſt.

5 Miniſter Prouincialis eiuſdem Prouinciæ, ſi non poterit per ſe ipſum viſitare Conuentus Reformatorum, non mittet Viſitatorem aliquem, niſi ex ipſiſmet Reformatis, qui ſuo nomine, & authoritate viſitet.

6 Nec in Conuentibus Reformatis huiuſmodi, collocari debeant, niſi Reformati; & illi qui in victu, ac veſtitu, cæteriſque omnibus ſecundùm inſtitutum Reformatorum viuere velint, & poſſint, & non aliter.

Pro Indijs Occidentalibus.

Alternatiua in Prouincia no minis Ieſu confirmatur. 1. COnfirmatur alternatiua in Prouincia Nominis Ieſu de Guatimala, inter Patres Criollos ex vna parte, & Patres Cachupinos, & Filios Prouinciæ ex altera, quemadmodum in Capitulo Toletano anno 1645. celebrato, inſtituta eſt, ſicque ſeruari debet ſub pœna nullitatis aliter factorum.

Et in Prouincia de Quito. 2 Sub eadem pœna nullitatis confirmatur eadem alternatiua in Prouincia dę Quito, quemadmodum in eiuſdem Prouinciæ conſtitutionibus, & vtriuſque partis concordato ſtatuta, & admiſſa fuit.

5 Statutum Victorienſe, quod cauet, ne exprouinciales aliarum Prouinciarum di-

ditionis Regis Catholici, in proprias Prouincias reuerſi, gaudeant eiſdem honoribus, & iure ſubrogandi, quibus gauderent, vbi extiterunt Miniſtri; declaratur, quòd comprehendat eos dumtaxat, qui ſponte in Prouincias ſuæ Filiationis reuertuntur, non verò eos, qui eiuſdem Regis Catholici, aut Superiorum iuſſu ob publicum Ordinis honorem, vel commodum, coguntur in Prouincijs ſuæ Filiationis domicilium habere perpetuum. Hi enim, ne pro obedientiæ merito ſuppliciū reportare videantur, gaudebunt in Prouincijs ſuæ Filiationis eiſdem omninò honoribus, ac Iuribus, quibus gauderent, vbi Miniſtri extiterunt, hoc tantùm excepto, quòd inter Patres Prouinciæ, qui tunc temporis ſunt, aut in poſterum erunt, infimum locum tenebunt, in præcedentia, & ſubrogatione.

Custodes præsentes Capitulo generali ſint Patres Prouinciæ.

4 Cuſtodes omnes, qui ab Indijs ad Generale Capitulum acceſſerint, gaudeant in ſuis Prouincijs titulo, & præcedentia, cæteriſque omnibus honoribus, & exemptionibus à iure, vel conſuetudine Patribus Prouinciæ conceſſis, cum iure etiam ſubrogandi in Diffinitorio, non quidem pro Patribus digniori, & moderniori (quod omnino prohibetur) ſed pro Diffinitoribus. Ita tamen vt priùs ſubrogentur iſti, quàm Exdiffinitores, etiam habitu, vel electione antiquiores: atque hæc eadem per omnia, & ſingula conceduntur Indorum Prominiſtris, ſi tamen conſtiterit, eos in ſuis Prouincijs Diffinitores, aut Cuſtodes fuiſſe, aut Lectores iubilatos aut ſaltem alicuius Conuentus ex duobus præcipuis Prouinciæ, iuxta ſeriem Tabulæ Capitularis extitiſſe Guardianos. Et quia patres Indiani, qui ad præſens Capitulum conuenerunt, ſiue Cuſtodes, ſiue Prominiſtri, tam multa à Fidei hoſtibus perpeſſi ſunt in via, vt non; ſine magno animi dolore poſſint audiri, Capitulum Generale declarat, eos omnes, & eorum quemlibet poſſe, ac debere præfatis omnibus titulis, præcedentijs, ac Iuribus gaudere, ac ſi in proprijs Prouincijs Diffinitoriatum, aut Iubilationem fuiſſent adepti: quandoquidem iudicio Reuerendiſſimi cæterorumque Patrum, tot preſſuræ, labores, ac vitæ diſcrimina non debent ad præmia minoris exiſtimari, quàm cæteri gradus memorati.

Pro Indijs Orientalibus.

Et etiam pro miniſtri. Prouinciæ gubernent ſeipſas abſente Commiſſario

1 Statutum eſt in pleno Diffinitorio, ad lites illarū Prouinciarū eliminandas, quòd finito triēnio Commiſſarij vnaquaque dictarum illarum Prouinciarum, Miniſter videlicet cum ſuo Diffinitorio, vſque ad futuri Commiſſarij aduentum, à Reuerendiſſimo Superiore Generali miſſi, ſe ipſam gubernet independenter ab alia.

2 Si ex aliquo accidenti opportuno tempore non mitteretur Commiſſarius, ad huiuſmodi Prouincias viſitandas, vt moris eſt, & tempus Viſitationis Prouinciæ ſtatutum à Conſtitutionibus generalibus, cum celebratione Capituli immineret, vnaquęque Prouincia ex ſe ipſa, cū conſenſu Patrum eligere ſibi poterit Commiſſarium Viſitatorem, qui Prouinciam viſitet, cum omnimoda facultate, quam Viſitatores noſtri Ordinis de iure, & conſuetudine exercere ſolent; Qui quidem Commiſſarius Viſitator celebrato Capitulo Prouinciali nullam authoritatem habebit, ſed Miniſter Prouincialis electus cum ſuo Diffinitorio independenter Prouinciam gubernet. Si tamen Commiſſarius fuerit expeditus, vel in itinere detentus accidentaliter, expectari debet per duos menſes, & nihil in Prouincia innouari. Commiſſarijs ad huiuſmodi Prouincias in Indijs Orientalibus miſſis, poſſeſſio Commiſſionis non conferatur, niſi priùs ſui officij Patentes Originales exhibuerint, vel Miniſtro Prouinciali, vel ſaltem Guardiano primi Conuentus, vbi appulerint.

Quam etiam eligere quandoque poſſunt.

Eiuſq; facultas tractatur.

3 Diffinitorium Generale, Statuto Ordinis inhærendo prohibet in illis Prouincijs, Religioſum aliquem incorporari non poſſe, niſi ad hoc præcedat vtriuſque Prouincialis conſenſus.

Incorporatio qualiter facienda.

4 Præcipitur Prouincijs Portugalliæ, vt ſemper iuxta Statuta Ordinis opportuno tempore indicent Reuerendiſſimo Patri Miniſtro Generali, quatenus de Cōmiſſario Indiæ Orientalis ex illis partibus prouidere dignetur, vt ſi fieri poſſit, nouus Commiſſarius incipiat gubernare, quando antiquus ſuum triennium expleuerit.

Pro Anglia.

1 Commiſſum eſt Miniſtro Prouinciali Angliæ, vt Fratres Hibernos abſque legitima cauſa, & litteris obedientialibus in prædicta Prouincia commorantes compellat exire, authoritate Diffinitorij Generalis.

Miniſter abigat Hibernos ibi indebitè manentes.

Pro Belgio.

1 Miniſtri Prouinciales, & Cuſtodes Prouinciarum Saxoniæ, Datiæ, & Scotiæ inſtituti, & nomina-

Miniſtri quidam, & Cuſtodes ſunt ſolum titulares.

nati à Miniſtro Generali; iuxta diſpoſitionem Apoſtolicarum, & Ordinis Conſtitutionum, ac Religionis conſuetudinem, erunt tantummodo Titulares, & non niſi ad ſuffragandum in Comitijs Generalibus; ita vt peractis electionibus ceſſabit officium, & titulus.

2 Huiuſmodi autem Miniſtri, & Cuſtodes Titulares, non poterunt eligi in Diffinitores Generales; adſtantibus PP. Vocalibus Prouinciarum Germano Belgicarum, niſi ijdem titulares in dictis Prouincijs Germano-Belgicis officio Prouincialis, vel Cuſtodis Cuſtodum functi fuerint.

Pro Hibernis.

Poſſunt cum Generalis obedientia in alienis Prouincijs morari.

1 PAtres Hiberni, qui non ex leuitate animi, ſed hæreticorum potius Tirannide in odium Catholicæ Fidei exulare coguntur, à Miniſtris Prouincialibus noſtrarum Prouinciarum, benignè & charitatiuè recipiantur, & de Conuentibus, in quibus quietè viuere, & commodè morari valeant, prouideantur, ſi cum litteris obedientialibus Superiorum Generalium ad Prouincias diuerti contigerit; ſin minùs, detineantur in Prouincia, & in ipſa expectent diſpoſitionem Superioris Generalis, & aliter facientes, tanquam Apoſtatæ habeantur, & recludantur. Qui verò litteras obedientiales, & collocationem obtinuerint à Reuerendiſſimo Superiore Generali, in aliqua noſtrarum Prouinciarum, ex ipſa Prouincia exire non valeant, ſine noua licentia in ſcriptis Reuerendiſſimi Generalis, & aliter facientes tanquam Apoſtatæ puniantur.

Ibique in obitu conſuetis gaudeant ſuffragijs.

2 Religioſi verò huiuſmodi, ſi contigerit in extraneis Prouincijs, in quibus morantur, ex hac vita migrare, habeantur tanquam filij illius Prouinciæ, in qua obire contigerit, quoad Miſſarum, cæterorumque ſuffragiorum participationem, ita vt totidem pro quouis Religioſo defuncto celebrentur, quot de facto pro Filio Prouinciæ celebrantur.

Cōmiſſarius Curiæ Matritensis eorum peragat negocia. Poſſit tamen Generalis

3 Diffinitorium Generale negotijs, & indigentijs PP. Hybernorum prouidere deſiderans ſtatuit, quòd Cōmiſſarius Curiæ Matritenſis ſolerter, & cum diligentia ipſorum negotiorum expeditiones tractet, tam in Curia Regis, quàm apud Superiores Generales, nec vllus Procurator Nationis, pro huiuſmodi Reſidentia pro modò inſtituatur, & hoc pro bono gubernio, & pace illius Nationis, & ſi præſens eſt, aboleatur.

Procuratorē deſignare.

4 Si autem pro tempore videbitur Miniſtro Generali expedire, vt pro aliqua vrgenti cauſa huiuſmodi Natio Procuratorem habeat particularem in Curia Matritenſi, non niſi ab ipſomet Miniſtro Generali nominabitur, & per eius literas Patentes inſtituatur exemplaris Religioſus, & indifferens, duraturus non niſi ad triennium.

I V D I C E S,

Ad expulſionem incorrigibilium iuxta Apoſtolicas Conſtitutiones deſignantur.

Pro Familia Vltramontana.

1 Adm. R.P.F. Marcellinus Radaelli Diffinitor Generalis.
2 Adm. R.P. Fr. Bonauentura à Cluſa Diffinitor Generalis.
3 Adm. R.P. Fr. Franciſcus Statfeld Diffinitor Generalis.
4 Adm. R.P. Fr. Lucius à S. Iuſto Ordinis Pater.
5 Adm. R. P. Fr. Aſcanius ab Aſſiſio Ord. Pater.
6 R.P. Miniſter Prouinciæ Romanę pro tempore.

Pro Familia Ciſmontana.

1 Adm. R.P. Fr. Ioannes à Munieza Diffinitor Generalis.
2 Adm. R.P.F. Ioannes à Villamar. Diffinitor Generalis.
3 Adm. R.P. Fr. Andreas Houbercau Diffinitor Generalis.
4 Adm. R. P. Fr. Ludouicus Manis Diffinitor Generalis.
5 Adm. R.P. Fr. Franciſcus Gendt, Diffinitor Generalis.
6 R. P. Fr. Miniſter Prouinciæ Caſtellæ pro tempore.

Conuentus pro celebratione futuræ Generalis Congregationis intermediæ, Reuerendiſſimi P. Miniſtri Generalis diſpoſitioni relinquitur deſignandus.

Numerus Fratrum Defunctorum ab vltimo Capitulo Generali.

IN hoc Capitulo Generali, ex centum quadraginta, & vna Prouincijs Ordinis, ſolùm centum, & ſeptem habita fuerunt teſtimonia, in quibus conſtat, ab vltimo Capitulo Generali obijſſe ferè ſex millia Fratrum, ex quibus plures pro Chriſti

fide

fide propaganda mortem ſubierunt, & quorum animæ requieſcunt in pace.

Sequuntur Suffragia.

PRO Sanctiſſimo D.N.Alexandro VII. & pro eius incolumitate diuturna, à quolibet Sacerdote Ordinis tres Miſſæ celebrentur.

Pro Catholico Rege Philippo IV. Regina, Principe, & Regia prole, a quolibet Sacerdote duæ Miſſæ dicantur.

Pro Cæſarea Maieſtate, & Sereniſſimo Rege Hungariæ, & Auguſta prole duæ Miſſæ dicantur.

Pro Chriſtianiſſimo Rege, & Matre Regina Gallorum, à quolibet Sacerdote duæ Miſſæ celebrentur.

Pro Eminentiſſima Congregatione Cardinalium, à quolibet Sacerdote vna Miſſa dicatur.

Pro Eminentiſſimo D. Cardinali Franciſco Barberino Ordinis Protectore, à quolibet Sacerdote vna Miſſa dicatur.

Pro Excellentiſſimis DD. Comitibus de Chinchon Capituli, & Religionis Patronis, quorum beneficio expenſæ Capituli Generalis factæ ſunt, à quolibet Sacerdote vna Miſſa dicatur.

Pro proſpero ſtatu Ordinis, & Seraphicæ noſtræ Religionis, à quolibet Sacerdote vna Miſſa dicatur.

Pro fœlici ſtatu ſacri Ordinis Prædicatorum, à quolibet Sacerdote vna Miſſa celebretur.

Pro pace Principum Chriſtianorum, pro extirpatione hæreſum, Fidei propagatione, Victoria contra infideles, ac Eccleſiaſtici Status proſperitate, à quolibet Sacerdote dicantur duæ Miſſæ.

Ego Camillus Maximus Patriarcha Ieroſolimitanus Præſes Capituli.

Fr. Michael Angelus à Sambuca Miniſter Generalis.
Fr. Theodorus à Vicentia Procurator Generalis Ordinis.
Fr. Ludouicus à S. Iuſto Excommiſſarius Generalis Curiæ.
Fr. Ioannes à Pinarolio Procurator Reformatorum.
Fr. Marcellinus Radaelli Diffinitor Generalis.
Fr. Bonauentura de Cluſſa Diffinitor Generalis.
Fr. Michael Angelus à Neapoli Diffinitor Generalis.
Fr. Ioannes de Robles Commiſſarius Generalis.
Fr. Rochus à Villarejo Commiſſarius Curiæ Romanæ.
Fr. Bartholomæus à Villalba Exprocurator Generalis Ordinis.
Fr. Ioannes à Munieza Diffinitor Generalis.
Fr. Ioannes à Villamar Diffinitor Generalis.
Fr. Ludouicus Manis Diffinitor Generalis.
Fr. Fœlix à Setia Diffinitor Generalis.
Fr. Franciſcus Mancini Diffinitor Generalis.
Fr. Franciſcus Statfeldt Diffinitor Generalis.
Fr. Andreas Houbercau Diffinitor Generalis.
Fr. Franciſcus Gendt Diffinitor Generalis.
Fr. Gerardus Ioannis Diffinitor Generalis.

Confirmatio Apoſtolica Conſtitutionum Generalium Capituli Generalis Toletani celebrati die 8. Iunij MCDLVIII.

ALEXANDER PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD eximios, vbereſque fructus quos, dilecti filij Fratres Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia tam de Familia, quàm reformati nuncupati, in vinea Domini Sabaoth, cuius curæ, atque regimini ſuperni Patris familias prouidentia, meritis, licet imparibus præſidemus, in dies afferunt, mentis noſtræ aciem conuertentes ea, quæ pro fæliciori eorundem Fratrum gubernio in Capitulis præſertim generalibus ſtatuta, & ordinata ſunt, vt ab omnibus, quos illa concernunt, inuiolabiliter obſeruentur, Apoſtolici muniminis patrocinio libenter roboramus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Michael Angelus à Sambuca Miniſter Generalis totius Ord. Fratrum Minorum S. Franciſci, quòd in Capitulo Generali dicti Ordinis de anno 1658. in Ciuitate Toletana celebrato, diuerſæ conſtitutiones pro fœliciori Fratrum dicti Ordinis, tàm de Obſeruantia, quàm Refor-

Reformatorum nuncupatorum gubernio editæ fuerunt, quas pro inuiolabili earum obſeruatione Apoſtolicæ confirmationis robore communiri plurimùm deſiderat. Nos pijs d. Michaelis Angeli Miniſtri Generalis votis, quantum cum Domino poſſumus, annuere, illumque ſpecialibus, fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à Iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus eius nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Conſtitutiones prædictas in ijs tantum, quæ Sacris Canonibus, Concilij Tridentini decretis, cæteriſque conſtitutionibus, ſeu ordinationibus, ac decretis Apoſtolicis præſertim reformationem dicti Ordinis illiuſque Fratres Reformatos, ſeu Recollectos, vel Diſcalceatos nuncupatos quomodolibet concernentibus, & quandocunque editis non ſint contraria, Apoſtolica authoritate, tenore præſentium approbamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos tam iuris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet exorti fuerint, vel interuenerint, ſupplemus. Mandantes propterea in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub arbitrij noſtri, ac in Conſtitutionibus prædictis contentis pœnis, omnibus, & ſingulis fratribus prædictis, cæteriſque, ad quos ſpectar, & pro tempore quomodolibet ſpectabit, vt Conſtitutiones prædictas iuxta præſentium literarum noſtrarum tenorem inuiolabiliter obſeruent, decernentes irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, Ordinis prædicti etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis Statutis & conſuetudinibus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die vij. Iunij MDCLIX. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

G. Gualterius.

SANCTISS. D. N. ALEXANDRI PP. VII.

Conceſſio Indulgentiæ plenariæ Fratribus Strict. Obſeruanriæ S. Franciſci exercitijs ſpiritualibus per octiduum vacantibus.

ALEXANDER PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CVM ſicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Michael Angelus à Sambuca Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Miniſter Generalis in Capitulo generali eiuſdem Ordinis nouiſſimè Toleti celebrato, inter alia decretum fuerit, vt ſeceſſus, & ſpiritualia mortificationis, & orationis mentalis exercitia in omnibus Prouincijs Ciſmontanæ Familiæ Ordinis prædicti reaſſumantur, & illis Fratres earumdem Prouinciarum aliquoties ſingulis annis vacent, Nos, qui probè nouimus, quàntopere conducant exercitia huiuſmodi dirigendis in viam Domini, & confirmandis in illa Chriſtifidelium mentibus, deuotionem Fratrum memorati Ordinis, qui de ſuorum Superiorum licentia operi adeo pio, & ſalutari vacauerint, cœleſtium Eccleſiæ theſaurorum elargitione magis incitare volentes, de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis prædicti Ordinis Fratribus tam Clericis, quàm Laicis, ſeu conuerſis, qui in domibus Regularibus Prouinciarum prædictarum de ſuorum Superiorum licentia exercitia prædicta per octidui ſpatium quandocumq; peregerint, & interea temporis verè pœnitentes, & confeſſi ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, quoties id egerint, Plenariam omnium ſuorum peccatorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus in perpetuum valituris. Volumus autem, quòd ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione præſentium aliquid vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, eædem præſentes nullæ ſint eo ipſo, quòdque earundem præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu Notarij publici, vel Secretarij dicti Ordinis ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, vel Miniſtri Generalis prædicti Ordinis munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die xi. Iunij MDCLIX. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

G. Gualterius.

DECRETA NONNVLLA à Sacris Congregationibus emanata,

Quomodo ſit eligendus Commiſſarius ad Comitia Generalia mittendus.

1 EMinentiſſ. & Reuerendiſſ. Signori. *Il Miniſtro Prouinciale de Minori Oſſeruanti Riformati di queſta Prouincia Romana, humilmente ſupplica l'EE. VV. dichiarare à chi ſpetti il proporre Commiſſario da eleggerſi, ò per reſtare al gouerno della Prouincia, ò per andare al Capitolo Generale à portare il voto in luogo di eſſo Oratore, e ſe ſi poſſa eleggere à voti publici, ò per ballottatione; ò vero ſe ſi debba eleggere per ſchedulas, nemine proponente. Che il tutto, &c.*

Sacra Congregatio S.R.E. Cardinalium negotijs, & Conſultationibus Epiſcop. & Regular. præpoſita cenſuit non licere procedere ad electiones Commiſſariorum huiuſmodi, niſi per ſchedulas, & vota ſecreta, ac per pluralitatem votorum nemine proponente, & ita ſemper ſeruari mandauit in omnibus Prouincijs præfati Ordinis Reformatorum. Romæ 27. Ianuarij 1645.

M.Card.Ginettus.

Loc. † ſigilli.

H. Archiepiſcopus Patracenſis Secr.

Quòd Miniſter Prouincialis, Præſide non interueniente, in Definitorijs Prouincialibus, votum deciſiuum habeat.

2 SAcra Congregatio S.R.E. Cardinalium negocijs, & Conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita, ad euitandam paritatem ſuffragiorum, quæ ex numero pari ſex vocalium, quibus Definitoria Prouincialia conſtant, tam in electionibus faciendis, quàm in negocijs decidendis oriri poteſt, Miniſtris Prouincialibus, deficiente Præſide, in huiuſmodi caſibus votum deciſiuum conceſſit. Dat. Romæ 13. Martij 1653.

M.Card.Ginettus.

Loco † ſigilli.

H. Archiepiſcopus Patracenſis Secr.

Quòd vacatio ſexennij ad electionem Miniſtri Prouincialis, & Diffinitorum, intelligatur de annis Capitularibus.

3 EMinentiſs. & Reuerendiſs. Signori. *Per rimouere le difficoltà, che nelle Prouincie de Minori Oſſeruanti Riformati occorrono nella reelettione de ſoggetti in Miniſtri, Cuſtodi, e Diffinitori, de quali in virtù d'vna Conſtitutione della ſanta memoria di Gregorio XV. che comincia, Militantis, &c. ſi dice, Fratres prædicti, qui officio Miniſtri Prouincialis, Cuſtodis, ac Diffinitoris functi ſunt, nullo modo poſſint reeligi, niſi ſexennio tranſacto, & anco in vigore di due decreti della Sacra Congregatione emanati ſotto li 2. di Giugno, e l'altro ſotto li 7. Luglio 1651. ſupplica humilmente l'EE. VV. il Commiſſario Generale del medeſimo Ordine à degnarſi di dichiarare, che la preſcritta vacanza s'intenda d'anni Capitolari, e non ſolari, come con molte ragioni rappreſenta l'Oratore in vn foglio ſeparato all'EE. VV. Quas Deus, &c.*

Sacra Congregatio S.R.E. Cardinalium negotijs, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita cenſuit, præinſertam Conſtitutionem Gregorij XV. cum prædictis decretis intelligendam eſſe de annis Capitularibus, itaut tempus intercedens duo Capitula ſit integra vacatio in eadem Conſtitutione præſcripta. Romæ 9. Maij 1653.

M.Card.Ginettus.

Loco † ſigilli.

H. Archiep. Patracen. Secr.

Quòd in ſubrogationibus non requiratur vacatio ſexennij.

4 SAcra Congregatio S.R.E. negocijs, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita re maturè perpenſa cenſuit, & declarauit, vacationem ſexennij à die expleti officij ſtatutam in Breui ſan. mem. Gregorij XV. emanato ſub die 22. Februarij 1622. non habere locum in ſubrogationibus, quas ad præſcriptum Conſtitutionum Ordinis fieri contingit. Dat. Romæ hac die 17. Nouembris 1651.

M.Card.Ginettus.

Loco † ſigilli.

M. Albericius Secr.

Quomodo in Prouincijs ſtrictioribus vacatio ſexennij reſtringatur ad triennium.

5 CVM à Sacra Congregatione S.R.E. Cardinalium negocijs, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita ſub die 2. Iunij 1651. fuerit declaratum, vacationem ſex annorum in officijs Miniſtri Prouincialis, Cuſtodis, & Diffinitoris Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia aliàs à ſan. mem. Gregorij XV. ſtatutam in ſuo Breui emanato

nato ſub die 22. Februarij 1622. intelligendam eſſe à die expleti officij; ne propterea in Prouincijs ſtrictioribus, in quibus ex Conſtitutionibus Ordinis duodecim dumtaxat Fratres aſſignantur, ex quibus Cuſtos, & Definitores actuales ſunt eligendi, electiones huiuſmodi adeo arctatæ remaneant, vt ſufficiens numerus minimè ſuperſit, ad eas, qua par eſt libertate, peragendas; Eadem Sacra Congregatio inſtante Commiſſario Generali eiuſdem Ordinis, decreuit, vt quotieſcumque ſupradictis Fratribus, aliiſque altioris Ordinis, quibus vigore earumdem Conſtitutionum ius paſſiuum ad electionem competit, non ſuperſunt ſaltem ſeptem, inter quos electio cadere valeat, eo caſu poſſint etiam eligi reliqui, qui per ſolum trienninm vacauerint. Dat. Romæ 14. Ianuarij 1653.

M. Card. Ginettus.

Loco † ſigilli.

M. Albericius Secr.

Quòd ſi contingat Miniſtrum Prouincialem, primo ſui officij anno vacare, fiat electio ſucceſſoris, cum quo debeant continuare triennium alij Prouinciæ Superiores, atque Officiales, qui cum primo Miniſtro fuerant electi.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

6 CReditum humilitatis noſtræ, meritis licet inſufficientibus, per ineffabilem Diuinę ſapientię prouidentiam Apoſtolicæ ſeruitutis officium iugiter nos admonet, vt Chriſti fidelium ſub ſuaui Religionis iugo, diuini Numinis obſequijs famulantium fœlici ſtatui, atque directioni, quantum cum Domino poſſumus, opportunè conſulamus. Hinc eſt, quòd nos ſupplicationibus dilecti filij Bernardini de Senis, Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia Miniſtri Generalis, nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati; Quòd de cætero perpetuis futuris temporibus, ſi vllum dicti Ordinis Miniſtrum Prouincialem, primo ſui officij anno ab hac vita decedere, ſiue idem officium, ex quauis cauſa vacare, ſeu ceſſare contigerit, Miniſter Prouincialis tunc recens electus, ſeù deputatus, vnà cum alijs eiuſdem Prouinciæ Superioribus, atque officialibus, in ſuis huiuſmodi officijs, ad triennium continuet, & continuare debeat, Apoſtolica authoritate, tenore præſentium ſtatuimus, atque ordinamus. Decernentes, præſentes litteras ſemper, & perpetuò valituras, firmas, & efficaces exiſtere, ab omnibuſque dicti Ordinis Fratribus inuiolabiliter obſeruari, ſicque & non aliter per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores vbique iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum omnium, tenore præſentium pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die 13. Augusti 1625. Pontificatus noſtri anno tertio.

V. Theat.

Quòd Epiſcopus in electione Abbatiſſæ Monialium exemptarum non poſſit exquirere, ſeù recipere vota ſuffragantium.

7 DIE decima Septembris 1639. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum cenſuit, Epiſcopum in electione Abbatiſſæ Monaſterij Monialium Regularibus ſubiectarum non poſſe exquirere, ſeù recipere vota Monialium, ſed illa exquiri, & recipi debere à Superiore Regulari, ſciente tamen, & audiente eodem Epiſcopo.

I. B. Card. Pamphilius.

Loco † ſigilli.

F. Paulutius Sac. Cong. Conc. Secr.

Quòd Mendicantes, non poſſint in quærendis eleemoſynis ab Epiſcopis impediri.

8 SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum cenſuit, Fratres Ordinum Mendicantium nequaquam poſſe ab Epiſcopis prohiberi, quominus per ſeipſos in Diœceſibus, vbi habent Conuentus eleemoſynas quærant, ſed tantùm ſi extra loca, vbi Monaſteria exiſtant, quæritare voluerint, teneri ſuorum Superiorum licentiam Ordinario oſtendere.

R. Card. Vbaldinus.

Loco † ſigilli.

P. Fagnanus S.C.C. *Secr.*

Quòd prætenſæ electionis Diſcretorum Conuentuum pro Capitulo Prouinciali, perpetuum ſilentium imponatur.

9 SAcra Congregatio Eminentiſſimorum S.R.E.Cardinalium negocijs, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, viſis ſupplicibus libellis, nomine plurimorum Fratrum, tum de Obſeruantia, tum Reformatorum Sancti Franciſci Ciſmontanæ Familiæ inſtantium pro reſtitutione aſſertæ conſuetudinis eligendi Vocales, ſeu Diſcretos à Conuentibus mittendos ad Capitula Prouincialia; Auditiſque ſæpius in particulari Congregatione Patribus Commiſſarijs Generali, & Curiæ, nec non Procuratore Generali Reformatorum, partibuſque hinc inde tam verbo quàm ſcripro informantibus, cum omnibus, pro vtraque earum deductis, & poſtmodum toto negotio in plena Congregatione, Eminentiſſimo Pallotto referente, diligenter, & maturè diſcuſſo, cenſuit, in Prouincijs Ciſmontanis, tam Obſeruantiæ, quàm Reformatorum non eſſe locum prætenſæ Diſcretorum electioni, ac proindè imponendum eſſe deſuper perpetuum ſilentium (facto verbo cum Sanctiſſimo) Decreto fel.recordat.Innocentij X. cæteriſque contrarijs non obſtantibus quibuſcumque. Quam ſententiam Sacræ Congregationis eidem Sanctiſſimo D. N. relatam, Sanctitas Sua approbauit, eamque ſeruari, & Decretum deſuper expediri mandauit. Romę 23. Octobris 1657.

M.Card.Ginettus.

Loco ✝ ſigilli.

E.Epiſcopus Camerinen.Secr.

Quomodo Fratres Minores de Obſeruantia ſint capaces legatorum perpetuorum.

10 SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, aliàs cenſuit Fratres Minores Obſeruantes eſſe capaces legatorum in pecuniâ ad effectum conuertendi, in neceſſitates Eccleſiæ, & Conuentus.

D.Cardinalis Vbaldinus.

F.Paulutius, Sac.Cong.Conc.Secr.

Congregatio Concilij cenſuit tam legatum rerum immobilium, factum Fratribus Ordinis Minorum de Obſeruantiâ; quàm inſtitutionem hæredis, factam ſub modo licito, bona nempè, vt vendantur, & pretium conuertatur in neceſſitates Eccleſiæ, validam eſſe. Idemque eſſe, ſi modus non fuiſſet adiectus, cum ſuo modo licito, ſemper legatum, & inſtitutio illis facta intelligatur. Ita eſt

A.Card.Caraffa.

Quòd Epiſcopi non limitent auctoritatem Confeſſariorum ad certas perſonas, & tempus, & ſpecialiter ad ægrotos in domibus eorum, & quibus in caſibus eoſdem ſuſpendere poſſint.

11 SAcra Congregatio Concilij Tridentini Interpretum cenſuit, quòd Regulares, qui, quoad Confeſſiones audiendas, idonei generaliter ab Ordinarijs, eorumque examinatoribus reperti, & probati fuerint, generaliter quoque, & indiſtinctè, abſque aliqua limitatione temporis, certorumuè locorum, aut generis perſonarum admittantur in Diœceſi propria, de cæteris, qui non adeo idonei reperiuntur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum, relinquitur ipſos cum limitata facultate, prout eiſdem Ordinarijs magis expedire videbitur, probare, & admittere. Qui autem in domibus laicorum, Confeſſiones, ex cauſa, audierint, ſtatim Parochum admonere teneantur, & fidem auditæ Confeſſionis, pro Medico adueniente, relinquere. Romæ die ſecunda Iulij milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo.

12 Cum Sacræ Congregationi Cardinalium, negocijs Epiſcoporum, & Regularium Præpoſitorum innotuerit, Confeſſarios Regulares grauiter conqueri, quòd ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, & locorum Ordinarijs ab audiendis Confeſſionibus quauis de cauſa indiſcriminatim ſuſpendantur, & propterea ſæpe contingere, vt ab iiſdem Archiepiſcopis, Epiſcopis, & locorum Ordinarijs omnibus ſimul vnius Conuentus Confeſſarijs confeſſiones audiendi facultas adimatur; Illuſtriſſimi eiuſdem Sacræ Congregationis Patres, rati vix fieri poſſe, vt hæc ſine ſcandalo, magnaque Animarum pernicie contingant, re maturè perpenſa, ad omnem ſcandali materiam ſummouendam, & quo magis ſpirituali piarum mentium conſolationi conſulatur, ſtatuunt, ac decernunt, Archiepiſcopis: Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinarijs, ad quos Confeſſarios approbandi ius ſpectat, Confeſſarios Regulares, aliàs ab ipſis liberè approbatos, ab andiendis confeſſionibus ſuſpendere poſthac minimè licere, niſi ex noua cauſa, eaque ad confeſſiones ipſas pertinere, aut ob non ſeruatum interdictum ab ipſis Ordinarijs poſitum. Statuunt

in-

inſuper eoſdem Archiepiſcopos, Epiſcopos, locorumque Ordinarios Confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul vnius Conuentus Regularibus Confeſſarijs, eadem Sacra Congregatione inconſulta: nullo pacto adimere poſſe. Quod quidem Decretum, vt ijdem Illuſtriſſimi Patres opportunum, neceſſarium duxerunt, ita inuiolabiliter iubent obſeruari. Romæ die 20. Nouembris 1615.

A.Mar.Epiſc.Hoſtien.Card.Gallus.

Locus ✝ ſigilli.

V.Theatin.Secret.

13 Sacra Congregatio Cardinalium negocijs Regularium præpoſita, inhærens declarationibus aliàs deſuper editis, cenſuit, Regulares prædictos à locorum Ordinarijs ad audiendas perſonarum ſæcularium confeſſiones approbatos, non poſſe ab eiſdem Ordinarijs prohiberi, ne earumdem perſonarum ægrotantium in proprijs illarum domibus confeſſiones audire poſſint abſque licentia Parochorum; dummodo relinquant ſchedulam, vel notificent ipſis Parochis, quòd pœnitentiæ Sacramentum huiuſmodi fuerit ab eis miniſtratum. Romæ die 13. menſis Septembris 1641.

Fr.Ant.Card.S.Honuphrij.

Locus ✝ ſigilli.

L.Archiep.Theb.Secr.

Reſponſiones Sacræ Congregationis ad quædam dubia.

14 Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S.R.E. Cardinalium negocijs, & conſultationibus Regularium præpoſita, viſis infraſcriptis dubijs per Miniſtrum Generalem Ordinis Minorum Sancti Franciſci tenoris ſequentis videlicet.

Primo Summi Pontifices, & præcipuè, Paulus IV.& Gregorius XIII.vt certius officiorum in Religione tempus ſtabilirent eorum perpetuitatem penitus ſuſtulerunt, ſed fruſtra; Prouinciales enim exacto ſui miniſterij triennio, ſi contingat ſucceſſorem diſcedere à Prouincia, vel è viuis excedere, in Commiſſarios, ſeù Vicarios Prouinciales ſe ſe aſſumi procurant; tametſi ad ſexennium dignitatibus vacare deberent, atque adeò non deſunt, qui in octo annos, & vltra Miniſtri, vel Vicarij, aut Commiſſarij Prouincialis titulo Prælaturam extendunt; Conſtitutionum verba pro ſuo libito interprætantes. Quare, vt huiuſmodi continuatio enitetur, ſupplicantur EE. VV. decernere, An & quanto tempore vacare debeant Miniſtri, antequam in Vicarios, ſeu Commiſſarios Prouinciales, Vicarij in Miniſtros, & Vicarij in Commiſſarios, ſeu Vicarios Prouinciales eligi poſſint, vbi dictum munus per duos annos obierint.

Secundò. In quadam Hiſpaniæ Prouincia, vltimus Prouinciæ Pater, qui vigore Bullæ ſanct.mem.Vrbani VIII. ingrediendi Diffinitorij facultatem habet, intrare tamen recuſauit, eum in finem, vt Patri ſibi in primis charo (cuius erat in aliorum defectum ſubrogati) ad honorem ſterneret viam. Defuncto paulò poſt ex Deffinitoribus vno, idem Prouinciæ Pater, qui ſuis iuribus renunciauerat, in vacantis locum admitti præſumpſit. Quæritur, an is, qui renunciauit, tamquam Modernus Prouinciæ Pater ſubintrare valeat in locum deficientis, cum dubitari poſſit de colluſione.

Tertiò. Nonnulli Prouinciales eò Dominij, & auctoritatis deuenerunt in ſuis Prouincijs, vt in Diffinitores, ſuis tantummodo factionibus adhærentes, & plerumque malæ notæ Religioſos, eligendos curent. Vnde conſequitur, quòd, quando in actu viſitationis, errores, & defectus, ſine in Miniſtro, ſiue in aliquo ex Diffinitoribus, vel eorum amicis deteguntur, ad debitas pœnas, & punitionem non procedatur, cum ipſorummet Diffinitorum ſit cauſas iudicare. Propterea EE.VV.declarare dignentur, An ſtante diffidentia Iudicum poſſit Generalis addere Diffinitorio quatuor, vel ſex eiuſdem, vel alterius Prouinciæ approbatos Patres, qui ſint Coniudices in cauſis taliter Inquiſitorum, vel potiùs ad eradicandos huiuſmodi abuſus excludere à voce paſſiua Religioſos grauiſſimis de cauſis inquiſitos; quamuis nondum per ſententiam damnatos. Eiſdem examinatis, & maturè perpenſis.

Reſpondit ad primum. Neque Vicarium Prouincialem in Miniſtrum, neque Miniſtrum in Vicarium, vel Commiſſarium Prouincialem, neque Vicarium in Commiſſarium, aut Vicarium Prouincialem eligi poſſe, niſi ſaltem per integrum triennium ab huiuſmodi officijs vacauerit. Aliter electos ceſſare debere, à notificatione præſentium.

Ad ſecundum. Ceſſiones, ſeu renunciationes fieri non poſſe, niſi cum expreſſione cauſæ à Deffinitorio cognoſcendæ & approbandæ. Cauſa autem ſemel admiſſa, eaque durante ad huiuſmodi officia, neque per electionem, neque per ſubrogationem, aut quamcumque aliam viam, reſignantes, ſeù cedentes aſſumi poſſe, aut munia prædicta exercere.

Ad

Ad Tertium. Tam in caſu ſuſpicionis Iudicum (quando eſt proferenda ſententia) quàm in caſu publicæ diffamationis Inquiſitorum, iuxta cap.4. de Accuſ. (quando cauſa ante electiones expediri non poteſt) procedendum eſſe ſecundùm diſpoſitionem Iuris communis, vbi Conſtitutio particularis eiuſdem Ordinis non prouideat. Romæ 20.Nouembris 1654.

M.Card.Ginnettus.

H. Archiepiſcopus Patracenſis Secr.

Quòd abſolutio à Reſeruatis, inter Regulares, competat tantummodo Generali, & Prouinciali, & quibus ab eis delegatur.

15 IN Congregatione Adm. Illuſtrium, & RR.PP.RR. Prælatorum Viſitationis Apoſtolicæ, Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ. Die 13.Martij 1601. habita; Inter alia. Al memoriale del Padre Cuſtode de'Reformati di San Franceſco; la Santità ſua dichiara, ch'il Decreto ſuo ſopra la reſeruatione de'caſi de'Religioſi, fatto alli 26. di Maggio 1593. non diſpone, ne determina, à chi ſpetti l'autorità d'aſſoluere da detti Caſi, rimettendoſi in queſto alle Conſtitutioni, vſo, & oſſeruanza commune, delle Religioni, ch'il Generale, e Prouinciale habbino queſt'autorità ordinaria, e non li Guardiani, e Priori, Superiori immediati de'Conuenti. Do- ranno però detti Prouinciali de'Conue- e Generale communicare detta facoltà in ciaſchedun Conuento à perſona Diſcreta, & intelligente, per aſſoluere i Religioſi di quel Conuento, che faranno ricorſo; ò vero nelli caſi particolari, ch'occorreranno, concedere la facoltà à ciaſcuno Confeſſore, deputato in detto Conuento, quando eſſo Confeſſore ne faccia iſtanza, e giudica ſpediente ſe gli conceda; nel qual caſo li Superiori, anco Delegati, doueranno prontamente concederla, conforme al detto Decreto Pontificio, perche negandoſi, la Santità Sua intende, ch'il Confeſſore poſſa aſſoluere da detto caſo, &c. Loco † ſigilli. Iacobus Butius Canonicus Lateranenſ. Viſitationis Apoſtolicę Sanctiſſimi Domini Noſtri Notarius, &c.

Quòd ſi Definitor poteſt electionibus conuenire, & tamen recuſat, non eſt facienda ſubrogatio alterius in eius locum.

EMINENTISS. e REVERENDISS. SIG.

16 *IL Miniſtro Prouinciale de' Minori Oſſeruanti Riformati di Milano, deſiderando che l'elettioni de'Superiori nella ſua Religione ſi faccino ſempre in conformità delle proprie Conſtitutioni, e de i Decreti di queſta Sacra Congregatione, ſupplica humilmente l'EE.VV. à degnarſi dichiarare, ſe ne i caſi, che alcuni Diffinitori preſenti, ancorche intimati à concorrere all'elettioni, ricuſino d'interuenirui, ſi debbano all'hora, in lor vece, ſoſtituire degl'altri Padri della Prouincia, conforme le Conſtitutioni Riformate ordinano, cap.8. num.51. che ſi facci quando manca alcuno de' Diffinitori, che non ſi poſſi hauere per lo ſpatio di tre giorni. Che il tutto, &c.*

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S.R.E.Cardinalium negocijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium Prępoſita, audito Commiſſario Generali Ordinis, & referente Eminentiſſ. Franciotto cenſuit, caſum propoſitum non compręhendi ſub diſpoſitione c.8.n.51.Conſtitutionum, quoad prętenſā ſubrogationē. Romę 6.Aug. 1655.

M.Card.Ginnettus.

Loco † ſigilli.

H. Archiepiſcopus Patrac. Secr.

MONITORIVM A.C pro obſeruantia Decretorum ad Sepulturam ſpectantium.

Octauianus Raggius Prothonotarius Apoſtolicus Vtriuſque Signaturæ S. D. N. Papæ Referendarius, necnon Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generalis Auditor, Romanaeque Curiæ Iudex ordinarius: ſententiarum quoque, & cenſurarum tam in eadem Romana Curia, quàm extra eam latarum, ac litterarum Apoſtolicarum quarumcumque vniuerſalis, & merus exequutor ab eodem Sanctiſſ. D. N. Papa ſpecialiter electus, & deputatus.

VNIVERSIS, & ſingulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Scolaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurarijs, Sacriſtis, Parrochialiumq; & Collegiatarum Eccleſiarum, Rectoribus, ſeu Locumtenentibus earum, Plebanis, Viceplebanis, Curatis, vel non Curatis, cæteriſq; Presbyteris, necnon Clericis, Notarijs, & Tabellionibus quibuſcumq; illiq; vel illis ad quem, vel ad quos præſentes noſtræ litteræ peruenerint, ſeu quomodolibet præſentabuntur ſalutem in Domino, & noſtris huiuſmodi, imò veriùs Apoſtolicis firmiter obedire mandatis. NOVERITIS ex parte & ad inſtantiā RR. Fratrum Sancti Franciſci Minorum, & ſtrictioris Obſeruantiæ, ac quorumcumque eorumdē RR. Fratrum Conuentuum in quibuſuis mundi partibus exiſten. principalium inſtātium Decretum Sacræ Congregationis Rituum de, & ſuper declaratione quòd offi-

cium

ciũ ſuper Cadaueribus in Eccleſijs Regularium ſpectet ad ipſos Regulares, ad ſupplicationem dictorum inſtantium emanatum ſub die 27. Nouembris 1638. Nobis præſentatum fuſſe ſub infraſcripto tenore videlicet. Sacra Rituum Congregatio iuxta aliàs reſoluta reſpondit, officium ſuper Cadaueribus in Eccleſijs Regularium ſpectare, & pertinere ad ipſos Regulares, non autem ad Curatos defunctorum, & ita in poſterũ ſeruari mandauit non obſtante contraria conſuetudine. Die 27. Nouembris 1638. C. Epiſcopus Portueñ. Cardinalis Pius, Iulius Cincius Secretarius; Loco † Sigilli. Necnon pariter aliud decretum Sacræ Congregatio nis Eminentiſſimorum DD. Cardinalium negocijs Epiſcoporum Præpoſitæ ad ſupplicationes pariter eorumdem RR. inſtantium emanat. die 14. Ianuarij 1639. de, & ſuper eo quod defunctorum cadauera ſepelienda ab Aedibus defunctorum ad eorumdem Fratrum Eccleſias recto tramite deferri licitè poſſunt nobis præſentatum pariter fuiſſe ſub infraſcripto tenore videlicet. Sacra Congregatio Cardinalium negocijs Epiſcoporum, & Regularium præpoſita cenſuit defunctorum Cadauera in Eccleſijs dictorum Fratrum ſepelienda ab Aedibus Defunctorum ad eorumdem Fratrum Eccleſias recto tramite deferri licitè poſſe, monito tamen prius, & requiſito, ac expectato proprio Defunctorum Parrocho, à quo Benedictionem, & vltimum vale recipere poſſint, quo venire expreſsè recuſante poſſint ijdem Fratres etiam ipſo inuito dicta Cadauera ad ſuas Eccleſias tranſportare. Conſanguinei verò talium defunctorum illis parentare in Parrochialibus, & alijs Presbyterorum etiam Cathedralibus Eccleſijs compelli nullo modo poſſint, ſi quę verò immemorabilis conſuetudo in contrarium ſuper præmiſſis exiſtere prætẽdatur, legitimè probetur, & interim præſens Decretum ad vnguem ſeruetur. Prout eadem Sacra Cõgregatio ſeruari mandauit. Romæ die 14. Ianuarij 1639. Card. Antonius Barberinus, C.Fachenettus. Loco † Sigilli. Necnon aliud Decretum Eminentiſſimorum DD. Cardinalium Sacri Concilij Tridentini Interpretum de, & ſuper Declaratione, quòd quoties Cadauera Defunctorum, & alia quę in huiuſmodi miniſterio adhiberi ſolent ab ipſiſmet Fratribus peragi debeant ad inſtantiam eorumdemmet RR. Fratrum pariter editum die 3. Decembris 1639. Nobis præſentatũ fuiſſe ſub infraſcripto tenore videlicet. Die 3. Decembris 1639. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, cenſuit, quoties Cadauera Defunctorum ad Eccleſias Fratrum Mendicantium deferuntur, Officia mortuorum, & reliqua quæ in huiuſmodi miniſterio adhiberi ſolent, non à Canonicis, neque à Clero, ſed à Fratribus obiri, & peragi debere. I. B. Cardinalis Pamphilius, Franciſcus Paulutius Sacræ Congregationis Concilij Secretarius. Loco † Sigilli. Necnon aliud decretum Sacræ Congregationis Rituum ſub die 14. Ianuarij 1640. ad ſupplicationem dictorum RR. FF. inſtantium emanatum ſub eo quod electio, & numerus Religioſorum pro aſſociandis Cadaueribus ad libitum hæredum defunctorum ſpectet Nobis præſentatum fuiſſe ſub infraſcripto tenore videlicet. SACRA Rituum Congregatio iuxta aliàs reſolnta reſpondit, electionem, & numerum Religioſorum pro aſſociandis Cadaueribus ad libitum hæredum defunctorum ſpectare, & pertinere, & ita vbique ſeruari debere declarauit. Die 14. Ianuarij 1640. P. Cardinalis Creſcentius. Iulius Cincius Secretarius. Loco † Sigilli. POST quorum quidẽ præinſertorũ Decretorum præſentationem ex parte, & ad inſtantiam dictorum RR. Fratrum inſtantium coram Nobis infraſcripta die comparitum, & expoſituin extitiſſe, quòd licèt ex forma præinſerrorum Decretorum officia ſuper Cadaueribus in Eccleſijs ipſorum RR. Fratrumcelebranda ad ipſos RR. Fratres ſpectent, & pertineant, non antem ad Curatos defunctorum, ac etiã pariter ijdemmet RR. Fratres inſtantes poſſint, & valeant de functorum cadauera in ipſorum Eccleſijs ſepelienda ab Aedibus defunctorum ad eorumdem Fratrum Eccleſias recto tramite deferre ſeruata ad hoc præinſerti ſecundi Decreti forma. Ac etiam ex forma tertij Decreti præinſerti officia mortuorum, & reliqua, quæ in huiuſmodi miniſterio adhiberi ſolent, non à Canonicis, neque à Clero, ſed à Fratribus prædictis peragi debeant: ac etiam ex forma quarti præinſerti Decreti electio, & numerus Religioſorum pro aſſociandis Cadaueribus ad libitum hæredũ defunctorum ſpectet, & prtineat, præinſertaque Decreta inuiolabiliter obſeruari, debitæque exequutioni abſque vlla contradictione in omnibus, & per omnia, ac iuxta eorum tenorem, & formam debeant, tamen ad eorum au res deueniſſe aſſertum extitit, quòd nonnulli in exequutione præſentium nominan. & cognominan. neſcitur quo iure ducti, qua ratione ſuffulti iactarunt, & iactant ſe velle præfatos RR. FF. inſtantes, contra formam præinſertorum Decretorum, ac in eorum contemptum, de & ſuper præmiſſis in partibus moleſtare,

&

& inquietare, & forſan moleſtant, ideo ad nos, vt exequutorem eorundemmet Decretorum recurſum habuerũt, vt de opportuno iuris remedio prouidere dignaremur. Nos igitur attendentes, requiſitionem huiuſmodi fore iuſtam, rationique conſonam, Vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, & veſtrum cuilibet in ſolidum tenore præſentium committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ ſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ſtatim viſis, ſeu receptis præſentibus: & poſtquam vigore præſentium fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrũ fuerit requiſitus ex parte noſtra, imò veriùs Apoſtolica authoritate, necnõ ad omnem inſtantiam, quę vobis omnibus ſingulis ſupradictis, & veſtrum cuilibet fiet ex parte cuiuſuis Conuẽtus dictorum fratrum Moneatis, & requiratis primo, ſecundo, tertio, & peremptorio termino, ac monitione canonica, prout Nos etiam monemus, & requirimus omnes, & ſingulos prædictos in exequutione præſentium nominan. & cognominan. tàm coniunctim, quàm diuiſim, & aliàs omni meliori modo, quatenus infra ſex dierum ſpatium, quorum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos pro tertio vltimo, & peremptorio termino, ac monitione canonica aſſignamus, & vos aſſignetis eiſdem ſub mille ducatorum auri in auro R. Cameræ Apoſtolicæ applican. & pro illis mandati exequutiui, ſuſpenſionis à diuinis, priuationis beneficiorum, inhabilitatis ad illa, & alia impoſterum obtinenda, ac in iuris ſubſidium, quatenus opus ſit, excommunicationis, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, ſi ſecus &c. debeant, & quilibet eorum debeat præinſertis Decretis in omnibus, & per omnia obtemperaſſe, dictaq; præinſerta Decreta fore, eſſe exequenda, debitæque exequutioni demandanda, ipſoſque in iuris ſubſidium excommunicandos, & declarandos fore, & eſſe ob non paritionem illorum, ac niſi illis paruerint declarari vidiſſe, ac de omnibus damnis, expenſis, & intereſſe præmiſſorum occaſione quomodolibet paſſis, & factis, & in futurum forſan faciendis, & patiendis integrè ſatisfeciſſe, & in illis ſe condemnari vidiſſe, & quaſcumque ſententias etiam declaratorias, Decreta, ſeu mandata in præmiſſis neceſſaria, & opportuna, aliaque de iure quomodolibet requiſita fieri, ferri, & decerni, & relaxari audiuiſſe ad fauorem pręfatorũ RR. FF. inſtantium deducentium in præmiſſis omne ius, omneque remedium prædicto, & omni alio meliori modo, ſibiq; ius, & iuſtitiam miniſtrari petentium, ac nobile officium Iudicis, & beneficium iuris implorantium non ſolũm præmiſſo, verum etiam omni alio meliori modo, &c. Et inſuper Inhibeatis eiſdem, prout Nos tenore præſentium inhibemus, & inhibendo expreſsè præcipimus, & mandamus, ne viſis, & receptis præſentibus ſub pœnis, & cenſuris antedictis audeant, ſeu præſumant, aut aliquis ipſorum audeat, ſeu præſumat quidquã contra formam præinſertorum Decretorum innouare, ſeu attentare, aut innouari facere ſub quouis prætextu, cauſa, ingenio, vel quęſito colore, qnòd ſi ſecus factum fuerit, id totum reuocare, & in priſtinum ſtatum reducere curabimus iuſtitia mediante. ALIOQVIN prædictos ſic monitos, ſi in præmiſſis ſe fore grauatos ſenſerint, modo, & forma præmiſſis peremptoriè citetis, & citari curetis, prout nos, etiam citamus eoſdem quatenus decimaquinta die poſt præſentium exequutionem, ſi dies ipſa iuridica fuerit, aloquin prima die iuridica ex tunc proxima immediatè ſequente compareant Romæ in iudicio legitimè coram nobis, vel noſtro in Ciuilibus cauſis R.P.D. Locumtenente infraſcripto cauſam eorum grauaminis allegaturi, aliaque dicturi, & facturi, prout iuſtitia ſuadebit, & ordo dictauerit rationis. Certificantes eoſdem ſic monitos, & citatos, quod ſiuè in dicto citationis termino comparuerint ſiue non. Nos nihilominus, vel Locumtenens noſter præfatus ad præmiſſa, & alia grauiora iuris, & facti remedia procedemus iuſtitia mediante, eorundem citatorum contumacia, vel abſentia in aliquo non obſtan. Abſolutionem verò omnium, & ſingulorum pręmiſſorum, nobis, vel Superiori noſtro tantummodo reſeruamus. In quorum fidem, &c. Datum Romæ ex Ædibus noſtris anno Domini milleſimo ſexcenteſimo Indictione octaua, die verò ſexta menſis Iunij Pontificatus autem Sanctiſs. in Chriſto Patris, & D.N.D. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. anno eius 17.

Cæſar Argellus Lñs.

Locus † Sigilli.

Antonius Raynaldus Cur. Cauſ. Cam. Ap. Not.

Confirmatio conceſſionum Domorum Regularium de Obſeruantia Fratribus Reformatis S. Franciſci quomodolibet factarum.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX iniuncti Nobis Apoſtolici muneris debito Chriſtifidelium ſub ſuaui Reli-

ligionis iugo, & Strictioris Obſeruantiæ Regulis Altiſſimo famulantium votis, per quæ eorum quieti opportunè conſulitur, libenter annuimus, ac deſuper eiuſdem muneris partes propenſis ſtudijs interponimus, vt ijdem Chriſtifideles ſublata omni perturbationum materia in pacis amœnitate, ac Iuſtitia, & Sanctitate coram Deo fœlicioribus in dies proficiant incrementis; Cum itaque ſicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Aſcanius de Aſſiſio Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Reformatorum nuncup. Nonnullæ Domus Regulares, quas Fratres Minores de Obſeruantia nuncupati Ordinis prædicti poſſidebant, dictis Fratribus Reformatis Apoſtolica auctoritate, vel à Superioribus Ordinis huiuſmodi, aut aliàs alio modo aſſignatæ, & conceſſæ fuerint, vt autem litibus, & controuerſijs, quæ propterea fortaſſis excitari poſſent, via præcludatur, Idem Procurator aſſignationes, & conceſſiones prædictas auctoritate noſtra Apoſtolica comprobari, & aliàs deſuper vt infra prouideri ſummopere deſideret; Nos eiuſdem Aſcanij Procuratoris votis huiuſmodi benignè annuere volentes, illumque à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, Supplicationibus ipſius Aſcanij Procuratoris nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati Aſſignationes, & conceſſiones Domorum Regularium prædictarum dictis Fratribus Reformatis Apoſtolica auctoritate, vel à Superioribus Ordinis huiuſmodi, vel aliàs quomodolibet factas, vt præfertur, Apoſtolicæ auctoritate tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inuiolabilis perpetuæ firmitatis Apoſtolicæ robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos, tam iuris quàm facti defectus, ſi qui quomodolibet interuenerint, in eiſdem ſupplemus; Mandantes propterea quibuſuis d. Ordinis Superioribus, & Fratribus quomodocumque nuncupatis, & qualificatis in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub priuatione vocis actiuæ, & paſſiuę eo ipſo incurren. alijſque arbitrij noſtri pœnis, ne ſuper aſſignationibus, & conceſſionibus prædictis litem, ſeu lites contra Reformatos huiuſmodi mouere, ſeu intentare, vel illos in ius vocare, aut aliàs quomodolibet eis deſuper moleſtiam exhibere audeant, ſeu præſumant, & nihilominus ex nunc irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obſtan. Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictique Ordinis, & iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, Priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis eidem Ordini, illiuſque Domibus Regularibus, Superioribus, Conuentibus, & Fratribus, & quibuſuis alijs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 30. Maij 1639. Pontificatus Noſtri anno decimo-ſexto.

M.A.Maraldus.

Congregatio Generalis Valliſoletana anno 1661.

Acta Capituli Intermedij, ſeu Congregationis Generalis huius noſtræ Ciſmontanæ Familiæ celebratæ in alma Prouincia Sanctiſſimæ Conceptionis in Venerab. Conuentu S. Franciſci Valliſoleti ſub die 25. Iunij anno Domini 1661. Præſidente in ea Reuerendiſs. P. Fr. Michaele Angelo de Sambuca Miniſtro Generali totius Ordinis Fratrum Minorum.

In primis triennio Commiſſariatus Generalis fæliciter abſoluto, in quo Reuerendiſs. P. Fr. Ioannes Robles Commiſſarius Generalis biennium ſui officij attingens ſummo Religionis dolore è viuis ſublatus eſt; Et Reuerendiſs. P. F. Andreas Guadaluppe in Vice-Commiſſarium Generalem electus, eiuſque munere vltra annum fæliciter abſoluto; Reuerendiſs. P. Fr. Ioannes Munieſſa Prouinciæ Aragoniæ Pater, ſupremę Inquiſitionis Qualificator, Concionator Regius, & Diffinitor Generalis, ferè omnium votis in Commiſſarium Generalem huius Ciſmontanæ Familiæ Fratrum Minorum electus eſt.

Procurator Ordinis in Curia Romana.

Adm. R. P. Fr. Benignus à Florentia Prouinciæ Thuſciæ Pater, Lector Iubilatus, & Ex-Diffinitor Generalis.

Commiſſarius in Curia Romana.

Adm. R. P. Fr. Petrus Roche Prouinciæ Maioricæ Pater, Lector Iubilatus, & Ex-Secretarius Ordinis.

Diffinitores Generales.

Adm. R. P. Fr. Andræas de Arriaga Prouinciæ Caſtellæ, Cuſtos Ex-Prouincialis, Lector Iubilatus, & Concionator Regis Catholici.

Adm. R.P. Fr. Ioannes Iſqnierdo Prouinciæ Cartagenæ Miniſter.

Adm.R.P.Fr.Franciſcus Thouri Prouinciæ Immaculatæ Conceptionis Recollectorum in Gallia Cuſtos.

Adm.R.P.Fr. Philippus Konig Prouinciæ Argentinæ Miniſter.

Adm. R. P. Fr. Felix Cuuillens Prouinciæ Aquitaniæ antiquioris Miniſter, & Regis Chriſtianiſſimi Concionator.

Adm. R. P. Fr. Philippus de Mory Prouinciæ S. Andreæ in Flandria Miniſter.

Guardianus Hieroſolymorum.

Adm. R. P. Euſebius Velles Prouinciæ Reformatæ Mediolani Ex-Miniſter, & Diffinitor Generalis continuatur.

Vicarius Conuentus Sanctiſſimi Saluatoris.

P.F.Bernardus Betuel Prouinciæ Britanniç Recollectorum.

Guardianus Conſtantinopolis.

Relinquitur arbitrio Reuerendiſſimi P.Miniſtri Generalis.

Conſtitutiones Generales editæ in Congregatione Generali pro Familia Ciſmontana noſtræ Seraphicæ Religionis celebrata vt ſupra &c.

Pro tota Familia.

1. Mandat Congregatio Generalis, quòd ordo recurſus ab inferioribus ad Superiores inuiolabilitèr obſeruetur iuxta diſpoſitionem Apoſtolicarum, & Ordinis Conſtitutionum, videlicet à Miniſtro Prouinciali ad Prælatos Generales reſpectiuè, à Generalibus Superioribus ad Emin. Protectorem, & ab ipſo ad S. Congregationem, & ad Summum Pontificem gradatim, contrafacientes non audiantur, & pœnis arbitrio Prælati Generalis puniantur.

2. Renouatur ſtatutum, quo prohibetur, quòd nullus Frater cuiuſque gradus, & conditionis exiſtat, ſub pœna priuationis omnium actuum legitimorum ſe intromittat in negotijs Curiæ Romanæ, vel procurare audeat aliquam gratiam, aut expedire aliquod negotium in Curia Romana, ſine Officialium Curiæ reſpectiuè licentia, & aſſenſu.

3. Stabilitur, quòd Miſſæ, & eleemoſynæ Miſſarum, quæ in diebus Dominicis pro Benefactoribus celebrantur, nullatenùs cuicumque concedantur à Superioribus Generalibus, niſi pro grauiſſima cauſa à Diffinitorio Prouinciæ approbata: reuocanturque omnes huiuſmodi conceſſiones, & licentiæ cuicumque Prouinciæ, ſiue Prælato, aut perſonæ particulari hueuſque traditæ, & obſeruetur adamuſſim Conſtitutio Generalis Segobienſis.

4. Statuitur, quòd Guardiani, qui trienniumGuardianatus finierint, vel Guardianatui quacumque ex cauſa prope triennium renunciauerint, non poſſunt reeligi in Guardianos, niſi per annm completum ab officio Guardianatus vacauerint, aliter electio ipſo facto nulla ſit.

5. Prohibet Congregatio Generalis, quòd in Prouincijs quocnmque prætextu non multiplicentur Diffinitores vltra numerum in ſtatutis generalibus taxatum, etiam quo ad titulum, aliter electio, & nominatio nulla ſit, & ſi qui ſunt ad præſens titulares aboleantur.

6. Renouatur Statutum Generale, quòd pro Commiſſarijs Curiæ Romanæ, & Procuratoribus Ordinis non inſtituantur, niſi viri graues, prudentes, & rerum agendarum vſu periti, & qui ſuis muneribus, dignè, & laudabiliter cum totius Ordinis honore, ac communi vtilitate, ſatisfacere poſſint, nulluſque aſſumatur ad prædicta Officia, niſi Prouincialatus officio primò functus fuerit, & hoc indiſpenſabiliter.

7. Stabilitur, quòd Secretarius Ordinis huius Familiæ Ciſmontanæ, qui à ſecretis Miniſtro Generali pro tempore inſeruierit, ſit Miniſter Prouinciæ Daciæ, & tanquam eiuſdem Prouinciæ Miniſter ſuffragium ferat ad Comitia generalia, ſicuti Secret. Familiæ Vltram. pro Cuſtode Terræ Sanctę ſuffragium ferre conſueuit.

8. Declaratur, quòd electores Vicarij Generalis, ſeu Vice-Commiſſarij Generalis Familiæ, ſunt omnes Patres Ordinis, ſcilicet, qui fuerunt Miniſtri, & Commiſſarij Generales Familiæ, necnon qui biennio integro extiterunt Vicarij, & Vice-Commiſſarij Generales Familiæ electi ſecundùm Statuta Religionis: Commiſſarius Generalis Indiarum, qui actu exercet, & Diffinitores Generales actuales Nationis, in qua electione celebrari contingat,

ac Diffinitores Generales Ciſmontanæ Familiæ, ſi contingat adeſſe: Similiter electores etiam sũt ſex Miniſtri Prouinciales, & Cuſtodes ſex Prouinciarum, quæ viciniores ſunt Prouinciæ illius Patris, cui competit habere ſigilla.

9. Vicinitas autem harum Prouinciarum numeranda eſt à Propria Prouincia filiationis Patris dignioris, cui competit habere ſigilla, ſi verò Pater dignior diuturnum domicilium habere contingat, vel Matriti, vel alibi extra ſuam Prouinciam, vicinitas Prouinciarum denumeranda eſt à loco, in quo habet diuturnum Domicilium.

10. Et ſi contingat, Patrem digniorem non habere Prouinciam propriam in Natione, vicinitas Prouinciarum abſolutè deſumenda eſt à loco ſui habitualis, & permanentis domicilij.

11. Diffinitorium Generale declarat, quòd Commiſſarij Viſitatores Prouinciarum poſtquam fuerint recepti, & in Prouincijs ſuæ Commiſſionis poſſeſſionem habuerint, iuriſdictionem proſequi debent propriam vſque ad celebrationem Capituli iuxta diſpoſitionem ſuarum patentium litterarum, non obſtante, quòd Superior Generalis, à quo fuerunt miſſi, è vita diſceſſerit, eiſque Viſitatoribus Fratres omnes Prouinciarum ſibi commiſſarum obedire teneantur.

12. Super Intelligentia Statuti Segobienſis circa præcedentiam Ex-diffinitorum Generalium tenoris ſequentis: *Deinde, qui Diffinitores Generales fuerunt, qui ſi antea Miniſtri Prouinciales fuerunt, alios, qui eodem munere functi ſunt, præcedent, ſin minus, illos dumtaxat, qui poſt Diffinitoriatus munus expletum ad Miniſteriatum ſunt promoti*: fuit per Diffinitorium Generale iuxta mandatum Emin. D. Protectoris declaratum in hunc modum, videlicet.

13. Deinde, ideſt poſt Ex-Prouinciales ſedebunt, qui Diffinitores Generales fuerunt, qui etiam, ſi antea Miniſtri Prouinciales fuerint, alios, qui eodem munere Miniſteriatus functi ſunt præcedent; ſin minùs, ideſt ſi Diffinitores Generales non fuerint antea Prouinciales, illos dumtaxat præcedent, qui poſt Diffinitoriatus munus expletum ad Miniſteriatum ſunt promoti, ideſt Miniſtros futuros.

14. Ad coercendam Apoſtatantium, & fugitiuorum frequentiam mandat Congregatio Generalis, quòd Apoſtatæ inuiolabiliter puniantur pœnis taxatis in ſtatutis Segobienſibus, & Superiores Prouinciales, qui exactè pœnas taxatas Apoſtatis applicare neglexerint, ſuſpendantur ab officio per tres menſes arbitrio Superiorum Generalium.

15. Statuitur, quòd Prædicatores, qui non exercent actu ſuum officium, die, ac nocturno choro cum alijs aſſiſtere debeant iuxta Statutum Generale; Superiores verò, qui huiuſmodi Conſtitutionis obſeruantiam non zelauerint, per tres Menſes ſuſpendantur ab officio.

Pro Hiſpanis.

16. Mandat Congregatio Generalis, quòd nullatenus in poſterum inſtituantur Lectores Iubilati, nec Iubilationis titulus alicui detur, etiam ſub conditione, niſi priùs cõplenerint tempus in Conſtitutionibus taxatum, & ſeruatis ſingulis conditionibus in eiſdem ſtatutis generalibus contentis, & hoc indiſpenſabiliter.

17. Renouatur Statutum Segobienſe, in quo prohibetur, ne Prædicatores eleemoſynas ſuarum Concionum nullatenùs recipiant, ſed apud Syndicum Conuentus, in quo de Familia morantur, reponant arbitrio, & diſpoſitioni Superioris localis, & hoc ſub pœnis in dicto Statuto taxatis.

18. Renouatur etiam Statutum, quo cauetur, quòd Lectores actuales non poſſint inſtitui Guardiani, quin nec Secretarij Prouinciarum.

19. Ad tollendam controuerſiam, quę oriri ſolet in inſtitutione, ſeu nominatione Fratrũ hoſpitantium, ſeu vt vulgò dicitur, *Delos Thermanos*, qui in Oppidis, & Ciuitatibus Hiſpaniarum Fratres noſtros hoſpitari ſolent, fuit determinatum, quòd Guardianus, ſiue Obſeruantium, ſiue Diſcalceatorum Conuentus proximioris Oppido, ſiue Ciuitati nominet huiuſmodi hoſpitantem, ſeu vt dicitur *Hermanum*: Vt autem *talis Hermanus* gaudeat priuilegijs Regis Catholici, omnes Religioſos, tam Obſeruantes, quàm Diſcalceatos hoſpitio recipere teneatur: Vbi verò duo ſunt ad præſens Hermani nominati, quis eorum debeat priuilegijs Regis gaudere, arbitrio, & declarationi Patris Reuerendiſs. Commiſſarij Generalis relinquitur.

20. Mandatur, quòd Statutum Segobienſe, quo cauetur, quòd in vnoquoque Conuentu vnus tantummodo Prædicator inſtituatur: in magnis autem Conuentibus duo, & non plures inſtitui poterunt, inuiolabiliter obſeruetur, qui quidem, neque præcedentia, neque alio priuilegio gaudeant, niſi reuera munerà eiuſmodi exercuerint.

21. Inuiolabiliter etiam obſeruetur Sta-

Statutum, in quo decernitur, quòd nullum Sacræ Theologiæ ſtudium habere valeat plus, quàm duos Lectores, & Magiſtrum Scholaſticorum, niſi aliter ob præcipuas cauſas Superiori Generali videatur poſſe diſpenſari cum tertio in præcipuis, & principalioribus Prouinciæ Conuentibus tantùm.

22. Decernitur, quòd Commiſſarius Curiæ Matritenſis, poſtquam laudabiliter per ſexennium officio functus fuerit, attentis laboribus, & eius continua aſſiſtentia in Prouinciarum negotijs expediendis, locum vltimum habeat inter Diffinitores habituales ſuæ Prouinciæ, dummodo bis Guardianatus officium ſubierit cum laude.

23. Declaratur, quòd Confeſſarius Conuentus noſtri Monialium S. Claræ Villæ Chinchion, ad hoc vt habeat ſuffragium in Capitulis propriæ Prouinciæ, ſicuti in nouiſſimo Capitulo Toletano ſtabilitum eſt, ſufficit, quòd fuerit Concionator, & bis, aut ſemel Guardianus cuiuſcumque Conuentus.

De Patronatu Capitulorum Generalium huius Ciſmontanæ Familiæ.

24. PAtronatus perpetuus omnium Generalium Capitulorum in hac Ciſmontana Familia vbilibet celebrandorum, cuius confirmationem Excellentiſſimus DD. Franciſcus Fauſtus de Cabrera, & Bobadilla Comes de Chinchion in nouiſſimo Capitulo generali Toletano ſua in noſtrum Ordinem ſingulari pietate, ac deuotione dignatus eſt expoſcere, & eleemoſyna neceſſaria (modo tamen nobis licito) iuxta mentem ſuorum Maiorum dotare, omnium Patrum, & totius Capituli vnanimi conſenſu, ac cum debita gratiarum actione receptus, & confirmatus; Iterum cum eodem conſenſu, eademquemet gratificatione ab hac Ciſmontana Familia in præſenti Congregatione generali Valliſoletana acceptatur, confirmatur, & cum iiſdem conditionibus prout in ſcripturis renouatur.

Patronatus Prouinciæ Cathaloniæ.

25. AD petitionem Excellentiſſimi DD. Aloyſij de Aragon Ducis de Cardona fuit omnium Patrum vnanimi conſenſu acceptatus, & confirmatus Patronatus, quem Excellentiſſimi Duces de Cardona habent in Prouincia noſtra Cathaloniæ, ſeruatis tamen conditionibus in ſcriptura Patronatus contentis.

Pro Gallis.

AD præcauendas turbationes, & litigia, quæ oriri ſolent in Prouincijs occaſione oppoſitionũ, quæ à nonnullis intẽpeſtiuè fiunt, contra electiones Capitulares, decernitur, quòd huiuſmodi oppoſitiones, ſiuè appellationes non fiant, niſi in eodẽ Capitulo, ſeù Cõgregatione, vel ad ſummum infra quindecim dies poſt Capitulum coram legitimo Superiore; quibus elapſis, tales oppoſitiones ampliùs non admittantur, ſed potiùs opponentes tanquam calumniatores, & pacis turbatores habeantur, non obſtantibus quibuſcumque.

Stabilitur, quòd in Prouincijs, in quibus eleemoſynæ, quæ pro Concionibus Prædicatoribus à fidelibus erogatæ pro Prouinciarum neceſſitatibus expendi ſolent, à ſolis Prouincialibus non expendantur, ſed cum interuentu, & aſſenſu Diffinitorij, indigentijs Prouinciarum, vel Conuentuum applicentur.

Pro euitandis Fratrum inutilibus vagationibus, per quas hucuſque Prouinciæ, & Conuentus quàm plures paſſæ ſunt moleſtias, & nonnullæ ſuper his in Congregatione Generali comparuere lamentationes ex nationibus, fuit ſtabilitum in Diffinitorio Generali, quòd Prouinciales omnes, tàm Obſeruantium, & Recollectorum, quàm etiam Cordigerorum, quin & Guardianus Magni Conuentus Pariſienſis nequeant mittere ſuos Religioſos extra Galliarum limites, niſi pro caſu communi Prouinciæ, aut Conuentus, & cum ſcientia Diffinitorij, ſeu Diſcretorij reſpectiuè.

Pro Terra Sancta.

PRO bono gubernio Terræ Sanctæ, & pro euitandis impedimentis, & difficultatibus, quæ fieri ſolent in Prouincijs Officialibus Terræ Sanctæ, fuit ſtabilitum, quòd Commiſſarij, & Vice-Commiſſarij Terræ Sanctæ immediatè ſubdantur iuriſdictioni Superioris Generalis, ad quem in omnibus debeant habere recurſum.

Pro Collegijs Louanienſi, & Pragenſi.

COllegium Louanienſe gubernetur ſecundùm ſua propria Statuta per Miniſtrum Prouincialem Prouincię Hibernię, & per ipſum, ſeruatis ſeruandis, eligatur Guardianus pro tempore: Collegium verò Pragenſe gubernio, & iuriſdictioni Miniſtri Generalis immediatè remaneat, ſicut & Romanum; regaturque ab ipſo ſecundùm propria Statuta; Guardianus itidem eiuſdem

dem Collegij ab ipſomet Superiore Generali pro tempore eligatur iuxta nominationem, ſeù poſtulationem conſuetam à Diſcretorio faciendam. Caſu verò, quo Miniſter Prouinciæ Hiberniæ præſens inueniatur in memorato Collegio, poterit tanquam Prælatus Ordinarius, & viſitationem eiuſdem Collegij inſtituere, & cætera prouidere, quæ bono publico Collegij, ac neceſſitatibus Religioſorum conuenire iudicabit.

Pro Conuentu Conſtantinopolitano.

PRO reædificando Conuentu Conſtantinopolis nouiſſimè igne conſumpto fuit determinatum in pleno Diffinitorio, quòd poſſit applicari eleemoſyna, Terræ Sanctæ, quæ nonnullis ab hinc annis penès D. Gregorium Drappins Syndicum Apoſtolicum Religionis apud Galatas degentem aſſeruatur; eum hoc, quòd in noua ædificatione conſtruantur aliquę Cellulæ pro ſeruitio Fratrum, qui Conſtantinopolim pro Terræ Sanctæ negotijs adire ſolent.

Pro Conuentibus Comitatus Roſſilionis.

CONuentus Fratrum, & Monaſterium Monialium Perpiniani, ac alij Conuentus noſtri in Comitatu Roſſilionis, & Conflentis moderentur in poſterum iuxta diſpoſitionem Reuerendiſſimi Patris Miniſtri generalis, cuius curæ relinquuntur, cum facultate plenaria etiam creandi Guardianos, & alios Officiales, donec aliter per ſuam Reuerendiſſimam Paternitatem fuerit prouiſum.

Pro Gallis.

INhærendo Decreto S. Congregationis declarat Diffinitorium Generale, non competere Prouincijs Franciæ de iure poſtulationem, & nominationem Viſitatorum, qui mittuntur à Prælatis Generalibus pro celebratione Capitulorum; & ſi quos hucuſque petiere, & benignitate Superiorum Generalium obtinuerunt, non propter hoc ius aliquod, aut præſcriptionem acquirere potuerunt, contra diſpoſitionem bullarum Pontificum, aut Statutorum Ordinis, per quæ Superiori Generali facultas deſtinandi Viſitatores ad omnes Ordinis Prouincias liberè traditur.

Numerus Fratrum Defunctorum à Capitulo Generali Toletano præterito vſque ad præſens 2305. exceptis Prouincijs Luſitanis, & Cordigerorum, & alijs, quæ ad Congregationem non venerunt.

Ita eſt.

Fr. Michael Angelus de Sambuca Miniſter Generalis.

Fr. Ioannes à Munieſſa Commiſſarius Generalis.

Fr. Petrus Roche Commiſſarius Generalis Curiæ Romanæ.

Fr. Rocchus Villarejo Ex-Commiſſarius Curiæ.

Fr. Andreas ab Arriaga Diffinitor Generalis.

Fr. Ioannes Iſquierdo Diffinitor Generalis.

Fr. Philippus Conig Diffinitor Generalis.

Fr. Franciſcus Thouri Diffinitot Generalis.

Fr. Felix Cuccillens Diffinitor Generalis.

De mandato Reuerendiſſimi Patris noſtri Miniſtri Generalis.

Fr. Chriſtophorus de Claues Secretarius Generalis Ordinis.

CXXXV. *Cap. Gen. Romæ 1664.*

In Dei nomine Amen.

Hæc eſt Tabula Celeberrimi Capituli Generalis Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia Seraphici Patris noſtri FRANCISCI,

Celebrati Romæ in Conuentu Sanctæ Mariæ de Aracæli die 1. Iunij 1664.

PRÆSIDENTE

Eminentiſſimo, ac Reuerendiſs. Domino

D. Franciſco Epiſcopo Portuenſi Cardinali Barberino S. R. E. Vice-Cancellario, Protectore Noſtro à Sanctiſs. D. N. Alexandro Septimo ſpecialiter delegato.

In quo ducenta, & ſeptuaginta quinque ſuffragia ex toto Orbe Terrarum ad electionem conuenerunt.

SANCTISSIMO D. N.

ALEXANDRO VII.

SVMMO PONTIFICE.

Miniſter Generalis.

IN primis expleto ſexennio, & fæliciter abſoluto regimine Reuerendiſſimi Patris Michaelis Angeli de Sambuca totius Or-

Ordinis Sãcti Patris Franciſci Miniſtri Generalis præteriti; Reuerendiſſimus Pater Ildephonſus Salizanes Lector Iubilatus, & Prouinciæ Sancti Iacobi Miniſter Prouincialis cunctarum nationum animis, & ſuffragijs, ad ipſum confluentibus, maximo cum applauſu in Miniſtrum Generalem totius Ordinis Fratrum Minorum canonicè electus eſt.

Commiſſarius Generalis Familiæ.

Reuerendiſſimus Pater Frater Bonauentura Caballus Prouinciæ Reformatæ Terræ Laboris Ex-Miniſter Prouincialis, & Cuſtos, Concionator Cæſarius, & Sacrorum Rituum Congregationis Conſultor ferè cunctorum ſuffragijs, & omnium applauſu in Commiſſarium Generalem Familię Ciſmontanæ canonicè electus eſt.

Pater vtriuſque Familiæ.

Reuerendiſſimus P. Fr. Michael Angelus à Sambuca ex Prouincia Vallis Mazariæ Miniſter Generalis præteritus.

Pater, & Diſcretus perpetuus Familiæ Ciſmontanæ.

Reuerendiſs. P. F. Sebaſtianus à Caieta Prouinciæ Obſeruantium Terræ Laboris, olim Commiſſarius Generalis Ciſmontanæ Familiæ.

Pater Ordinis, & Diſcretus Perpetuus Vltramontanæ Familiæ.

Reuerendiſſimus Pater F. Ioannes Muniezza Lector Iubilatus, & Qualificator Supremæ Inquiſitionis Hiſpaniarum, Catholicæ Maieſtatis Concionator, Prouinciæ Aragoniæ Pater Emeritus, ac Vltramontanæ Familiæ Ex-Commiſſarius Generalis.

Procurator Generalis Ordinis in Curia Romana.

Adm. Reu. P. F. Andreas de Artiaga, Supremæ Inquiſitionis Hiſpaniarum Qualificator, Prædicator Maieſtatis Regis Catholici, Lector Iubilatus, Ex-Diffinitor Generalis, & Prouinciæ Caſtellæ Pater Benemeritus.

Commiſſarius Generalis in eadem Curia Romana.

Adm. Reu. Pater F. Carolus de Genua, Prouinciæ Terræ Laboris de Obſeruantia bis Miniſter Prouincialis, Lector Iubilatus, & Ex-Diffinitor Generalis.

Procurator Generalis Reformatorum in Romana Curia.

Adm. Reu. P. Fr. Clemens à Montepiloſo, Prouinciæ Reformatæ Terræ Laboris Diſcretus perpetuus, donec Officij ſui tempus expleat.

Diffinitores Generales Vltramontanæ Familiæ.

Adm. Reu. Pater Fr. Alonſus Sorianus, Prouinciæ Granatæ Miniſter Prouincialis.

Adm. Reu. P. Fr. Blaſius de Beiumea Lector Iubilatus, & Prouinciæ Andaluſiæ Miniſter Prouincialis.

Adm. Reu. P. Fr. Philippus le Roy Doctor Pariſienſis, Maieſtatis Chriſtianiſſimæ Reginæ Matris Confeſſarius, & Prouinciarum Franciæ, & Turonæ Pater.

Adm. Reu. P. Fr. Agatangelus Reſmods Prouinciæ Sanctiſſimi Sacramenti Recollectorum in Gallia Miniſter Prouincialis.

Adm. Reu. Pater Fr. Patritius Duffius Prouinciæ Scotiæ Miniſter Prouincialis.

Adm. Reu. Pater Fr. Chriſtophorus de Roxas S.T. Lector, & Prouincię Turingiæ Cuſtos.

Diffinitores Generales Ciſmontanæ Familiæ.

Adm. Reu. P. F. Franciſcus de Mendoza Prouinciæ Reformatæ Calabriæ bis Miniſter Prouincialis, & Diſcretus perpetuus, ac Pater Ordinis.

Adm. Reu. Pater F. Clemens Dolera bis Miniſter Prouincialis Prouinciæ Genuæ de Obſeruantia.

Adm. R. P. F. Franciſcus de Baſtia Prouincię Obſeru. Sancti Franciſci Ex-Miniſter Prouincialis, & Cuſtos.

Adm. Reu. P. F. Archangelus Romanus Prouincię Romanę de Obſeruantia Ex-Miniſter Prouincialis pluries Secretarius Generalis, & Celeberrimi Romani Araceélitani Conuentus Guardianus actualis.

Adm. Reu. P. F. Paulus Budimiz Prouinciæ Boſnę Croatię Miniſter Prouincialis.

Adm. Reu. P. F. Cherubinus de Sambuca Prouinciæ Reformatę Vallis Mazarię Miniſter Prouincialis, & Supremę Inquiſitionis Sicilię Cenſor.

Guardianus, & Commiſſarius Terræ Sanctæ Hieroſolymorum.

Reu. P. Fr. Franciſcus de Politio, Prouinciæ Obſeruantiæ Vallis Mazarię Lector Iubilatus.

Guar-

Guardianus Conſtantinopolitanus.

Pater F. Nicolaus Peruſinus Prouincię Reformatę Sancti Franciſci.

Sacrę Theologię Studia in ordine ad Iubilationem deſtinata, iuxtà Conſtitutiones Apoſtolicas Clementis Octaui, & S.D.N. Vrbani Octaui, & Lectores Generales pro Ciſmontana Obſeru. Familię.

1 *In Conuentu S.Mariæ de Aracæli Romæ Lectores Generales.*

P.F.Petrus Paulus Lotticus de Roma.
P.F.Laurentius de la Barrera Prouincię S.Iacobi, iam Lector Sac.Theologię Salmaticenſis.
P.F.Franciſcus Maria à Caſtro S.Petri.
P.F.Romanus de Roma.

2 *In Conuentu S.Mariæ Nouæ Neapolis*

P.F.Baltaſſar à Meſſana.
P.F.Teophilus de Nola.
P.F.Ioſeph de Burgo, Hybernus.

3 *In Conuentu S.Franciſci Peruſij.*

P.F.Franciſcus de Peruſio.
P.F.Stephanus de Peruſio.
P.F.Antonius de Caprarola.

4 *In Conuentu omnium Sanctorum Florentiæ.*

P.F.Blaſius de Florentia.
P.Fr.Carolus de Cutiliano.
P.F.Cherubinus de Bibiena.

5 *In Conuentu Sanctiſſimæ Annunciatæ Bononiæ.*

P.F.Ioſeph de Caſtro lauro.
P.F.Hyppolitus Camillus Bruni.
P.F.Angelus de Monelia.

6 *In Conuentu S.Franciſci Paduæ.*

P.F.Ioſeph de Verona.
P.F.Hieronymus de Plebeſacci.
P.F.Fœlix de Verona.

7 *In Conuentu Sanctiſſimæ Annunciatæ Genuæ.*

P.F.Franciſcus de Ferraria.
P.Fr.Paulus de Genua.
P.F.Cherubinus de Sati.

8 *In Conuentu S. Mariæ Angelorum Mediolani.*

P.F.Antonius Cattaneus.
P.F.Hilarius à Caſtiono.
P.F.Blaſius à Lauda.

9 *In Conuentu S.Mariæ Angelorum Panormi.*

P.F.Coſmus Maria de Panormo.
P.F.Ignatius de Sciacca.
P.F.Ioſeph à Drepano.

10 *In Conuentu S.Bernardini Aquilæ.*

P.F.Thomas à Monteleone.
P.F.Dominicus de Bagno.
P.F.Franciſcus Maria de Monelia.

11 *In Conuentu S.Didaci Neapolis.*

P.F.Leonardus de Caua.
P.F. Pacificus de Verona.
P.F.Bonauentura Comàn Hybernus.

12 *In Conuentu S.Franciſci Anconæ.*

P.F.Io:Baptiſta à Molleano.
P.F.Santes à Colleamato.
P.F.Ioſeph à Sirolo.

13 *In Conuentu S.Franciſci Lucæ.*

P.F.Iulianus de Luca.
P.F.Nicolaus de Cortona.
P.F.Laurentius de Ghiuizzano.

14 *In Conuentu S.Antonij Licij.*

P.F.Antonius de Rutiliano.
P.F.Angelus de Leuerano.
P.F.Antonius de Acquarica.

15 *In Conuentu S.Franciſci Coſentiæ.*

P.F.Daniel Romanus.
P.F.Michael de Candicattino.
P.Fr.Ignatius de Roblano.

16 *In Conuentu S.Hieronymi Viennæ arbitrio Superioris Generalis.*

P.Fr.
P.Fr.
P.Fr.

17 *In Conuentu S. Bernardini Cracouiæ*

P.F.Lucas Gizius.
P.F.Vincentius Kalmerſki.
P.F.Andreas Souinouich.

18 *In Conuentu Sanctæ Mariæ ad Niues Pragæ.*

P.F.Guglielmus Antonius Braucech.
P.Fr.Henricus Clari.
P.F.Iulius Vorgit.

Alia Studia Sacræ Theologiæ, & Lectores Generales deputantur.

1 *In Conuentu S. Mariæ Nouę Fani:*

P.F.Bonauentura de Fano.

P.F.Antonius de Cartoceto.

2 *In Conuentu S. Franciſci Mantuæ.*

P.F.Bernardinus de Monte Brandono.
P.F.Ioannes de Guidicciolo.

3 *In Conuentu S.Mariæ Ieſu de Meſſana.*

P.F.Bonauentura de Meſſana.
P.F.Carolus Franciſcus Collodi.

4 *In Conuentu S.Mariæ Ieſu Motucæ.*

P.Fr.Aloyſius de Motuca.
P.F.Vincentius de Motuca.

5 *In Conuentu S.Ioſeph Brixiæ.*

P.F.Angelus Maria à Montodine.
P.F.Iſidorus de Crema.

6 *In Conuentu S.Mariæ Ieſu Foggiæ.*

P.F.Ioannes Chryſoſtomus de Raguſio.
P.Fr.

7 *In Conuentu S.Thomæ Taurini.*

P.Fr.Paulus Baptiſta de Viadana.
P.Fr.Benedictus à Bene.

8 *In Conuentu Paradiſi Viterbij.*

P.F.Albertus de Roma.
P.F.Antonius de Baſtia.

9 *In Conuentu S.Spiritus Ferrariæ.*

P.F.Thomas à Gualterio.
P.F.Bonauentura à Cottignola.

10 *In Conuentu S.Mariæ de Ieſu Montis Leonis.*

P.F.Arcangelus à quinque Frondibus.
P.F.Ludouicus de Siraeuſis.

11 *In Conuentu S. Bernardini Alexandriæ.*

P.Fr.
P.Fr.

12 *In Connentu S.Franciſci Raguſij.*

P.F.Seraphinus de Raguſio.
P.F.Petrus Antonius de Nereto.

13 *In Conuentu Sancti Ladiſlai in Sclauonia.*

P.F.Ælias Iacuplotich.
P.F.Antonius Alpinus.

14 *In Conuentu S.Crucis Piſarum.*

P.F.Franciſcus de Vallechia.
P.F.Antonius de Trecà.

15 *In Conuentu Labaci in Croatia.*

P.F.Engilbertus Potumsky.
P.F.Franciſcus Coglanus.

16 *In Conuentu Vilnæ ad Sanctum Franciſcum.*

P.F.Franciſcus Kochanouslci.
P.F.Florianus Iancrynslci.

17 *In Studio Generali Conuentus Varſauienſis.*

P.F.Valerianus Ryizlconoslci.
P.F.Antonius Rzeuylunoslci.

18 *In Studio Generali Conuentus Poſnamenſis.*

P.F.Chriſtophorus Poſnanienſis.
P.F.Hyacinthus Idzilioroicę.

19 In Conuentu Sanctę Marię Angelorum Neapolis, & alijs Conuentibus pro Seminarijs Iuuenum, Lectores deputabuntur, ad libitum Reuerendiſſimi Patris Miniſtri Generalis.

Studia generalia in ordine ad Iubilationem, in quibus, qui iubilare voluerit, ſaltem per tres annos continuos Sacram Theologiam legere debebit, deputantur.

Conuentus {
S.Mariæ de Aracæli Romæ.
S.Franciſci Montis Peruſij.
S.Franciſci Anconæ.
Omniũ Sanctorum Florentię.
S.Franciſci Lucæ.
Sanctiſs.Annunciatę Bononię.
S.Franciſci Paduæ.
Sanctiſs. Annunziatæ Genuæ.
S.Marię Angelorum Mediol.
S.MarięAngelorum Panormi.
S.Antonij Licij.
S.Bernardini Aquilæ.
S.Mariæ Nouæ Neapolis.
S. Bernardini Cracouiæ.
Sancti Didaci Neapolis.
S.Franciſci Coſentiæ.

Dilecto filio Ildephonſo Salizanes Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum Miniſtro Generali.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CVM ſicut Nobis nuper exponi feciſti tu in Capitulo Generali Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum in hac Alma Vrbe

be noſtra nouiſſimè celebrato, in Miniſtrum Generalem eiuſdem Ordinis canonicè electus fueris, electionemque huiuſmodi pro maiori illius validitate, & ſubſiſtentia Apoſtolicę Confirmationis Noſtrę robore communiri ſummoperè deſideres. Nos ſperantes electionem huiuſmodi de perſona tua, vt præfertur, factam ob tuum Religionis zelum, fidem, prudentiam, integritatem, & doctrinam eidem Ordini plurimùm profuturam, teque ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequeñ harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, Supplicationibus tuo nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Electionem de perſona tua in Miniſtrum Generalem dicti Ordinis, vt præfertur, factam Apoſtolica Auctoritate tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, illique inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos Iuris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus, opus ſit dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die v. Iulij MDCLXIV. Pontificatus noſtri Anno decimo.

S. Vgolinus.

FR. ILDEPHONSVS SALIZANES

Totius Ordinis Fratrum Minorum S.P.N. Franciſci Miniſter Generalis, & ſeruus.

Dilectis plurimum in Chriſto Patribus, & Fratribus, Superioribus, ac Subditis totius noſtræ Seraphicæ Religionis, ſalutem, ac ſinceram charitatem.

CVM Altiſſimo placuiſſet (Dilectiſſimi fratres) Diuina miſeratione ſic diſponente, Nos, licèt immeritos, ad ſupremæ dignitatis Generalatus Seraphici culmen per condignos Ordinis Electores euehere, quale onus impoſitum ſit noſtris humeris, & quàm graue pondus ampliſſimæ Religionis, quæ præ multitudine numerari non poteſt, ſit nobis ferendum, gementes probè agnoſcimus, niſi à Patre luminum, in quo omnis ſufficientia eſt, vires, & fortitudinem accipiamus: ad hunc finem orationes, & petitiones veſtræ innoteſcant, quatenus nobis aſſiſtere dignetur, eamque præſtare virtutem, per quam poſſimus regere populum hunc magnum, atque in Miniſterio noſtro dignè ambulare, vt rationem, quæ nobis incumbit pro animabus veſtris, reddere valeamus.

Summoperè deſideramus vobis omnibus, omni quo poſſumus ſolamine, & placiditate paterna adeſſe, ſed vbi noſtra præſentia nequimus, conſilijs, & admonitionibus conabimur obſequioſa noſtra miniſteria amanter præſtare. Hoc fine aliquas Conſtitutiones, ſeu legum declarationes, vel aliquoties inobſeruatas; vel perperam interpretatas, vobis mittimus, vt ſimul progredientes in via vitæ, Nos hæc deſideria fouendo, vos autem eiſdem cooperando, virtutes prouehamus, abuſus extirpemus, & Regulæ noſtræ primæuam, ac Apoſtolicam obſeruantiam excolamus, dum Patrem ſimul & Iudicem vobiſcum agemus.

Hortamur vos omnes in Domino, & obſecramus, vt ſæculares fauores fugiatis: ſicut enim virtus, & Religioſitas nobis ex iuſtitia videtur meritum, ita externum fauorem demeritum cenſemus, pœna potiùs, quàm præmio dignum: viuat itaque in Religione Frater Minor, vt nullo prætendat fieri maior; niſi in virtute, & obſeruantia, ambitionis fomite extincto.

Omnibus omninò interdicimus inutiles, & otioſos diſcurſus, ſimul, & vagationes, quę ſpiritus feruorem extingunt, obſeruantiæ regulari relaxationem, clauſtris dedecus, Religioni ruinam, & ſæculo ſcandala inferunt.

Porrò in omnes Religioſos huius ampliſſimæ Religionis, feruida charitate ex alto proſpicientes, ac pietate paterna, in noſtri Ordinis Apoſtatas, ſi qui ſunt, moti, dummodò ad gremium Almæ Matris Religionis infra ſpatium quatuor menſium ab harum publicatione contriti reuertantur, pœnas ad nos ſpectantes contra eorum perſonas, & delicta miſericorditer eis remittimus, & relaxamus, ea tamen conditione, quòd de omnibus, & ſingulis quantociùs nos certiores reddant; Omnibuſque & ſin-

& ſingulis totius noſtri Ordinis Religioſis authoritatem noſtram concedimus, vt pro vna vice ab omnibus caſibus, & cenſuris nobis reſeruatis, à quocumque confeſſario noſtræ Religionis approbato abſolui poſſint, & valeant.

Inſuper exercitia ſpiritualia dierum octo, antiquitùs in Religione vſitata, & poſtmodum cum magno animarum detrimento, & tepiditate collapſa, ſicut in Capitulo Generali Toletano immediatè præterito, priſtinæ obſeruantiæ ſunt reſtituta, ad renouationem ſpiritus, & perfectionis augmentum à Nouitijs, & recentèr profeſſis in locis, & temporibus deſignatis obſeruentur peruigili Superiorum cura, quorum conſcientiam in hac parte oneramus.

His, & omnibus aliorum chariſmatum donis, & exercitijs ſuffulti (fratres chariſſimi) conſideremus omnes afflictum totius Europæ, & maximè Sacri Romani Imperij Statum per bella, & inuaſiones Turcarum, & Paganorum, qui Chriſtianitati proteruè ruinam minantur: quapropter inſtemus apud Altiſſimum, vt inuictiſſimo Imperatori, cæteriſque Chriſtianis Principibus in hunc finem collimantibus, vires, & fortitudinem præſtet, quibus hos perfidos Chriſtiani nominis hoſtes, & aduerſarios potenter conterere, & debellare valeat: ad quem finem ordinamus, vt à quolibet Sacerdote totius noſtri Ordinis collecta contra paganos in Miſſa legatur; concedentes obedientiæ meritum omnibus, & ſingulis, qui pro hac noſtra efficaci intentione, & Fidei Catholicæ conſeruatione ſpeciale aliquod exercitium applicauerint.

Præterea, vt noſtræ Religionis Seraphicæ ſplendor eluceſcat, Collegia, ſiue Seminaria pro Religioſa Iuuenum educatione, & litteraria capeſcenda diſciplina, à noſtris Prædeceſſoribus inſtituta, ſiue à nobis inſtituenda, omnibus Superioribus Prouinciarum, in quibus habentur, ſummoperè volumus commendata; multitudo enim Sapientum (vti pronunciauit Spiritus Sanctus) ſanitas eſt Orbis terrarum; & copioſus numerus Fratrum bene diſciplinatorum, Religionem noſtram conſolidabit.

Tandem obſecramus vos (chariſſimi fratres) qui ſpontè Domino animas veſtras obtuliſtis, vt conſiderantes, quia Peregrini, & hoſpites eſtis ſupra terram, dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate ſatagentes, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis; hiſque chariſmatibus muniti pro nobis oretis, vt labores, & diſcrimina, prolixiorumque itinerum tædia, quæ per vaſtas Europæ Prouincias, eundo, & redeundo ad vos aggredimur, in Religionis augmentum adimpleamus. Feruidas poſtremò, ac pias iugiter ad Deum preces effundite pro vtraque incolumitate Summi Pontificis, pro Eccleſiæ Catholicæ exaltatione, Hæreſum, & infidelitatis extirpatione, pacis Chriſtianorum Principum complemento, & conſeruatione, eorumque omnium ſemper recordemini, quibus iure patrocinij, aut beneficij titulo, nos, & Religio noſtra obſtringimur, quatenus Deus eos dirigat in viam ſalutis æternæ, eiſque dexteram cæleſtis auxilij protendat; vt, quæ illi ſunt placita, concupiſcant, & tota virtute perficiant. Valete, & viuite in Domino. Datum Romæ in noſtro Celeberrimo Aracælitano Conuentu die vigeſima menſis Iulij anno Domini 1664.

Fr. Ildephonſus Salizanes Miniſt. Gen.
Loco † Sigilli.

De mandato S.R.P.

Fr. Ioannes Eslenan. Secret. Gen. Ord.

ORDINATIONES
Pro vtraque Familia.

1 Determinat Capitulum Generale, quòd mortuo Miniſtro Prouinciali, pro Superiorum Generalium arbitrio, Prouinciale Capitulum anticipari poterit, dummodò finitum ſit biennium ab ipſius celebratione numerandum; vel prorogari dummodò tempus à lege præſcriptum non excedatur. Si in primo anno moriatur Miniſter Prouincialis, liberum erit Superiori Generali Capitulum conuocare ad electionem noui Miniſtri Prouincialis tantùm, vel cum Diffinitorio Vicarium Prouincialem eligere.

2 Superior Generalis iuſta de cauſa anticipare poterit Capitulum Prouinciale per ſex menſes, etiam viuente Miniſtro.

3 Si contingat, quòd poſt Capitulum Prouinciale recognoſcatur aliquem Diffinitorem fuiſſe nulliter, vel inualidè electum, deponatur ab officio: & declarat Capitulum generale, quòd in tali caſu non fiat ſubrogatio, ſed noua electio Diffinitoris, per Diffinitorium Prouinciale.

4 Statuitur, quòd Vicarij Prouinciales completo biennio ſui Officij non poſſint in poſterum eligi in Diffinitores, ſicuti nec Miniſtri Prouinciales.

5 Miniſtri Prouinciales, qui Prouincialatus officio per biennium non compleuerint, Priuilegijs Miniſtrorum Prouincialium

lium non gaudeant; ſecus verò ſi per biennium tale officium exercuerit.

6 Renouatur Statutum Capituli Generalis, quòd Cuſtodes electi in Capitulo niſi per biennium exercuerint Officium, vel non fuerint ſuffragati in Capitulo, vel Congregatione Generali Cuſtodum priuilegijs non gaudeant.

7 Si paulò ante Capitulum Prouinciale, moriatur Miniſter, vel Cuſtos, decernitur, quod ante ipſius celebrationem, eligi debeat Vicarius Prouincialis, & Cuſtos.

8 Si Diffinitor non legitimè impeditus, & vocatus, renuerit ingredi in Diffinitorium, ſuo priuetur officio.

9 Declarat Capitulum Generale, quòd ſubrogatio ſemper debeatur digniori, dummodò Pater ſubrogandus non ſit perpetuò impeditus.

10 Renouatur Statutum, quòd omnes Guardiani in Capitulis, & Congregationibus ſuo renuncient officio, quod ſi non fecerint, ipſos tamen renunciaſſe, cenſeatur.

11 Declarat Capitulum Generale, quòd in electionibus Guardianorum obſeruetur Breue Vrbani VIII. *Religioſos viros* 1642. & Alexandri VII. *Credita Nobis* 1663. modus tamen eligendi erit ille, qui in Conſtitutionibus Ciſmontanę Familiæ præſcribitur: Quòd ſi primo propoſito à Præſidentibus, vt eligatur, vota fuerint æqualia; Declarat Capitulum Generale, ipſi liberum fore pro propoſito decidere. Si aliquis propoſitus fuerit in Guardianum alicuius Conuentus, & per vota fuerit excluſus, non cenſetur pro alio Conuentu excludi.

12 Vt in poſterum tollatur perpetuitas in Superioribus Localibus Conuentuum, ſtatuit Capitulum Generale, quòd Præſes, qui vltra duos menſes Conuentum rexerit, non poſſit immediatè in Guardianum eligi.

13 Prohibet Capitulum Generale, ne in poſterum inſtituantur Procuratores ſæculares à Miniſtris Prouincialibus, vel à quocumque alio particulari Religioſo, tam pro negotijs Prouinciarum, quàm particularibus pertractandis in Curia Romana ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, taleſque inſtitutiones nullæ ſint, ac inualidæ.

14 Statuitur, quod de nouo reuertentes ad propriam Prouinciam in alia incorporati, non gaudeant præcedentia, niſi à die nouæ receptionis, & incorporationis, ſubeantque pœnam taxatam per Conſtitutionem Generalem Segouienſem.

15 Decernit Capitulum Generale, quòd ad pertractanda negotia Religionis, deputentur in Curijs Regijs, & Principum, ſcilicet Viennæ, Madriti, Pariſijs Marſouiæ in Polonia, Venetijs, Siciliæ, Neapoli, Bruxellis, Taurini, Genuæ, & Florentiæ, Agentes, ſeu Commiſſarij Reuerendiſſimi Patris Generalis cum Socio grato, qui ſint immediatè ſubiecti Iuriſdictioni eiuſdem Reuerendiſſimi Patris Generalis, ea tamen lege, vt exeundo de Conuentu petant benedictionem à Superiori Locali, qui non poſſit eos impedire, & habeant locum poſt Diffinitores habituales cæteris paribus.

Pro Vltramontana Familia.

1 Lectores Sacrę Theologię quamdiù tale munus exercent, nullum aliud officium obtinere poterunt cum præfato munere incompatibile, qualia ſunt officia Guardiani, & Secretarij. Quod ſi talia exercuerint, tempus, in quo illis functi fuerint, non computabitur ad annos Iubilationis.

2 Statuitur, quòd Secretarij Prouinciarum non habeant locum, aut ſedem, niſi poſt Lectores primarios Sacræ Theologiæ, & reſpectu aliorum, obſeruetur conſuetudo Prouinciarum.

3 Declaratur, quod in æqualitate Lectoratus antiquior habitu debeat præferri in habendo voto.

4 Lectoribus Prouinciarum Hiſpaniæ, qui in hoc Capitulo Generali concluſiones ſuſtinuerunt, interruptio à Lectura ob acceſſum, & regreſſum non debeat officere ad Iubilationem.

5 Si contingat, quòd aliquis Diffinitor actualis moriatur, ſiue alia ratione vacauerit, eius loco ſubrogetur, & pro ſubrogato habeatur ipſo facto, qui olim fuit Diffinitor, vel Cuſtos, & eſt antiquior in Diffinitionis, vel Cuſtodiatus officio. Si verò Diffinitores, vel Cuſtodes antiqui defuerint ſubrogentur Guardiani præcipui ſecundum ordinem Tabulæ.

6 Per Guardianos præcipuos declarat Capitulum Generale, intelligendos eſſe Guardianos Conuentuum, in quibus celebratur Capitulum Prouinciale; ſi fuerint ab aliquo dotati pro expenſis Capituli, ſecus verò Conuentus præcipui accipiantur illi, qui ſunt maioris æſtimationis in Prouincia.

7 Decernit Capitulum Generale, quòd Vocalibus Vltramontanæ Familiæ, Prominiſtris ſcilicet, & Cuſtodibus, conceda-

cedatur in præmium ſuorum laborum, quos in itinere paſſi ſunt ad ſuffragandum in præſenti Capitulo Generali, quidquid Toletanum conceſſit Vocalibus Ciſmontanæ Familiæ ob ſimiles labores, dummodò habeant qualitates requiſitas à dicto Capitulo Generali.

8 Statuitur, vt deinceps verſus *Veni Regina noſtra* dicatur in Choro flexis genibus, in Miſſis ſolemnibus Immaculatę Conceptionis eo modo, quo verſus *Aue Maris Stella*, dicitur in Veſperis.

9 Ad ſubleuandam neceſſitatem Prouinciæ Sancti Didaci Canarienſis, necnon ad tollendas intolerabiles expenſas, Capitulum Generale decernit, quòd deinceps Superior Generalis, Commiſſarium Viſitatorem eligat ad illius Viſitationem, & celebrationem Capituli, vnum ex tribus, aut quatuor Patribus benemeritis, & indifferentibus, ipſi à præfata Prouincia propoſitis.

19 Pro Viſitatione Prouinciarum Tertij Ordinis, debito tempore peragenda, deſignet Superior generalis virum aliquem, qui ſit eiuſdem profeſſionis, & inſtituti, alterius tamen Prouinciæ, talem quidem, qualem Statuta Generalia decernunt. Caſu verò quo idoneus Viſitator in Tertio Ordine non inueniretur, poterit aſſumi ex primo Ordine ex vicinioribus tamen Prouincijs.

11 Prouinciæ obſeruantes Vltramontanæ Familiæ, faciant ſua Statuta, ac leges pro reformate viuere volentibus.

12 Declaratur, quòd Vicarij Prouinciales biennales ſint Patres immediati, & debeant ingredi Diffinitorium, tanquam ſi fuiſſent Miniſtri Prouinciales.

Pro Gallis.

1 SAncitum fuit, vt Statuta Prouinciæ Maioris Turoniæ reuideantur à Patribus deputandis à Reuerendiſſimo Patre Miniſtro Generali, quæ approbata obſeruentur.

2 Statuitur, quòd omnes Prouinciales Galli admoneantur à Reuerendiſſimo Patre Miniſtro Generali, ne in poſterum mittant extra Regnum Galliæ Religioſos, niſi pro cauſa graui Prouinciæ, approbata à Diffinitorio, iuxta Statuta vltima Generalia Valliſoletana.

3 Statuta Municipalia pro Gallis, quæ ſunt edita ante Statuta Barchinonenſia reuiſa Segouiæ maneant in ſuo robore. Noua verò ſi fuerint contra ſupradicta, & alias generales Conſtitutiones, nullius ſint valoris.

Pro Belgis.

1 DEclarat Capitulum generale, quòd Commiſſarius Nationalis Germano Belgij cum ſit delegatus, quamquam habeat votum reſpectu omnium electionum, non poſſit illud committere alijs Viſitatoribus, & Præſidentibus à ſe miſſis.

2 Si Congregato Capitulo moriatur Commiſſarius Nationalis, decernit Capitulum generale, quod præſidere debeat Commiſſarius Viſitator, ſi adſit, ſi verò non adſit, Dignior Pater Prouinciæ de corpore Capituli. Si autem tantummodo Capitulum fuerit, indictum, vel conuocatum, expectanda erit deſuper prouiſio Reuerendiſſimi Patris Miniſtri Generalis.

3 Declarat Capitulum Generale, quòd in caſu ſubrogationis alicuius Diffinitoris Generalis, in partibus Germano-Belgicis, ſubrogari debeat alius ex ea parte, ex qua fuerat electus.

4 Pro ſedandis differentijs Prouinciarum Sancti Andreæ, & Sancti Ioſeph in Comitatu Flandriæ, in Capitulo Generali agitatis, ſancitum eſt, partibus in contradictorio auditis, ſeruari debere inter vtramque Prouinciam concordatum nouiſſimè factum.

Pro Anglis.

1 QVoniam experientia conſtat, quod ex confluentia tot externorum ad Prouinciam Angliæ multa ſuperueniunt inconuenientia, ſtatuit Capitulum generale, quòd in poſterum nullus Religioſus moretur in Anglia, Miſſionarij Officium exercitaturus, ſine licentia Miniſtri Angliæ, vel ſpeciali facultate Superiorum generalium, prout iam aliàs ſtatutum eſt.

2 Anglicana Prouincia expoſtulauit, vt reponeretur inter alias iuxtà tempus ſuę erectionis, & Capitulum generale decreuit ipſi competere locum præcedentię iuxta tempus ſuæ erectionis, prout in Capitulo Interamnenſi 1500. collocanda decernitur, ſaluis tamen iuribus, quæ à Prouincijs produci poſſent.

Pro Hybernis.

CApitulum Generale confirmat fundationes Conuentuum Balinaſaghert in comitatu Longhforti, cum ſuis terminis pro quæſtuatione à viginti circiter annis poſſeſſis, ſimiliter, & fundationem Conuentus

tus Sanctæ Mariæ Villæ Iacobi cum aſſignatione limitum pro quæſtuatione trium Baroniarum, ſcilicet de Mohil, Letrim, & Carichalin, ac tribus Parochijs adiacentibus Sennæ in Comitatu Roſchoman, videlicet Kilmoir, Kiltuchin, & Fumana, ſupprimendo litigium ſuper præfatas fundationes, ac mandando ſub pœnis, & cenſuris in conceſſionibus,ac patentibus litteris Miniſtrorum Generalium præteritorum, & præcipuè Reuerendiſſimi Patris Michaelis Angeli de Sambuca contentis, vt nullus ſiue Superior, ſiue ſubditus præfatas fundationes, aut ſuos fratres perturbare, aut moleſtare audeat, vel præſumat. Quoad ea, quæ iuxta aliquorum relationes, videntur præiudicare Prouinciæ Hyberniæ, & continentur in actis Capitularibus, commiſſa ſunt examinanda Reuerendiſſimo Patri Miniſtro generali, audita deſuper relatione Reuerendiſs. P. Commiſſarij Nationalis Belgij.

Pro Indis Occidentalibus.

1 SI contingat, quòd Commiſſarij generales nouę Hiſpanię velint in aliqua ex præfatis Prouincijs manere, gaudebunt præcedentia ſupra cæteros Patres, quia digniores ſunt, ob præteritum Præſulatum, & vt tales debent Diffinitorium ingredi in prædicta Prouincia.

2 Præcipit Capitulum generale vtroque diſcretorio annuente, ac etiam partibus auditis, vt deinceps ad conſeruandam pacem, fraternamque concordiam ſtabiliendam, fiat in Prouincijs Peruanis alternatiua, ſicuti in Prouincijs nouæ Hiſpaniæ.

Pro Monaſterio Sanctæ Annæ Diſcalceatarum ſub Titulo Conceptionis Toleti.

3 Confirmat Capitulum generale ſcripturas, vel inſtrumenta circa Patronatum præfati Monaſterij, cuius Patrona eſt Regina Catholica, & iuxta tenorem ſupradictorum inſtrumentorum, declaratur præfatum Monaſterium ſubditum immediatè Superiori generali. Idem declarat Diffinitorium generale pro Conuentu Monialium Sanctæ Claræ Diſcalceatarum Villæ de Focentayna.

Pro Monaſterio Monialium Recollectarum Immaculatæ Conceptionis in Suburbio Sancti Germani Pariſijs.

4 Vt præfatum Monaſterium fæliciori regatur gubernio,nonnulla declaranda cenſet Capitulum generale.

Primò non licere Miniſtro Prouinciali, nec vlli alteri, Conſtitutiones, Statuta, Decreta, explicationem Regulæ dictarum Monialium concernentia, conficere, nec ipſarum externum viuendi vſum impedire inconſulto Reuerendiſſimo Miniſtro Generali, necnon Monialibus.

Secundò fiant Electiones Abbatiſſæ, & aliarum Officialium iuxta Canones, & Decreta Summorum Pontificum,& iuxta conſuetudinem Monaſterij.

Tertiò licebit Monialibus infirmis, in articulo mortis,petere vnum Confeſſarium ſibi gratum de licentia Abbatiſſæ.

Quartò, licebit Monialibus alloqui parentes ſæculares vſque ad quartum gradum ſemel in menſe cum participatione tamen Miniſtri Prouincialis, & aliorum, ad quos ſpectat.

5 Vt Statutorum varietas, multiplicatio, & confuſio tollatur, ſanciuit Capitulum generale, vt Statuta Vltramontanæ Familiæ poſt Segouienſia edita, reuiſa, & declarata ac reformata ad normam Conſtitutionum Apoſtolicarum,& Ordinis per aliquos Patres, à Miniſtro generali aſſignandos, reducantur ad vnum volumen,quibus Prouinciæ omnes Vltramontanæ gubernari debeant.

Pro Ciſmontana Familia.

1 CVM ad concordiam Fraternamque pacem conferendam inter Obſeruantes, & Reformatos propoſitum fuerit in pleno Capitulo generali, vt inter eos fieret alternatiua, ſcilicet quòd vna vice eligatur Commiſſarius Generalis Ciſmontanæ Familiæ ex Reformatis, altera verò ex Obſeruantibus, decreuit idem Capitulum generale, vnanimi conſenſu vtroque Diſcretorio, & Diffinitorio annuente, quòd ad eandem pacem ſtabiliendam, ſupradicta alternatiua fieret, hac tamen conditione, vt tres Diffinitores genelares eligantur ex Obſeruantibus, & tres ex Reformatis in cunctis Congregationibus, & Capitulis generalibus, necnon ad maiorem huius Conſtitutionis firmitatem, ſupplicetur Sanctiſſimus pro confirmatione huiuſmodi concordati.

2 Declarat Capitulum generale, competere Prouinciæ Minoris Poloniæ præcedentiam, & locum ſupra Prouinciam Maioris Poloniæ, iuxta tempus ſuæ erectionis, non obſtante quod in Statutis ſit poſita poſterior, & ita obſeruari mandauit.

3 Statui-

3 Statuitur, quod in Prouincijs Boſnæ Argentinæ, Boſnæ Croatiæ, Ruſſiæ, Sancti Ladislai in Schlauonia, quæ non habent reformationem deputentur duo, vel tres Conuentus pro recollectione Fratrum reformate viuere volentium, inter quos ſemper deputetur Conuentus Nouitiatus.

4 Ad conſeruandam pacem, & concordiam inter Prouincias, decernitur obſeruari debere terminos quæſtuationis ab vna quaque Prouincia, vbi ſunt; vbi verò non ſunt, præſcribantur concorditer à Miniſtris Prouincialibus, vnà cum Diffinitorijs in ordine ad inuiolabilem obſeruantiam.

5 Decernitur, quòd pro multitudine negotiorum Prouinciarum Reformatarum Ciſmontanæ Familiæ aſſignetur Reuerendiſſimo Patri Commiſſario generali eiuſdem Familiæ pro tempore exiſtenti, alius Secretarius Reformatus, qui poſt elapſum triennium officij Secretariatus, gaudeat priuilegijs, quibus potiuntur Secretarij Generales.

6 Sancitum eſt, vt in poſterum Officiales Curiæ nullum præbeant conſenſum memorialibus, & petitionibus, quæ fiunt contra formam Statutorum Religionis, & ad huius ordinationis firmitatem, ſupplicetur Sanctiſſimus, ne huiuſmodi gratiæ concedantur, antequam habeant veridicam notitiam, & informationem à Prouincijs.

7 Ad conſeruandam libertatem Religionis diſponit Capitulum generale, quòd fiat diligentia apud clementiſſimum Imperatorem, vt Commiſſarios Viſitatores etiam non Nationales, vel ſubditos Cæſareæ Maieſtati Suæ, admittere dignetur; ſi verò hoc obtineri non poſſit, reſtituatur Commiſſarius Generalis Nationalis, ſicuti erat priùs.

8 Decernit generale Capitulum, vt in poſterum illi, qui per ſex annos completos abſque interpolatione, Aduentus, & Quadrageſimæ, Magiſtri Chori in Conuentu celeberrimo Aracælitano de Vrbe munus debitè, & diligenter exercuerint, in præmium ſuorum laborum gaudeant priuilegijs, quibus potiuntur illi, qui fuerunt Diffinitores, ea tamen lege, vt inter ipſos teneant vltimum locum. Præmium verò aliorum Magiſtrorum Chori, relinquitur arbitrio Reuerendiſſimi P. Miniſtri Generalis.

9 Ad remouendas controuerſias, pacemque tuendam in Prouincia Boſnæ Argentinæ, ſtatuit Capitulum generale, vt in eadem Prouincia fiat alternatiua, hoc videlicet modo, vt vna vice eligatur Miniſter Prouincialis cum duobus Diffinitoribus ex parte Boſnæ, & Cuſtos cum duobus alijs Diffinitoribus ex partibus vltra, & citrà Sauum, & Maritimæ; Altera verò vice eligatur Miniſter Prouincialis cum duobus Diffinitoribus ex partibus maritimæ vltra, & citra Sauum, & Cuſtos cum duobus alijs Diffinitoribus, ex parte Boſnæ. Et interim ſine vlla dilatione congregentur ſigilla omnia Prouinciæ, & conſignentur Miniſtro Prouinciali actuali, & ita firmiter obſeruari mandauit.

10 Statuitur, vt in Conuentu, & Ciuitate Anconæ, manuteneatur Commiſſarius Terræ Sanctæ, cum facultate quæſtuandi ob neceſſitatem Fratrum euntium, & redeuntium de Ciuitate Sancta Hieruſalem, & pro alijs negotijs ſibi à Superiore generali committendis.

11 Ad remouenda inconuenientia, quę oriri ſolent circa Commiſſarios Terræ Sanctæ decernit Capitulum generale, vt deſuper obſeruentur inuiolabiliter Conſtitutiones Ordinis in vltimo Capitulo generali Toletano editæ.

12 Circa Moniales, confirmata, & renouata ſunt Statuta Ordinis vtriuſque Familiæ, mandantque Patres Capituli Generalis, quod inuiolabilite obſeruentur ab omnibus tam Superioribus, quàm ſubditis reſpectiuè; & præcipuè circa ingreſſum in Monaſteria, volentes, quod in Comitatu Superiorum, quacumque de cauſa ingrediantur, ſemper ſit Vicarius, ſeu Confeſſarius Monialium, ſub pœnis in eiſdem ſtatutis contentis.

13 Ad tollendas controuerſias, quæ oriri ſolent in Prouincijs Reformatis pro eligendis Commiſſarijs, ſtatuitur, quòd exeunte Miniſtro Prouinciali è limitibus Prouinciæ; eligatur Commiſſarius Prouincialis ſuffragijs Diffinitorum, iuxta Statuta Ordinis, & ita Capitulum Generale obſeruari mandauit non obſtantibus quibuſcumque.

14 Declaratur, quòd Vicarij Prouinciales, qui per biennium completum Prouincias rexerint, gaudeant præeminentijs, & priuilegijs taxatis à Conſtitutionibus Ordinis, non poſſint tamen in poſterum eligi in Diffinitores, niſi tranſacto triennio.

15 Statuitur, quòd Vicarij Prouinciales canonicè electi, debeant, & poſſint ferre ſuffragium in Capitulis Prouincialibus, & generalibus, tanquam Prælati Ordinarij Prouinciarum, ſicuti hucuſque in Religione vſu receptum eſt.

16 Inſtituuntur Studia generalia Sacræ

cræ Theologiæ in Conuentu Sanƈti Franciſci Ciuitatis Raguſiæ Prouinciæ Raguſiæ, & in Conuentu Sanƈtæ Mariæ ad Niues Ciuitatis Pragæ Prouinciæ Bohemiæ.

17 Declarantur ordinata ad Iubilationem Studia generalia Conuentus Sanƈti Didaci Ciuitatis Neapolis in Prouincia Principatus, & Conuentus Sanƈti Franciſci Ciuitatis Coſentiæ in Prouincia Calabriæ.

18 In vnoquoque Studio generali Sacræ Theologiæ, non collocentur niſi duo Leƈtores, exceptis ijs, quæ ordinata ſunt ad Iubilationem, in quibus tres poterunt collocari.

IVDICES

Ad expulſionem incorrigibilium iuxta Apoſtolicas Conſtitutiones deſignantur.

Pro Familia Vltramontana.

1 Adm.R.P.Fr.Alonſus Sorianus Diffinitor Generalis.
2 Adm.R.P.Fr. Blaſius de Beiumea Diffinitor Generalis.
3 Adm.R.P.Fr.Philippus le Roy Diffinitor Generalis.
4 Adm.R.P.Fr. Agatangelus Neſmod Diffinitor Generalis.
5 Adm.R.P.Fr.Patritius Tuffius Diffinitor Generalis.
6 Adm.R.P.Fr.Chriſtophorus de Roxas Diffinitor Generalis.

In abſentia verò alicuius ex præfatis Diffinitoribus Generalibus ſubſtituitur Adm. R.P.Fr. Miniſter Prouinciæ Caſtellæ pro tempore.

Pro Familia Ciſmontana.

1 Adm.R.P.Fr.Franciſcus de Mendoza Diffinitor Generalis.
2 Adm.R.P.Fr.Clemens Dolera Diffinitor Generalis.
3 Adm.R.P.Fr.Franciſcus de Baſtia Diffinitor Generalis.
4 Adm.R.P.Fr. Archangelus Romanus Diffinitor Generalis.
5 Adm.R.P.Fr.Paulus Budimiz Diffinitor Generalis.
6 Adm.R.P.Fr.Cherubinus de Sambuca Diffinitor Generalis.

Conuentus pro celebratione futuræ Congregationis generalis intermediæ arbitrio Reuerendiſſimi Patris Miniſtri Generalis relinquitur deſignandus.

Pro celebratione autem futuri Capituli generalis, Conuentus Sanƈti Ioannis Regum Toletanus deſignatur.

Numerus Fratrum defunƈtorum ab vltimo Capitulo Generali.

IN hoc Capitulo Generali per teſtimonia PP. Vocalium legitimè produƈta, inuentum eſt obijſſe ab vltimo Capitulo Generali Toletano decem millia, oƈtingentos, & decem Fratres. 10810.

Sorores verò, tria millia ducentas, & ſexaginta. 3260.

Sequuntur ſuffragia.

PRO Sanƈtiſſimo D.N.Alexandro VII. & pro eius incolumitate diuturna, à quolibet Sacerdote Ordinis tres Miſſæ celebrentur.

Pro Catholico Rege Philippo IV. Regina, Principe, & Regia prole, à quolibet Sacerdote duæ Miſſæ dicantur.

Pro Cæſarea Maieſtate, & Sereniſs. Rege Hungariæ, & Auguſta prole duæ Miſſæ dicantur.

Pro Chriſtianiſſimo Rege, & Matre Regina Gallorum, à quolibet Sacerdote duæ Miſſæ celebrentur.

Pro Eminentiſſima Congregatione Cardinalium, à quolibet Sacerdote vna Miſſa dicatur.

Pro Eminentiſſimo D.Cardinali Franciſco Barberino Ordinis Proteƈtore à quolibet Sacerdote vna Miſſa dicatur.

Pro Excellentiſſimis DD.Marchionibus de Cañete Capituli, & Religionis Patronis, quorum beneficentia expenſæ Capituli Generalis faƈtæ ſunt, à quolibet Sacerdote vna Miſſa dicatur.

Pro proſpero ſtatu Ordinis, & Seraphicæ noſtræ Religionis à quolibet Sacerdote vna Miſſa dicatur.

Pro fœlici Statu Sacri Ordinis Prædicatorum, à quolibet Sacerdote vna Miſſa celebretur.

Pro pace Principum Chriſtianorum, pro extirpatione hæreſum, Fidei propagatione, Viƈtoria contra infideles, ac Eccleſiaſtici Status proſperitate, à quolibet Sacerdote dicantur duæ Miſſæ.

Ego Franciſcus Cardinalis Barberinus Ordinis Proteƈtor, & Præſes Capituli.

Fr. Ildephonſus Salizanes Miniſter Generalis.

Fr.Michael Angelus de Sambuca Ex-miniſter Generalis.

Fr.Bo-

Fr. Bonauentura Caballus Commiſſarius Generalis.
Fr. Ioannes Munieſſa Excommiſſarius Generalis.
Fr. Andreas de Arteaga Procurator Generalis Ordinis.
Fr. Carolus à Genua Commiſſarius Generalis Curiæ.
Fr. Clemens à Monte Piloſo Procurator Reformatorum.
Fr. Alphonſus Sorianus Diffinitor Generalis.
Fr. Blaſius de Benjumea Diffinitor Generalis.
Fr. Philippus le Roy Diffinitor Generalis.
Fr. Agarangelus Neſmond Diffinitor Generalis.
Fr. Patritius Duffius Diffinitor Generalis.
Fr. Chriſtophorus de Roxas Diffinitor Generalis.
Fr. Franciſcus de Mendoza Diffinitor Generalis.
Fr. Clemens Dolera Diffinitor Generalis.
Fr. Franciſcus de Baſtia Diffinitor Generalis,
Fr. Arcangelus Romanus Diffinitor Generalis.
Fr. Paulus Budimiz Diffinitor Generalis.
Fr. Cherubinus de Sambuca Diffinitor Generalis.

Alexander Papa VII. Petente Salizanes Miniſtro Generali, iuxta ſupraſcriptum Capituli ſtatutum, concordatum de Commiſſario Generali inter Obſeruantes, & Reformatos alternando, & Diffinitoribus ex æquo diſtribuendis confirmauit, vt ſequitur.

ALEXANDER PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

ILlius qui charitas eſt, & Deus pacis, vices licèt immeriti, gerentes in terris, ea, quæ ad conſeruandam inter Religioſos viros indiuiduæ Fraternitatis concordiam prouidè ſtatuta, & decreta eſſe noſcuntur, vt firmiùs ſubſiſtant, & ſeruentur exactiùs, Apoſtolici Muniminis præſidio libenter conſtabilimus. Exponi ſiquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ildelphonſus Salizanes Miniſter Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum, quòd in Capitulo Generali dicti Ordinis nouiſſimè in hac Alma Vrbe noſtra celebrato, quædam alternatiua inter Fratres de Obſeruantia, & Reformatos nuncupatos Familiæ Ciſmontanæ eiuſdem Ordinis determinata fuit per Decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet.

[Cùm ad concordiam, Fraternamque pacem conſeruandam inter Obſeruantes, & Reformatos propoſitum fuerit in pleno Capitulo Generali, vt inter eos fieret alternatiua, ſcilicet, quòd vna vice eligatur Commiſſarius Generalis Ciſmontanæ Familiæ ex Reformatis, altera verò ex Obſeruantibus, decreuit idem Capitulum Generale vnanimi conſenſu, vtroque Definitorio, & Diſcretorio annuente, quòd ad eamdem pacem ſtabiliendam ſupradicta alternatiua fieret, hac tamen conditione, vt tres Diffinitores eligantur ex Obſeruantibus, & tres ex Reformatis in cunctis Congregationibus, & Capitulis Generalibus, nec non ad maiorem rei firmitatem ſupplicetur Sũmo Pontifici pro confirmatione huiuſmodi concordati.] Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, dictus Ildelphonſus Decretũ huiuſmodi pro firmiori illius ſubſiſtentia Apoſtolicæ Confirmationis noſtræ robore communiri ſummopere deſideret. Nos ſpecialem eidem Ildelphonſo Miniſtro Generali gratiam facere volentes, eumque à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, &c. Decretum præinſertum, in Capitulo Generali huiuſmodi factum, vt præfertur, omniaque & ſingula in eo contenta Authoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inuiolabili Apoſtolicæ Firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos iuris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus. Decernentes eaſdem præſentes literas, ac Decretum huiuſmodi ſemper firma, valida, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, inuiolabiliter obſeruari; ſicque in præmiſſis per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, &c. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit, Ordinis, Familiæ Ciſmontanæ huiuſmodi, etiam iuramento, vel Confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis, &c. Datum Romæ die 30. Auguſti 1664. Pontificatus Anno decimo.

Congregatio Generalis Romana anno 1667.

COngregatio Generalis, quæ anno 1667. celebranda erat, tempore iam immi-

imminente, Reuerendiſſimus Bonauentura Caballus, tunc in Ciſmontanis Commiſſarius Generalis conuocatorias litteras. Dat. Romæ die 17. Octobris 1666. in forma communi publicauit; ſed quas de ſpeciali mandato Reuerendiſſimi Salizanes Miniſtri Generalis à ſe dicit expeditas.

Cum verò poſt hæc fama inualeſceret, Caballum ipſum per ſpeciale Breue Alexandri VII. Papæ fuiſſe, vel fore in Commiſſariatus officio contra præcedentis Capituli Generalis concordata confirmãdum, (concordatum quippe fuerat in Capitulo Romano 1664. vt habetur in Tabula Capituli in Titulo pro Ciſmontana Familia n. 1. ad pacem, atque concordiam inter Obſeruantes, & Reformatos ſtabiliendam, vt Commiſſarius Generalis vna vice eligatur ex Obſeruantibus, altera ex Reformatis, hac tamen conditione, vt tres Diffinitores eligantur ex Obſeruantibus, & tres ex Reformatis in cunctis Congregationibus, & Capitulis Generalibus, quod virtute ipſius decreti, & ſupplicante Salizanes Miniſtro Generali, fuerat ab Alexãdro VII. Pontifice per ſpeciale Breue confirmatum, vt diximus in tom. 1. lib. 3.) percrebuerunt controuerſiæ: ſiquidem P. Antonius de Velaſco, Ex-Procurator Ordinis in Curia, & Carolus de Genua Commiſſarius Generalis Curiæ pro concordati præfati obſeruantia integra efficaciùs inſtabant apud Pontificem; Caballo autem Cõmiſſario Generali, alijſq; reclamantibus, à concordato diſſentijſſe Reformatos in pleno Diſcretorio; proindeque Breue confirmationis per Salizanes impetratum fuiſſe ſubreptitium; Cauſa Illuſtriſſimis Fagnano, Aloyſio, & Vgolino fuit à Pontifice commiſſa, qui poſt diligentiſſimum examen, Sanctiſſimo referant. His coram Iudicibus deputatis contra concordatum, & pro Breuis Confirmatorij ſubreptione, ſolemniter iurarunt P. Fabius Papazonius de Obſeruantia Prouinciæ Bononiæ Pater Lector Iubilatus, & Ex-Procurator Generalis, P. Archangelus de Roma de Obſeruantia Romanæ Prouinciæ Pater, & Ex-diffinitor Generalis, & Archiuiſta Generalis, atque P. Aſcanius de Aſſiſio Reformatus, Prouinciæ Seraphicæ Pater, & Procurator Generalis Reformatorum. Quãuis autem Procurator Ordinis, & Commiſſarius Curiæ obtenta duplici dilatione, atteſtationes procurauerint in contrarium, cum Alexander Pontifex premente morbo properaret ad mortem, re infecta, die 18. Aprilis 1667. publicatum fuit Breue nouum Alex. VII. per quod ex motu proprio præfatum P. Caballum in officio Commiſſariatus Generalis vſque ad futurum Generale Capitulum confirmatum eſſe voluit.

Alexandro Pontifice ſub die 22. Maij eiuſdẽ anni 1667. ad æternitatis vitam conuolante, publicatæ fuerunt Miniſtri Generales litteræ. Dat. Matriti die 4. Apr. 1667. quibus Antonium de Velaſco Procuratorem Ordinis in Curia, vice ſui Præſidem Congregationis inſtituebat; cũ verò contra inſtitutionem illã Commiſſarius Generalis ex dubitatione legitimæ facultatis opponeret, Cardinalis Barberinus Ordinis Protector, vt rem totam in pace componeret; iuriſdictionem huiuſmodi per ſpeciale Breue Vrbani VIII. Patrui ſui (quod hac ex occaſione primò publicauit) ſibi competere dixit; vnde die 28. Maij Sabatho Pentecoſtes ad Aram-Cæli veniens, Patribus ad Comitia in Refectorio congregatis, tùm breue Apoſtolicum Alexandri pro continuando in Commiſſariatu Caballo, tum litteras Generalis pro Velaſco in Præſidem deputato legi voluit; & vtrumque in ſui muneris poſſeſſionem immiſit. Velaſco Procuratore Ordinis contra Commiſſarij Generalis confirmationem reclamante, & ad futurum Pontificem appellante: Deinde ad cætera Congregationis Generalis acta deuentum eſt, vt ſtatim referemus.

Clemente IX. ad Summum Pontificatum euecto replicatis memorialibus ſupplicauit præfatus Ordinis Procurator, vt deputata ſpeciali Congregatione, controuerſia hæc pleniùs diſcuteretur, vnde de validitate, aut ſubreptione alterius Breuis, aut pro alternatiua præfata, aut pro confirmatione Commiſſarij Generalis iudicari deberet. Deputatis itaque Iudicibus Illuſtriſſimis Prælatis Hugolino de Vecchijs, de Rubeis, ac Gallio, cum ſuperſcriptione Pontificia ad ſupplicem libellum, *Videant, attendant, conſiderent, & referant*: cauſa hæc diutiùs examinata fuit, ſed abſque finali reſolutione; P. Caballus neq; de nouo confirmatus, neque reprobatus, officium Commiſſariatus permiſſus eſt exercere, donec ad Epiſcopatum Caſertenſem in Regno Neapolitano fuit aſſumptus; quo abeunte, P. Franciſcus à Torricella ex Marchiæ Prouincia, & Procurator Reformatorum pro Reformatis ſubſtitutus eſt Vice-Commiſſarius Generalis; atque pro Obſeruantibus Pater Euangeliſta de Crema Parzagus tunc Cõmiſſarius Curiæ, qui demum in menſe Auguſti 1669. ad Eccleſiam Zarenſem in Dalmatia promotus, ſucceſſorem habuit Patrem Benignum de Florentia ex Thuſciæ Prouincia tunc in Curia Commiſſarium.

Reuerendiſſimo itaq; Bonauentura Caballo in Commiſſariatu Familiæ perſeuerante, corruit equidem Alternatiua con-

cordati præfata; ſed Reformati, qui medietatem in Diffinitorio Generali fuerant aſſequuti, illa corruente, ad tertiam tantummodo partem fuerunt reſtituti, vt ex actis Capitularibus in futurum apparebit. Iam Congregationis huius acta deſcribimus.

In nomine Domini Amen.

TAbula, & acta celeberrimæ Congregationis Generalis pro Ciſmontana Familia nuperrimè celebratæ in hoc almo Conuentu Sanctæ Mariæ de Ara-Cæli Vrbis in vigilia Pentecoſtes die 28. Maij anni 1667. Præſidente Reuerendiſſimo P. Antonio de Velaſco Generali Ordinis Procuratore Loco Reuerendiſſimi P. Miniſtri Generalis totius Seraphici Ordinis.

In primis triennio fœliciter abſoluto ſub Commiſſariatu Reuerendiſs. P. Bonauenturæ Caballo; denuo Sua Paternitas Reuerendiſſima fuit confirmata per aliud triennium à ſanctæ mem. Alexandro VII. per ſuum Breue de motu proprio.

Biennio non abſoluto, etiam confirmatus fuit à Reuerendiſs. P. Ildelphonſo Salizanes Miniſtro Generali in officio Procuratoris Generalis ſupradictus P. Antonius de Velaſco Prouinciæ Sancti Iacobi Lector Iubilatus, ac Sancti Officij Qualificator.

Commiſſarius Generalis Curiæ.

Adm. R. P. Euangeliſta Parzagus Cremenſis Prouinciæ Brixiæ Prædicator, & Lector Generalis, ſuæ Prouinciæ Pater, ac S. Officij Conſultor.

Diffinitores Generales Ciſmontanæ Familiæ per Patres Vocales Obſeruantium, & Reformatorum, capitulariter, ac legitimè congregatos electi anno Domini, vt ſupra, die verò trigeſima menſis Maij ſunt ſcilicet.

Adm. R. P. Antonius Stephanoniez Prouinciæ Minoris Poloniæ Ex-Miniſter, & Cuſtos.

Adm. R. P. Clemens à Neapoli Prouinciæ Reformatæ Terræ Laboris Ex-Miniſter.

Adm. R. P. Franciſcus Maria de Caſtro Sancti Petri Prouinciæ Bononiæ Lector Iubilatus, & Cuſtos.

Adm. R. P. Antonius Cataneus Prouinciæ Mediolani, Secretarius Generalis Ordinis, & Cuſtos.

Adm. R. P. Agnellus de Neapoli Lector Iubilatus Prouinciæ Terræ Laboris, Secretarius Generalis Ciſmontanæ Familiæ.

Adm. R. P. Marcus de Luca Prouinciæ Reformatæ Romanæ electus per Breue à Sanctiſſimo D. N. Alexandro VII.

Summarium prouiſionum editarum in Generali Congregatione Fratrum Minorum Obſeruantium, & Reformatorum.

Primò ſub die 31. Maij anno 1667. in pleno Generali Diffinitorio ad inſtantiam Prouinciæ Obſeruantiæ Siciliæ Conuentus Sanctæ Mariæ de Ieſu in Ciuitate Meſſanæ inſtitutus fuit in ſtudium in Ordine ad Iubilationem.

2. Ad inſtantiam Prouinciæ Obſeruantiæ Vallis Nethi deputatus fuit Conuentus Sanctæ Mariæ de Ieſu Ciuitatis Vallatæ pro ſtudio Generali.

3. Ad inſtantiam Prouinciæ Obſeruantiæ Vallis Mazzariæ Conuentus S. Mariæ de Ieſu Ciuitatis de Drapano inſtitutus fuit pro ſtudio Generali.

Sub die prima Iunij 1667.

1. In eodem pleno Diffinitorio Generali Conuentus S. Martini de Cerigo ad inſtantiam Miniſtri Prouincialis Candiæ inſtitutus fuit in Conuentum formalem cum diſpenſatione ſuper his, quæ ex Conſtitutionibus Generalibus obſtarent.

2. Petitio Patrum Diffinitorum Generalium habitualium pro voto perpetuo in ſuis Prouincijs remiſſa fuit in Capitulo Generali celebrando.

3. Petitio Prouinciæ Reformatæ Minoris Poloniæ pro iudicandis cauſis criminalibus, à ſolo P. Miniſtro Prouinciali cum Diſcretis loci ponderabitur, & reſoluetur, ſecundùm quod magis expedire videbitur.

4. Interdictum eſt Fratribus Prouinciæ Candiæ, ne deinceps incorporentur in alienas Prouincias iuxta Conſtitutiones aliàs ſuper hoc editas.

5. Ad inſtantiam Prouinciæ Obſeruantiæ Septem Martyrum ſtudium Generale Ciuitatis de Monte Leone inſtitutum fuit in Ordine ad Iubilationem.

Sub die 2. Iunij 1667.

1. IN eodem pleno Generali Diffinitorio R. P. Franciſcus Maria de Politio Prouinciæ Vallis Mazzariæ de Obſeruantia Lector Iubilatus confirmatus facit in Guardianum Hyeruſalem ob inſignem zelum, & prudentiam.

2. P. F. Arſenius de Mediolano deputatus fuit Guardianus Conſtantinopolis.

3. Determinatum eſt, vnamquamque Prouinciam teneri ad veſtiendum Fratres ſtu-

ſtudentes, qui in ea commorantur, exceptis his, qui manent in Conuentu Sanctæ Mariæ de Ara-Cœli, & Sanctæ Mariæ Nouæ Neapolis.

4. In Prouincia Ruſſiæ Conuentus Leopolitanus S. Andreæ pro ſtudio Generali in Ordine ad Iubilationẽ deputatus fuit.

5. Conuentus Ciuitatis de Auerſa Prouinciæ Obſeruantiæ Terræ Laboris deputatus fuit pro ſtudio Generali.

6. Conuentio de præcedentia inter Ex-Procuratores Generales, & Commiſſarios Curiæ præteritos remiſſa fuit Sacræ Congregationi, vel Eminentiſsimo Protectori.

7. Præceptum eſt Miniſtris Prouincialibus, tàm Obſeruantibus, quàm Reformatis, nè in poſterum in ſuis Prouincijs admittant, vel recipiant Tertiarios abſque ipſorum reſpectiuè Prouincialium licentia.

8. Litteris Ciuitatis Nethi ſuper officium S. Conradi noſtri Ordinis Tertiarij reſponſum eſt, quòd facta Summi Pontificis creatione, cauſa adiuuabitur prout fieri poterit.

9. Lis de præcedentia inter Prouincias Obſeruantiæ Vallis Mazzariæ, & Vallis Nethi, & inter has cum Prouincia Siciliæ remiſſa fuit Generali Capitulo, & interim nihil circa eam innouandum eſſe.

Sub die 3. Iunij 1667.

1. Studium Generale Brixiæ inſtitutum fuit in ordine ad Iubilationem.

2. Conuentus Sancti Bernardini Cremæ deputatus fuit pro ſtudio Generali.

3. Prouinciæ Obſeru. Baſilicatæ conceſſum fuit ſtudium Generale pro Conuentu Ciuitatis Tricaricę.

4. Conceſſum fuit Prouinciæ Reformatæ Bohemię, vt reaſſumat antiquum Titulum, & Sigillum Prouinciæ S. wenceslai cum inſcriptione Ordinis Minorum Sancti Franciſci Reformatorum.

5. Determinatum eſt, quòd in cauſa præcedentiæ in Prouincia Bohemiæ, & Prouincijs Maioris, & Minoris Poloniæ, Corſicæ, & Brixię ſeruetur ordo Statutorum Generalium.

Sub die 4. Iunij 1667.

1. In eodem pleno generali Diffinitorio, primo determinatum eſt, quòd Fratres Minoris Polonię, vel aliarum Prouinciarum exterarum ſine litteris obedientialibus Superiorum Generalium manentes in Prouincia Ruſſię remittantur ad propriã, quod intelligendum eſt de Fratribus, qui ibi cõmorantur poſt concordatum factum inter Prouincias, & ſine licentia Superiorum, & moneatur vterque Miniſter, ne huiuſmodi ordinationem tranſgrediantur ſub pœnis in Statutis comminatis.

2. Reſolutum eſt, electionem Cuſtodis mittendi ad Capitulum Generale, & electionem Commiſſarij relinquendi in abſentia Miniſtri pertinere ad ſolum Diffinitorium.

3. Renouatur Statutum ſub eiſdem pœnis pro erectione Conuentuum in debita diſtantia per Conſtitutiones Apoſtolicas declarata, & præcepta.

4. Præceptum eſt, ne Patres Reformati vllatenus recipiant Religioſos ex Obſeruantia ad ęos tranſire volentes, niſi ſeruatis Decretis, & Ordinis Conſtitutionibus.

5. Deputatio Lectorũ pro ſtudijs Generalibus relicta fuit, vt moris eſt, prudentiæ, & paterno zelo Reuerendiſs. P. Commiſſarij Generalis; hiſque omnibus, ac cæteris ad huius Ciſmontanę Familiæ bonum regimen ſpectantibus peractis iuxta pacificam, & prudentiſſimam directionem prænominati Reuerendiſſimi Patris Antonij de Velaſco Congregatio Generalis abſoluta, & feliciter terminata fuit ad laudem, & gloriam D.O.M. ſub die 4. Iunij in Ara-Cœlitano Conuentu.

Fr. Antonius de Velaſco Procurator Generalis, & Præſes.
Fr. Bonauentura Caballus Commiſſarius Generalis.
F. Euangeliſta Parzagus Commiſſarius Generalis Curiæ.
F. Agnellus de Neapoli Diffinitor Generalis.
F. Antonius Stephanoniz Diffinitor Generalis.
Fr. Clemens à Neapoli Diffinitor Generalis.
F. Antonius Cataneus Diffinitor Generalis.
F. Franciſcus Maria de Caſtro S. Petri Diffinitor Generalis.

CXXXVI. *Cap. Gen. Valliſoleti Anno 1670.*

Iam per litteras conuocatorias Reuerendiſſimi Salizanes iam Ouetani Epiſcopi, & adhuc per Breue Pontificium Clem. IX. Ordinem regentis, celebrandum erat Toleti hoc Capitulum, ſed eodem Salizanes ſupplicante per aliud Apoſtolicum Breue celebratum eſt Valliſoleti: vide de his omnibus, tom. 1. Orb. Seraph. vt & de multiplicatis hic Diffinitoribus Generalibus.

In Dei nomine Amen.

Hæc eſt Tabula Celeberrimi Capituli Generalis Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſeruantiæ Seraphici Patris noſtri S. FRANCISCI,

Celebrati in Sacro eiuſdem Conuentu Valliſoleti, Almæ Prouinciæ Immaculatæ Conceptionis die 24. Iunij 1670.

PRÆSIDENTE

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Domino

D. Federico Borromeo Patriarcha Alexandrino, S. Sedis Apoſtolicæ in Regnis Hiſpaniarum apud Regem Catholicum cum poteſtate Legati à Latere, Nuncio &c.

In quo ducenta, & ſexaginta ſuffragia ex toto Terrarum Orbe ad electionem conuenerunt.

SANCTISSIMO D. N.

CLEMENTE X.

SVMMO PONTIFICE.

In Nomine Domini Amen.

IN primis expleto ſexennio, & non minori pace, quàm cum ſingulari, & nunquam ſatis laudata prudentia, omniumque ſatisfactione, abſoluto fœliciter Miniſteriatu Generali Reuerendiſſimi Patris, & Illuſtriſs. DD. Fratris Ildephonſi Salizanes, electi, & confirmati Epiſcopi Ouetenſis, Reuerendiſſimus Pater Fr. Franciſcus Maria Rhini à Polirio, Lector Iubilatus, Sanctæ Inquiſitionis Qualificator, & Conſultor, Prouinciæ Vallis Mazzariæ Regularis Obſeruantiæ Pater, Sacri Montis Syon Guardianus, Commiſſarius Apoſtolicus in Partibus Orientis, & totius Terræ Sanctæ Cuſtos cunctorum animis, incredibili propenſione, & meritorum veneratione ad ipſum ex omni natione confluentibus, cum maximo applauſu, & libentiſſimis ſuffragantium votis in Miniſtrum Generalem totius Ordinis Fratrum Minorum, ritè, & canonicè electus eſt.

Commiſſarius Generalis Ciſmontanæ Familiæ.

Reuerendiſſimus Pater Fr. Ioſeph Ximenez Samaniego, Lector Iubilatus, Theologus Catholicæ Maieſtatis pro Promotione Sac. Myſterij Immaculatæ Conceptionis, Prouinciæ Burgenſis olim Miniſter Prouincialis, & Cuſtos, omnium vocalium votis, & communi applauſu in Commiſſarium Generalem huius Ciſmontanæ Familiæ canonicè electus eſt.

Pater vtriuſque Familiæ.

Reuerendiſſimus Pater, & Illuſtriſſimus DD. Fr. Ildephonſus Salizanes Exminiſter Generalis, electus, & confirmatus Epiſcopus Ouetenſis.

Commiſſarius Generalis Ordinis in Curia Romana.

R. A. P. F. Franciſcus Maria à Bononia, Lector Iubilatus, Sac. Congreg. Indicis, & Rituum Conſultor, Prouinciæ Bononiæ Regularis Obſeruantiæ Exminiſter Prouincialis, & Ex-Diffinitor Generalis Ordinis.

Commiſſarius Generalis in eadem Curia.

R. A. P. F. Ioſeph Coppons, Lector Iubilatus Prouinciæ Cathaloniæ olim Miniſter Prouincialis, & Cuſtos; Sine præiudicio tamen admod. R. P. F. Didaci de Mendibil, qui cum titulo Commiſſ. Generalis in eadem Curia à die poſſeſſus Procuratoratus Generalis, biennium adimplere debet.

Diffinitores Generales Vltramontanæ Familiæ.

1. R. A. P. F. Gabriel à Politio, Prouinciæ Vallis Mazzariæ Regularis Obſeruantiæ Miniſter Prouincialis.
2. R. A. P. F. Franciſcus Gattinara, Prouinciæ Mediolanenſis Regularis Obſeruantiæ Cuſtos.
3. R. A. P. F. Antonius Franciſcus à Genua, Ex-Secretarius Generalis Ordinis, Prouinciæ Ianuenſis Pater, & Prominiſter.
4. R. A. P. F. Hyacintus ab Alexandria, Sacræ Theologiæ Lector, & Prouinciæ Sancti Didaci Reformatorum Cuſtos.
5. R. A. P. F. Maximilianus Alchiuich, Prouinciæ Sancti Ladislai Regularis Obſeruantiæ Miniſter Prouincialis.
6. R. A. P. Fr. Antonius à Melitello Prouinciæ Reformatæ Siciliæ Cuſtos.

Diffinitores Generales Ciſmontanæ Familiæ.

1. R. A. P. F. Antonius de Medina, Concionator Regis Catholici, Prouinciæ Sancti Iacobi olim Miniſter Prouincialis, & Prominiſter.
2. R. A. P. F. Antonius Bohordo, Lector Iu-

Iubilatus, Prouinciæ Immaculatæ Conceptionis Miniſter Prouincialis.

3. R.A.P.F. Gullielmus Herinx, Lector Iubilatus, Prouinciæ Germaniæ inferioris Pater, & Prominiſter.

4. R.A.P.F. Antonius la Graffe Concionator Regis Chriſtianiſſimi, Prouinciæ Sancti Ludouici Regularis Obſeruantiæ, & Prominiſter.

5. R.A.P. F. Silueſter Caſtet, Prouinciæ Sanctiſſimi Sacramenti Recollectorum Miniſter Prouincialis.

6. R. A. P. F. Patritius Tyrellus, ſacræ Theologiæ Lector Generalis, Prouinciæ Hiberniæ Pater, Exſecretarius Generalis Ordinis, & Prouinciæ Daciæ Miniſter Prouincialis.

Diffinitores Generales ſuper additi decreto huius Capituli Generalis.

Pro Vltramontana Familia.

1. R. A. P. F. Ioſeph à Cuneo Prouinciæ Sancti Thomæ Pedemontium Regularis Obſeruantiæ Miniſter Prouincialis.

2. R. A. P. Fr. Vincentius à Baſſiano Prouinciæ Romanæ Obſeruantium Cuſtos.

3. R. A. P. F. Bonauentura à Conflentis Prouinciæ Reformatorum Miniſter Prouincialis.

Pro Ciſmontana Familia.

1. R. A. P. F. Ioannes Romanus, Lector Iubilatus, Sanctæ Inquiſitionis Qualificator, & Prouinciæ Caſtellæ Miniſter Prouincialis.

2. R.A.P.F. Ludouicus Cæſar Lector Iubilatus, Prouinciæ Portugalliæ Pater, & Cuſtos.

3. R.A.P.F. Sebaſtianus Girard, Doctor Pariſienſis, & Prouinciæ magnæ Franciæ Prominiſter.

4. R.A.P.F. Ioannes à Sancto Bernardo Lector Iubilatus, Sanctæ Inquiſitionis Qualificator, & Prouinciæ Sancti Michaelis Tertij Ordinis in Bethica Miniſter Prouincialis.

Guardianus, & Cuſtos Terræ Sanctæ Hieroſolymorum.

R.A.P.F. Theophilus Nola, Lector Iubilatus, Prouinciæ Terræ Laboris Regularis Obſeruantiæ Pater.

Guardianus Conſtantinopolitanus.

Relinquitur arbitrio Reuerendiſſimi Miniſtri Generalis.

Sacræ Theologiæ ſtudia in ordine ad Iubilationem deſtinata, iuxtà Conſtitutiones Apoſtolicas Clementis VIII. & SS. D. N. Vrbani VIII.

Et Lectores generales pro Vltramontana Obſeruant. Familia.

In Conuentu noſtro Sanctæ Mariæ de Aracæli Romæ.

P.F. Ioannes Garrido.
P.F. Antonius à Caprarola.
P. F. Franciſcus de Raguſio.

In Conuentu Sanctæ Mariæ Nouæ Neapolis.

P.F. Hieronymus Soſa.
P.F. Cherubinus à Iaci.
P.F. Dominicus ab Arenzo.

In Conuentu S. Franciſci Peruſii.

P.F. Stephanus à Peruſio.
P.F. Franciſcus à Peruſio.
P.F. Hieronymus à Lacu Peruſino.

In Conuentu omnium Sanctorum Florentiæ.

P.F. Cherubinus à Bibiena.
P.F. Bernardinus à Florentia.
P.F. Bonauentura à Florentia.

In Conuentu Sanctiſſimæ Annunciatæ Bononiæ.

P.F. Bonauentura à Cutignola.
P.F. Angelus Gabriel à Bononia.
P.F. Ioannes Baptiſta à Reggio.

In Conuentu S. Franciſci Paduæ.

P.F. Petrus à Venetijs.
P.F. Antonius Maria à Sancto Ioanne.
P.F. Clemens de Moroſtica.

In Conuentu Sanctiſſimæ Annunciatæ Genuæ.

P.F. Auguſtinus Gandolfus de Chiauari.
P.F. Clemens de Monelia.
P.F. Fœlix à Recco.

In Conuentu S. Angeli Mediolani.

P.F. Antonius à Trecate.
P.F. Didacus à Roahas.
P.F Caſimirus à Lauda.

In Conuentu S. Mariæ Angelorum Panormi.

P.F. Ignatius à Sciaccha.
P.F. Marinus à Carinio.
P.F. Bonauentura à Termis.

In

In Conuentu S. Bernardini Aquilæ.

P.F.Antonius à Nereto.
P.F.Bonauentura à Caprarola.
P.F.Antonius à Panormo.

In Conuentu S.Didaci Neapolis.

P.F.Pacificus à Verona.
P.F.Ludouicus de Acquis.
P.F.Alexander à Carinio.

In Conuentu S.Franciſci Anconæ.

P.F.Franciſcus Nouellara.
P.F.Bouauentura à Patricoſo.
P.F.Antonius à Cartoceto.

In Conuentu S.Franciſci Lucæ.

P.F.Iulianus à Luca.
P.F.Nicolaus de Cortona.
P.F.Celſus à Senis.

In Conuentu S.Antonij Licij.

P.F.Bonauentura à Melita.
P.F.Ioannes à Vigilijs.
P.F.Antonius ab Acquarica.

In Conuentu S.Franciſci Coſentiæ.

P.F.Daniel à Morano.
P.F.Antonius à Baſtia.
P.F.Ludouicus Morano.

In Conuentu S.Hieronymi Viennæ.

P.F.Simon Guarſia.
P.F.Maxentius Trinſner.
P.F.Marianus Schmidr.

In Conuentu S.Bernardini Cracouiæ.

P.F.
P.F.
P.F.

In Conuentu Sanctæ Mariæ ad Niues Pragæ.

P.F.Patritius Pallet.
P.F.Erneſtus Sahaff.
P.F.Bernardinus Sanich.

Studia Generalia erecta in ordine ad Iubilationem in Congregatione Generali Romæ 1667.

In Conuentu S. Mariæ de Ieſu Meſſanæ.

P.F.Bonauentura à Meſſana.
P.F.Cherubinus à Neapoli.
P.F.Ioſeph Maria ab Auguſta.

In Conuentu Ieſu Mariæ Foggiæ.

P.F.Antonius à Sancto Ioanne Rotundo
P.F.Ambroſius à Mamphredonia.
P.F.Vincentius à Caſali.

In Conuentu S. Mariæ de Ieſu Montis Leonis.

P.F.Antonius à Lipari.
P.F.Ioſeph à Cortona.
P.F.Coſmas à Roma.

In Conuentu Leopolitano Sancti Andreæ.

P.F.
P.F.
P.F.

In Conuentu S. Ioſeph Brixiæ.

P.F.Iſidorus à Crema.
P.F.Ioannes à Guidiciolo.
P.F.Fauſtinus à Cliaci.

Studia Generalia in Ordine ad iubilationem erecta in præſenti Capitulo Vallis-Oletano.

In Conuentu Sancti Thomæ Taurini.

P.F.Michael Antonius à Vigone.
P.F.Angelicus à Genua.
P.F.Petrus Paulus à Peruſio.

In Conuentu Sancti Bernardini Alexandriæ.

P.F.Petrus Marinus Sormano.
P.F.Bartholomæus à Caramagna.
P.F.Franciſcus Amedeus Milaninus.

In Conuentu Sanctæ Annæ Varſauiæ Poloniæ Maioris.

P.Fr.
P.Fr.
P.Fr.

Alia Studia Sacræ Theologiæ, & Lectores Generales deputantur:

In Conuentu Sanctæ Mariæ Nouæ Fani.

P.F.Sanctus à Collodio.
P.F.Carolus à Collemato.
P.F.Ioannes Baptiſta à Gigliano.

In Conuentu S.Franciſci Mantuæ.

P.F.Ioannes ab Aſculo.
P.F.Auguſtinus à Trento.
P.F.Petrus Antonius à Canturio.

In

In Conuentu S. Mariæ Ieſu Motucæ.

P.F. Angelus à Ferula.
P.F. Stephanus à Bettona.
P.F.

In Conuentu Paradiſi Viterbij.

P.F. Hieronymus à Loreto.
P.F. Ioannes Chryſoſtomus à Roma.
P.F. Franciſcus à Burgo S. Sepulchri.

In Conuentu S. Spiritus Ferrariæ.

P.F. Angelus à Briſighella.
P.F. Fuluius à Cento.
P.F. Camillus à Mirandula.

In Conuentu S. Franciſci Raguſij.

P.F. Hiacyntus à Raguſio.
P.F.
P.F.

In Conuentu S. Crucis Piſarum.

P.F. Paulus Vantini.
P.F. Bartholomæus à Romena.
P.F. Lucas à Cutigliano.

In Conuentu Labaci in Croatia.

P.F. Antonius Lazari.
P.Fr. Sigiſmundus Sigonius.

In Conuentu Vilnæ ad Sanctam Franciſcum.

P.F.
P.F.

In Conuentu Poſnanienſi.

P.F.
P.F.

Alia Studia Generalia erecta in Congregatione Generali Romæ 1667.

In Conuentu S. Mariæ de Ieſu Drepani.

P.F. Bonauentura ab Altamura.
P.F. Benedictus à Panormo.

In Conuentu S. Mariæ de Ieſu Valletæ Melitæ.

P.F. Franciſcus à Pontaſſione.
P.F. Fortunatus à Mediolano.

In Conuentu S. Mariæ Magdalenæ Auerſæ.

P.F. Laurentius à Rotigliano.
P.F. Franciſcus à Seſſa.
P.F. Angelus à Neapoli.

In Conuentu S. Bernardini Cremæ.

P.F. Antonius à Crocetto.
P.F. Petrus Antonius Graſſi.

In Conuentu Ciuitatis Tricariæ.

P.F. Bonauentura à Minerbino.
P.F. Auguſtinus à Sancto Ioanne Rotundo.

Alia Studia Generalia erecta in præſenti Capitulo Generali Vallis Oletano 1670.

Conuentu S. Franciſci Zagabriæ.

P.F. Alexius Bazialioriſch.
P.F. Antonius Apinus.

In Conuentu Bitontino Sancti Nicolai de Bario.

P.F. Bernardinus à Bironto.
P.F. Antonius à Puteolis.

Alij Lectores Generales non aſſignati, ac Lectores Artium in Conuentu Sanctæ Mariæ de Aracæli, & alijs Conuentibus pro Seminarijs Iuuenum, deputabuntur à Reuerendiſſimo Patre Miniſtro Generali.

Studia generalia in ordine ad Iubilationem.

Conuentus:
- S. Mariæ de Aracæli.
- S. Mariæ Nouæ Neapolis.
- S. Franciſci Peruſij.
- Omnium Sanctorum Florentiæ.
- Sanctiſſimæ Annunciatæ Bononiæ.
- S. Franciſci Paduæ.
- SS. Annunciatæ Genuæ.
- S. Angeli Mediolani.
- S. Mariæ Angelorum Panormi.
- S. Bernardini Aquilæ.
- S. Didaci Neapolis.
- S. Franciſci Anconæ.
- S. Franciſci Lucæ.
- S. Franciſci Licij.
- S. Franciſci Coſentiæ.
- S. Hieronymi Viennæ.
- S. Bernardini Cracouiæ.
- S. Mariæ ad Niues Pragæ.
- S. Mariæ de Ieſu Meſſanæ.
- Ieſu Mariæ Foggiæ.
- S. Mariæ de Ieſu Montis Leonis.
- S. Andreæ Leopolitani.
- S. Ioſeph Brixiæ.
- S. Thomæ Taurini.
- S. Bernardini Alexandriæ.
- S. Annæ Varſauiæ.

FRA-

F. R. FRANCISCVS MARIA RHINI à Politio totius Ordinis S. Patris noſtri Franciſci Miniſter Generalis, & ſeruus: vniuerſis in Chriſto IESV dilectiſſimis eiuſdem Ordinis Fratribus, tam Superioribus, quàm ſubditis, ſalutem in Domino ſempiternam.

TEnuitatis meæ conſcius, grauem nimis, & moleſtam ſentio totius Religionis Seraphicæ per Orbem diffuſæ ſarcinam, imbecillitatis meæ humeris diuina prouidentia impoſitam, dum Patrum Vocalium vndequaque confluentium ſuffragijs in vigilia Pentecoſtes anni præſentis, Vallis-Oleti iuxtà præſcriptum Regulæ electus fui in Generalem Miniſtrum, & ſeruum totius Fraternitatis, atque adeo in legitimū ſucceſſorem Seraphici P. N. Franciſci, cuius etiam dignitas in indigno hærede non deficit.

Non ego elegi vos, ſed vos in Capitulo Religionis congregati me elegiſtis, & ſpeculatorem domus Iſrael conſtituiſtis, necnon Cuſtodem vineæ illius electæ, quam cœleſtis Agricola plantauit in ſolo militantis Eccleſiæ, per alterum Angelum aſcendentem ab ortu Solis, habentem ſignum Dei viui, B. Franciſcum, quæ extendit palmites ſuos à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos Orbis terrarum propagines ſuas, immò quæ huius emiſphærij anguſtijs nequiens contineri, in ipſa America ingenti velocitate, & animarum fructu mirabiliter excreuit.

Adiutorium proindè veſtrum, Fratres, & Filij amantiſſimi, inſtanter imploro, vt vobis auxiliantibus, onus, cui de veſtro, ac (vti confido) diuino beneplacito humeros imbecilles ſuppoſui, non ſolùm tolerabile, ſed ipſi Deo in primis glorioſum, Eccleſiæ, ac Religioni Seraphicę proficuum, mihi denique ſalutare fiat: ne quando ſanguinis animarum veſtrarum (pro quibus Mercator non inſipiens ſanguinem ſuum dedit) de manibus meis requiratur, ne quando (in quam) in me verificari contingat, *Poſuerunt me Cuſtodem in vineis: vineam meam non cuſtodiui.*

Præſtabitis porrò adiutorium ſinguli, ſi non tantùm veſtris, quas ſuppliciter efflagito, orationibus copioſum Sancti Spritus robur à Deo mihi impetrare ſtudeatis, verùm etiam vitæ, ac Religionis Seraphicæ iugum per Chriſti gratiam ſuaue, & leue, quod ſinguli per ſanctam profeſſionem voluntariè aſſumpſiſtis, fideliter, & perſeueranter portetis: ſi quod profeſſione celebratis, opere compleatis: ſi ſinguli in ſuis munijs ſeduli, & vigilantes, ſi Sacræ Regulæ boni æmulatores effecti in ea coram Deo, Angelis, & hominibus glorioſi fieri contendatis: ſi attendatis ad petram vnde exciſi eſtis; ad Seraphicum veſtrum Patrē, qui genuit vos; ad Seraphicam Religionē Matrem veſtram, quæ peperit vos Chriſto; ad pactum, quod ſpopondiſtis, ad Regulam, quam coram Angelis, & Sanctis Deo vouiſtis; ad Conſtitutiones, quę inſtar antemuralis, Regulam, ſeu vineæ Seraphicæ murum, in ſua firmitate cuſtodiunt.

Alioquin ſanè dilectiſſimi, corda veſtra aggrauantes, ſarcinam ipſam officij mei aggrauabitis, imò omnino importabilem culpa veſtra reddetis, ſi offendiculum proximo veſtro præbentes, obloquentium vitupratiouibus fietis obnoxij. Digna enim ab ipſis ſæculi ſectatoribus repræhenſione carpemur, & noſtro vitio linguæ eorumdem in opprobrium quoque noſtræ, ſe Religionis armabunt, ſi mores noſtri à Religioſæ, ac Seraphicæ vitæ inſtitutis diſcrepauerint. Si qui verò (quod Deus auertat) reperirentur, qui conſuetudinis, verius corruptelę prætextu, aduerſus Regulæ præcepta, ſeu puritatem, ſibi aut alijs puluilos laxitatū ſub cubitis conſuere non erubeſcerent, ſciant, quòd Sacra Religio talem conſuetudinem non admiſerit, ſed ei iugiter in Capitulis Generalibus contradixerit, ac nouiſſimè in præſenti Capitulo Vallis-Oletano concorditer proteſtata fuerit, nullam in Regulæ præceptis relaxationem ſe agnoſcere, aut tolerare quinimmò omnia adamuſſim declarationum Papalium in viridi obligatione perſiſtere.

Ad omnes pertinet iſte noſter ſermo, quos cura noſtra complectitur. Omnes vos per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, & pretioſum ſanguinem Ieſu Chriſti pro ſalute noſtra, in Sacro Monte Caluariæ (quem ex ſingulari Dei bonitate quinque annorū curriculo, velut Terræ Sanctæ Præſul, licèt indignus, incolui) effuſum, obteſtor, vt memores vocationis, & profeſſionis veſtræ, ea, quæ Domino vouiſtis, de die in diem reddere fideliter ſtudeatis.

In primis autem cordibus omnium inculcata maneat obſeruantia Euangelicæ paupertatis, quæ noſtri Ordinis eſt fundamentum, *cui ſubſtrato primariè, ſic omnis ſtructura Religionis innititur, vt ipſius firmitate firmetur, & euerſione funditus euertatur*, ipſo Patre Seraphico atteſtante, qui ad eandem nos in Regula extimulans. *Hæc eſt* (inquit) *illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ vos, chariſſimos Fratres meos, hæredes, & reges Regni Cælorum inſtituit, pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimauit. Hæc ſit portio veſtra, quæ perducit in terram viuentium: Cui dilectiſſimi Fratres, totaliter*

inhe-

inhærētes, nihil aliud pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti in perpetuum ſub cœlo habere velitis.

Hæc ipſa in nobis non ſolùm proprium in particulari, peſtem etiam in cæteris Religioſis, ac Religionibus exitialem, excludit, ſed inſuper in communi ad normam Papalium declarationum, quibus Religioni ſaluberrimè prouidetur, vt Regula ipſa hac in parte ſecuriùs valeat obſeruari. Hæc eadem ad arctum in multis per Regulam expreſſis vſum, quoad numerum nempè tunicarum, carentiam calceamentorum, abſtinentiam ab equitando citra manifeſtam neceſſitatem, omnimodam ab vſu pecuniæ elongationem, nos omnes grauiter adſtringit. Hæc conſcientias noſtras coarctat ad veſtium vilitatem, ad vſum in alijs articulis per Regulam non expreſsis, moderatum. Hæc eſt Euangelica illa margarita, quam, ſicut relictis omnibus ſtuduimus nobis comparare, ſic eam laboremus fideliter conſeruare. Qua propterea, quæ de vilitate, aſperitate (ſalua ſemper honeſtate) veſtimentorum, & quoad longitudinem, ac latitudinem eorumdem, in Conſtitutionibus Ordinis ſalubriter conſtituta ſunt, illibatè ſeruētur, ne ipſa curioſitas, aut pompa veſtitus coarguat nos, veluti à ſpiritu Seraphico degeneres.

Pariter nobis omnibus, tàm ſuperioribus, quàm ſubditis, cordi ſit vitæ communis ſequela, ſiue obſeruantia, vitæ Religioſæ baſis, & fulcimentum, tantopere per Conſtitutiones Eccleſiæ, ac Religionis inculcata. A qua gradus eminens quarumuis perſonarum, etſi Prælaturarum præſenti, vel præterita functione fulgentium, ſic eas non eximit, vt potiùs ad officia alioquin inhabilitet, arctiuſque ad ipſam conſtringat illos, qui dati ſunt inferioribus in exemplum, quod ſequantur.

Et quoniam virulentum Religionis venenum eſt, impunis ad fauores perſonarum ſæcularium, ſiue extrà Ordinem conſtitutarum recurſus, quo plerumque, & obedientiæ puritas infringitur, & humilitatis Franciſcanæ ſplendor marceſcit, & iuſtitiæ diſtributiuæ æquitas inflectitur, ipſaque Regiminis neceſſaria authoritas, poſtpoſitis cauſarum, & perſonarum meritis, ſubindè violenter, cum ordinis confuſione, & conſcientiarum multiplici diſpendio, ſauciantur. Declaramus nos, inhęrendo Conſtitutionibus Apoſtolicis, deſuper emanatis, & in generalibus Conſtitutionibus contentis, ac nouiſſimè confirmatis per fœlicis recordationis Vrbanum Octauum (cuius Conſtitutio ad effectum præſentium fuit in hoc Capitulo denuò coram Patribus Vocalibus promulgata, ne quæſitus ex abuſu quorumdam prætextus aliquem fallat, ſeu palpet) modis omnibus contrà tranſgreſſores iuxta earumdem tenorem, omni diſsimulatione poſtpoſita, proceſſuros. Quorum nihilominus conſcientias maculare non ceſſabit, etiam occulta tranſgreſſio, etſi ſoli Deo perſpecta.

Cæterùm reſplendeat in loquela modeſtia, in moribus honeſtas, in inceſſu maturitas, in tonſura Religioſitas, per præmiſſas Conſtitutiones patenter expreſſa, in conuerſatione circumſpectio: abſit omnis ſiniſtræ ſuſpicionis occaſio, vi Regulæ, etiam dum nihil inhoneſti ſubeſt, vitanda, vt, & qui exaduerſo eſt, vereatur, nihil malum habens dicere de nobis: In quem finem firmiter præcipio, vt nemo ſine comite, & actionum teſte, egrediatur, aut foris maneat, ad normam Generalium Conſtitutionum.

Nec mirum, ſi dum negligentiùs in præmiſſis, aut alijs interdum agunt, ſiue ſuperiores, ſiue ſubditi, ſqualeat, aut ruat religioſa Congregatio, locumque habeat, lamentatio Hieremiæ: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus?* Si dum (vt idem plangit) *luxit antemurale*, Monaſticarum obſeruantiarum, *murus pariter* Religionis *diſſipatus eſt*. Si maceria Religionis, ſeu vineæ deſtructa, *exterminet eam aper de ſilua, & ſingularis ferus eam depaſcatur*, vti canit Regius Vates.

Itaque Fratres mei chariſſimi, & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea, ambulemus omnes dignè vocatione, qua vocati ſumus, ſoliciti ſeruare puritatem Regulæ, vigorem Conſtitutionum, vnitatem denique ſpiritus in vinculo pacis. In omnibus præbeamus noſmetipſos Mundo (cui ad hoc dati ſumus, & qui reciprocè ex ſingulari, ac ſtupenda Dei beneuolentia adeò liberaliter nos paſcit) exemplum bonorum operum, memores diuinæ per Seraphicum Patrem ploratæ, & per me pauperculum eius ſucceſſorem ex animo firmatæ maledictionis, contra eos, qui de ſe exempla prauitatis dantes confundunt, ac deſtruunt, quod per ſanctos Fratres Deus in Religione ædificauit, ac iugiter ædificare non ceſſat. Sic igitur ſtemus in Domino chariſſimi. Cumquè has noſtras cohortationes auribus, ſeu mentibus veſtris adhibemus, ipſum Seraphicum Patrem, cuius locum, quamuis immeriti, tenemus, loqui credite: quia & illius vos affectu monemus, nec aliud, quam quod præſcripſit, & docuit prædicamus.

Quocirca, ò dilectiſſimi Fratres, & in æter-

æternum benedcti filij, audite me, & in me, vocem Patris veſtri Franciſci: *Magna promiſimus, maiora promiſſa ſunt nobis: Seruemus hæc, ſuſpiremus ad illa: & quicumque hæc obſeruauerit, in Cœlo repleatur benedictione Altiſsimi Patris cœleſtis, & in terra repleatur benedictione dilectiſsimi Filij ſui cum Sanctiſsimo Spiritu Paraclito, & omnibus virtutibus Cœlorum, & omnibus Sanctis; Et ego veſter ſeruus in Domino, quantumcumque poſſum, confirmo vobis intus, & foris iſtam Sanctiſsimi P. N. Franciſci, & meam benedictionem, Amen.* Valete in Chriſto Ieſu, & hanc noſtram epiſtolam in omnibus Conuentibus Religionis legi curate. Datum Vallis-Oleti in Conuentu noſtro Regali Sancti Franciſci, die 31. Maij 1670. ſub noſtro Chirograhpo, officiijque ſigillo maiori.

Fr. Franciſcus Maria Rhini de Politio.
Miniſter Generalis.
Loco † Sigilli.
De Mandato S: R.^mæ P.^ris
Fr. Stephanus à Ficcarra.
Secretarius Generalis Ordinis.

Dilecto filio Franciſco Maria Rhini à Politio Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum Miniſtro Generali.

CLEMENS PAPA X.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CVM ſicut Nobis nuper exponi feciſti: Tu in Capitulo Generali Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum in Ciuitate Vallisolet. nouiſſimè celebrato, in Miniſtrum Generalem eiuſdem Ordinis canonicè electus fueris, electionemque huiuſmodi pro maiori illius validitate, & ſubſiſtentia Apoſtolicæ Confirmationis noſtræ robore communiri ſummoperè deſideres. Nos ſperantes electionem huiuſmodi de perſona tua, vt præfertur factam ob tuum Religionis zelum, fidem, prudentiam, integritatem, & doctrinam eidem Ordini plurimum profuturam, teque ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis ad effectū præſentium dumtaxat conſequeñ, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, Supplicationibus tuo nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Electionem de perſona tua in Miniſtrum Generalem dicti Ordinis, vt præfertur, factam Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos iuris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialitèr, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die ſexta Septembris M. DC. LXX. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

I. G. Sluſius.

CLEMENS PAPA X.

Ad Perpetuam rei memoriam.

SAcroſancti Apoſtolatus miniſterium humilitati noſtræ meritis licèt, & viribus longè impari diuinitus impoſitum fideliter exequi adiuuante Domino, ſatagentes illa, quæ à Religioſorum virorum cœtibus pro ſalubri eorum regimine, & directione prouidè, prudenterq; conſtituta eſſe noſcuntur, vt firma, atq; inuiolabilia perſiſtant, libenter, cum id à Nobis petitur, Apoſtolici muniminis noſtri patrocinio conſtabilimus. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Franciſcus Maria à Bononia Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum, quòd in Capitulo Generali dicti Ordinis Vallisoleti nouiſſimè celebrato, ob varias, grauiſſimaſque cauſas à Venerabili Fr. Frederico Patriarcha Alexandrino tunc temporis noſtro, & Apoſtolicæ Sedis in Regnis Hiſpaniarum Nuncio, qui dicto Capitulo præſidebat, approbatas, decretum fuit, multiplicandos eſſe Definitores Generales in vtraque familia eiuſdem Ordinis, & Ciſmontanæ quidem, quæ in Hiſpania vocatur Vltramontana, tres, Vltramontanæ verò familiæ, quam

iitidem

itidem in Hiſpania Ciſmontanam vocant, quatuor Definitores Generales reſpectiuè addendos fore, cum diuerſis declarationibus, & ordinationibus, prout vberiùs continetur in Decreto Capituli Generalis huiuſmodi deſuper emanato tenoris, qui ſequitur videlicet; Capitulum Generale ob plurima, & quidem grauia motiua cenſuit, & decreuit, multiplicandos eſſe Definitores Generales in vtraque familia, & Ciſmontanæ addendos quatuor: vnum ſcilicet pro Excalceatis Hiſpaniæ: alium pro Gallia; tertium pro Luſitania, eiuſque Prouincijs, & quartum pro Prouincijs Tertij Ordinis tàm Galliæ, quàm Hiſpaniæ, & Luſitaniæ, ſeruata inter ipſas alternatiua quoad huiuſmodi Diffinitorem Generalem; ea tamen lege, quod Vocales Tertij Ordinis Nationis Gallicanæ ad Comitia Generalia deinceps accedant; Vltramontanæ verò familiæ addendos tres, vnum ſcilicet pro Reformatis, & duos pro Obſeruantibus; quorum trium vnus ſemper aſſumendus eſt ex Regnis Neapolitano, & Siculo, alter etiam in perpetuum ex reliqua Italiæ parte, & alius per alternas vices, nunc ex dicta reliqua Italiæ parte, nunc ex Vltramontanis Prouincijs eiuſdem familię. Hæc Diffinitorum Generalium multiplicatio, & additio in præſenti Capitulo Generali executioni demandata eſt; excepta ſolùm ea parte, quæ Patres Excalceatos Hiſpaniæ concernit: Hi enim declarauerunt ſe malle habere vocem paſſiuam ad tres Diffinitoratus Generales nationis Hiſpaniæ, quàm vnum tantummodo Diffinitorem Generalem pro ipſis conſignatum: quapropter relicta eſt pro hac vice electio libera à prædicta conſignatione. Facta collatione cum ſuo originali de verbo ad verbum concordat. Fr. Emanuel à Genua Secretarius generalis Curiæ. loco ✝ ſigilli. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubiungebat decretum huiuſmodi paci, & religioſæ trãquillitati inter fratres tot Nationum, quibus ordo prædictus conſtat, maximè conducibile exiſtat; Nobis propterea præfatus Franciſcus Maria Procurator Generalis dicti Capituli Generalis nomine humiliter ſupplicari fecit, vt Decretum ipſum quo firmiùs ſubſiſtat, & ſeruetur exactiùs, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocino communire de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Franciſcum Mariam Procuratorem Generalem ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat cõſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, præinſertum Capituli Generalis decretum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos iuris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus. Præterea ad ſeruandam in Diffinitorio Generali vtriuſque familiæ huiuſmodi conſuetam paritatem, eadem auctoritate harum ſerie indulgemus, vt pro hac Ciſmontana familia dicti Ordinis, quæ in decreto præinſerto Vltramontana vocatur, addatur vnus Diffinitor Generalis ſuffragijs Capituli Generalis Ordinis huiuſmodi pro tempore in futurum diſtribuendus. Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit quandocumque in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab illis reſpectiuè inuiolabiliter obſeruari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inanè ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in cõtrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, vt earumdem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 26. Nouembris 1670. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

I. G. Sluſius.

CONSTITVTIONES GENERALES
Pro vtraque Familia.

1 Declarat in primis, & proteſtatur Capitulum Generale (prout ſæpius antea in alijs Capitulis Generalibus declaratum eſt) in nullo Regulæ præcepto hactenus nobiſcum diſpenſatum fuiſſe, nec ordinem noſtrum vllam vnquam admiſiſſe, vel admittere diſpenſationem; ſed potiùs velle pro viribus, diuino fauente auxilio, illam purè obſeruare iuxtà Summorum Pontificum declarationes communiter à Religione admiſſas, & ſignanter Nicolai Tertij, & Clementis Quinti, ad normam Conſtitutionum Generalium Ordinis vtriuſque reſpectiuè Familiæ; Pro Vltramontana videlicet, conditarum, & tempore Generalatus Reuerendiſſimi, & Illuſtriſſimi D. D. Fratris Michaelis Angeli à Sambuca recopilatarum: de nouo tamen iuxtà petita Diſcretorij Generalis, reuidendarum, & corrigendarum: Barchinonienſium verò Segobiç recognitarum, & breui recopilandarum: pro Ciſmontana Familia, intactis ſemper, & in robore permanentibus Municipalibus ſtatutis, cuiuſque Nationis, & ſtatus: Reformatorum ſcilicet Italiæ, Excalceatorum Hiſpaniæ, & Recollectorum Galliæ editis; dummodò non contrarientur Conſtitutionibus Apoſtolicis, & conducant ad ſtrictiorem eiuſdem Regulæ, antiquæ ſuæ, & laudabilis conſuetudinis Obſeruantiam.

2 Capitulũ Generale ob plurima, & quidem grauia motiua cenſuit, & decreuit, multiplicandos eſſe Diffinitores Generales in vtraq; Familia, & Ciſmõtanæ addendos quatuor: vnum ſcilicet pro Excalceatis Hiſpaniæ: aliũ pro Gallia, tertium pro Luſitania; eiuſq; Prouincijs, & quartum pro Prouincijs Tertij Ordinis tàm Galliæ, quàm Hiſpaniæ, & Luſitaniæ, ſeruata inter ipſas alternatiua quoad huiuſmodi Diffinitorem Generalem, ea tamen lege quòd Vocales Tertij Ordinis Nationis Gallicanæ ad Comitia Generalia deinceps accedant. Vltramontanæ verò Familiæ addendos tres, vnum ſcilicet pro Reformatis, & duos pro Obſeruantibus, quorum trium, vnus ſemper aſſumendus eſt ex Regnis Neapolitano, & Siculo; alter etiã in perpetuum ex reliqua Italiæ parte, & alios per alternas vices, nunc ex dicta reliqua Italiæ parte, nunc ex vltramarinis Prouincijs eiuſdem Familiæ. Hæc Diffinitorum Generalium multiplicatio, & additio in præſenti Capitulo Generali executioni demandata eſt, excepta ſolùm ea parte quę Patres Excalceatos Hiſpaniæ concernit: Hi enim declarauerunt, ſe malle habere vocem paſſiuam ad tres Diffinitoriatus Generales Nationis Hiſpaniæ quàm vnum tantũmodò Diffinitorem Generalem pro ipſis conſignatum: quapropter relicta eſt pro hac vice electio libera à prædicta conſignatione.

3 Perpenſa ingenti negotiorum mole, ad quam cùm ipſa Religione mirum in modum ità excreuerant agenda, & expedienda, quòd duorum dumtaxat Secretariorum vires ſuperet, decreuit Diffinitorium Generale tertium adiungere Secretarium Generalem, qui plurium Idiomatum peritus Miniſtro Generali à ſecretis aſſiſtat, & negotia expediat diuerſarum Nationum, & linguarum: quique in præmium ſui laboris ſit particeps priuilegiorum, & prærogatiuarum, quæ per Generales Ordinis Conſtitutiones conceduntur alijs Secretarijs Generalibus, cum quibus, quoad præcedentiam, ſeruabit Ordinis antiquitatem.

4 Et ne Ordo deſtituatur optato interdum tegimine Fratrum, quos maiori rerũ eiuſdem experientia pollere dignoſcit: Determinat Diffinitorium Generale, quòd exoretur Summus Pontifex pro teſtrictione temporis vacantiæ officiorum Procuratorũ Generalium, & Commiſſariorum Romanæ Curiæ: necnon Secretariorum Generalium, ad decennium, vt ad vlteriora Ordinis officia promoueri poſſint.

5 Ad extirpandum deteſtabilem abuſum recurſus ad fauores ſæcularium pro obtinendis Prælaturis, officijs, gratijs, aut priuilegijs in Ordine, Capitulum Generale de nouo admittit Breue Sanctiſſimi D. fel. rec. Vrbani Papæ Octaui, quod incipit: *Admonemur Paſtoralis officij*, lectum, & publicatum in Diſcretorio Generali, proponitur vniuerſo Ordini exactè obſeruandum, & ne eius ignorantia ab vllo velut ſpecioſus ſuæ ambitionis prętextus allegetur, pręcipit Diffinitorium Generale vniuerſis, & ſingulis Superioribus localibus, & Chori Præfectis, vt in plena cõmunitate legatur in Ciſmontana Familia, quoties leguntur declarationes Regulæ poſt ipſas, & ante Conſtitutiones Generales. In Vltramontana verò legantur pariter dictæ declarationes videlicèt Nicolai Tertij, quæ incipit: *Exijt, qui ſeminat &c.* Et Clementis Quinti, quæ incipit. *Exiui de Paradiſo*: & poſt ipſas dictũ Breue, ter in anno: primo per menſem Ianuarij: ſecundo per menſem Maij: tertiò per menſem Septembris. Item à Commiſſarijs, vel à Superioribus Prouinciarum intimetur, & publicetur in ſingulis Conuentibus vnà cum Conuocatorijs pro Capitulis, vel Congregationibus, & quoties congregatur Diffinitorium ad aliquam electionem faciendam: Secùs autem facientes, pro prima vice ſuſpendantur ab officijs Su-

pe-

perioris arbitrio, pro ſecunda duplicetur ſuſpenſio: pro tertia verò omninò priuentur, vtque omnibus ſit peruium, his Conſtitutionibus ſubnectendum duxit.

6 Declarat Diffinitorium Generale omnes, & ſingulos Miniſtros Prouinciales, qui non acceſſerunt ad hoc Generale Capitulum incurriſſe pœnas alias impoſitas per Conſtitutiones Generales Ordinis, ſcilicet priuationis officij, & vocis actiuæ & paſſiuæ per tres annos ipſo facto incurrendas, niſi ſufficientem excuſationem exhibuerint Reuerendiſſ. P. Miniſtro, vel Commiſſario Generali reſpectiuè intrà ſpatium duorum menſium numerandorum ab huius decreti intimatione. Illi autem ex Vltramontana Familia, qui quacumque de cauſa, vel occaſione adhuc licita accedere prætermiſerint poſt expletum Miniſteriatus officium, vltimum habeant locum inter Prouinciales præteritos.

7 Quod in alijs Capitulis Generalibus determinatum fuit, denuò per præſens decernitur, ſcilicèt, quod vt ſatisfiat piæ noſtri Ordinis deuotioni, & ſtrictè fraternitari erga ſacrum Prædicatorum Ordinem; obnixiſſimè exoretur Sancta Sedes Apoſtolica pro licentia, Sanctiſſimi Patriarchæ noſtri Dominici Natalem pari ritu celebrandi, quo Seraphicum Patrem noſtrum Franciſcum celebramus: vtque quoties in anni decurſu contingat Diui Franciſci fieri commemorationem, liceat, & Patris Noſtri Sancti Dominici memoriam annectere, amboſque ſimul, & indiuisè colere, quos eadem fides, & gratia verè fecit eſſe Germanos.

8 Sed & Beatam Catharinam Senenſem illius, & noſtræ Religionis venerabile decus, eo ſalrem ritu celebrandi, quo chariſſimi, & Religioſiſſimi Patres Prędicatores Claram noſtram, & ſuam, dignati ſunt ſuis faſtis adſcribere.

Pro Vltramontana Familia.

1 Capitulum Generale diſtrictè pręcipit Miniſtris Prouincialibus, Commiſſarijs Viſitatoribus, ac locorum Superioribus ſub pœna priuationis ſuorum officiorum ipſo facto incurrenda, quòd obſeruent, & obſeruari faciant Conſtitutiones Generales nuperrimè compilatas, *pag.60. de Veſtimentorum ratione, & qualitate*: & ſub pœna teneantur inuigilare ſuper obſeruantiam earumdem Conſtitutionum, §.10. *de tonſura*, & §.1. *de diuino officio, cap.3. Sicut & reliqua, quæ praſcribuntur de Diſciplina Chori, de ordine pſallendi, & canendi, de pia in Eccleſia verſandi ratione, de tollenda Euagatione Fratrum, ac auſſerendis abuſibus equitandi, de ſeruanda altiſſima paupertate* ad tenorem Regulæ, & iuxta declarationes Summorum Pontificum admiſſas, vt ſupra.

2 Declarat inſuper Diffinitorium Generale Miniſtros Prouinciales recipientes, & retinentes Apoſtatas aliarum Prouinciarum incurrere pœnas impoſitas per Conſtitutiones Generales Ordinis, ſcilicet, priuationis ſuorum officiorum, & ſub eadem pœna dictos Miniſtros & Superiores Locales teneri poſt triduanam Apoſtatarum carcerationem, illos confeſtim ad proprias dimittere Prouincias cum litteris teſtimonialibus ſuæ apoſtaſiæ.

3 Decernit prætereà Capitulum Generale puniendos eſſe tanquam Apoſtatas omnes, & quoſcumque Fratres, tam Obſeruantes, quàm Reformatos accedentes ad loca, in quibus ſunt noſtri Ordinis Conuentus, qui non acceſſerint eorumdem Superiores, vt debitam ipſis exhibeant obedientiam, & petant Benedictionem prout per Conſtitutiones Generales Ordinis *p.74. num.7.* deſuper ſancitum eſt.

4 Declarat Diffinitorium Generale, non licere Cuſtodibus, aut Diffinitoribus Prouincialium, ſiue actuales ſint, ſiue habituales, ſocios habere ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ: eademque pœna plectendos eſſe Prouinciarum, & locorum Superiores aliter permittentes: ſiquidem obſtant Apoſtolicæ, & Generales noſtri Ordinis Conſtitutiones.

5 Patribus connumeratis inter eos, qui Miniſtri fuerunt, vel Diffinitores Prouinciarum cum communicatione omnium priuilegiorum, quæ per dictas Conſtitutiones ipſis conceduntur, declarat Diffinitorium Generale competere etiam Ius ad ſubrogandum; minimè tamen Prominiſtris, aut alijs, qui quoad præcedentiam dumtaxat prædictis Patribus aggregantur.

6 Inhærendo Conſtitutioni fel. recordat. Vrbani Papæ Octaui, ac Declarationi Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, determinat Diffinitorium Generale, electiones Prominiſtrorum mittendorum ad Capitula Generalia, vel Commiſſariorum Prouincialium, & Guardianorum debere fieri per ſuffragia ſecreta, & bollotationes.

7 Et quoties Capitulum Generale celebratur in Hiſpania, vt vocalibus ſufficiens, & opportunum detur accedendi tempus: præcipit Diffinitorium Generale, quòd Prominiſtri mittendi, vel Commiſſarij in Prouincijs relinquendi, eligantur ante Natiuitatem Domini: niſi poſt eam ita immi-

immineat tempus celebrationis Capituli Prouincialis, quod citra iacturam temporis neceſſarij ad iter commodè fieri poſſit; in tali enim caſu fiat ipſorum electio in Capitulo.

8 Decernit Diffinitorium Generale, quòd qualitercumque intra dies Capitulares, ſeu Capitulo nondum ſoluto contingat ob mortem, vel renunciationem vacantia Diffinitoris, vel Cuſtodis nouiter electi, fiat à toto Capitulo alterius Cuſtodis, aut Diffinitoris electio, ſi autem contigerit dicta vacantia ſoluto Capitulo, etſi prorogato Diffinitorio: tunc loco Diffinitoris vacantis ſubrogetur ille, cui iuxta ſtatuta Generalia debetur.

9 Declarat Diffinitorium Generale, quòd caſu, quo Miniſter Prouincialis abſens ratione ſui itineris in Prouinciam, renunciauerit Prouincialatum: Commiſſarius relictus in dicta Prouincia, hoc ipſo, citra nouam electionem ſit Vicarius Prouinciæ.

10 Declarat Diffinitorium Generale, liberum eſſe Miniſtro Prouinciali, cum ſuo Diffinitorio, tam inter Obſeruantes, quàm inter Reformatos, mortuò alicuius Conuentus Guardiano, etiam poſt ſolemnitatem Sancti P.N. Franciſci, loco defuncti alium eligere Guardianum.

11 Locus Infirmariæ Conuentus Sancti Nicolai Salerni, Prouinciæ Principatus de Obſeruantia, habeat deinceps peculiarem Guardianum independentem à Guardiano dicti Conuentus, & vocetur Guardianus Infirmariæ.

Pro Prouincijs Sancti Ladislai, Candiæ, Boſnæ Argentinæ, & Cuſtodia Bulgariæ.

1 NE Prouinciæ Sancti Ladislai, & Candiæ propriis deſtituantur Alumnis: præcipit Diffinitorium Generale, quòd omnes vtriuſque Religioſi, qui à ſexennio degunt in alienis Prouincijs etiam incorporati, ad dictas ſuæ filiationis Prouincias confeſtim reuertantur.

2 Ob iuſtas, & rationabiles cauſas decernit Diffinitorium Generale, quòd non mittantur Commiſſarij Viſitatores ad Prouinciam Candiæ: & quòd electio Miniſtri Prouincialis eiuſdem pertineat ad Reuerendiſſimum Miniſtrum Generalem.

4 Declarat Diffinitorium Generale, quòd idem Miniſter Generalis poſſit, ſi voluerit, deſtinare Commiſſarios Viſitatores ad Prouinciam Boſnæ Argentinæ, & Cuſtodiam Bulgariæ aliquos ex proprijs ipſarum Alumnis.

De Studijs.

1 STudia Conuentuum Sancti Thomæ Taurini, Sancti Bernardini in Alexandria, Sanctæ Annæ Varſauiæ Maioris Poloniæ, numerantur inter ſtudia primæ Claſſis, & deputantur ad iubilationem.

2 Erigitur ſtudium generale ſecundæ claſſis in Conuentu Bitontino Prouinciæ Sancti Nicolai de Bario Regularis Obſeruantiæ.

3 Studium verò Conuentus S. Franciſci Zagabriæ, Prouinciæ Sancti Ladislai, condecoratur Titulo Studij Generalis ſecundæ claſſis.

4 Quoniam ſtudia Sacræ Theologiæ apud Patres Reformatos, non fuerunt hactenus inſtituta à Capitulis, vel Congregationibus Generalibus, declaratur illa nullo modo poſſe appellari Studia Generalia: nec Lectores in eis legentes poſſe ſibi vſurpare titulum, aut nomen Lectoris Generalis.

Pro Terra Sancta.

1 DIffinitorium Generale Salubriori Regimini, & commodiori ſubuentioni quatuor Conuentuum, ſeu locorum noſtri Ordinis, quæ dicuntur Cuſtodiæ Conſtantinopolitanæ, proſpiciens, decernit, & determinat, illos, vt antiquitus, reuniendos, & aggregandos eſſe Cuſtodiæ Terræ Sanctæ, prout vigore præſentis decreti reunit, & aggregat: præcipitque ſubeſſe in omnibus, & per omnia Gubernio, & directioni Patris Guardiani Sacri Montis Syon dictæ Terræ Sanctæ Cuſtodis, & in partibus Orientis Commiſſarij Apoſtolici, non ſecus, ac ſubſunt reliqui Sanctorum Locorum Conuentus, & Hoſpitia.

2 Ad auferendam varietatem, & confuſionem Titulorum, quibus nonnulli vocant, & nominant dictum Patrem Guardianum Montis Syon: & habita ratione muneris, quo Chriſti Vicarium, eiuſque Sanctæ Sedis amplitudinem repræſentat: quo reliquias fidei verbo, exemplo, cura, ſollicitudine, & vigilantia conſeruare debet, quippè qui deſtinatur Cuſtos Locorum, in quibus Religio Chriſtiana concepta, adulta, & perfecta eſt; quique ſenſibiles Redemptionis memorias in medio nationis prauæ tueri tenetur: qui tandem labore vigili, & præſentiſſimis vitæ periculis, ſummiſque, ac incredibilibus expenſis, Chriſtiani nominis vexationes ab infeſtiſſimis hoſtibus redimit: Diffinitorium

Gene-

Generale vnanimi conſenſu decernit, & determinat, quòd deinceps ab omnibus publicè & priuatim verbo, & ſcripto (quoties ſcribi contigerit) dictus Pater Guardianus Sacri Montis Syon, in Partibus Orientis degens, titulo Reuerendiſſimi inſigniatur, nominetur, & tractetur ſub pœnis Superiorum Generalium arbitratu contra facientibus infligendis.

3 Secretarius dicti Patris Guardiani, habeat Hieroſolymis locum in conſeſſu, poſt Vicarium Conuentus Sanctiſſimi Saluatoris, & durante ſuo Secretariatu, ſit exemptus ab officijs Communitatis.

4 Ne præfati Vicarij Cuſtodialis Terræ Sanctæ labor præmio careat, connumerantur inter Diffinitores habituales ſuarum reſpectiuè Prouinciarum, qui per integrum triennium, cum approbatione, & teſtimonio deſuper inſcriptis Reuerendiſſimi Patris Guardiani Hieroſolymitani, quod digne, & laudabiliter ſe geſſerint in iſtiuſmodi Vicariatus officio.

Notandum quòd conſtitutio hic n. 1. poſita, fuit anno 1672. abrogata, ex cauſis notatis tom. 1. Orbis Seraphici fol. 81.

Pro Ciſmontana Familia.

1 DIſcretorium Generale huius Ciſmontanę Familię comptomiſit in Reuerendiſſimos Patres Miniſtrum, & Commiſſarium Generalem deſuper-recopilatione Statutorum Generalium à Barchinonenſibus Segobiæ recognitis, vſque ad præſens Capitulum Generale incluſiuè, dummodò non fiat additio legum, ſed ſolùm dicta recopilatio, explicatio, ac declaratio iam factarum, & quòd omnes redactæ in vnum volumen per omnes Prouincias Familiæ diſtribuantur.

2 Exactæ ſatisfactioni oneris Miſſarum celebrandarum proſpiciens Diffinitorium Generale, committit Miniſtris Prouinclalibus, vt de conſilio ſuorum reſpectiuè Diffinitorum dictarum Miſſarum reductiones facian:, aut iam factas, confirment conſiderata norma, ſeu taxa Epiſcoporum, vel Synodorum, quoad Sacrorum Anniuerſariorum, aut aliorum onerum reducendorum ſtipendia: ſi deſuper aliqua taxa facta ſit.

3 Ad honeſtum litteratorum incitamentum, & promeritam laborum remunerationem: vtque Doctorum virorum lucubrationibus vtilitas ſimul, & ſplendor Religioni noſtræ accreſcat, declarat, & decernit Capitulum Generale, quòd ſexennium exercitij ſcribendi, & typis mandandi Theologiam Scholaſticam, Expoſitiuam, Dogmaticam, vel Moralem, ſufficiat Lectoribus antea Iubilatis ad obtinendum titulum, & prærogatiuam bis iubilati: dummodò exarentur graui methodo, & iuxtà morem Scholaſticum: & ſic ſcripta, & prælo mandata examinentur per Diffinitorium Prouinciale, & huius, ac Prælati Generalis iudicio cenſeantur, tam in quantitate, quàm in qualitate propoſito præmio digna; His etenim qualitatibus honeſta Scriptorum laboritia imbuta, reputantur æquiualere labori duodennalis Lectoratus.

Pro Natione Hiſpanica.

1 EX duobus Prouinciæ Patribus, qui Diffinitorijs Prouincialibus intereſſe debent iuxtà Decretum Vrbani Octaui, & Conſtitutiones Generales anni 1639. caſu, quo modernior Pater antea expletum triennium Patris immediati, aliqua ex cauſa vacet, vel alio titulo Diffinitorium ingrediatur: declarat Diffinitorium Generale, quòd tunc loco ipſius, & voto ſuccedere debeat is, qui ante ipſum immediatiùs Prouincialatum abſoluit: etiamſi hic antecedenter per triennium voto Patris modernioris potitus fuerit: maximè ſi per ingreſſum de nouo vacantis, tempus interrupit, aut diſcontinuauit; etenim ille eſt, qui immediatius Prouincialis extiterit; adeoque ante alios à lege vocatus ad ſuffragandum.

2 Diffinitorium Generale confirmat ſtatutum editum à Prouincia Portugalliæ in Capitulo ſuo Prouinciali anno 1659. deſuper concedendo voto in Capitulo, Commiſſario Tertij Ordinis Vliſſiponæ, ea tamen lege quòd iſtiuſmodi votum non ſit perſonale, ſed annexum officio, cuius fiet electio in Capitulo, vel Congregationibus, prout moris eſt fieri in prouiſione aliorum officiorum habentium votum.

3 Conſiderata neceſſitate, quàm patiuntur Moniales Excalceatæ Hiſpaniarum, Diffinitorium Generale concedit facultatem ſingulis ipſarum Monaſterijs admittendi duas laicas, ſeu conuerſas, quæ ipſis in Religioſis obſequijs aſſiſtant, & inſeruiant, dummodò ad ipſarum receptionem præcedat conſenſus maioris partis Communitatis.

4 Vicarijs Conuentuum, ſeu Monaſteriorum Monialium Excalceatarum primæ Regulæ Sanctæ Claræ, ſitorum in oppidis de Monforte de Lemos, & Villafranca, Prouinciæ Sancti Iacobi, & Sanctæ Claræ Ciuitatis, & Prouinciæ Maioricarum, conceditur votum in Capitulis ſuarum Prouinciarum: Confirmatur etiam, & quatenus opus eſt, de nouo conceditur votum Vicario Conuentus Sanctæ Claræ Ci-

uitatis

uitatis Burgenſis in Capitulo pariter ſuæ Prouinciæ.

Pro Prouincia Caſtellæ.

1 Capitulum Generale reſtituit Lectoribus Iubilatis Prouinciæ Caſtellæ præcedentiam, quam iuxta Conſtitutiones Generales Capituli Romani anni 1639. habuerunt ſuper Commiſſarios Curiæ Matritenſis: & quantum adhoc particulare abrogat conſtitutionem Valliſoletanam anni 1661. num. 2.

Pro Natione Gallica.

1 Reformatio Prouinciarum Galliæ, & Magni Conuentus Pariſienſis, necnon deciſio controuerſiarum Prouinciæ Britanniæ deſuper prætenſa alternatiua, committuntur Reuerendiſſimo Patri Miniſtro Generali, & in ipſius determinationem compromittit Diffinitorium Generale: Interea autem præcipit nihil innouari.

2 Prohibet Diffinitorium Generale, ne Prouincia Aquitaniæ Recentioris vſurpet ſibi titulum *Aquitaniæ Maioris*, potiùs ſeruet proprium ſcilicet *Recentioris*, iuxta ſtilum Ordinis, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio per trimeſtre ipſo facto incurrenda Miniſtro Prouinciali, & reliquis, quorum intereſſe contigerit.

3 Declarat Diffinitorium Generale, tres Conuentus Recollectionis nouiter aſſignatos in Prouincia Magnæ Franciæ, necnon alios tres in Prouincia Turoniæ Maioris, pro Recollectione: ſubijci Viſitationi, & Correctioni Miniſtrorum Prouincialium earundem reſpectiuè Prouinciarum, & reſiſtentes pœnis, & cenſuris eſſe plectendos.

4 Quoniam omnes Galliarum Prouinciæ, tam confœderatæ, ſeu Maiores, quàm Obſeruantium, & Recollectorum, in præſenti Capitulo declararunt etiam ſcripto, ſe admittere velut ſuum legitimum Prælatum, Commiſſarium Generalem Ciſmontanæ Familiæ ſecundùm Bullam vnionis electum; propterea dictis Prouincijs confœderatis cum effectu datus eſt vnus Diffinitor Generalis iuxta ſtatuta Generalia Barchinonenſia: alius Obſeruantibus, & tertius Recollectis.

5 Declarat Diffinitorium Generale, Moniales non poſſe eſſe ſcrutatrices in Electionibus Abbatiſſarum; quia contra ius, & praxim Religionis.

Pro Natione Germano-Belgica.

1 Declaratur, non licere Miniſtris Prouincialibus etiam per compromiſſum ſuorum Diffinitoriorum; extra illa, Guardianos inſtituere.

2 Vbi Guardianorum Inſtitutio non fit per Ballotationes, ſed more antiquo: declaratur, non competere Digniori Patri propoſitionem eligendorum, etiam in conferentia, ſeu deliberatione præuia ad electionem eorundem, ſed ſtandum fore antiquæ conſuetudini.

3 Quamuis in Natione Germano-Belgica, Exdiffinitores, qua tales poſtponantur in præcedentia Lectoribus Iubilatis: caſu tamen, quo occurrat ſubrogatio facienda loco alicuius Diffinitoris vacantis: & concurrant duo Exdiffinitores, quorum vnus ſit Iubilatus: alter non, antiquior tamen Iubilato in Diffinitoriatus officio, declarat Diffinitorium Generale, antiquiori competere.

4 Declaratur etiam, quòd Diffinitor etſi profeſſione Iunior, poſtea tamen decurſu temporis factus Iubilatus, debeat ex tunc precedere profeſſione antiquiores, quibus alia maior dignitas non ſuffragatur: quia per Iubilationem fit dignior reliquis, qui præciſa antiquitate profeſſionis antea præcedebant.

5 Præcipit Diffinitorium Generale, quòd iuxta Conſtitutiones Generales, & praxim Religionis, Miniſtri Prouinciales Nationis Germano-Belgicæ dent liberam electionem Præfectarum, Priориſſarum, vel quocumque nomine nuncupatarum in omnibus Monialium Monaſterijs: idque ſingulis triennijs.

6 Viſo per Diffinitorium Generale Reſcripto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium deſuper Conuentibus Athenſi, & Fontenſi pertinentibus ad Prouinciam Flandriæ: Item Inſulenſi, Tornacenſi, Duacenſi, Binchienſi, Turcundienſi, ac Reſidentijs de Potes, & Roſembois pertinentibus ad Prouinciam Sancti Andreæ: Item Aldernadenſi, Contracenſi, Tiletano, & Hondiſcotano pertinentibus ad Prouinciam Sancti Ioſeph in Belgio, cenſuit, & determinauit Diffinitorium Generale, nihil circa ipſos innouandum, ſed potiùs relinquendos in ſtatu, quo vſque nunc, ſub obedientia videlicet præfatarum Prouinciarum Flandriæ, Sancti Andreæ, & Sancti Ioſeph, & quòd regantur, & gubernentur per earundem reſpectiuè Prælatos ſicut hactenùs: ad quorum effectum præcipit Diffinitorium Generale per Sanctam Obedientiam in virtute Spiritus Sancti,

cti, & ſub pœna Excommunicationis maioris latæ ſententiæ omnibus, & ſingulis Religioſis euiuſcumque qualitatis extiterint, ne vllo quæſito colore, aut prætextu memoratas Prouincias deſuper dictorum Conuentuum poſſeſſione turbent, aut moleſtent.

Pro Prouincijs Vltramarinis Ciſmontanæ Familiæ.

1 Perpenſis laboribus, & maximis periculis, quibus ſe exponunt Vocales Prouinciarum Vltramarinarum Ciſmontanæ Familiæ, videlicet Hiberniæ, Angliæ, Sancti Didaci Canarienſis,& Sancti Ioannis Euangeliſtæ in Inſulis Azorum, venientes ad Capitula, vel Congregationes Generales: illis conceditur per præſens Capitulum Generale eadem gratia, quæ conceſſa eſt Vocalibus huius Familiæ euntibus ad Capitula Generalia, quæ celebrantur in Vltramontana: & eſt iſta: quòd ſcilicet, inter Diffinitores actuales vltimum locum, & præcedentiam habeant, niſi alius locus dignior ſibi competat: Prominiſtri autem huiuſmodi præeminentia, & præcedentia gaudebunt, ſi Diffinitoriatu, vel Lectoratu Sacræ Theologiæ per ſexennium, vel Guardianatu principalioris Conuentus anteà decorati fuerint, vel adminus per tres vices Guardiani in alijs Conuentibus, aut Prædicatores eximij extiterint: Cuſtodes tamen cæteris paribus, præcedant Prominiſtros.

Pro Prouincia Angliæ.

1 Viſo Decreto Capituli Romani anni 1664. deſuper prætenſa præcedentia Prouinciæ Angliæ, auditis quoque,& maturè diſcuſſis rationibus productis à partibus intereſſe habentibus, Decernit Diffinitorium Generale nihil innouandum; & dictam Angliæ Prouinciam relinquendam eſſe in ſerie, & ordine quibus reperitur apud Gonzagam in ſerie ſigillorum Ordinis, & habetur in Capitulo Vallis-Oletano anno 1593. & in Congratione Generali Segobienſi 1621. in quibus accuratè obſeruatur locus, & ordo memoratæ Prouinciæ Angliæ, non ſecus ac reliquarum, quæ iniuria temporum fuerunt deſolatæ.

Pro Prouincia Hiberniæ.

1 NON ſine maximo dolore, & proborum omnium lamentis intellexit Capitulum Generale ſcandala orta in Regno Hiberniæ operâ Fratrum Petri Valeſij, & Franciſci Copingeri, ac paucorum ſuorum ſequacium, qui Dei timore poſtpoſitô, & proprij Inſtituti immemores, ſpretis ſuorum Superiorum ſalutaribus monitis, & contempta ſancta, quam ſolemni voto ſpoponderant,obedientia, citra omne fas, ſacra prophanis, & Monaſtica ciuilibus, dicto, & ſcripto, confundentes, tam dedecoroſis maculis ſuam Nationem, Prouinciam, & Religionem labefactarunt, vt ſanctè viuentium Fratrum lachrimis vix abſtergi valeant, Quibus, vt opportunum adhibeatur remedium, cauſa priùs bene examinata, & maturè diſcuſſa, Diffinitorium Generale fraterna charitate hortatur dictos Fratres ad reſipiſcentiam, & tranſgreſſionum ſuarum pœnitentibus pollicetur & veniam; confirmat deindè cenſuras in dictum Fratrem Petrum Valeſium propter contumaciam in non comparendo: latas per R. P. Commiſſarium Generalem Nationis Germano-Belgicæ, & denuò per Sanctam Obedientiam in virtute Spiritus Sancti, & ſub pœna Excommunicationis maioris latæ ſententiæ ipſo facto incurrenda, ac priuatione perpetua Actuũ legitimorum præcipit, tàm dicto Fratri Petro Valeſio, quàm Fratri Franciſco Copingero, vt intra ſpatium ſex menſium ab huius Decreti Intimatione compareant coram Reuerendiſſimo Miniſtro Generali Ordinis, rationem reddituri omnium,quæ ipſis objiciuntur; cæteris verò, ſiqui ſuperſunt eorum ſequacibus, ſub eiſdem pœnis diſtrictè iniungit, quatenus omni tergiuerſatione poſtpoſita, ſe ſubmittant Vicario Prouinciali dictæ Prouinciæ Hiberniæ, ſcilicèt Patri Fratri Petro Geanor,cui præfatus F.Franciſcus Coppingerus, ſub eiſdẽ pœnis teneatur ſigilla, & Regeſta Prouinciæ tradere, & quem Diffinitorium Generale vult ab omnibus, & ſingulis memoratæ Prouinciæ Alumnis, velut ſuum legitimum Prælatum agnoſci, ſub eiſdem pariter pœnis.

2 Et cum in noſtra Religione extet Conſtitutio Generalis Victoriæ renouata, & aucta anno 1648. quæ prohibet, ne vllus Fratrum, cuiuſcumque ſit conditionis, audeat typis mandare libros, memorialia, informationes, aut libellos abſque expreſſa licentia Superiorum Generalium: Intellexerit autem Diffinitorium Generale, dictum Fratrem Petrum Valeſium, & Fratrem Raymundum Carron (iam defunctum) quoſdam libros ſine licentia typis mandaſſe:declaratur,eum qui ſuperſtes eſt, ſcilicèt præfatus Fr. Petrus Valeſius, ſubiacere pœnis impoſitis per dictam Conſtitu-

tionem, videlicet Excommunicationis maioris, & priuationis actuum legitimorum; præcipitque Diffinitorium Generale memorato Vicario Prouinciali, ac omnibus Miniſtris Prouinciarum Ordinis, ad quos dicti libri peruenerint, aut etiam memorialia, informationes, aut libelli quamuis ſub prætextu vindicandi proprium honorem editi ab illis duobus Fratribus, ſcilicèt Valeſio, & Carron, vt illos ſummo ſtudio recolligi faciant, & ad prædictum Superiorem Generalem tranſmitti.

3 Si quid autē in dictis libris continetur bonis moribus diſſonum, aut alienum ab orthodoxa fide, quam eum Sancta Matre Eccleſia Catholica, & Apoſtolica Romana, noſtra profitetur Religio, totum id deteſtatur expreſsè, & abhorret dicta Hiberniæ Prouincia: & quotquot ipſius Alumni huic Capitulo Generali interſunt; quorum innocetiam, & diuturnam in perpeſſionibus conſtantiam exploratam habet Diffinitorium Generale, ac præſenti decreto declarat, vt ad omnium perueniat notitiam.

4 Et quoniam iniuria temporum aliqui irrepſere abuſus in præfata Prouincia, illos omnino prohibet Diffinitorium Generale, & ſignanter, expreſsè mandat, ne in poſterum pro-Cuſtodes mittantur ad Comitia Generalia: cum ſecundùm Regulam, & Ordinis Generalia ſtatuta debeat eſſe verus, & legitimus Cuſtos, qui velut talis ſuffragium tulerit; quo per mortem, vel renunciationem deficiente, à Diffinitorio alium eligi canonicè: non ſubrogari oportet. Inhibetur etiam, ne Diffinitores actuales fiant Guardiani.

5 Vtque conſtet, quot, & quibus conflari debeat Prouinciæ Diffinitorium: præcipitur quòd quàm primum illud congregari poterit, per ipſum determinetur, an ſtare velit Prouincia antiquæ conſuetudini reliquarum Prouinciarum Nationis Germano-Belgicæ de admittendis videlicet omnibus Prouinciæ Patribus ad ſuffragandum? An nullos, iuxta motum proprium Gregorij XV. An verò duos dumtaxat, antiquiorem ſcilicèt, & moderniorem iuxta Breue Vrbani VIII. deſuper admiſſum, & practicatum in Prouincijs Hiſpaniarum?

6 Determinetur inſuper per idem Diffinitorium, an per pura ſtatuta Barchinonenſia, vt à tota Ciſmontana Familia recepta: an nè verò per eadem accommodata Nationi Germano-Belgicæ, gubernari velit dicta Prouincia.

7 Et ne hæc orbetur aſſiſtentia, & authoritate virorum doctorum, quibus per Dei Gratiam abundat: præcipit Diffinitorium Generale, per Sanctam Obedientiam in virtute Spiritus Sancti Patribus Lectoribus Iubilatis eiuſdem Prouinciæ Hiberniæ in Collegijs Sancti Antonij de Padua, Louanij, Sancti Iſidori de Vrbe, & Immaculatæ Conceptionis Pragæ, vel alibi extra illa (non incorporatis) degentibus, qui graui infirmitate, nimia ſenectute, vel inexcuſabili occupatione, Prælatorum Generalium iudicio non fuerint detenti, vel impediti, vt præfatam ſuam Hiberniæ Prouiam quantocius repetant: & iuxta Apoſtolicarum, & Generalium Ordinis Conſtitutionum præſcriptum habeant votum in Capitulis: & cæteris paribus promoueantur ad officia. Similiter alij eiuſdem Prouinciæ Fratres per alienas Prouincias diſperſi, nullum in eis munus exercentes, ad propriam reuerti teneantur.

8 Et quoniam ſupradicta tria Collegia à limine ſuarum fundationum erecta ſunt, & deputata, velut Seminaria pro educatione Iuuentutis, & instructione Miſſionariorum Apoſtolicorum, vt pia fundatorum intentio debitum, optatumque conſequatur effectum: & Fratres ſtudioſi magis idonei euadant Diuini Verbi Præcones, & Catholicæ veritatis Propugnatores; Præcipit in primis Diffinitorium Generale, vt in dictis Collegijs nulli permittantur otioſi, ſeu conſignatam non habentes occupationem; exceptis infirmis, & impeditis, quorum ſpecialis cura Superiori locali commendatur. Deinde quòd in vnoquoque Collegio, vltra duos Lectores Ordinarios Sacræ Theologiæ, ſit ſemper alius eiuſdem facultatis, qui ſeruando annualem turnum, ſeu viciſſitudinem cum reliquis Lectoribus, legat ſingulis diebus lectionem controuerſiarum fidei, non voce tantùm, ſed etiam ſcripto; Iſque ſolitis caſuum conſcientiæ exercitijs præſideat: & thæſes imprimat, & propugnet ſicut reliqui Lectores; Teneanturque ſtudentes Theologi ſub pœna priuationis ſtudiorum, dictam Lectionem ſcribere, diligenter ſtudere, & per quadriennium, tàm huic, quàm Theologiæ ſpeculationi impigram ſimul operam dare.

9 Ne autem Collegia Louanienſe, & Pragenſe multitudine Lectorum grauentur, decernitur, quòd loco vnius, ex duobus Lectoribus Artium, quos habere ſolent, ponatur dictus Lector controuerſiarum fidei.

10 Teneantur inſuper diſcretoria dictorum Collegiorum, intra ſpatium quatuor menſium ab huius decreti intimatione Reuerendiſſimum Miniſtrum Generalem informare de numero Fratrum, quos vnumquodque Collegium ſuſtentare poteſt, vt illum taxet Sua Reuerendiſſima Paternitas,

iuxta

iuxta præſcriptum Sacri Concilij Tridentini, Apoſtolicatum, & Generalium noſtri Ordinis Conſtitutionum.

11 Quidquid demum pro Reformatione aliorum abuſuum, & proſperiori Regimine huius Prouinciæ, ſuorumque Collegiorum occurrerit, relinquitur diſpoſitioni, & mandatis eiuſdem Reuerendiſſimi Miniſtri Generalis.

Pro Prouincijs Indiarum Occidentalium.

1 Diffinitorium Generale proſpiciens maiori paci, & concordiæ Prouinciarum Occidentalium Indiarum, cenſet neceſſariam Obſeruantiam alternatiuæ aliàs per Conſtitutiones Generales ſtatutæ dictis Prouincijs: adeoque ipſam confirmat, & ſub pœnis taxatis per dictas Conſtitutiones, præcipit inuiolabiliter obſeruandam: Committitque Reuerendiſſimo Patri Commiſſario Generali Indiarum in Curia Regis Catholici Reſidenti, vt maximopere inuigile[illegible] per ipſius executionem in illis Prouinc[illegible], in quibus vſque modo eſt ſtabilita.

2 Declaratur, Commiſſarium Generalem præfatum habere authoritatem etiam commiſſiuam admittendi ad habitum in memoratis ſuæ iuriſdictionis Prouincijs.

3 Similiter declaratur, etiam Commiſſarios Generales Nouæ Hiſpaniæ, & Regni Peruani habere authoritatem ordinariam ſuper Prouincias ſuarum reſpectiuè Commiſſionum quantum ad ea, quæ ipſis conceduntur per ſtatuta Generalia: In alijs verò, quæ non conceduntur, non niſi delegatam, ſi ipſis committatur.

4 Decernit Diffinitorium Generale, quòd nullus dictarum Prouinciarum Procurator, qua talis procuret Breuia, vel Cedulas Regias abſque expreſſa licentia earundem reſpectiuè Prouinciarum cũ ſpecifica etiam, & indiuidua expreſſione petendorum; Nulluſque pro ſe, aut ſua Prouincia procuret vllum reſcriptum ſine præuia communicatione, & ſcitu memorati Reuerendiſſimi Patris Commiſſarij Generalis Indiarum Matriti reſidentis, ſub pœna priuationis Actuum legitimorum.

5 Animaduertit, & declarat Diffinitorium Generale, quòd conditiones requiſitæ adhoc, vt Prominiſtri Indiarum poſt tranſactum Capitulum Generale gaudeant priuilegijs conceſſis, ſuperfluè extendantur ad Cuſtodes: ſiquidem hi, eo ipſo quod ſint Cuſtodes habeant requiſita, vt gaudeāt; ſunt quippè actuales Diffinitores, ac ſi Prominiſtri tales forent.

Loca, & Conuentus in quibus celebrabuntur, tam Congregatio Generalis intermedia, quàm Capitulum Generale futurum, relinquenda putantur arbitrio Reuerendiſſimi Patris noſtri Miniſtri Generalis, iuxta præceptum Regulæ.

Iudices ad expellendos incorrigibiles iuxta Conſtitutiones Apoſtolicas.

1 Inhęrendo declarationi, & conceſſioni Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum S.R.E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum tenoris ſequentis: *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, Sanctiſſimo D. N. approbante, declarauit ſex Patres in ſingulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus eligendos, de quorum conſilio, & aſſenſu, Generalis poteſt Regulares incorrigibiles à Religione eijcere, in vnaquaque Prouincia eligi poſſe: eoſdemque ſic Electos, ſi Generalis tàm longe abfuerit, vt cum eis conuenire non poſſit, debere ad eundem tranſmittere ſummarium proceſſus, vna cum eorum voto: & iuxta illud Generalis poſſit ad ſententiam expulſionis procedere; Interea tamen vſque ad primum Generale Capitulum, vel Congregationem proximè celebrandam, Sua Sanctitas annuit, vt electio, ſeruata in reliquis forma decreti hac de re editi, fieri poſſit à Generali cum conſilio, & aſſenſu ſex Patrum, quos idemmet Generalis in qualibet Prouincia infra quatuor menſes, elegerit. Nona Augusti 1625.*

S. Card. S. Suſannæ.

Loco ✝ Sigilli.

Proſper Fagnanus Sacræ Cong. Sec.

Deſignantur in ſingulis Ordinis noſtri Prouincijs ſex Patres, videlicet Miniſter Prouincialis, & Cuſtos: duo antiquiores, ſeu digniores Prouinciæ Patres: duo antiquiores Lectores Iubilati; *Defectu autem dictorum duorum Prouinciæ Patrum*, duo Diffinitores habituales, antiquiores in Diffinitoriatus officio: *& defectu Iubilatorum*, Guardianus principalioris Conuentus, & antiquior Sacræ Theologiæ Lector actualis.

2 Et quoniam ob amplitudinem, & dilatationem Ordinis non poteſt Reuerendiſſimus Pater Miniſter Generalis adire quàm plures Prouincias præſertim Orientalium,

talium, & Occidentalium Indiarum, ac Inſulatum, necnon Germaniæ,& Flandriæ: eadem Sacra Congregatio indulſit ſupradictam facultatem Commiſſarijs, & Viſitatoribus ab eo deſtinandis ad dictas Prouincias cum plenitudine poteſtatis, vt ſeruata in reliquis forma decreti hac de re editi, eiectio fieri poſſit ab illis cum conſilio; & aſſenſu prædictorum ſex Patrum, Benigne annuente Summo Pontifice.

Numerus Fratrum Defunctorum ab vltimo Capitulo Generali; necnon Sanctimonialium.

IN hoc Capitulo Generali per teſtimonia authentica Patrum Vocalium, qui conuenerant (defuerunt enim aliqui) inuentum eſt,obijſſe ab vltimo Capitulo Generali Romano, decem millia, & ſeptem Fratres. 1007.

Moniales verò quatuor millia, trecentas & ſexdecem; 4316. quorum animæ, & omnium Fidelium defunctorum requieſcant in pace. Amen.

Sequuntur Suffragia.

PRO Sanctiſſimo D.N. Clemente Decimo, ac diuturna ipſius incolumitate,à quolibet Sacerdote tres Miſſæ celebrentur.

Pro Catholico Rege Carolo Secundo, ac Sereniſſima Regina Matre Gubernatrice, à quolibet Sacerdote Miſſæ duæ dicantur.

Pro Cæſareis Maieſtatibus Romanorum Imperatore, & Imperatrice duæ Miſſæ dicantur.

Pro Chriſtianiſſimis Rege, & Regina Galliarum duæ Miſſæ dicantur.

Pro Sacra Cardinalium Congregatione vna Miſſa dicatur.

Pro Eminentiſſimo D. Cardinali Franciſco Barberino Ordinis Protectore,à quolibet Sacerdote vna Miſſa dicatur.

Pro Excellentiſſima Domina D. Franciſca de Cabrera Caſtro,& Bobadilla, Comitiſſa de Chinchon. Religionis, & Capituli Patrona, cuius liberali beneficientia eiuſdem Capituli Generalis expenſæ auctæ, & factæ ſunt, à quolibet Sacerdote vna Miſſa dicatur.

Pro Illuſtriſſimo D.D. Fratre Ildephonſo Salizanes Exminiſtro Generali, & Epiſcopo Ouetenſi, qui vltra innumera beneficia impenſa Religioni, Capituli Generalis expenſas non mediocri ſubſidio munifica, & liberali manu magna ex parte ſuppleuit, à quolibet Sacerdote vna Miſſa dicatur.

Pro proſpero ſtatu Seraphicę noſtræ Religionis, à quolibet Sacerdote vna Miſſa dicatur.

Pro fælici ſtatu ſacri Ordinis Prædicatorum, à quolibet Sacerdote vna Miſſa dicatur.

Pro pace Principum Chriſtianorum,pro extirpatione hæreſum, fidei propagatione, victoria contra Infideles, ac Eccleſiaſtici ſtatus proſperitate, à quolibet Sacerdote duę Miſſæ dicantur.

Federicus Patriarcha Alexand. Nuncius, & Capituli Præſes.

F.Franciſcus Maria Rhini à Politio Miniſter Generalis.
F. Idelphonſus Salizanes Exminiſter Generalis.
F. Ioſeph Ximenez Samaniego Commiſſarius Generalis Familiæ.
F. Antonius Somoza Commiſſarius Generalis Indiarum.
F.Franciſcus Ma[illegible] à Caſtro Sancti Petri Procurator Generalis Ordinis.
F.Ioſeph Copons Commiſſarius Generalis Romanæ Curiæ.
F. Antonius de Velaſco Exprocurator Generalis Ord.
Fr. Gabriel à Politio Diffinitor Generalis.
F. Franciſcus Gattinara Diffinitor Generalis.
F.Antonius Franciſcus à Genua Diffinitor Generalis.
F. Maximilianus Alchiuich Diffinitor Generalis.
F.Hiacynthus ab Alexandria Diffinitor Generalis.
F.Antonius à Militello Diffinitor Generalis.
F.Ioſeph à Cuneo Diffinitor Generalis:
F.Bonauentura à Conſentis Diffinitor Generalis.
F.Vincentius à Baſſiano Diffinitor Generalis.
F. Antonius de Medina Diffinitor Generalis.
F. Ludouicus Ceſar Diffinitor Generalis.
F. Guillelmns Herinx Diffinitor Generalis.
F. Antonius Bohordo Diffinitor Generalis.
F. Ioannes Romanus Diffinitor Generalis.
F. Antonius le Greſſe Diffinitor Generalis.
F.Siluester Caſtet Diffinitor Generalis.
F. Sebaſtianus Girad Diffinitor Generalis.

F.Ioan-

F. Ioannes à Sancto Bernardo Diffinitor Generalis.
Ita eſt.
F. Patritius Tyrellus Diffinitor Generalis, & Diffinitorij Generalis Secret.
Loco † Sigilli.

Contra Superiores Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſeruantia, & Reformatorum, qui fauores extra ſuum Ordinem attendentes, Officia, Dignitates, ac gradus concedunt. Et contra eoſdem Fratres dictos fauores conquirentes &c.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ADmonemur Paſtoralis Officij Noſtri debito diligentius proſpicere, ne Religioſis, qui regularem vitam profeſſi ſæculo renunciarunt, ad dignitates, & officia per emendicata ſuffragia ambitioſus pateat acceſſus: Quocirca motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, dilectis filijs Miniſtro Generali, Commiſſario Generali, ac Prouincialibus, & reliquis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia, & Reformatorum nuncupatis Prælatis, nunc & pro tempore exiſtentibus, in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda præcipimus, & mandamus, ne ad inſtantiam, & requiſitionem quarumcumque perſonarum, tam Laicarum, quàm Eccleſiaſticarum extra dictum Ordinem conſtitutarum, etiam Cardinalatus honore, & quacumque ſæculari dignitate, & excellentia, etiam Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium, cuiuis prædicti Ordinis Religioſo vllam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere, ſeu gradus, honores, dignitates, officia, & adminiſtrationes, functiones, & Prælaturas eiuſdem Ordinis concedere audeant.

Quinimò dicti Ordinis Fratres, & Religioſos, qui contra decreta, hac via, & his medijs per conquiſitos fauores, & ſuffragia aliquid ſibi procurauerint, ad talia, & ſimilia, ac etiam maiora in eodem ordine conſequenda perpetuò inhabiles declaramus.

Inſuper dictis Religioſis, & Fratribus eiuſdem Ordinis quibuſcumque ſub eiſdē pœnis præcipimus, & expreſsè interdicimus, vt non ſolùm in præmiſſis omnibus fauores huiuſmodi minimè procurare, ſed nec etiam ſpontè oblatos, aut ab eis minimè procuratos recipere, & ſimiliter nec ad hunc effectum munera aliqua prædictis perſonis exhibere audeant ſeu præſumant. Non obſtan. Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, dictique Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica; vel quauis firmitate roboratis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Aut ſi eidem Ordini, & Fratribus prædictis communiter, aut diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Volumus etiā quòd præſentiū litterarum tranſumptis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberentur præſentibus, ſi forent exhibitæ, & oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris, die 29. Iunij 1639. Pontificatus Noſtri anno decimo ſexto.

M. A. Maraldus.

CONGREGATIO

Generalis Toletana ann. 1673.

In Dei Nomine Amen.

Hæc eſt Tabula Capituli Generalis Intermedij, & celeberrimæ Congregationis Generalis in Imperiali Conuentu S. Ioannis Regum Toleti in Alma Prouincia Caſtellæ Regularis obſeruantiæ, iuxta Apoſtolicum Decretum Leonis X. fæl. rec. in Bulla *Vnionis*, celebratæ in vigilia Pentecoſtes die vigeſima menſis Maij, anno à partu Virgineo 1673. ſub auſpicijs Reuerendiſſimi Patris Noſtri F. Franciſci Mariæ Rhini de Politio Miniſtri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum Seraphici P. N. Sancti Franciſci.

Commiſſarius Generalis Familiæ Ciſmontanæ.

IN primis non minùs prudenter, quàm laudabiliter, & exemplariter triennio expleto Commiſſariatus Reuerendiſs. P. F. Ioſeph Ximenez Samaniego Lectoris Iubilati, Theologi Catholicæ Maieſtatis, pro Sacri Miſterij Immaculatæ Conceptionis promotione, Prouinciæ Burgenſis olim Miniſtri Prouincialis, & Cuſtodis: Reuerendiſſimus P. F. Didacus Fernandez ab Angulo, Lector Iubilatus, ex-Secretarius Generalis Ordinis in Familia, Miniſter Prouin-

uinciæ Granatenſis, Prædicator Catholicæ Maieſtatis, Sanctæ, & Generalis Inquiſitionis Qualificator, ſuffragijs Vocalium, communi applauſu in Commiſſarium Generalem huius Ciſmontanæ Familiæ ritè, & canonicè electus eſt.

Pater Ordinis huius Familiæ.

Reuerendiſſimus P. F. Ioſeph Ximenez Samaniego Cõmiſſarius Generalis Ciſmontanus præteritus.

Procurator Curiæ Romanæ.

Adm. R. P. F. Franciſcus Maria à Bononia, Lector Iubilatus, Prouinciæ Bononiæ quondam Miniſter Prouincialis, Sac. Congregationis Rituum Conſultor, totius Ordinis Ex-Diffinitor, ex ſpeciali Indulto Sanctiſs. D. N. Clem. Papæ X. per Reuerendiſs. P. Miniſtrum Generalem in dicto officio continuatur.

Commiſſarius Curiæ Romanæ.

Adm. R. P. Fr. Antonius de Loſſada Enriquez, Lector Iubilatus, Prouinciæ S. Iacobi Pater, Supremæ Inquiſitionis Qualificator, & Ex-Secretarius Generalis Ordinis; ea tamen lege vt munus hoc minimè exerceret in Curia Romana, quouſque Adm. R. P. Fr. Ioſeph Coppons, Lector Iubilatus, Prouinciæ Cathaloniæ olim Miniſter Prouincialis, & Cuſtos biennium exercitij ibidem expleat.

Diffinitores Generales.

Adm. R. P. F. Ioannes Torres, Lector bis Iubilatus, Prouinciæ Burgenſis Miniſter, & Sanctæ Inquiſitionis Qualificator.

Adm. R. P. F. Ludouicus Kellen. Ex-Commiſſarius Generalis Germano-Belgicus, & Prouinciæ Coloniæ Miniſter.

Adm. R. P. F. Ioannes de Membrio Miniſter Prouincialis S. Gabrielis Diſcalceatorum.

Adm. R. P. F. Michael de Auengozar, Lector Iubilatus, & Prouinciæ Cartaginenſis Miniſter.

Adm. R. P. F. Dominicus à Reſurrectione Prouinciæ Arabidorum Miniſter.

Adm. R. P. F. Petrus Zorilla Angulo, Prouinciæ Germaniæ inferioris Pater, & Cuſtos, Prædicator Regis Catholici, pro vtraque Regali Capella Caſtellæ, & Burgundiæ, ac Ex-Secretarius Generalis Ordinis.

Adm. R. P. F. Io: Franciſcus Scelles Cuſtos Franciæ Pariſienſis.

Adm. R. P. F. Ægidius Gilles Lector emeritus Prouinciæ S. Bernardini Recollectorum Cuſtos.

Adm. R. P. F. Bartholomæus à Portiuncula Miniſter Prouincialis Tertij Ordinis in Luſitania.

Guardianus Sacri Montis Syon, & totius Terræ Sanctæ Cuſtos.

Adm. R. P. F. Claudius à Lauda, Lector Iubilatus, & Prouinciæ Mediolanenſis Regularis Obſeruantiæ Diffinitor actualis.

Conſtitutiones pro tota Familia.

1. Diffinitorium Generale approbat & acceptat compromiſſum Diſcretorij Generalis tam in ipſũ, quàm in deputandos ab eodem Diffinitorio factum, ad reuidenda, explicanda, recompilanda, addenda, vel diminuenda, prout in Domino meliùs iudicauerint, ſtatuta generalia Barchinonenſia Segobiæ recognita, & abinde condita: eaque ſic reuiſa, explicata, recompilata, addita, vel diminuta in vnum volumen redigenda:

2. Nè in poſterum negligantur notitiæ ſtatus Prouinciarum mittendæ ex debito ad Capitulum, vel Congregationem Generalem ſtatuitur; Vt Prominiſtri, & Cuſtodes, qui illas, ac etiam litteras teſtimoniales, ea forma, quam Statuta Generalia Barchinonenſia Segobiæ recognita, & Romana 1652. reſpectiuè præſcribunt, non attulerint, in pœnam ſuæ omiſſionis, & negligentiæ non admittantur ad ſuffragandũ.

3. Præcipit Congregatio Generalis, vt omnes electiones à Diffinitorio fiendæ videlicet, Guardianorum, Pro-Miniſtri ad Capitulum Generale mittendi, & Cuſtodis, etiam extra capitulariter quacumque de cauſa eligendi, Vicarij Prouincialis, ac etiam Diffinitoris in caſu expreſſo per Statuta Romana 1664. num. 2. quo ſcilicèt recognoſcatur aliquem Diffinitorem fuiſſe nulliter, vel inualidè electum, tranſacto Capitulo Prouinciali; deinceps fiant per Ballottationes, ſeu calculos albos, & nigros, Præſide Diffinitorij proponente, iuxta Bullas Vrbani VIII. *Religioſos Viros* 1642. & Alexandri VII. *Creditę nobis* 1664. quouſque ſuccedat electio intrà terminum præfixum à Iure.

4. Si verò electio Pro-Miniſtri ritè inchoata intrà ſpatium viginti quatuor horarum minimè fuerit ab Electoribus concluſa, ex voluntaria prolixitate Præſidis Diffinitorij: Declaratur deuolui ipſo facto ad Reuerendiſſimum P. Miniſtrum Generalem.

5. Electiones Pro-Miniſtri, & Cuſtodis, & alia quæcumque acta Diffinitorij abſque

abſque aſſiſtentia legitimi Præſidis facta, declarantur irrita, & prorsùs nulla.

6. Nè ex multiplicatione Diffinitorũ Generalium maturè ſtabilita in Capitulo Generali Vallis-Oletano 1670. & per Sanctam Sedem Apoſtolicam approbata, in caſu vacantiæ, vel abſentiæ alicuius ipſorũ contingat dubitari, cui competat ſubrogari, vel ſubſtitui; Declaratur, ipſorum ſubrogationem, aut ſubſtitutionem, debere fieri, ſeruata proportione diſtributionis eorundem factæ in memorato Capitulo, ſic videlicèt; Vt pro Obſeruantibus Hiſpaniæ non niſi Obſeruantes Hiſpani: Pro Luſitano Luſitanus: Pro Excalceatis, quibus nunc ſpecialiter datus eſt Diffinitor Generalis, iuxta præfata Statuta Vallis-oletana, Excalceatus: Pro Gallis quatuor magnarum Prouinciarum de Obſeruantia vnus ex eiſdem: Ex alijs quatuor Prouincijs de Obſeruantia, ſimiliter vnus ex eiſdem; Ac pro Recollectis Recollectus: Pro Tertio Ordine de Pœnitentia, Tertiarius: Pro Nationis Germanæ Belgicæ vtraque parte earum Alumni reſpectiuè, ſeruato ſemper Nationum, ac Inſtitutorum iure, ſubrogentur, ac ſubſtituantur.

7. Si quis re ipſa fuerit dignior Prouinciæ Pater, & vocari contigerit ad Votum Patris immediati: Declaratur, quòd hoc, & non Patris dignioris Votum debeat aſſumere, & potiri; in conſeſſu tamen, & omnibus alijs munijs prærogatiuis, & præeminentijs Patris dignioris gaudeat; abſoluto verò termino præfixo per Breue Apoſtolicum Vrbani VIII. de Patribus immediatis reaſſumat Votum Patris dignioris.

8. Nè in poſterùm vlla delicta Apoſtatarum, grauеſque delinquentium exceſſus impuniti remaneant, ac Statutum Segobienſe c. 6. §. de Apoſtatis debitum ſortiatur effectum: Congregatio Generalis renouat omnia ibidem ordinata, præcipitque inſuper Miniſtris Prouincialibus ſub pœna ſuſpenſionis ſuorum muniorum per quadrimeſtre, quatenùs omnes graues exceſſus, & ſingulas pœnitentias, ſecundùm Ordinis Conſtitutiones, iudicialiter delinquentibus, & excedentibus infligant, cunctaſque ſententias, & pœnas contra ipſos iuridicè latas, & Proceſſus factos, Regeſto particulari Prouinciæ pro more inſcribi curent, & in Archiuio Prouinciæ originaliter ſumma diligentia ſeruentur, ac reponantur, vt de ijs culpis exigentibus, dum reproduci opus fuerit, legitimè conſtare poſſit, ac iuxta Decreta Apoſtolica, Ordiniſque Conſtitutiones, tam delinquentes, quàm Apoſtatæ omni tempore ritè puniri valeant.

9. Vt Apoſtatæ, qui præſertim Curiam Romanam, & Catholicam, accedere præſumpſerint, efficaciùs compeſcantur, eorumque delicta, pœna condigna plectantur: Præcipit Congregatio Generalis, vt capti carceribus mancipentur, & in illis detineantur, quouſque eorum cauſæ, & proceſſus à proprijs Prouincijs, ad quos de iure ſpectauerit, tranſmittantur, & examinentur. Ne tamen proinde Conuentus Ara-cælitanus, & Matritenſis indebitè grauentur, vtque hæc Conſtitutio plenarium ſortiatur effectum: Congregatio Generalis ex nunc pro tunc applicat dictis Conuentibus pro Apoſtatæ victu, tot Miſſas ex Dominicalibus, quot dies in carceratione effluxerunt; Has verò Miſſas proprius cuiuſque Apoſtatæ Prouincialis illicò perſolui faciat, & deſuper Superiores dictorum Conuentuum certiores reddantur. Ad hunc autem effectum Officiales Curiæ Romanæ, & Commiſſarius Curiæ Regis Catholici, nec non memoratorum Conuentuum Superiores Locales teneantur ſub iuramento, & in ſcripto tranſmittendo ad dicti Apoſtatæ Prouincialem, teſtari dies incarcerationis; Idemque obſeruari præcipitur cum alijs Conuentibus, in quibus de Generalium Prælatorum, vel Curiæ Romanæ Officialium authoritate, tales Apoſtatæ carceribus fuerint detenti.

10. Maturè perpenſa nedum vtilitate, verùm etiam neceſſitate Archiuij Generalis Ordinis, eiuſdemq; Archiuiarij in Conuentu Matritenſi: Congregatio Generalis renouat expreſsè Statutum Romanum 1651. c. 1. §. 5. n. 9. & vltrà ibidem diſpoſita ſtatuit; Vt Archiuiarius ſit Lector Iubilatus inſtituendus ſemper à Reuerendiſſimo Miniſtro Generali, habebitque Scribam gratum, & durabit per ſexennium, quo abſoluto, ſi à Capitulo, vel Congregatione Generali, aut ab ipſo Reuerendiſſimo Miniſtro Generali de iudicio aliquorum Patrum ſuum Miniſterium, dignè, & laudabiliter obiuiſſe comperiatur, Prærogatiuis Patris Prouinciæ ad inſtar bis Iubilatorum gaudeat. Pro victu verò eiuſdē, ſuique Scribæ, Superiores Generales ex nunc pro tunc applicant ſingulis diebus duas Miſſas ex Dominicalibus præfato Conuentui Matritenſi celebrandas à Prouincijs, ex quibus Archiuiarius, & Scriba reſpectiuè aſſumpti fuerint; ipſi verò ſuas quotidianas Miſſas pro ſua intentione, & deuotione dicere poterunt. Et caſu, quo dictus Archiuiarius morte, vel alia cauſa intercedente defecerit, & vacauerit, ipſius loco alius ſubſtituatur à Reuerendiſſimo Miniſtro Generali, ſi præſens fuerit; Sin minùs à Reuerendiſſimo P. Commiſſario Generali Familiæ, confirmandus tamen per

eundem

eundem Reuerendiſſimum Miniſtrum Generalem, ſi ita viderit expedire.

12. Attenta amplitudine huius Familiæ, ac multitudine negotiorum occurrentium, Concedit Congregatio Generalis Reuerendiſſimis Patribus Cõmiſſarijs Generalibus Familiæ Ciſmontanæ facultatem aſſumendi, & habendi duos Secretarios Generales, qui gaudeant priuilegijs, & prerogatiuis Secretarijs Generalibus Ordinis in Familia debitis, & quo ad præcedentiam inter ſe, ſeruabunt Ordinis antiquitatem.

13. Cum tractu temporis, & certa experientia compertum ſit, punctum de præcedentia circa præcipua Ordinis Officia poſt tantas declarationes non fuiſſe adhuc ſatis ſuperque dilucidatum: Congregatio Generalis, quantùm ex ſe eſt, volens è medio tollere omnem dubietatem, ac præcauere confuſionibus, decernit; Vt in poſterum hæc Cathegoria, & Ordo ſeruetur, videlicet; Vt deinceps Diffinitores Generales, qui Miniſtri in ſuis Prouincijs antea extiterunt, ſubſequantur immediatè Ex-Commiſſarios Curiæ Romanæ, poſt hos Ex-Diffinitores Generales, qui per integrum biennium Secretarij Generales Ordinis fuerunt: Deinde Ex-Diffinitores Generales, qui neque Prouinciales, neque Secretarij Generales fuerunt: poſt illos Secretarij Generales Ordinis: deinde Ex-Miniſtri Prouinciales: poſtea Ex-Secretarij Generales, qui biennium ſuum expleuerunt: deinde Ex-Commiſſarij Nouæ Hiſpaniæ, & del Peru: Hos omnes ſubſequentur, qui fuerunt Vicarij Prouinciales itidem per biennium.

14. Vt Secretarij Generales Ordinis in poſterum gaudeant priuilegijs, & prærogatiuis ipſis per Statuta Generalia conceſſis: Declaratur, illis omnino ſufficere biennium completum, & triennium inceptum exercitij Secretariatus: & dum actu munere ſuo funguntur, tam in proprijs, quàm in alienis Prouincijs, poſt earumdem Miniſtros actuales, præcedant omnes illos Ex-Miniſtros, qui non fuerunt Diffinitores Generales. Declarat tamen Congregatio Generalis, quòd per prædictam præcedentiam in propria Prouincia tributam nullo prorſus modo prærogatiuæ Patris antiquioris ſecundùm Bullam Vrbani VIII. intendat præiudicare, ſed præfato Patri antiquiori omnino remanere: in Comitijs verò Generalibus ſedeant poſt Ex-Diffinitores Generales, & Miniſtrum Prouinciæ, in qua celebratur Capitulum.

15. Miniſtri Prouinciales Actuales extrà propriam Prouinciam, & in alienis exiſtentes, vel tranſeuntes, præcedant illos, qui fuerunt tantummodò Prouinciales, Ex-Miniſtros illarum Prouinciarum.

De Lectoribus.

1. Renouatur Statutum Segobienſe cap.4.§.8.n.16. de Lectoribus Iubilatis: Adeoque cauet Congregatio Generalis, nè in poſterum vllus iubilari valeat, aut pro Iubilato habeatur, niſi omnes, & ſingulas conditiones ibidem expreſſas adimpleuerit; diſtrictè proindè præcipitur omnibus Prouincijs huius Familiæ, ne Lectores, qui Artes per triennium docuerunt, ad illas denuo legendas aſſumant, aut in huiuſmodi lectura vllo modo continuent, abrogata deſuper quacumque Prouinciarum conſuetudine in contrarium.

2. Verùm, ſi ob aliquam grauem, & rationabilem cauſam Prelati Generales dederint alicui litteras patentes Iubilationis conditionalis, nullum alium effectum in taliter Iubilato operari, niſi titulum Iubilati, & quòd non poſſit per inferiorem à continuatione Lectoratus amoueri.

3. Statutum Victorienſe de bis iubilandis declaratur, non eſſe intelligendum ſic, vt quis continuò, & abſque interruptione inter primam, & ſecundam Iubilationem, per viginti quatuor annos ſcholaſticam doceat Theologiam; ſed ſufficere, vt ſecundò, & iteratò legat, ſicut primò iuxtà præſcriptum Conſtitutionum Generalium, & hanc ſecundam lecturam abſque vlla interpolatione, & diſcontinuatione proſequatur, ac compleat.

4. Statuta Victorienſia 1648. decernentia, quòd Lectores Theologiæ ſe mutuò præcedant iuxta tempus ſuæ inſtitutionis in Lectoratu; Et Romana 1651. explicantia hoc tempus computandum eſſe, non à nuda inſtitutione, ſed ab illa cum annexo docendi exercitio: Declaratur ſic eſſe intelligenda, ſcilicet; Vt qui plures Lectoratus annos ad Iubilationem computabiles habuerint, omnino præcedere debeant, abrogata deſuper quacumque conſuetudine in contrarium, in cuiuſcumque huius Familiæ vnde in caſu, quo quis Lectorum plures annos Lectoratus ſic computabiles habeat, licèt non tot Religionis, quot alius Lector, qui etiam eſt antiquior habitu Predicatore Conuentuali: Declaratur, quòd debeat vtrumque præcedere.

5. Vetat Congregatio Generalis, ne contra antiquas noſtri Ordinis rubricas Ferijs quintis, vel Sabbathis Aduentus, & Quadrageſimæ fiat in Communitate Officium de Corpore Chriſti, Conceptione

Beatæ

Beatæ Mariæ Virginis, aut alia toti Ordini non conceſſa.

6. Item decernit, vt ſecundùm eaſdem Rubricas fiant in Laudibus, & Veſperis Suffragia communia, addatur deinceps ſuo loco ſuffragium de Sanctis Ordinis, prout in commemorationibus, ſeu ſuffragijs Ordinis expreſſum manet.

7. Acceptat Congregatio Generalis Officium B. Collettę Virginis Ordinis Sanctæ Claræ Reformatricis, à Sac. Congregatione Rituum approbatum, & conceſſum die 3. Septembris 1672. ſub ritu duplici, videlicet cum Oratione propria, & tribus Lectionibus proprijs tantùm.

8. Statuitur, vt omnes Fratres, qui non ſunt Sacerdotes ſingulis diebus Dominicis Anni, & feſtiuis, etiam, noſtri Ordinis primæ, & ſecundæ claſſis præmiſſa ſacramentali Confeſſione Sacram ſumant Synaxim; Temporibus verò Quadrageſimæ, & Aduentus id ipſum etiam pręſtent ferijs quintis, feſto intra hebdomadam non occurrente.

9. Statutum Generale Segobienſe ann. 1621. determinans, nullum Capitulum Prouinciale, nec Congregationem vim habentem Capituli interim celebrari, quoad vocales tranſmiſſi ad Comitia Generalia, non fuerint regreſſi, declarat Congregatio Generalis, mutuata alterius Familiæ Conſtitutione ſic debere intelligi, quòd tempore Capituli, vel Congregationis Generalis, nihil in Prouincijs innouetur, & aliter factum irritum ſit, & inane, dummodò mora prædictorum Vocalium Voluntaria, culpabilis, vel inutilis non interueniat, ſecundùm temporis diuturnitatem, & prudentem æſtimationem, vel ſit impoſſibilis regreſſus.

Pro Natione Hiſpanica.

1. DEcernit Congregatio Generalis, vt in qualibet Prouincia, quæ commodè valuerit, duo, vel ſaltem vnum ſtudium Theologiæ moralis erigatur, cui præerunt duo Lectores, qui ſolummodò materias morales, & Caſus Conſcientiæ tractabunt, omniaque exercitia, ſeruata ſtudij proportione, litteraria præſtare tenebuntur à Lectoribus ſcholaſticis præſtari ſolita. Ad quod munus non eligentur, niſi qui priùs legerint integrum curſum Artium, vel exercuerint per triennium Magiſterium Scholaſticorum Theologiæ Scholaſticæ. Si quis autem ſic Theologiam moralem legerit, magis congruus reputabitur ad promotionem Lecturæ Theologiæ Scholaſticæ, quàm qui tantummodo Artes docuerunt.

2. Si quis tamen Iubilatus in dictis Conuentibus ſic docuerit Theologiam moralem per ſexennium, & lectiones, annuas concluſiones, cæteraque exercitia, vt ſuprà expreſſa manent, obierit; Declarat Congregatio Generalis huiuſmodi tempus ipſi computandum fore ad ſecundam Iubilationem, & durante Lectura morali, illum debere gaudere Voto in Capitulis Prouinciæ, non obſtantibus Conſtitutionibus Romanis 1651.

3. Cum autem in Curia Matritenſi omnes ferè Religiones, Collegia, ac ſtudiorum ſcholaſticorum Seminaria habeant, publicoſque congreſſus litterarios celebrent, quos ex æquo, & debito cæteræ Religiones ſua præſentia honeſtant: nec Conuentus Matritenſis tali honore deſtituatur: Determinat Congregatio Generalis, vt in poſterum in hoc Conuentu habeatur, & inſtituatur ſtudium Theologiæ moralis; Lector verò aſſumendus ſit ſcholaſtica diſciplina apprimè peritus, triennium verò, quo Theologiam moralem iuxta morem ſupra expoſitum legerit, publiciſque congreſſibus aliarum Religionum adfuerit, & quot annis concluſiones ſcholaſticas, vel morales modo ſcholaſtico publicè defenderit; Si per nouennium Theologiam ſcholaſticam, & per triennium Artes, aut per duodennium Theologiam ſcholaſticam, iuxta Ordinis Statuta docuerit, ad annos Iubilationis triennium illud computetur, & qui taliter legerit, Iubilatum de iuſtitia omninò declarat; dum verò actuali lecturæ vacauerit, gaudeat præcedentia Lectoribus primarijs debita.

4. Statutum Victorienſe pro Natione Hiſpanica num. 3. ann. 1648. ſtatuens, quòd Lectores, qui ſexennio Artes, vel Sacram Theologiam, vel triennio Artes, & triennio Sacram Theologiam legerint, gaudeant his gratijs, & præcedentijs, quibus ex Statutis gaudere ſolent, qui fuerunt per ſexennium Prædicatores Conuentuales: Declarat Congregatio Generalis, quòd tales Prædicatores debeant habere viginti quinque annos habitus, & duodecim prædicationis cum reali exercitio, non verò nudæ inſtitutionis: Et Concionator, qui ſemel his conditionibus munitus talem pręcedentiam ſibi acquiſiuerit, ſemper, & vbique potiri debet.

5. Ad obuiandum jurgijs, quæ oriuntur in Prouincijs, ex nouis præcedentijs; Statuit Congregatio Generalis, vt iuxtà Statuta Romana 1664. Secretarij Prouinciarum in poſterum ſedeant poſt Lectores primarios; deinde Commiſſarij Curiarum, excepto Matritenſi, pro quo extat ſpecialis

lis diſpoſitio ; in tribus verò, aut quatuor inſignioribus Conuentibus infrà exprimẽdis, in quibus aliquis Guardianus abſoluerit officium, habebit locum poſt Secretarium Prouinciæ, & ſupra Commiſſarium Curiæ, ſi aliundè dicto Guardiano habituali, non debeatur dignior locus; & inhibetur expreſsè omnibus Prouincijs, ne poſſint deinceps alicui aſſignare præcedentiam ſuprà Lectores, & Prædicatores Conuentuales; Si autem aliquam duxerint concedendam, ſemper ſit, & aſſignari debeat infra præfatos Lectores, & Concionatores.

6. Statuitur, vt Vice-Commiſſarius Indiarum Hiſpalenſis, Si antea Diffinitor, vel Cuſtos ſuæ Prouinciæ extiterit, vel fiat, dum actualiter prædicto munere fungitur, gaudeat voto in Capitulis ſuæ Prouinciæ & ſi per octennium ita graduatus, vt dictum eſt, in præfata Vice-Commiſſaria laudabiliter perſeuerauerit, ſit Pater ſuæ Prouinciæ cum præcedentia immediata poſt Ex-Vicarios Prouinciales biennales; & cum iure ſubrogandi pro Diffinitoriatu poſt memoratos Ex-Vicarios Prouinciales, neque, durante octennio ab officio poterit amoueri, niſi cauſa releuante contra ipſum allegata, & probata.

7. Vt deinceps ſciatur, quis ſit principalior Conuentus cuiuſque Prouinciæ: Declarat Congregatio Generalis eſſe ſequentes.

SERIES CONVENTVVM PRINCIPALIVM.

Conuentus Toletanus eſt re ipſa primarius, & caput Prouinciæ Caſtellæ.

Conuentus Matritenſis verò ob reuerentiam Curiæ Regis Catholici æqualis cenſendus, & æquè principalis, excepto quòd Ius primarij ſemper debetur, & pertinere debeat ad Conuentum Toletanum.

Conuentus Cæſar Auguſtanus dictus S. Franciſci pro Aragonia.

Conuentus S. Franciſci Compoſtellanus, pro S. Iacobi.

Conuentus S. Franciſci Regularis Obſeruantiæ Vliſſiponenſis, pro Portogallia.

Conuentus S. Franciſci Vallis-Oleti pro Conceptione.

Magnus Conuentus S. Franciſci Hiſpalenſis, pro Bethica.

Conuentus S. Franciſci Burgenſis, pro Burgenſi.

Conuentus S. Antonij Hiſpalenſis pro Angelorum.

Conuentus S. Franciſci Villæ Vitioſæ pro pietate Diſcalceatorum.

Conuentus S. Franciſci Murciæ pro Carthaginenſi.

Conuentus S. Franciſci Xabregas Algarbiorum.

Conuentus S. Franciſci Maloricarum eiuſdem Prouinciæ.

Conuentus S. Franciſci Placentinus pro S. Michaelis.

Conuentus S. Franciſci Victorienſis pro Cantabria.

Conuentus S. Franciſci Lagunæ pro Canaria.

Conuentus S. Petri de Saſſaris pro Sardinia.

Conuentus S. Franciſci Valentinus pro Valentia.

Conuentus S. Franciſci Barchinonis pro Cathalonia.

Conuentus S. Ioſeph iuxta Vlyſſiponem Arabidorum, donec ille S. Petri de Alcantara in eadem Curia perfectus fuerit.

Conuentus Regius Matritenſis S. Ægidij pro S. Ioſeph Caſtellæ Diſcalceatorum.

Conuentus S. Antonij Dos-Corrayes dictus Prouinciæ S. Antonij Diſcalceatorum in Luſitania.

Conuentus S. Ioannis de la Ribera Prouinciæ S. Ioannis Baptiſtæ Diſcalceatorum.

Conuentus Maior S. Franciſci Granatenſis Prouinciæ eiuſdem.

Conuentus S. Didaci Vallis-Oleti S. Pauli Diſcalceatorum.

Conuentus S. Didaci Hiſpalenſis eiuſdem Prouinciæ Diſcalceatorum.

Conuentus S. Franciſci Calaritanus pro S. Saturnini.

Conuentus S. Antonij Granatenſis S. Petri de Alcantara Diſcalceatorum.

Conuentus S. Luciæ in Monte, Cuſtodiæ S. Petri de Alcantara Diſcalceatorum Neapolis.

Pro Tertio Ordine.

Conuentus Granatenſis S. Antonij pro S. Michaelis in Bethica.

Conuentus S. Mariæ de Ieſu, Vulgò, *De los Cardaipes* Prouinciæ Luſitaniæ.

Conuentus de Mellin Prouinciæ Legionenſis.

8. Quoniam Statuta Generalia pro regimine Monialium Romæ facta 1639. c. 2. præcipiunt iuxta Concilij Tridentini ſeſſ. 25 c. 3. Decretum, & Apoſtolicas Conſtitutiones, præcipuè Pij V. *Circa Paſtoralis &c.* &

& Gregorij XIII. *Deo Sacris &c.* eum numerum Monialium conſtitui in Monaſterijs, & in poſterum conſeruari, qui ex proprijs redditibus, vel eleemoſynis conſuetis, commodè ſuſtentari poſſet: nec non Prouincialibus præcipiunt, quòd intra annum à publicatione labentem per ſe, vel ſuos Commiſſarios, ſi perſonaliter nequiuerint, præfati numeri taxam ſingulis Conuentibus Monialium præfigere curent, & cuique reſpectiuè exemplar triplex conficiatur, quorum vnum in Prouinciæ Archiuio, alterum in Monaſteriorum reſpectiuè reponatur, & aſſeruetur, tertium denique apud ſe Prouincialis retineat. Similiterque cautum ſit, ne vltrà numerum taxatum vllam recipere ad habitum valeant: quòd ſi ob grauem, & releuantem cauſam cũ aliqua duxerint diſpenſandũ, tunc iuxtà Decretum S. Congregationis die 6. Septembris 1604. talis ſupernumeraria eleemoſynam duplicatam dotalem Monaſterio perſoluere teneatur. Congregatio Generalis prædictarum Conſtitutionum Apoſtolicarum, Decretum Sac. Congregationis, necnon ſtatutorum Generalium debitæ executioni conſulens, deſiderans que pro munere ſuo abuſus, & detrimenta ex eorum inobſeruantia, in Monialium Monaſterijs inde exorta extirpare; Renouat prædicta ſtatuta, diſtrictè præcipiens Prouincialibus, vt intra primum annum à publicatione præſentium præfata Decreta Apoſtolica, & Sacrę Congregationis, & Conſtitutionem ſupramemoratam indiſpēſabiliter ad litteram, vti iacent, ſub pœna ſuſpenſionis ſuorum officiorum per trimeſtre omninò exequantur, certumque reddere Reuerendiſſimum P. Commiſſarium Generalem de ſupradictis teneantur, mittendo ad ipſum Copias authenticas prædictarum taxarum, vt illi de præmiſſorum conſtet obſeruantia, & executione; Cumque redditus fundi, eleemoſynę, cæteraque bona immobilia in eodem ſtatu non permaneant: Ordinat vlteriùs Congregatio Generalis, vt de decennio in decennium prædicta taxa, vel numerus reformetur, augeatur, vel diminuatur, prout præfatis Prouincialibus ſecundùm Deum videbitur expedire.

9. Inhærendo vlterius Congregatio Generalis Decretis Sac. Congregationis pluries expeditis, iteratiſque die 16. Auguſti 1616. decernit, vt tertia germana Soror ſi intra præfinitum numerum Monaſterium intrauerit, & habitum receperit, eleemoſynam dotalem duplicatam perſoluat; Si verò vltra numerum taxatum ſupernumeraria admitti voluerit, vel admiſſa fuerit, triplicatam exſoluat eleemoſynam dotalem, ex quo ad votum actiuum, & paſſiuum, ac ſuffragium ferendum, duæ tantùm Sorores illa habere, & vnà ſuffragari poſſunt, remanente tertia excluſa. Huiuſmodi verò determinationi ſi toti, vel parti Prouinciales contrauenerint, ſint ipſo facto per trimeſtre ſuſpenſi.

10. Conſtitutio Generalis ſupra cap. 14. proſpiciens paupertati Seraphicæ, vti noſtri Status Dominæ conſeruatrici, interdicit iuxta Apoſtolicas Sanctiones Summorum Pontificum, pręſertim Clementis VIII. *Romani Pontificis* 24. Aprilis 1606. Et Decreta Concilij Tridentini, vbi ſupra c. 2. ne vllus Religioſus noſtri Ordinis de Monialium Monaſteriorum fundis, & redditibus curam gerat, nulloque prorſus modo adminiſtrationi eorum ſe immiſceat eo quòd prædicta munia maxima afferant nocumenta contra Regulam noſtram; indieſque experiantur non minoris notæ ſcandala: Cupiens proinde iſta omnia amputare, & penitùs eradicare, inhibet Congregatio Generalis diſtrictiſſimè, vt nullus Religioſus poſſit, aut valeat deinceps ſimiles adminiſtrationes exercere, aut retinere ſub nomine Adminiſtratoris, Factoris, Syndici Coloni, Superintendentis, Villici, vel alio quouis nomine, titulo, vel colore palliatas, idque indiſpenſabiliter: Prouinciales verò, qui ſimiles patentes deinceps dare præſumpſerint, & ſi quas olim dederint, illicò non reuocarint, ab officio per trimeſtre ipſo facto ſuſpenſi remaneant: Subditi autem contrafacientes pœnis Statutorum Ordinis aduerſùs proprietarios latis irremiſſibiliter ſubiaceant.

11. Ob multiplices rationes ſtatuitur, vt Confeſſarius Regalis Monaſterij Diſcalceatorum Curiæ Matritenſis deinceps gaudeat omnibus honoribus, & prærogatiuis Prædicatoribus Regijs per Conſtitutiones Generales Ordinis, quomodolibet conceſſis, dummodò tamen conditiones requiſitas, & per eaſdem Conſtitutiones præſcriptas habuerit, ſuumque triennium laudabiliter abſoluerit.

12. Patri Confeſſario Sanctæ Clarę de Montilla, & PP. Vicarijs Monaſteriorum Sanctæ Claræ Vallis-Oleti, & Sanctæ Claræ de Zafra, conceditur in poſterum Votum in Capitulis ſuarum reſpectiuè Prouinciarum.

13. Agens Hiſpalenſis Reuerendiſs. P. Miniſtri Generalis gaudeat deinceps, & habeat Votum in Capitulo Prouinciali.

Pro Tertio Ordine.

1. STatuitur, & diſtrictè præcipitur, vt omnes Religioſi Prouinciæ Legionenſis ſecundùm propriam Regulam, & vſum antiquum panno cinericio vili abſque tinctura deinceps induantur, & omninò ab vſu ſtamineæ, abrogata deſuper Conſtitutione Prouinciali in contrarium, abſtineant.

2. Alternatiua Prouinciæ Portugalliæ Tertij Ordinis à Sede Apoſtolica olim conceſſa, neque hucuſque executioni demandata, relinquitur arbitrio, & diſpoſitioni Reuerendiſſimi P. Commiſſarij Generalis Familiæ, vt deſuper determinet, quod in Domino viderit expedire. Ad quem effectum tam Congregatio Generalis, quàm Reuerendiſſimus P. Miniſter Generalis, totam ſuam ipſi in quantum opus fuerit, concedit authoritatem.

Pro Gallia.

1. AD inſtantiam Excellentiſſimorum Dominorum Ducis, & Duciſſæ de Narmotiers, aliorumque Procuratorio nomine porrectam, Diffinitoriũ Generale, quantùm in ſe eſt, ac ſeruatis in reliquo ſeruandis, concedit Prouinciæ Sanctæ Mariæ Magdalenæ Recollectorum facultatem acceptandi fundationem oblatam Conuentus in Inſula de Narmotiers.

Pro Natione Germano Belgica.

1. DIffinitorium Generale approbat Compromiſſarios propoſitos à Natione Germano Belgica ad effectum ſua ſtatuta reuidendi, diſponendi, & ordinandi, & facultatem ad id impertitur, dummodò tamen huiuſmodi diſpoſitio, & ordinatio fiat iuxta Generalia Ordinis Statuta, & ſic ordinata, diſpoſita, & compilata, & nationi accommodata ad proximum ferantur Capitulum Generale, vt ſic præſentata debitè examinentur, & approbentur.

2. Lecta fuit reclamatio, & proteſtatio in Diffinitorio Generali facta nomine totius Prouinciæ S. Andreæ de Conuentibus Aldenardæ, & Cortracenſi Fratrum, ac Sororum Colectanarum Gandaui, & Clariſſarum Brugenſium: Et licet Patres S. Ioſephi in Comitatu Flandriæ auctoritate Apoſtolica in hunc poſtremum introducti fuerint, & Monialibus Sacramenta adminiſtrent; dictis tamen Patribus Andræanis liberum erit recurrere ad Sanctam Sedem Apoſtolicam, vt illam informent, & iuſtitiam, quam prætendunt, repræſentent.

3. Negotium Conuentus Embricenſis inter Patres Colonienſes, & Saxoniæ Sanctæ Crucis aliàs weſtphaliæ Congregatio Generalis ſpecialiter Commiſſario Generali Germano Belgico committit, quatenus de eo inquirat, mentemque Domini Patroni eiuſdem authenticè exploret, cauſamque actuet, vſque ad ſententiam diffinitiuam excluſiuè, omniaque ſic actuata ad proximum tranſmittat Capitulum Generale: Interea tamen Patres Saxones, ſi ædificare voluerint, minimè prohibeantur, neque deſuper moleſtari poterunt.

Pro Prouincia Canarienſi.

1. CVM iuxta Breue S. D. N. D. Clementis Papæ X. die 15. Octobris 1672. arbitrio exiſtentium pro tempore Superiorum Generalium omninò remittatur, vt non obſtantibus litteris Apoſtolicis Alexandri VII. fel. rec. Commiſſarios Viſitatores ad Prouinciam S. Didaci Canarienſem deſtinare, vti ad cæteras fieri ſolet, poſſint, & valeant, quotieſcumque ita in Domino pro publica pietate, quiete, & vtilitate expedire iudicauerint. Hinc Congregatio Generalis volens, qua par eſt veneratione, Apoſtolicum Decretum exequi, reuocat, annullat, & caſſat ſtatutum 1664. num. 9. per hoc nouiſſimum Breue, vt patet, correctum, & immutatum, mandatque, vt inuiolabiliter memoratum Breue Domini Clementis X. obſeruetur.

Pro Indiarum Prouincijs.

1. DEclarat Congregatio Generalis, vt ſi Alumnos Prouinciarum Indiarum Orientalium contingat aſſumi ad officium Commiſſariatus Generalis illarum Prouinciarum, quòd debeant gaudere præcedentia per ſtatuta Segobienſia Commiſſarijs Generalibus Indiarum Oriẽtalium conceſſa, dummodò tamen ſuum tempus laudabiliter expleuerint.

2. Statutum Segobienſe cauens, ne, quando Prælati Generales intereſſe nolunt Congregationibus Intermedijs Prouinciarum, vllum mittant, qui eiſdem præſideat: Declaratur compræhendere, etiam Commiſſarios Generales Indiarum, tam Orientalium, quàm Occidentalium, præterquàm in caſibus in Statutis expreſſis.

3. Prominiſtris, & Cuſtodibus Indiarum, qui ad Capitula Generalia acceſſerant ante Statutum Victorienſe 1648. concedẽs illis Paternitatem, ac Toletanum 1658. intuitu periculorum, & laborum ab ipſis tunc per-

perpeſſorum ſuperaddens præcedentiam cum iure ſubrogandi &c. Cum nondum condita eſſent, nullo modo ſuffragari debent.

4. Statuta Generalia ob rationes, & motiua concedentia Prælatis Generalibus facultatem anticipandi, vel differendi per ſex menſes Capitula Prouincialia, declarat Congregatio Generalis, etiam ab Indiarum Prouincijs obſeruari debere.

5. Vt Moniales Indiarum Ordinis Iuriſdictioni ſubiectæ ordinationum, ac Ordinis Statutorum debitam notitiam habeant, ac ſciant, quid præciſè facere, vel omittere debeant: Præcipit Congregatio Generalis Commiſſario Generali Nouæ Hiſpaniæ, & Peruano pariter, ac Miniſtris Prouincialibus, vt abſque mora intimentur, & publicentur per ſingulos Conuentus Monialium ſtatuta Romana de anno 1639. pro illis condita, & procurent, vt in vnoquoque Monaſterio prędictarum Conſtitutionum ſufficientia exemplaria ſint, & remaneant, ne ignorantiam Moniales prætendant.

Pro Terra Sancta.

1. NVllus in poſterum inſtituatur Commiſſarius Terræ Sanctę, qui priùs non incoluerit, aut viſitauerit prædicta Sanctuaria.

Iudices ad expellendos incorrigibiles iuxta Conſtitutiones Apoſtolicas huius Familiæ Ciſmontanæ.

1. INhærendo declarationi, & conceſſioni Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum S. R. E. Cardiualium Concilij Tridentini interpretum, quæ Sanctiſs. D. N. approbante declarauit, ſex Patres in ſingulis Capitulis, vel Congregationibus Generalibus eligendos, de quorum conſilio, & aſſenſu Generalis poteſt Regulares incorrigibiles à Religione eijcere, in vnaquaque Prouincia eligi poſſe; eoſdemque ſic electos, ſi Generalis tam longè abfuerit, vt vnà cum eis conuenire non poſſit; debere ad eundem tranſmittere ſummarium proceſſus, vnà cum eorum voto: & iuxta illud Generalis poſſit, ad ſententiam expulſionis procedere: Interea tamen vſq; ad primum Generale Capitulum, vel Congregationem proximè celebrandam Sua Sanctitas annuit, vt eiectio, ſeruata in reliquis forma Decreti hac de re editi, fieri poſſit à Generali, etiam cum conſilio, & aſſenſu ſex Patrum, quos idemmet Generalis in qualibet Prouincia elegerit infra quatuor menſes 9. Augusti 1625. S. Card. S. Suſanæ. Loco † ſigilli. Proſper Fagnanus S.C. Secretarius. Deſignantur in ſingulis huius Ciſmontanæ Familiæ Prouincijs ſex Patres, videlicet, Miniſter Prouincialis, & Cuſtos, duo antiquiores, ſeu digniores Prouinciæ Patres; duo antiquiores Lectores Iubilati; defectu autem dictorum duorum Prouinciæ Patrum, duo Diffinitores habituales antiquiores, in Diffinitoriatus officio, & defectu Iubilatorum Guardianus principalioris Conuentus, & antiquior S.Theologiæ Lector actualis.

2. Quoniam verò ob amplitudinem, & dilatationē huius Familiæ Ciſmontanæ non poteſt Reuerendiſſimus Miniſter Generalis perſonaliter adire quamplures Prouincias, præſertim Indiarum Orientalium, & Occidentalium, necnon Germaniæ, Belgij, dictęque nationi annexarum; Eadem S. Congregatio induſit ſupradictam facultatem Cōmiſſarijs, & Viſitatoribus ab eo deſtinandis ad dictas Prouincias, cum plenitudine poteſtatis, vt ſeruata in reliquis forma Decreti hac de re editi, eiectio fieri poſſit ab illis cum conſilio, & aſſenſu prædictorum ſex Patrum, benignè annuente Summo Pontifice.

Petitiones Diffinitorij Sanctiſſimo ſiendæ per Reuerendiſſimum Miniſtrum Generalem.

1. REnouat Diffinitorium Generale Decretum per diuerſa Capitula Generalia factum, vt obnixiſſimè exoretur Sancta Sedes Apoſtolica pro licentia Sanctiſſimi Patriarchæ noſtri Dominici pari ritu celebrandi, quo Seraphicum P.N.S.Franciſcum celebramus, vt quoties in Anni decurſu contingat Diui Franciſci fieri cōmemorationē, liceat, & S.P.N. Dominici memoriam annectere, amboſque ſimul, & indiuisè colere, quos eadem fides, & gratia verè fecit eſſe Germanos.

2. Item cum Diffinitorium Generale ad ſtatuta anni 1639. in forma ſpeciali à Sanctiſſimo confirmata in puncto præcedentiæ non ſatis dilucidata aliqua addiderit; Decernit, quatenus exoretur Sanctiſſimus, vt huiuſmodi additiones dignetur benedictione Apoſtolica confirmare.

Sequuntur ſuffragia.

PRO Sanctiſſimo D.N.D.Clemente X. quilibet Sacerdos dicat duas Miſſas, Clerici integrum Pſalterium Laici ducenta Pater, & Aue.

Pro Rege noſtro Catholico Carolo Secundo, & Regina Matre Regnante eius Tutrice; ſinguli Sacerdotes duas Miſſas.

Pro

Pro Rege Chriſtianiſſimo, Regina, ac Prole Regia, cuncti Sacerdotes vnam Miſſam.

Pro Rege Portugalliæ, eiuſque Germano Fratre Sereniſſimo Principe Domino Petro Regni Gubernatore, ſinguli Sacerdotes vnam Miſſam.

Pro Eminentiſſimo Domino D. Franciſco Card. Barberino Ordinis Protectore, omnes Sacerdotes vnam Miſſam.

Pro Principibus Chriſtianis, Benefactoribus noſtris, Exaltatione Sanctæ Matris Eccleſiæ, Hæreſum extirpatione, ac fælici ſtatu Ordinis Seraphici, ſinguli Sacerdotes tres Miſſas, Clerici tertiò Pſalmos Pœnitentiales, Laici dicant trecenta Pater, & Aue.

Pro Excellentiſſimo Domino Duce de Naxera, Marchione de Cannete Ordinis Patrono munificentiſſimo, qui larga manu expenſas huius Congregationis ſubminiſtrauit, & pro eius Excellentiſſima Familia ſinguli Sacerdotes vnam Miſſam.

Numerus Defunctorum ab vltimo Capitulo Generali Vallis-Oleti celebrato Anno 1670.

IVxta notitias, quas Patres Vocales reſpectiuè attulerunt, ac dederunt, exceptis Prouincijs Recollectorum Galliæ, ex quibus aliquæ tantùm comparuerunt, demptis itidem Prouincijs Indiarum, conſtat obijſſe in hac Familia Ciſmontana quatuor mille, ducentos, & triginta ſeptem Fratres, Moniales verò tres mille, & 90.

F. Franciſcus Maria Rhini de Politio Miniſter Generalis.
F. Didacus Fernandez ab Angulo Commiſſarius Generalis.
F. Ioſeph Ximenez Samaniego Pater Ordinis in Familia.
F. Antonius de Samoza Commiſſarius Generalis Indiarum.
F. Antonius de Loſſada Enriquez Commiſſarius Generalis Curiæ Romanæ.
F. Franciſcus Courtot Diffinitor Generalis.
F. Ioannes de Torres Diffinitor Generalis.
F. Ludouicus Kellen Diffinitor Generalis.
F. Ioannes de Membrio Diffinitor Generalis.
F. Michael de Auengozar Diffinitor Generalis.
Fr. Dominicus à Reſurrectione Diffinitor Generalis.
F. Ægidius Gilles Diffinitor Generalis.
F. Bartholomæus à Portiuncula Diffinitor Generalis.

Locus † Sigilli.

F. Petrus Zorilla Angulo Diffinitor Generalis eiuſdemque Reuerendiſs. Diffinitorij Secret.

CXXXVII. *Cap. Gen. Roman. ann. 1676.*

NOtandum, quòd huius Capituli Romani ſtatuta, cum non potuerint à Clemente X. ſan. mem. Pontifice morte præuento confirmari; & Sanctiſs. Innocentius XI. ipſa propter aliquas nouitates ibidem inſertas, præſertim de Commiſſario Generali ad ſexennium contra tenorem Bullæ *Vnionis* continuandum, confirmare renuiſſet (ex quo apparet, in Curia Apoſtolica ipſam Bullam *Vnionis* in pleno eſſe vigore,) etſi poſtmodum hæc ipſa per Sacram Congregationem approbata fuiſſent, ſtante tamen Summi Pontificis negatiua, non fuerunt publicata, nec vſu recepta, niſi poſtquam anno 1679. operante Samaniego Generali fuerunt Apoſtolica authoritate reuiſa, correcta, approbata, inſuper in forma ſpeciali confirmata, atque cum quibuſdam alijs in ea Bulla non inſertis cum omnimoda licentia typis impreſſa, publicata, & vſu præcepta, quæ ſtatim poſt tabulam Capitularem apponam.

Hæc adnotare debui, nè ſtatuta ipſa cum approbatione S. C. aliter impreſſa aliquem decipiant.

Tabula, & Conſtitutiones celeberrimi Capituli Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum.

Nuperrimè Romæ celebrati in Conuentu Sanctæ Mariæ de Ara-Cœli die vigeſima tertia Maij ann. Domini 1676.

Præſidente Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo Domino D. Franciſco Epiſcopo Oſtienſi Cardinali Barberino, Sacri Collegij Decano, S.R.E. Vicecancellario, eiuſdem Ordinis Protectore à fel. rec. Clemente X. ſpecialitèr delegato.

Summo Pontifice eiuſdem fel. record. Clemente X.

IN primis expleto ſexennio ab electione Reuerendiſs. Patris Franciſci Mariæ Rhini de Politio, qui poſt ſui Generalatus quadriennium, ad Epiſcopatum Syracuſanum aſſumptus eſt, cuique Reuerendiſs. Pater Franciſcus Maria de Nicolis Cremonenſis Miniſter Generalis à Clemente X. fel. rec. motu proprio creatus, ac inſtitutus ſucceſſit, ſub cuius accurato regimine feli-

feliciter reliquum Sexennij eſt abſolutum. Reuerendiſs. Pater Ioſeph Ximenez Samaniego Lector Iubilatus, Prouinciæ Burgenſis Pater, Catholicæ Maieſtatis pro Immacùlata Conceptione Theologus, & Vltramontanæ Familiæ olim Commiſſarius Generalis, in Miniſtrum Generalem totius Ordinis Fratrum Minorum ritè, & canonicè electus eſt.

Commiſſarius Generalis Ciſmontanæ Familiæ.

Reuerendiſſimus Pater Franciſcus Maria de Nicolis Cremonenſis Lector Iubilatus, Prouinciæ Bononiæ Pater, S. Romanæ Inquiſitionis Qualificator, Sacrarum Congregationum Indicis, & Rituum Conſultor, olim Diffinitor Generalis Ordinis, in Romana Curia Procurator, atque totius Ordinis Exminiſter Generalis, diſpenſante ſuper interſtitia Pontifice, omnium Familiæ ſuffragijs canonicè eſt electus.

Pater totius Ordinis, & Diffinitor perpetuus vtriuſque Familiæ.

Idem Reuerendiſs. Pater Franciſcus Maria de Nicolis Exminiſter Generalis.

Pater Ordinis, & Diffinitor perpetuus Familiæ Vltramontanæ.

Reuerendiſs. P. Didacus Fernandez de Angulo Lector Iubilatus, Sanctæ Inquiſitionis Qualificator, Concionator Regius, Prouinciæ Granatenſ. Pater, & Commiſſarius Generalis Vltramontanus præteritus.

Procurator Generalis Ordinis in Curia Romana.

Adm. Reu. P. F. Ioſeph Copons Lector Iubilatus, Prouinciæ Cataloniæ Pater, Sanctæ Inquiſitionis Qualificator, & olim in eadem Curia Commiſſarius Generalis.

Commiſſarius Generalis in Curia Romana.

Adm. R. P. F. Leo Caromius de Typherno Prouinciæ S. P. N. Franciſci Exminiſter, & immediatus Exprocurator Generalis Ordinis.

Procurator Generalis Reformatorum Familiæ Ciſmontanæ.

Adm. R. P. F. Theodorus ab Aſculo Prouinciæ Marchiæ, donec Officij ſui tempus expleat.

Diffinitores Generales Vltramontanæ Familiæ.

Adm. R. P. F. Nicolaus Lozano Lector Iubilatus, Supremæ Inquiſitionis Hiſpan. Qualificator, Regis Catholici Concionator, & Theologus pro Immaculata Conceptione, Miniſter Prouinciæ Caſtellæ.

Adm. R. P. F. Petrus Mon Lector Iubilatus, S. Officij Qualificator, Miniſter Prouinciæ Aragoniæ.

Adm. R. P. F. Didacus Fuenſalida Prominiſter Prouinciæ S. Ioſeph Diſcalceatorum in Hiſpania.

Adm. R. P. F. Petrus Coturæ Miniſter Prouinciæ Aquitaniæ Antiquioris.

Adm. R. P. F. Petrus Buiſſon Doctor Pariſienſis, & Magni Conuentus Guardianus.

Adm. R. P. F. Epiphanius à Ponte Emparat Prouinciæ Sancti Franciſci Recollectorem in Gallia.

Adm. R. P. Fr. Vuolfangus Tach Miniſter Prouinciæ Argentinæ.

Adm. R. P. F. Emannuel de Altor Miniſter Prouinciæ Pietatis in Portugallia.

Adm. R. P. F. Ignatius Broeyer Agens Flandriæ, & Scotiæ Miniſter.

Adm. R. P. F. Baltaſſar Aluarez Sac. Theologiæ Magiſter, & Prouinciæ Bethicæ Tertij Ordinis Miniſter.

Diffinitores Generales Familiæ Ciſmontanæ.

Adm. R. P. F. Cherubinus de Sambuca Prouinciæ Vallis Mazariæ Reformatorum Exminiſter, Cuſtos actualis, & olim Diffinitor Generalis.

Adm. R. P. F. Ioannes Baptiſta de Fugnano Lector Iubilatus, Prouinciæ Bononiæ de obſeruantia Miniſter.

Adm. R. P. F. Antonius Maria de Venetijs publicus Patauinus Lector, Prouinciæ S. Antonij de Obſeruantia Miniſter.

Adm. R. P. F. Archangelus de Cilento Lector Iubilatus, Prouinciæ Principatus Exminiſter, & Cuſtos actualis.

Adm. R. P. F. Leonardus de Neapoli Prouinciæ Obſ. Terræ Laboris Exminiſter, & Cuſtos actualis.

Adm. R. P. F. Ægidius de Liburno Prouinciæ Romanæ Reformatorum Theologus, & Cuſtos.

Adm. R. P. F. Hironymus à Caſali Prouinciæ Reformatæ Mediolani Theologus, & Miniſter.

Adm. R. P. F. Bernardus Sannig Prouinciæ Bohemiæ ſtrictioris Obſeruan. Theologus, & Miniſter.

Adm. R. P. F. Franciſcus de Raguſa Sac. Theologiæ in Ara-Cæli Lector Generalis, & Prouinciæ Raguſiæ Cuſtos.

Adm. R. P. Franciſcus Maria Mancinus Prædicator Clariſſimus, & Prouinciæ Tuſciæ de Obſeruantia olim Miniſter.

Guar-

Guardianus, & Commiſſarius Terræ Sanctæ Ieroſolymorum, relinquitur arbitrio Reuerendiſs. P. Miniſtri Generalis.

Dilecto filio Ioſepho Ximenez Samaniego Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum Miniſtro Generali.

INNOCENTIVS PP. XI.

Dilecte fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CVM ſicut Nobis nuper exponi feciſti, Tù in Capitulo generali Fratrum Ordinis Minorum S.Franciſci de Obſeruantia nuncupat. in Alma Vrbe noſtra nouiſſimè celebrato, in Miniſtrum Generalem eiuſdem Ordinis canonicè electus fueris, electionemque huiuſmodi pro maiori illius validitate, & ſubſiſtentia Apoſtolicæ confirmationis noſtræ robore communiri ſummoperè deſideres. Nos ſperantes electionem huiuſmodi de perſona tua, vt præfertur factam ob tuum Religionis zelum, fidem, prudentiam, integritatem, & doctrinam eidem Ordini plurimum profuturam, teque ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum feriè abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus tuo nomine Nobis ſuper hoc humilitèr porrectis inclinati, Electionem de perſona tua in Miniſtrum Generalem dicti Ordinis, vt præfertur factam, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos iuris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xix. Octobris M.DC.LXXVI. Pontificatus noſtri anno primo.

I.G.Sluſius.

Fr. Ioſeph Ximenez Samaniego totius Ordinis Fratrum Minorum Generalis Miniſter, & Seruus Dilectis Nobis in Chriſto Vniuerſis Patribus, & Fratribus, Superioribus, & Subditis noſtra Seraphica Religionis, ſalutem in Domino ſempiternam.

LOngè ſerius, quàm optaueramus, Acta vltimi Capituli Generalis Romani ad vos perueniunt; Non torpor, aut ignauia, ſed rerum inſuperabilis occurſus in cauſa fuit. Cum enim in Comitijs ipſis generalibus aliqua ad Ordinis regimen congruentiùs firmandum, & Sanctæ Obſeruantiæ candorem reſtituendum, præſenti rerum ſtatu apprimè neceſſaria, fuerint ordinata, quæ aut ad ſubſiſtendum Apoſtolica auctoritate, aut ad perdurandum ſpeciali Rom. Sedis confirmatione indigebant, huiuſce gratiæ prætenſione pendente, haud conſultum videbatur Acta ipſa publicare. Accidente autem primum Sa. Mem. Clementis X. obitu, pluribus deindè, poſt fælicem Sanctiſſimi Domini Noſtri Innocentij XI. ad Summum Pontificatum aſſumptionem, difficultatibus emergentibus, gratiæ ipſius expeditio, aut dilata, aut certè ſuſpenſa fuit vſque ad Congregationis Generalis intermediæ celebrationem. Poſt ipſam, ad quam ex Sanctiſſimi præſcripto perſonaliter acceſſimus, nouis interpoſitis inſtantijs, reque exactiſſimè examinata in Congregatione à Sanctiſſimo ipſo ad id ſpecialiter inſtituta, tandem Statuta, quorum ſubſiſtentia, robur, & firmitas ex præfati Capituli voto expoſcebatur, Apoſtolica authoritate ordinata, & confirmata ſunt: Ipſe præterea Sanctiſſimus Dominus Noſter pro ſua paſtorali ſollicitudine, & paterno in Ordinem noſtrum charitatis affectu, Breue motu proprio edidit, aptiſſimas declarationes, & ſanctiones continens, ad vniuerſum noſtræ Familiæ Obſeruantium Corpus in pura Regulæ Minorum obſeruatione manutenendum, ac roborandum. Ea igitur omnia cum cæteris eiuſdem Generalis Capituli Actis vobis intimamus, ac præſentibus litteris publicamus, obſecrantes vos in Domino, vt ipſa ſtudioſo ſuſcipiatis affectu, & fideli integritate exequamini; alioquin in tranſgreſſores ſeuerè animaduerſuri. Valete in Domino, & pro Nobis orate. Ex noſtro S.Mariæ ad Aram-Cæli Romano Conuentu; die 28. Decembris anno 1679.

STA-

STATVTA GENERALIA
A Sanctiſſimo Domino Noſtro
INNOCENTIO XI.

In forma ſpeciali, & ex certa ſcientia, cum præinſertione ipſorum litteris ſequentibus confirmata.

INNOCENTIVS PP. XI.
Ad perpetuam rei memoriam.

Militantis Eccleſiæ regimini per abundantiam Diuinæ bonitatis, nullo licèt meritorum noſtrorum ſuffragio, præpoſiti, illa, quæ pro fœlici, proſperoque religioſorum Ordinum in Eccleſia Dei piè, ſanctèque inſtitutorum, ac vberes bonorum operum fructus, adſpirante ſuperni fauoris auxilio, proferre iugiter ſatagentium gubernio, & progreſſu prouidè, ſapienterque conſtituta, & ordinata eſſe noſcuntur, vt firma ſemper, atque inuiolata perſiſtant, Apoſtolici muniminis præſidio, libenter conſtabilimus. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Ioſephus Ximenez de Samaniego Miniſter Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum, quòd, pro fœlici dicti Ordinis, eiuſque Fratrum regimine, & directione, nonnulla Statuta in Capitulo Generali ipſius Ordinis, quod nouiſſimè, videlicèt, Anno MDCLXXVI. In hac Alma Vrbe celebratum eſt, edita fuerunt, quæ cum Nobis, pro parte ipſius Ioſephi Miniſtri Generalis exhibita fuiſſent, Nos illa Venerabili Fratri noſtro Alderano Epiſcopo Præneſtin. S.R.E.Cardinali Cybo nuncupato, Ordinis præfati apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectori, ac nonnullis Romanæ Curiæ Prælatis reuidenda, & vbi opus foret, corrigenda, & ſupplenda commiſimus; Illi verò mandatis noſtris parentes, eadem Statuta maturè, ac diligenter diſcuſſerunt, multiſque correctis, emendatis, aptatis, ſuppletis, & additis, ac nonnullis omiſſis, illa redegerunt informam tenoris, qui ſequitur, videlicet.

Statuta pro vtraque Familia.

AD euitandas graues, & inutiles expenſas, aliaque incommoda, quę ex celebratione Congregationum generalium intermediarum omnium Vocalium vnius Familiæ ſequuntur, decernitur, præfatas Congregationes generales vlteriùs celebrandas non eſſe. Cùm autem iuxtà Bullam Leonis X. quæ dicitur *vnionis*, Officium Commiſſarij Generalis Familiæ, de qua Miniſter Generalis aſſumptus non eſt, per triennium tantùm durare debeat, ſtatuitur, quòd in fine triennij, conuocatis per Miniſtrum, aut Vicarium Generalem totius Ordinis, Patribus Diffinitorij Generalis illius Familiæ, ex qua Commiſſarius Generalis eligendus eſt, per ipſum Miniſtrum, ſeu Vicarium, aut ipſo legitimè impedito per ſuum Commiſſarium, ad hoc ſpecialiter delegatum, & per Patres, qui ſunt de Corpore Diffinitorij Generalis prædictæ Familiæ, in Vigilia Pentecoſtes per ſchedulas ſecretas, nullo proponente, fiat electio noui Commiſſarij Generalis, vſque ad Capitulum Generale duraturi. Diffinitores verò Capituli Generalis pręteriti pręfatæ Familiæ, per ſexennium vſque ad Capitulum Generale immediatè ſequens, durabunt, ſicut Diffinitores Generales Familiæ, ex qua aſſumptus eſt Miniſter Generalis, durant. In Congregatione autem præfato modo celebranda, lites per ſententias dirimi, declarationes dubiarum Conſtitutionum fieri, & decreta per triennium ſubſequens duratura edi valeant; leges autem, ſeu Statuta, aut Conſtitutiones in perpetuum duraturæ concedi non poterunt, nec antiquæ abrogari.

Et vt etiam in Capitulis Generalibus inutiles expenſæ, & alia incommoda, quæ ex nimia Fratrum accedentium multitudine oriri ſolent, quantum fieri poteſt vitentur, omnino prohibetur, ſub nullitatis pœna, vota, ſeu ſuffragia Prouinciarum Titularium, quæ actu non ſubſiſtunt, ſuppleri, aut ſubſtitui per Miniſtrum, aut Vicarium Generalem Ordinis: reuocata quacumque conſuetudine in contrarium. Statuitur duos Secretarios Generales Ordinis, qui Miniſtro, aut Vicario Generali pro vna, & altera Familia aſſiſtere debent, ex vi officij habere in poſterùm ſuffraginm in Capitulo Generali tantùm; ſublato omnino tertio Secretario Linguarum.

Item præcipitur, ſub pœna priuationis ſuffragij, quòd Miniſter, ſeu Prominiſter, & Cuſtos vniuſcuiuſque Prouinciæ ſimul ad Capitulum Generale iter faciant cum vnico tantùm Socio Religioſo pro vtroque, & ſi expenſæ aliquæ in itinere ex neceſſitate faciendæ ſint, adducant ſecum Tertiarium, qui Syndici Apoſtolici ſubſtitutus ſit, & ipſius nomine expenſas prædictas ineuitabiles faciat. Inſuper seriò Prælato Generali commendatur, vt præſidentiam Theſium, & Conciones, quæ in Capitulis Generalibus habendæ ſunt, Vocalibus, quantùm cum honore Religionis ſtare poſſit, diſtribuat.

Vt maxima incommoda, & turbationes Religionis, quæ ex promotione Miniſtrorum Generalium ad dignitates Eccleſiaſticas, extra Ordinem, lamentabili experimento comprobata ſunt, omnino euitentur, decernitur, vt ſtatim, ac Miniſter Generalis electus ſit, & antequàm Officium ſuum vllo modo exerceat, teneatur emittere in manibus Præſidis, coram toto Capitulo Generali, votum de non ambienda, procuranda, nec acceptanda dignitate Epiſcopali, Archiepiſcopali, vel Patriarchali toto tempore ſui Miniſteriatus, nec ante emiſſum prædictum votum, cenſeatur in officio confirmatus.

Quòd ſi aliquando contingat in prædicto voto diſpenſari, vel aliter quomodolibet fieri, ſtatuitur, illum Miniſtrum Generalem acceptantem aliquam ex prædictis dignitatibus, vel præſentationem, ſeu nominationem ad illam, ſtatim, ac eam acceptaſſe conſtiterit, non eſſe ampliùs pro Religionis Prælato agnoſcendum: Religioſoſque Ordinis ab illius obedientia exemptos eſſe, nec poſſe vlteriùs ipſi ſub pœna excommunicationis obedire. Porrò in illo caſu Pater ille, qui ſeruata Statutorum ſerie, & familiarum concordato, dignior reſpectiuè reperietur, Generali illo excluſo, conuocabit, iuxta præſcriptum in Conſtitutionibus, Electores pro noua Vicarij Generalis electione, in qua idem Miniſter Generalis, nec votum habere poterit, nec vllam aliam actionem, reuocata quacumque Conſtitutione Ordinis in contrarium, & ſublata omnino Electoribus facultate aliter operandi, aut permittendi, ſub pœna nullitatis facti. Idemque ſtatutum de Vicario Generali totius Ordinis factum intelligatur.

Nemini deinceps Vicariorum, aut Commiſſariorum delegatorum à Reuerendiſſimo Miniſtro Generali ad regendam Familiam, vel nationem, liceat ſub pœna priuationis ſuæ delegationis, ſibi vſurpare, vel acceptare titulum Reuerendiſſimi: quòd ſtatutum ſub eadem reſpectiuè pœna, extenditur ad Commiſſarios Generales in partibus Indiarum Occidentis & Orientis, ac ad Guardianum Hieroſolymitanum, ſeu Cuſtodem Terræ Sanctæ reuocata quo ad hoc Conſtitutione in proximo Capitulo Generali Valliſoletano edita.

Declaratur, ad Procuratorem Generalem Ordinis ſpectare Inſtantias, quæ fieri ſolent in Cappella ſuæ Sanctitatis pro actu Beatificationis, vel Canonizationis Seruorum Dei ex noſtra Religione, cuiuſcumque ipſi Serui Dei Familiæ extiterint. Deinde præcipitur omnibus Procuratoribus particularibus cauſarum Beatificationis, vel Canonizationis, vt nihil in ipſis agere præſumant inconſulto Procuratore, vel Commiſſario Curiæ reſpectiuè; quòd intelligendum eſt etiam de Reformatis, quo ad ſuum Procuratorem Generalem.

In Studijs generalibus Ciſmontanæ Familiæ, & in grauioribus Vltramontanæ habentibus tres Theologiæ Lectores, ſemper ſit vnus Lector, qui ſacram Theologiam Dogmaticam legat, ille ſcilicet, qui antiquior eſt in lectura, gaudeatque omnibus priuilegijs in ordine ad iubilationem, ſi conſtiterit eum prædictam facultatem Dogmaticam continuò legiſſe, ſicut alij ſpeculatiuam, aliàs nullo priuilegio gaudeat, quod etiam apud Reformatos obſeruandum eſt.

Pro Vltramontana Familia.

VT inconuenientibus ex introductione, vel conceſſione ſuffragiorum pro Capitulis Prouincialibus, præter antiqua Ordinis Statuta, emergentibus occurratur, auctoritate Apoſtolica abrogantur vota, ſeu ſuffragia pro Capitulis Prouincialibus reſpectiuè Agentium Miniſtri Generalis, Commiſſariorum Curiarum particularium, Commiſſariorum Terræ Sanctæ, Viſitatorum Tertij Ordinis Sæcularium, Magiſtrorum Nouitiorum, & Confeſſariorum, ſeu Vicariorum Monialium, nè illa in ſuis reſpectiuè Prouincijs in poſterum ferre poſſint, exceptis ſolùm Confeſſarijs Monialium, qui ſex ad minus Fratres ſub ſe habeant, quibus, vt Superiores præſint, & Commiſſarijs Curiarum, vbi Reges, vel Principes abſoluti aulam ſuam tenent; in quarum ſingulis vnus tantùm Commiſſarius cum ſuffragio eſſe poſſit, à Superiore Generali, ex Prouincia illius Domini, quàm maluerit, eligendus, nec in poſterùm Prouincia poſſit ſuffragia pro ſuis Capitulis concedere.

Statuitur, quòd in quacunque Ciuitate, vel Oppido Hiſpaniæ conſiſtant Conuentus Obſeruantium, & Diſcalceatorum, quorum Communitates proceſſionibus generalibus intereſſe contingat, ambæ Communitates, ſub vna, eademque Cruce intermixtæ incedant; itaut ſemper Obſeruantium Guardianus, ſiue Præſes primum, ſeu digniorem locum teneat, & immediatè Guardianus, ſeu Præſes Diſcalceatorum ſubſequatur, alij verò Fratres, iuxtà antiquitatem habitus, vel graduum qualitates, permixtim incedant, præcedente ſemper in eodem gradu Obſeruante: atque ita ab omnibus, ad quos ſpectat obſeruari præcipitur

juxtà

iuxta antiquam, & laudabilem Ordinis noſtri conſuetudinem, ſub pœna priuationis officiorum Guardianis, aut Superioribus præfatam diſpoſitionem innouare, vel alterare præſumentibus.

Ad euitanda grauia præiudicia, & detrimenta, quæ Prouincijs Indiarum, earumque Religioſis, ex incorporationibus à Commiſſarijs illarum partium factis, prouenire ſolent, ſtatuitur, ne in poſterùm Commiſſarij Generales prædicti Indiarum Occidentalium poſſint, ſub quouis prætextu, ſuos Secretarios, ſocios, aut alios Religioſos, quos in ſuo comitatu aſſumpſerint, incorporare in aliqua Prouincia ſuæ commiſſionis, irritum declarando, ſi quid in contrarium attentetur, aut fiat.

Omnino interdicitur Miniſtris Prouincialibus ſe ingerere in imminuendis Monialium dotibus, aut alimentis Sæcularium, educationis cauſa, vel alia in Monaſterijs commorantium. Hinc Prouincialibus ipſis, ſub pœna ſuſpenſionis ſui officij per ſemeſtre, Abbatiſſis verò, & Diſcretis Monaſterij, ſub priuationis ſuorum officiorum pœna, præcipitur, ne præfatas dotes, aut alimenta taxata minuant, aut minui permittant; eiſdemque, tum Prouincialibus, tum Monialibus, ſub eadem pœna præcipitur, ne vllam pro Moniali indotatam recipiant, ſub quouis prætextu, aut titulo, niſi cauſa, in Sacra Congregatione deducta, ab eaque licentia obtenta.

Pro Familia Ciſmontana.

PRO meliori Nouitiorum, & recenter profeſſorum educatione, & vt Fratres illi, qui maiori ſpiritus quieti, & ſtrictiori Regulæ noſtræ Obſeruantiæ incumbere deſiderant, id præſtare poſſint in proprijs Prouincijs, abſque eo quòd huius ſtudij prætextu, aut ad alias tranſire, aut nouas reformationes, & ſciſſuras in Ordinem inuehere moliantur, ſtatuitur, quòd in ſingulis huius Familiæ Prouincijs de Obſeruantia inſtituantur tres, aut quatuor Conuentus Recollectionis, qui ſint primi, & ſecundi Nouitiatus, vt ſimul, & loca ſpiritualis quietis, & perfectionis Seminaria pro tota Prouincia eſſe valeant.

Ad hunc finem eligi, & deputari debent Conuentus commodiores pro Regulæ Obſeruantia, & Nouitiorum educatione, quorum conſignatio committitur Commiſſario Generali Familiæ, cum conſilio Diffinitorij cuiuſcumque Prouinciæ reſpectiuè, cui Generali Commiſſario etiam committitur prima Guardianorum, & Magiſtrorum Nouitiorum eorumdem Conuentuum inſtitutio, cum facultate, vt ſi in Prouincia aliqua non fuerint Religioſi pro his officijs, in noua Recollectionis erectione idonei, ex alijs Prouincijs, vel Obſeruantibus, vel Reformatis, imò, & ex alia Familia poſſit eos adducere. Et inſuper eidem committitur prima in eiſdem Conuentibus eorum Fratrum collocatio, qui ad formationem prædictæ Recollectionis fuerint neceſſarij.

§. 1. Et vt incommoda ex multiplicitate horum Conuentuum aliàs experta euitentur, omnino interdicitur, ne in qualibet Prouincia plures, quàm quatuor, pauciores ue, quàm tres Recollectionis Conuentus eſſe poſſint ſublata facultate cuilibet Superiori Ordinis ſuper hoc Statuto diſpenſandi. Et vt nunquàm ſeparari à Prouincia poſſint, decernitur, vt in nullo Conuentu Prouinciæ, qui huiuſmodi Recollectionis non fuerit, poſſint indui Nouitij, nec probationis annum agere. Atque ita Prouinciæ inſeparabiliter ſint incorporati, vt ſine ipſis, vtpotè Domus receptionis, Prouincia ipſa ſubſiſtere non poſſit.

§. 2. Conuentus autem prædicti diſtribuentur ſic, vt in Prouincijs magnis duo illorum ſint primi Nouitiatus; duo verò Profeſſorij, ſeu Nouitiatus ſecundi: in minoribus autem, aut vnus erit primi Nouitiatus, & duo ſecundi, aut è conuerſo, pro commoditate Conuentuum, aut Prouinciæ. Et quia in nullo prędictorum Conuentuum, Studium facultatis litterariæ collocandum eſt, aut permittendum, ſtatuitur, quòd profeſſi, antequàm ad Profeſſoria, in quibus ſunt Artium liberalium ſtudia, transmittantur, in Conuentu Recollectionis ſecundi Nouitiatus, ad minùs per annum integrum collocentur, vt in ſpiritu in Nouitiatu concepto, antequàm ad ſtudia tranſeant, confirmentur, & roborentur.

Forma autem viuendi in prædictis Recollectionis Conuentibus ſequens erit.

Primò Officium diuinum, Statutis indiſpenſabiliter horis, grauiter, & deuotè perſoluatur, & orationi mentali, duabus horis cum dimidia, omnino vacetur, itaut poſt matutinum (quod indiſpenſabiliter media nocte perſoluendum eſt) vna hora, poſt primam dimidia, poſt Completorium hora altera, in Oratione mentali perſiſtant. Sed à reſurrectione vſque ad exaltationem Sanctæ Crucis propter noctium breuitatem, hora poſt matutinum Orationis, in horam eiuſdem poſt Sextam, & ante prandium habendam, commutetur.

Secundò, Silentium, ac lectio ſpiritualis in Refectorio nulla cauſa diſpenſetur. In Dormitorijs autem, Clauſtris, & Sacriſtia,

ita ſilentium obſeruetur, vt tantùm omnino neceſſaria, & ſubmiſſa voce fratres loquantur.

Tertiò, Sæculares, niſi Officiales Conuentus ſint, ad interiora Conuentus, non admittantur, ſed pro rebus neceſſarijs cum pſis tractandis, in Clauſtro inferiori, Camera aliqua honeſtè diſponatur, in qua prædicta præſtari poſſint.

Quartò, Communitates Chori, & Refectorij omnes fratres ſequantur, nec vllus ab aliqua, ſine expreſſa Guardiani licentia, excuſetur.

Quintò, Tribus diebus in hebdomada, nempè feria ſecunda, quarta, & ſabbato poſt Veſperas immediatè, aſſiſtentibus Prælato, & omnibus fratribus, lectio expoſitionis Regulæ, aut Theologiæ myſticæ habeatur, itaut duobus ex prædictis diebus exponatur Regula, altero verò de Theologia myſtica, ſeu de vita ſpirituali tractetur, Ad hoc inſtituatur vnus Lector, qui ſit in Theologia morali, & myſtica verſatus, cui, vt tempus pro lectionibus conficiendis habeat, conceditur, vt à Prima, & oratione poſt ipſam, excuſetur. Qui poſt expletam expoſitionem Regulæ, poterit Decalogum clarè, & breuiter, pro inſtructione Iuuenum, explicare.

Sextò, Guardianus, ad minus ſemel in menſe feria ſexta poſt Completorium celebrabit Capitulum culparum, eo modo, quo in Conſtitutionibus generalibus præſcribitur, habita ad fratres ſpirituali collatione, in qua ad perfectionem, & ſpiritualem profectum excitentur, & animentur.

Septimò, Paupertas noſtri Status, quantum fieri poteſt, ſtrictè in communi obſeruetur. Et vt ita etiam fiat in particulari, Guardiani, de omnibus neceſſarijs ad vſum ſtrictum Seraphicæ paupertati congruum, fratribus prouideant, ita vt recurſus particularium ad benefactores, aut amicos ſpirituales via omnino præcludatur, nulluſque quidquam ad vſum ſuum habeat ſine expreſſa licentia Guardiani, qui vſum rei, & ſuppellectilis non neceſſariæ nulli concedat, aut permittat, quod vt exactiùs obſeruetur, nullus quidquam ad proprium vſum clauſum habeat, & ad cuiuſcumque cellam ſemper aditus Superiori pateat. Et tam Nouitijs, quàm cæteris Religioſis vſus duarum Tunicarum Talarium, quarum vna erit cum Caputio, & alia ſine Caputio, iuxta Regulæ præſcriptum concedatur, nec cuiquam permittatur, vt Sudaria, Sachetos, aut alia quæuis non conceſſa in Regula, ſub prætextu portationis ſolius habitus, deferat.

Octauò, poſtquàm præfata recollectio per triennium firmata fuerit, nullus poſſit inſtitui Guardianus in prædictis Conuentibus, qui in aliquo illorum, per biennium immediatè, vitam communem recollectionis ſequens, commoratus non fuerit.

Nonò, Nullus Religioſus, cuiuſcumque qualitatis ſit in Conuentu Recollectionis de Familia collocari poſſit, aut in eo commorari, qui Regulæ præcepta obſeruare non poſſit: Nempè ieiunia, excalceationem, duarum tantùm Tunicarum vſum, peditationem, Chori die, noctuque, cæterarumque communitatum ſequelam: Cum pro non valentibus adeò ſtrictè viuere; cæteri Prouinciæ Conuentus expediti maneant, & tam Guardianus ipſe, quàm cæteri omnes Fratres hebdomadam, ſine exceptione, ſuo ordine faciant.

Decimò. In præfatis Conuentibus nullus frater criminoſus, aut pro luenda pœna collocari poſſit, nec quiſquam à quocumque Prælato miſſus recipi debeat, niſi de conſenſu Guardiani, & maioris partis Diſcretorum Conuentus, admittendus iudicetur.

Vndecimò. Nullus Religioſus cuiuſcumque qualitatis ſit, poſſit recreationis, aut alterius cuiuſque negotij cauſa, ad prædictos Conuentus diuertere; niſi quis ad exercitia ſpiritualia, per aliquos dies facienda, cum ſequela omnium communitatum, & rigoris vitæ Recollectæ, admitti voluerit, nec Miniſter Prouincialis, quando ad præfatos Conuentus, cauſa Viſitationis, vel alia acceſſerit, poſſit ſub pœna ſuſpenſionis ſui officij per bimeſtre, Sæculares, aut alios fratres ſecum ferre, præter ſuum Secretarium, & Socium, cui Prouinciali plurimùm in Domino commendatur, vt in Conuentibus Recollectionum, in omnibus ſe ipſum præbeat exemplum bonorum operum, & regularis diſciplinæ.

Duodecimò. Diſcurſus fratrum extra Conuentum, quantùm fieri poſſit, euitentur: Et vt fratres addicti Choro, extra Conuentum non vagentur, ſtatuitur, vt in quolibet prædictorum Conuentuum, præter officiales pro interiori gubernio neceſſarios, collocentur fratres laici ſpirituales, & deuoti, qui continuò, extra Conuentum, eleemoſynas pro neceſſitatibus fratrum temporibus opportunis petant, & in hoc Deo inſeruiant, dum alij diuinis laudibus, orationi, & ſpiritualis vitæ quieti, incumbunt. Fratribus autem Choro addictis, raró exeundi extra Conuentum licentia concedatur, nec vnquàm niſi duo extra

tra ipſum eſſe poſſint. Nouitijs autem, & Clericis in nullo caſu, niſi in communitate, exenndi à Clauſtro licentia concedi poſſit, ſub pœna priuationis officij eam concedenti.

Vltimò, In prædictis Conuentibus, quoad reliqua ad viram Monaſticam ſpectantia, Conſtitutiones generales exactè ab omnibus obſeruentur, vt cæteris exemplo, & ædificationi in pura obſeruantia ſint.

Curent itaque Commiſſarius Generalis, & Prouinciarum Diffinitoria, vt prædicti Recollectionis Conuentus, in prædicta viuendi forma, erigantur, & componantur. Dum enim per atteſtationem prędicti Commiſſarij Generalis, & Diffinitorij Prouinciæ, & Diſcretorum illorum Conuentuum iuramenro firmatam, de tali erectione, & compoſitione conſtiterit, Sanctiſſimus Dominns Noſter, pro ſua benignitate, licentiam induendi Nouitios in illis Conuentibus ſic efformatis, concedet. Quòd ſi, poſt primam conceſſionem, prædicta viuendi forma, in ipſis Recollectionis Conuentibus, exactè, & rigoroſè non obſeruetur, licentia vlteriùs induendi in illa Prouiucia, non concedetur. Vnde Prouincię ipſæ ſibi conſulant, nam ſi medio adeò ad bonum, & ſtabilitatem Religionis conducente non vtantur, omnino ſucceſſu temporis extinguentur.

Quantùm ad Prouincias Reformatas cum forma viuendi, ac regulam, & diſciplinam regularem obſeruandi in ſtaturis pro ipſis Reformatis de anno 1642. contenta, ſatis ſtricta ſit, ſolummodò præcipitur, vt in Conuentibus Nouitiatus, & Profeſſorij (præter inſtitutiones ſanct. memor. Clementis VIII. pro omnibus Regularibus in decretis incip: Cùm ad Regularem, editis die decima nona Octobris anni 1603. & ordinata in Breui ſanct. memor. Vrbani VIII. pro Reformatis incip. Militanris Eccleſiæ, ſub dat. die prima Octobris anni 1641. quæ omnia omnino obſeruanda ſunt, ſub pœnis in eiſdem litteris Apoſtolicis contentis) prædicta Statuta, quantum ad omnia, ad ſtrictiorem Regulæ Obſeruantiam, regularem diſciplinam, frequentiam Chori, & mentalis orationis, aſſiſtentiam omnium Communitatum, die, noctuque omnino, & indiſpenſabiliter ab omnibus in prædictis Conuentibus commorantibus, obſeruentur ita, vt in illis nullus non valens, propter infirmitatem, communem illam vitam ſequi, poſſit collocari, & qui in prædictorum obſeruatione defectuoſus fuerit, ab ipſis expellatur. Monentur autem Prouinciales, quòd, dùm non conſtiterit indubitatis teſtimonijs, in prædictis Conuentibus, reformationem eſſe in priſtinum ſtatum reſtitutam, & in eis prædicta omnia adamuſſim obſeruari, licentiam Nouitios induendi non obtinebunt.

Quia ex bona Prælatorum electione, præcipuè pendet Religionis reformatio, diſtrictè præcipitur, vt Guardianatus, cæteraque regiminis officia, omninò diſtribuantur, pro vt ratio meritorum, (ſuppoſita Corporis valetudine) cuiuſcumque promouendi, & bonum Prouinciæ exegerit, nullo habito reſpectu ad Patres quoſcumque, qui officio functi ſunt, vel funguntur, ſub pœna Prouinciali aliter proponenti, ſuſpenſionis ab officio per ſemeſtre, Patribus autem, ſiue de Corpore Diffinitorij, ſiue extrà illud, exigentibus Guardianatum, aut aliud officium ſuæ ſatisfactionis, ſub pœna Proprietarijs præſcripta; Quòd vt exactiùs obſeruetur, & contrariæ relaxationi remedium apponatur, de nouo admittitur & intimatur Conſtitutio ſanct. mem. Vrbani VIII., quæ incipit Militantis Eccleſiæ, ſub data die prima Iunij anni 1640. *pro reſtituendo candore* communiter appellata, cum omnibus facultatibus, tum Eminentiſs. Cardinali Protectori, tum Miniſtro, & Commiſſario Generalibus, in ea pro prædicto remedio efficaciter apponendo conceſſis.

Item præcipirur omnibus, & quibuſcumque Patribus, & Fratribus, cuiuſcumque ſint conditionis, & qualitatis, ſub pœna priuationis actuum legitimorum per ſexennium, vt nullus eorum poſſit habere ad ſuum vſum, niſi vnicam Cellam, nempe illius Conuentus, in quo moratur de Familia, ſiue Subditus, ſiue Prælatus. Guardiani autem, ſub pœna priuationis officij, Cellam cuiuſcumque Patrum in Conuentu ſuo de Familia non commorantium, alteri Religioſo ſibi ſubdito concedant, quæ omnia Miniſter Prouincialis in ſuis viſitationibus, omnino obſeruari faciat, ſub pœna ſuſpenſionis officij per ſex menſes.

Item ſtatuitur, quòd nullus eligi poſſit in Prælatum, qui vitam communem non ſequatur; hoc eſt, qui frequenter equitet, ſeu infirmitatem, qua ab obligatione peditandi excuſetur, habeat, qui Camiſijs, aut lineis vtatur, vel apud ſe, vel in lecto, qui calceatus incedat, qui ieiunia Eccleſiæ, & regulæ non obſeruet, qui aliquandò viſus ſit contrectare pecunias, niſi iam per triennium ſaltem emendatus ſit, qui notabiliter ſit defectuoſus, in aſſiſtendo Communitatibus Chori, & Refectorij, ac alijs,

alijs, pro vt ſibi in Conſtitutionibus præſcribitur. Electio autem illius, qui in omnibus præmiſſis vitam communem non ſequatur, irritanda ſit à Prælato Generali, capta informatione extraiudiciali, pro ſua conſcientia ſine ſtrepitu iudicij: Cum conſilio tantùm, & aſſenſu trium Patrum, qui Prouinciales, vel ad minùs Diffinitores Prouinciæ ſint, vel fuerint, ſuper quo eorum conſcientias oneramus, ne aut ille expellatur, qui vitam communem ſequitur, aut ille confirmetur, qui illam non obſeruat.

Item vt maiori circumſpectione electiones Prælatorum fiant, præcipitur Electoribus ſub pœna non ſuffragandi, vt antequàm ad electionem Miniſtri Cuſtodis, Diffinitorum, & Guardianorum procedant, ſigillatim iuramentum præſtent, coram Venerabili Crucifixi Imagine, præſente Præſide, ſe eum electuros in quolibet prædictorum officiorum reſpectiuè, quem in conſcientia, & omnibus æqua lance libratis, digniorem iudicabunt.

Item præcipitur omnibus Prælatis localibus, vt ſingulis ſuis ſubditis prouideant de omnibus neceſſarijs, tàm in victu, & veſtitu, quàm in quolibet alio, iuxtà noſtrum ſtatum, in propria ſpecie, ſub pœna priuationis Guardianis negligentibus, & de hoc puncto teneantur Prouinciales, & Viſitatores in ſuis viſitationibus ſpecialiter inquirere, & ad Diffinitorium proximum in Congregatione, aut Capitulo referre, in quo conſtante Guardiani negligentia, in officio continuari non poſſit.

Et vt friuolæ Guardianorum excuſationes præcludantur, præcipitur Prouincialibus Miniſtris, vt quamprimùm hæc Statuta publicata fuerint, congregent Diffinitorium, & cum eo, iuxta Sacrum Concilium Tridentinum, & Apoſtolicas Conſtitutiones, taxent numerum Fratrum, qui per conſuetas eleemoſynas, prouiſis omnibus neceſſarijs, iuxta noſtrum ſtatum ſuſtentari poſſint, & in libro Prouinciæ prædictam taxam ſcribant, & in nullo Conuentu plures Religioſos collocare poſſint, quàm taxa præſcripſerit, nec poſſint petere licentiam induendi, nec iam obtenta vti, niſi ſimul tranſmittant teſtimonium Iuramento firmatum, quòd Prouincia non habeat plures Fratres, ſupra numerum in prædicta taxatione præfixum. Poſt quod Statutum adimpletum nulla excuſatio Guardianorum non prouidentium Subditis de neceſſarijs admittatur, ſed abſolutè in prædictis Congregationibus priuentur.]

Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, præfatus Ioſephus Miniſter Generalis Statuta huiuſmodi, quippè ad conſeruandum, & ſolidandum in Ordine prædicto regularis Obſeruantiæ vigorem eximiè conducibilia, pro firmiori illorum ſubſiſtentia, exactiorique obſeruatione, Apoſtolicè confirmationis noſtræ patrocinio, communiri ſummoperè deſideret: Nos ipſius Ioſephi Miniſtri Generalis votis, hac in re quantùm cum Domino poſſumus fauorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes. Supplicationibus eius nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & ſingula Statuta præinſerta, in eiſque contenta quæcumque, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuò, confirmamus, & approbamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos Iuris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſeu interueniſſe dici, cenſeri, vel prætendi poſſent, ſupplemus, & ſanamus.

Decernentes, eaſdem præſentes Litteras, & Statuta præinſerta, ſemper, & perpetuò firma, valida, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore, quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectiuè inuiolabiliter obſeruari; Sicque, & non aliter in præmiſſis, per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac eiuſdem S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios, alioſue quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inanè, ſi ſecus ſuper his, à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus, nec non dicti Ordinis, alijſque quibuſuis etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus: priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis: Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſen-

præſentibus, pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes illis, aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Volumus autem, vt earundem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides, tam in Iudicio, quàm extra illud, vbique locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die xxij. Nouembris M.DC.LXXIX. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

I.G.Sluſius.

Breue Motu proprio, Sanctiſſimi Domini Noſtri INNOCENTII XI. pro ſuſtinenda pura Regulę Fratrum Minorum obſeruatione in toto Corpore Regularis Obſeruantiæ ex Fratribus de Familia, Reformatis, Diſcalceatis, & Recollectis conſtante.

INNOCENTIVS PP. XI.

Ad Perpetuam rei memoriam.

Sollicitudo Paſtoralis officij, quo Catholicæ Eccleſiæ per Vniuerſum Orbem diffuſæ regimini, diuina diſpoſitione, præſidemus, Nos vrget, atque impellit, vt religioſorum Virorum Ordines, & Omnipotentis Dei gloriam, & Animarum ſalutem ſapienti pietate, ab hac Sancta Sede inſtitutos, magniſque, in Eccleſiam Dei meritis fulgentes, in ſanctis, & primæuis eorum Inſtitutis, confouere, & conſeruare, ac à noxijs, quæ primigeniæ religioſitatis ſpiritum, atque vigorem extinguere, & relaxare poſſent, tueri, & præmunire; fœlicibuſque illorum, in via mandatorum Domini, progreſſibus conſulere, quantum Nobis ex alto conceditur, ſtudeamus. Cum itaque (ſicut accepimus) in pluribus Capitulis Generalibus Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci, de Obſeruantia nuncupatorum, & nouiſſimè in Valliſoletano, quod Anno M.DC.LXX. celebratum fuit, vnanimi omnium Fratrum Vocalium conſenſu, declaratum, & proteſtatum fuerit, in nullo Regulæ eorumdem Fratrum Minorum præcepto, eatenùs, cum Fratribus Minoribus, de Corpore Obſeruantiæ, ſiue Obſeruantes, ſiue Reformati, ſiue Diſcalceati, ſiue Recollecti dicantur, diſpenſatum fuiſſe, nec ipſum Obſeruantiæ Corpus, vllam vnquam admiſiſſe, vel admittere diſpenſationem in Regula, ſed potiùs velle pro viribus, diuino fauente auxilio, illam purè obſeruare, iuxta Summorum Pontificum declarationes, à Fratribus Obſeruantibus, ſeu de Obſeruantia, in ſuis Statutis generalibus, recompilatis, pro Ciſmontanis, Anno M.DC.LXIII. & pro Vltramontanis, Anno M.DC.XXI. & à Reformatis, Diſcalceatis, & Recollectis in ſuis particularibus Conſtitutionibus reſpectiuè, admiſſas, & receptas.

Nos pro maiori huius proteſtationis firmitate, & vt in Ordine prædicto ſtatus, & Regula Fratrum Minorum purè obſeruentur, ſinguliſque Fratribus prætextus eam tranſgrediendi precludatur, eandem proteſtationem, & declarationem ſuprà expreſſam, harum ſerie auctoritate Apoſtolica approbantes, & confirmantes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione, noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium, declaramus omnes, & ſingulos Fratres de corpore Obſeruantiæ dicti Ordinis, teneri in conſcientia obſeruare Regulam Fratrum Minorum Sancti Franciſci & præcepta eius à fel.rec.Nicolao III. & Clemente V. Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris expoſita, & numerata, ad formam Conſtitutionum prædictarum reſpectiuè, & ſignantèr, præter præcepta, quæ non ità frequenter occurrunt, & recitationem Diuini Officij, teneri ad ieiunia præcepta in Regula, niſi excuſet neceſſitas, à Prælato approbanda; ad non equitandum niſi infirmitas, vel neceſſitas, iudicio Superiorum probata excuſet: ad vilitatem veſtium, iuxta prædictas Conſtitutiones reſpectiuè; ad non vtendum pluribus veſtimentis, quàm illis, quæ Regula præſcribit, nempè vna tunica cum caputio, & alia ſine caputio, chorda, & fœmoralibus; Nam aliud quoduis veſtimenti genus, vltra prædicta (excepto mantello, ab initio Religionis licito) vt induſia, ſeu camiſiæ, ſudariola, tunicellæ, & ſimilia, ſunt contrà Regulam, niſi adſit vera neceſſitas excuſans à præcepto per Prælatum approbata; ac demum teneri ad capitale præceptum Religionis Fratrum Minorum, de non recipiendis denarijs per ſe, vel per interpoſitam perſonam. Aliarum enim rerum neceſſariarum poſſunt Fratres Minores,

nores, de corpore Obſeruantiæ, huiuſmodi habere vſum, licèt non dominium; denariorum autem, nec dominium, nec vſum: Et proinde quæuis contrectatio pecuniæ, ſeu denariorum, quæ non ſit purè naturalis, ſeu quæ ſit, quouis modo politica, cuiuſcumq; Domini ſint denarij, ſeu pecunia, Fratribus Minoribus Obſeruantibus, ſeu de Obſeruantia, eſt omninò prohibita.

Ac propterea omnes, & ſingulas diſpenſationes, conceſſiones, & conſuetudines, ſi quæ contra præmiſſa in corpore Obſeruantiæ Ordinis prædicti reperiantur, motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus earundem, tenore præſentium reuocamus, caſſamus, irritamus, & annullamus, viribuſque, & effectu penitùs, & omninò vacuamus, ac reuocatas, caſſatas, irritas, & nullas, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuas eſſe, & perpetuò fore, decernimus, & declaramus.

Declarantes tamen pariter, quòd per præmiſſa, non prohibentur in dicto Ordine Syndici Apoſtolici, cum eorum vſus non ſit diſpenſatio in Regula, ſed modus à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris prouiſus, pro puriori illius obſeruatione, ſiue eiuſmodi Syndici aſſumantur, ad præſcriptum Conſtitutionum Nicolai III. & Clem. V. prædeceſſ. prædict. ſiue ſecun. diſpoſ. Conſt. rec. mem. Mart. IV. & Martini V. ac Pauli IV. prædeceſſorum pariter noſtrorum, prout illorum vſus in ſingulis familijs, Congregationibus, reformationibus, aut Prouincijs Ordinis prædicti reſpectiuè fuerit receptus.

Vt autem in ingreſſu Religionis vnuſquiſque, de obligationibus, quas aſſumere vult, plenè informetur, ſtatuimus, vt nullus recipiatur ad habitum regularem in eodem Ordine, niſi priùs plenè informatus ſit de prædictis præceptis Regulæ obligantibus in conſcientia, & præuia hac notitia velit probationem ſubire; nec quiſquam admittatur ad profeſſionem regularem, niſi priùs examinatus ſit de intellectu Regulæ, & præceptorum eius, iuxta prædicta, & deindè immediatè ante illam, coram tota Communitate, fiat ei proteſtatio, quòd ad Obſeruantiam Regulæ cum omnibus eius præceptis, tunc enumerandis, & exprimendis, obligetur in profeſſione, eamque proteſtationem admittat, & ſub ea profeſſionem faciat.

Quia verò efficacius prædicta obſeruandi medium eſt exemplum Prælatorum, ſiue Superiorum, ideò ſtatuimus pariter, neminem eligi poſſe in Prælatum, ſiue Superiorem in Ordine prædicto, qui vitam communem Obſeruantiæ non ſequatur, hoc eſt, qui frequenter equitet, ſeu infirmitatem, quæ ab obligatione pedibus incedendi excuſetur, habeat; qui induſijs, ſeu camiſijs, aut lineis vtatur, apud ſe, vel in lecto, qui calceatus incedat, qui ieiunia Eccleſiæ, & Regulæ non obſeruet; qui aliquando viſus ſit contrectare pecunias, niſi iam, per triennium ſaltem, emendatus ſit; qui notabiliter defectuoſus ſit in aſſiſtendo Communitatibus Chori, Refectorij, & alijs, prout ſibi in Conſtitutionibus præſcribitur.

Porro electio illius, qui in omnibus præmiſſis vitam communem non ſequatur, irritanda ſit à Prælato, ſiue Superiore Generali, capta informatione extraiudiciali, pro ſua conſcientia, ſine ſtrepitu iudicij, cum conſilio tamen, & aſſenſu trium Fratrum, qui Miniſtri Prouinciales, vel ſaltem Diffinitores Prouinciæ ſint, vel fuerint: Ipſorum autem conſcientias, ne aut ille expellatur, qui vitam communem ſequatur, aut ille confirmetur, qui eam non obſeruet, oneramus.

Demum, vt omnis occaſio tranſgrediendi præceptum de non contrectandis denarijs, ſeu pecunijs, auferatur, omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Prælatis, ſiue Superioribus, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœna priuationis ſuorum officium, iniungimus, vt nulli Religioſo eiuſdem Ordinis permittant adminiſtrationem fundorum, redituum, aut quarumcumque aliarum rerum, & bonorum mobilium, vel immobilium, cuiuſcumque Domini illa ſint; & ſignanter, vt nulli Religioſorum Ordinis huiuſmodi permittatur adminiſtratio bonorum temporalium alicuius Monaſterij Monialium, ſub quouis prætextu, aut nomine, nempe Adminiſtratoris, Syndici, Factoris, Coloni, Superintendentis, Villici, aut alio quouis imaginabili.

Decernentes, eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod Superiores, & Fratres Ordinis prædicti, alijque quilibet, cuiuſcumque ſtatus, gradus, Ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis exiſtant, ſeu aliàs ſpecifica, & indiuidua mentione, & expreſſione digni, in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, illis non conſenſerint, ſeu ad ea vocati, citati, & auditi, cauſæque, propter quas ipſæ præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & iuſtificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumuis iuridica, legitima, & priuilegiata cauſa, colore, prætextu, vel capite etiam in corpore iuris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo vnquam tempore de ſubreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ,

aut

aut intereſſe habentium conſenſus, alioue quolibet, etiam quantumuis magno, & ſubſtantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, indiuiduamque expreſſionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, modificari, redargui, in controuerſiam vocari, aut ad terminos iuris, ſeu Statutorum, & Conſtitutionum dicti Ordinis, reduci, ſeu aduersùs illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudue quodcumque iuris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, conceſſo, vel emanato, quempiam in iudicio, vel extra illud, vti, ſeu ſe iuuare, vllo modo poſſe; ſed eaſdem præſentes literas, ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia inuiolabiliter, & inconcuſsè obſeruari, & adimpleri; ſicque, & non aliter, in præmiſſis cenſeri, atque ita per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarū Palatij Apoſtolici, Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios, alioſue quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus, ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus præmiſſis ac quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de iure quæſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in vniuerſalibus, Prouincialibuſque, & Synodalibus Concilijs editis, Generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon dicti Ordinis, eiuſque Congregationum, Reformationum, Prouinciarum, Conuentuum quorumcumque, aliiſque quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, vſibus, ſtylis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus; priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, eidem Ordini, eiuſque Superioribus, Fratribus, & perſonis quibuſuis, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiā derogatoriarum derogatorijs, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, Irritantibuſque, & alijs decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ac conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, ac quātiſcumque vicibus confirmatis, approbatis, & innouatis.

Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi, pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio, ſeu quæuis expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma, ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, exprimerentur, & insererentur præſentibus, pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Volumus autem, vt earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, vbique locorum tam in iudicio, quàm extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die xx. Nouembris MDCLXXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

I.G.Sluſius.

Præter Statuta præmiſſa à Sanctiſſimo Domino Noſtro INNOCENTIO XI. ex certa ſcientia, & in forma ſpeciali confirmata, aliæ ordinationes, & declarationes in eodem Capitulo Generali æditæ ſunt, quarum confirmatio à Sanctiſſimo petita non eſt, & vt à Capitulo Generali Ordinis emanatæ publicantur, & ſunt tenoris ſequentis.

Pro vtraque Familia.

Definitorium Generale decernit, accepptandam eſſe, vti ea, qua par eſt reuerentia, acceptat declarationem fel. rec. Clementis PP. Decimi, qua ſtatuit Miniſtros Generales totius Ordinis ſuis functos officijs, eſſe Patres, Diffinitores, ac Diſcretos perpetuos totius Ordinis, ac vtriuſque familiæ, & pro talibus præcipit eſſe admittendos cum omnibus prærogatiuis, & priuilegijs Miniſtris Generalibus officio ſuo functis quomodolibet debitis, licèt ſexennium, triennium, biennium, vel aliud limitatum officij ſui tempus non expleuerint.

Declarat Definitorium,Generale Commiſſarium Generalem reſpectiuè ſecundùm Bullam vnionis electum, poſſe mittere Religioſos ſuæ familiæ ad negotia abſoluenda in aliam familiam.

Præcipit Definitorium Generale, quòd in ſingulis Prouincijs inſtituatur à Definitorio Prouinciali quamprimùm Chronologus Religioſus, prudens, ſolers, & eruditus, qui authoritate Capituli Generalis circumeat Prouinciam ad colligenda omnia antiqua, & recentia Religionis monimenta, tam ſpectantia ad Conuentuum, & Monaſteriorum fundationes, hiſtoriaſque fratrum, & ſororum defunctarum laudabilis vitæ, & famæ, quàm cætera, quæ in laudem Dei, exaltationem fidei, honorem Religionis, & incitamentum virtutis cedere poſſunt. Quibus diligentèr collectis, formet lingua latina, & integra fide omnium relationem, quæ à Definitorio Prouinciæ approbata, & ſubſcripta in Archiuio eiuſdem Prouinciæ perpetuò conſeruanda reponetur, ac ipſius authenticum tranſcriptum ad Archiuarium generalem familiæ reſpectiuè tranſmittatur, pro Vltramontanis Matriti, pro Ciſmontanis Romæ exiſtentem, vt in generali Archiuio inibi conſiſtente conſeruetur.

Monet Capitulum Generale Prælatos omnes Religionis, vt obſeruationi puræ noſtræ Regulæ omninò incumbant, iuxta formam in ſtaturis generalibus vnicuiqua impoſitam. Et vt abuſus equitandi efficaciter abſcindatur, innouatur Conſtitutio de non equitando ſine licentia in ſcriptis Guardiani, & Diſcretorum Conuentus, qui de vera neceſſitate teſtimonium ferant ſub ipſis literis Superioris Prælati, & qui ſinè prædicta licentia, & teſtimonio equitauerit puniatur à Guardiano Conuentus, ad quem ſic acceſſerit, vt Apoſtata. Illi verò, qui neceſſitate equitare coguntur, ſub eadem pœna teneantur ante ingreſſum in Ciuitatem, vel Oppidum iumentum relinquere, & peditando incedere.

Definitorium Generale, innouando Decretum aliàs circà hoc editum, præcipit, nè quiſquam frater quæſtuationis gratia terminos ſuo Conuentui præſcriptos, egrediatur, neque Superior localis ad alias quaſcumque quæſtuationes vltrà prædictos terminos Religioſos ſibi ſubditos mittat, ſub pœna Superiori præcipienti ſuſpenſionis ab officio pro ſemeſtre, & fratri pro nutu egredienti Apoſtaſiæ.

Pro Vltramontana Familia.

CApitulum Generale ſtatuit, ac determinat Conſtitutiones Barchinonenſes Segobiæ reformatas manere in ſuo robore, eliminatis his, quæ Decretis, ſeù Statutis Apoſtolicis poſt illarum reformationem emanatis contrariantur, & caſtigatis his, quæ meliori gubernio, & vniformitati pro præſenti rerum ſtatu videntur aduerſari, reſeruatis tamen declarationibus in Capitulis Generalibus ſubſequentibus factis, & Conſtitutionibus in ipſis additis, in quibus, ſi aliquæ inueniantur non tam communi Religionis bono, quàm officijs, & perſonis ea obtinentibus fauorabiles, quæ exorbitantiam, aut exceſſum ſapiant, vel aboleantur, vel ad ius commune, & antiqua Ordinis ſtatuta reducantur. Quod totum, vt fœliciùs, & promptiùs executioni mandetur, Capitulum Generale Reuerendiſſimo Patri Miniſtro Generali committit, vt iuxta ſepiùs ordinata, deputet Viros Religioſos, prudentia, ſcientia, & zelo graues, ac conſpicuos, qui prædicta quamprimùm exequantur, Conſtitutio neſque Vltramontanæ Familiæ iuxta præſcriptam formam in Codice vno clara methodo diſpoſitas collocent. Ad quæ omnia peragenda Capitulum Generale in prædictum Reuerendiſſimum Patrem Miniſtrum Generalem, & Patres ab eo deputandos compromittit, ita tamen, quòd non addantur nouæ leges nec infringantur, quæ ad puriorem obſeruantiam Regulæ conducũt.

Declarat Definitorium Generale, Guardianos aliqua ex cauſa poſt Capitulum Prouinciale electos, continuari poſſe in officio Guardianatus, vſque ad celebrationem Capituli immediatè ſequentis, etiamſi ob dilationem Capituli intra ſemeſtre, ſui officij triennium phyſicè expleuerint.

Declarat etiam, Guardianos Conuentuum Recollectionis in Hiſpania, debere ad ſingula Capitula, etiam intermedia, deferre, aut mittere rationem, & ſtatum Conuentuum, eo modo, quo fit pro alijs Conuentibus eiuſdem Prouinciæ, in quibus non eſt Recollectio.

Auctoritate, & Decreto Sacræ Congregationis S. R. E. Cardinalium negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ ſtabilitur, liberum eſſe Miniſtro Generali deponere, & remouere ab officio Vice-Commiſſarium Generalem Indiarum Hiſpali reſidentem, ad ipſius arbitrium, provt in Domino expedire cognouerit: non obſtante Conſtitutione Toletana de anno 1673. & alijs quibuſcumque.

Triennium officij, vt Commiſſarijs Generales in Indijs tam Occidentalibus, quàm Orientalibus conſiſtentes, gaudere valeant, priuilegijs, aliàs per Sratuta Ordinis præſcriptis, requiſitum, declarat Definitorium Gene-

Generale debere intelligi de incepto, ita vt duo anni expleti, & tertius inceptus officij, ſufficiant.

Pro reliquis cauſis Prouincias Indiarum Occidentalium concernentibus,quæ in hoc Capitulo fuerunt propoſitæ, Definitorium Generale compromittit in Reuerendiſs. P. N. Miniſtrum Generalem, & Reuerendiſs. P. Commiſſarium Generalem Indiarum in Curia Regis Catholici conſiſtentem,vt habitis earum notitijs, quæ in Capitulo deſiderabantur, prouideant, & diſponant pro vt in Domino magis expedire iudicauerint.

Admiſſa fuit Prouincia Solitudinis inRegno Portugalliæ, à Prouincia Pietatis diſtincta, vtpotè legitimè authoritate Apoſtolica nouiter erecta.

Nouam item Prouinciam S. Petri de Alcantara Diſcalceatorum in Regno Neapolitano, vtpotè à Sede Apoſtolica canonicè erectam, tamquam veram, & legitimam Ordinis Noſtri Seraphici Prouinciam, in qua Euangelica noſtra Regula ſtrictiſsimè obſeruatur Capitulum Generale admittit, & amplectitur, nihilque contra ſtatum,perpetuamque illius conſeruationem à quoquam attentari; Quinimò quidquid in varijs Pontificijs Diplomatibus, pro eiuſdem Prouinciæ bono regimine, ac fœlici progreſſu, & manutentione ordinatum reperitur, ab omnibus tam Superioribus,quàm ſubditis, ad quos ſpectat, obſeruari præcipit, ſub pœnis in eiſdem Bullis contentis.

Admittit etiam, & amplectitur Prouinciam Immaculatæ Conceptionis in Braſilia à Sancta Sede Apoſtolica ſimiliter erectam, tamquam veram, & legitimam eiuſdem Ordinis Prouinciam,& quidquid pro ipſius conſeruatione,bono regimine, & augmento ordinatum eſt, obſeruari præcipit.

Definitorium Generale præcipit Prouincialibus Miniſtris, ac Vicarijs, vt Conſtitutiones pro Monialibus editas *1639.* circa illarum regimen,tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus exactiſſimè ſeruent, & obſeruari faciant, alioquin pro negligentię qualitate à Reuerendiſſimo P. N. Miniſtro Generali puniendur.

Decreuit item, vt Moniales Immaculatæ Conceptionis faciant Diuinum officium eodem ritu, & Ordine, quo in earumdem Regula à fe: me: Iulio II. approbata continetur.

Denique de nouo recipit, ac intimat Decretum ſtatuens, quòd Monialis tertia Germana Soror in eodem Monaſterio recepta, non poſſit habere Suffragium in electionibus; Declarat tamen, quòd illæ, quæ iam receptæ, & in poſſeſſione ſuffragandi ſunt, in iure ſuæ poſſeſſionis manuteneri debeant.

Pro Ciſmontana Familia.

IN celebratione Capituli, aut Congregationis Prouincialis cuiuſcumq; Prouinciæ tam Obſeruantiæ, quàm Reformatorum, præcipitur, vt omnium Guardianorum electio fiat, nec aliquis Conuentus ſine ſui Guardiani inſtitutione relinquatur.

Guardiani, qui ſine interuentu Diſcretorum Conuentus, rem aliquam alicuius ponderis miſerint ad alium Conuentum, à Prouinciali grauiter puniantur; ſimiliter qui ad ſingularem aliquem Patrem, vel Fratrem dona miſerint, puniantur iuxta Decretum Vrbani Octaui.

Declaratur, quòd capitulum Culparum Conuentuale,quod aliàs iuxta Statuta Ordinis antiqua, & moderna, celebrandum eſt ſingulis ſextis ferijs, habeatur in Capitulo, aut Choro ſaltem ſemel in menſe, conuocata ad id ſpecialiter Communitate.

Guardiani pariter ſingulis menſibus viſitent Cellas Fratrum,& ſi in eis aliqua repererint aduerſùs ſtatus noſtri paupertatem, aut Apoſtolica Decreta, vti etiam libros profanos & contra bonos mores Religioſo ſtatui indecentes,omnino amoueãt. Negligentes verò in huius ſtatuti executione, iuxta negligentiæ qualitatem per ſuperiores puniantur.

Declarat Diffinitorium Generale, eos dumtaxat Concionatores, qui in præclarioribus Italiæ Ciuitatibus laudabiliter prædicauerint ad formam Conſtitutionum, titulo, & prærogatiua Concionatoris clariſſimi frui, & vti poſſe, dummodo in Metropolitanis, vel inſignioribus, aut principalioribus Collegiatis præſtiterint. Cæteros verò, qui aliter huiuſmodi titulum vſurpare præſumpſerint, munere, & titulo Concionatoris priuandos eſſe.

Lectores Iubilati, qui expleto tempore Lecturæ non habent locum inter Patres Iubilatos, vel Aggregatos propter completum numerum, deinceps teneant locum immediatè poſt Diffinitores habituales.

Lectoribus generalibus conceditur Socius,de corpore tantùm ſtudij aſſumendus: non tamen alijs Lectoribus habitualibus ſexennalibus, ſublata quacumque conſuetudine in contrarium.

Studium generale Sacræ Theologiæ in Conuentu S. Spiritus Ferrariæ Minorum de Obſeruantia Prouinciæ Bononienſis, declaratur primæ Claſſis in ordine ad Iubilationem pro his, qui poſt hæc ibi Sacram Theologiam legerint.

Studium generale S. Franciſci Laudæ in Prouincia Mediolanenſi, declaratur ſtudium generale ſecundæ Claſſis.

Transfertur etiam ſtudium generale Labacenſe, cum eiſdem priuilegijs pro Iubilatione ad Conuentum S. Mariæ Tarſati.

Erectio ſtudij generalis facta authoritate Sacræ Congregationis in Conuentu Sancti Franciſci Baſtiæ in Corſica, confirmatur.

Studium generale S. Antonij propè Ciuitatem Tricariei, transfertur ad Conuentum S. Mariæ de Orſoleo.

Studium generale S. Angeli Cremonæ in Prouincia Bononienſi, erigitur in ſtudiũ generale ſecundæ Claſſis.

Studium generale Meſſanenſe committitur transferendum prouidentiæ Superioris Generalis.

Studium Zagabrienſe S. Ladislai de Obſeruantia aliàs erectum in ſtudium generale, confirmatur.

Ad tollendas diſſenſiones ortas cauſa præcedentiæ inter aliquas Prouincias tam Obſeruantes, quàm Reformatas, decreuit Diffinitorium generale, ſeruandam eſſe ſeriem præcedentię, iuxta Chronicon Reuerendiſs. Gonzagę, itaùt Prouinciæ nouiter inſtitutæ teneanr locum iuxta Ordinis antiqua Statuta, præſcindendo à Conſtitutionibus compilatis per Reuerendiſsimum Sambucam.

Pro conſeruatione Prouinciæ Candiæ Minorum de Obſeruantia, decernitur, ne poſt hac ad habitum Religionis admittantur, niſi Nationales, qui eiuſdem Prouinciæ conſeruationi inſeruire poſſint, cum aliàs experientia compertum ſit aliarum Nationum admiſſione huius conſeruationis intentum defraudari.

Commiſſarij Viſitatores in poſterum deputandi pro viſitandis Prouincijs huius familiæ, ſe omnino abſtineant à Viſitatione Monaſteriorum Monialium, niſi aliter eis ex rationabili cauſa fuerit expreſsè conceſſum in patentibus literis ſuæ delegationis.

Item ſtatuit, quòd Socij Confeſſariorum in Monaſterijs Monialium noſtro Ordini ſubiectis, nullatenùs continuari poſſint in ſeruitio vnius Monaſterij vltrà tres annos, quemadmodum ipſi Confeſſarij, habito etiam Sacræ Congregationis Epiſc. & Reg. beneplacito; Et qui triennium exceſſiſſe reperientur, ſtatim indè amoueantur.

Pro Reformatis.

Declarat Diffinitorium, Prominiſtros, qui in Capitulo Generali in Hiſpania celebrato, ſuffragati ſunt, debere locum, & præcedentiam tenere immediatè poſt Diffinitores actuales, præcedendo Vicarium Conuentus. Vicarius autem ipſe in abſentia Guardiani, nec præcedentiam, nec primum locum teneat, niſi in caſu, quo Guardianus abſens fuerit à Conuentu ſpatio vnius dietæ.

Procurator Generalis pro tempore reſidens in Conuentu S. Franciſci Tranſtyberim, iiſdem omnino honoris, & reſpectus prærogatiuis gaudeat, tam in Refectorio, quàm in Sacriſtia, quibus Prouincialis actualis, & Guardianus tractantur.

Patres Forenſes in eodem Conuentu S. Franciſci Tranſtyberim eadem prorsùs pręcedentia vti, & frui debenr, quæ eis per Conſtitutionem Ordinis aſſignatur, itaùt poſt Prouincialem Prouinciæ, & Guardianũ Conuentus immediatè ſint Patres actuales, & habituales Ordinis, ac Miniſtri aliarum Prouinciarum, ſeruata inter eos Statutorum ſerie.

Præcipitur, quòd nullus Fratrum poſthac, etiam obtentis obedientialibus à Superiore Generali, poſſit diſcedere à Prouincia, niſi priùs notificet ipſas ſuo Prouinciali, à quo debet expectare reſponſum, ſub pœna Apoſtaſiæ.

Tempus Orationis mentalis diurnę ſeruetur, quale mandant Conſtitutiones aliàs editæ, videlicèt poſt primam.

Clerici non admittantur ad Studia quæcumque, niſi priùs per Examinatores deputandos conſtiterit de eorum ſufficientia; Studijſque vacent in ſua quilibet Prouincia reſpectiuè, nec permittatur eis tranſitus ad alienam, immò ſi qui reperiantur in alienis Prouincijs, ad propriam reducantur. Sacerdotes verò, qui cauſa ſtudij extra propriam Prouinciam commorati fuerint, nec titulo, nec officio Concionatoris gaudeant, niſi in Prouinciam propriam reuerſi, & examinati per Deputatos ab ipſorum Miniſtro Prouinciali, & Definitorio de ſufficientia, profectu, & ſtudij complemento, idonei reperiantur.

Omnes, & ſinguli Lectores expleto duodecimo anno Lecturæ Theologiæ, ipſo facto, & ſine vlla tergiuerſatione deſiſtant à Lectura, & cedant locum alijs.

Lectores extra Conuentum, in quo legunt, non præcedant proprium Guardianum, nec alios Guardianos Conuentuum eiuſdem Prouinciæ.

Iuxta Conſtitutionem Vrbani VIII. quæ incipit Militantis Eccleſiæ editam 1. Octobris 1641. in duobus, aut tribus cuiuſcumque Prouinciæ Reformatæ Conuentibus Theologiæ moralis lectio habeatur, cui omnes Fratres Sacerdotes, & Clerici bis in qualibet hebdomada interſint. In ſingulis

verò

verò Conuentibus ſemel ſaltem in qualibet hebdomada fiat lectio Theologiæ myſticæ, & noſtræ Regulæ expoſitio, cui omnes Fratres, etiam Laici intereſſe teneantur.

Sequuntur Suffragia.

PRO Sanctiſs. D.N. Papa, Imperatore, Regibus, ac Principibus Orthodoxis, Eminentiſs. Card. Protectore, Exaltatione S. Matris Eccleſiæ, hæreſum extirpatione, fælici ſtatu noſtri Ordinis, eiuſdemque Patronis fianr ſuffragia eadem, quæ in vltimo Capitulo Generali Valliſoletano præſcripta ſunt.

Fratres Mortui.

NVmerus Fratrum noſtrorum, qui à præterito Generali Capitulo vſque in præſens è vita deceſſerunt, iuxta computationem factam per teſtimonia ad Capitulum delata, complet ſeptem millia, tercentos, & viginti tres, Gallis hinc exceptis, qui Regio areſto prohibiti, ad Capitulum non venerunt.

Ita eſt.

FRanciſcus Cardinalis Barberinus Protector, & Præſidens.
F. Ioſeph Ximenez Samaniego Miniſter Generalis.
F. Franciſcus Maria de Nicolis Exminiſter Generalis, & Commiſſarius Generalis.
F. Ioſeph Copons Procurator Generalis.
F. Leo Caromius Exprocurator, & Commiſs. Generalis Curię.
F. Theodorus ab Aſculo Procurator Generalis Reformatorum.
F. Nicolaus Lozano Diffinitor Generalis.
F. Petrus Mon Diffinitor Generalis.
F. Didacus de Fuenſalida Diffinitor Generalis.
F. Vuolfangus Tach. Diffinitor Generalis.
F. Emmanuel de Altor Diffinitor Generalis.
F. Ignatius Broyer Diffinitor Generalis.
F. Baltaſſar Aluarez Diffinitor Generalis.
F. Cherubinus de Sambuca Diffinitor Generalis.
F. Ioannes Babptiſta de Fugnano Diffinitor Generalis.
F. Antonius Maria de Venetijs Diffinitor Generalis.
F. Archangelus de Cilento Diffinitor Generalis.
F. Leonardus de Neapoli Diffinitor Generalis.
F. Ægidius de Liburno Diffinitor Generalis.
F. Hieronymus à Caſali Diffinitor Generalis.
F. Bernardus Sannig Diffinitor Generalis.
F. Franciſcus de Raguſa Diffinitor Generalis.
F. Franciſcus Maria Mancinus Diffinitor Generalis.

Sacræ Theologiæ ſtudia in ordine ad Iubilationem deſtinata, iuxtà Conſtitutiones Apoſtolicas Clementis VIII. & Vrbani VIII.

Et Lectores generales pro Ciſmontana Obſeruant. Familia.

In Conuentu noſtro Sanctæ Mariæ de Aracœli Romæ.

Adm. R.P. Franciſcus de Raguſio Diffinitor Generalis.
P.F. Ioannes Antonius de Panormo.
P.F. Ioannes Iacobus de Roma.

In Conuentu S. Franciſci Montis Peruſii.

P.F. Stephanus de Bettona.
P.F. Franciſcus à Burgo S. Sepulchri.
P.F. Ioſeph de Typherno.

In Conuentu Sanctæ Mariæ Nouæ Neapolis.

P.F. Hieronymus de Soſa.
P.F. Angelicus à Neapoli.
P.F. Franciſcus de Sueſſa.

In Conuentu omnium Sanctorum Florentiæ.

P.F. Bonauentura Baldoccius de Florentia.
P.F. Ioannes de Florentia.
P.F. Ioannes Hieronymus de Maſſa.

In Conuentu Sanctiſſimæ Annunciatæ Bononiæ.

P.F. Angelus de Brixighella.
P.F. Fuluius à Cento.
P.F. Franciſcus à Mutina.

In Conuentu S. Franciſci Paduæ.

P.F. Hieronymus Riua de Verona.
P.F. Ireneus de Buſſeto.
P.F. Clemens à Maroſtica.

In Conuentu Sanctiſſimæ Annunciatæ Genuæ.

P.F. Felix à Recho.
P.F. Thomas à Genua.
P.F. Cherubinus à Lenguelia.

In

In Conuentu S. Angeli Mediolani.

P.F.Celeſtinus à Mediolano,
P.F.Fortunatus à Mediolano,
P.F.Caſimirus à Lauda,

In Conuentu S. Mariæ Angelorum Panormi,

P.F. Bonauentura à Termis,
P.F.Alexander à Careno,
P.F.Felix à Panormo.

In Conuentu S. Bernardini Aquilæ.

P.F.Dionyſius de Lerona.
P.F.Antonius à Dalmatia.
P.F. Andreas à Notariſco.

In Conuentu S.Didaci Neapolis.

P.F.Ioannes Baptiſta ab Atina,
P.F.Martinus Berrain.
P.F.Bonauentura à Maiori.

In Conuentu S.Franciſci Anconæ.

P. F.Ioannes ab Aeſculo.
P. F.Laurentius à Seruiliano.
P.F.Bonauentura de Petritoli.

In Conuentu S.Franciſci Lucæ.

P.F.Antonius Maria de Fabo.
P.F.Gabriel Maria à S. Guſmè.
P.F.Petrus Franciſcus de Bononia.

In Conuentu S.Antonij Licij.

P.F.Bonauentura à Mineruino,
P.F.Michael à Bario.
P.F.Angelus Maria à Neapoli.

In Conuentu S.Franciſci Coſentiæ.

P.F.Bonauentura à Taberna.
P.F.Ioannes Baptiſta à Montopoli.
P.F.Ludouicus à Morano.

In Conuentu S.Bernardini Cracouiæ.

P.F.Ludouicus Brychner.
P.F.Daniel Srymborski.
P.F.Carolus Tarnouienſis.

In Conuentu S.Mariæ Ieſu Adernò.

P.F.Cherubinus à Genua.
P.F.Sebaſtianus à Beneuento.
P.F.Balthaſſar à Iacio.

In Conuentu Ieſu Mariæ Foggiæ.

P.F.Ambroſius à Manfredonia.
P.F.Franciſcus Antonius de Foggia.
P.F.Hieronymus de Barea.

In Conuentu S.Andreæ Leopoli.

P.F.Ambroſius Bigleuuicz.
P.F.Antonius Glauuiz.
P.F.Antonius Nouuacki.

In Conuentu S. Mariæ de Ieſu Montis Leonis.

P.F.Ioſeph de Cortona.
P.F.Didacus à Pitio.
P.F.Angelus à Monte Coruino.

In Conuentu S. Ioſeph Brixiæ.

P.F. Fauſtinus à Claris.
P.F.Franciſcus à Gabbiano.
P.F.Andreas Stella.

In Conuentu Sancti Thomæ Taurini.

P.F.Bartholomæus à Caramagnola.
P.F.Paulus Franciſcus a Monte Forti.
P.F.Clemens à Mediolano.

In Conuentu Sancti Bernardini Alexandriæ.

P.F.Petrus Paulus de Peruſio.
P.Fr.Franciſcus à Como.
P.Fr.Bartholomæus à Lauda.

In Conuentu Sanctæ Annæ Varſauiæ Poloniæ Maioris.

P.Fr.Valerianus Tuarduich.
P.F.Andreas Paſxczynski.
P.F.Alexander Coſminius.

Studium Generale in ordine ad Iubilationem erectum in præſenti Capitulo Romano.

In Conuentu S. Spiritus Ferrariæ.

P.F.Carolus Franciſcus à Parma.
P.F.Saluator de Foroliuio.
P.F.Ioannes Franciſcus à Caſtro S. Petri.

Alia Studia Sacræ Theologiæ, & Lectores Generales deputantur.

In Conuentu Sanctæ Mariæ Nouæ Fani.

P.F.Lutius de Petritoli.
P.F.Antonius à Cauliano.
P.F.Hieronymus de Guaſtalla.

In Conuentu S.Franciſci Mantuæ.

P.F.Ioannes Chryſoſtomus de Carpo.
P.F.Vincentius de Raguſio.
P.F.Laurentius de Venetijs.

In Conuentu S.Mariæ Ieſu Motucæ.

P.F.Bonauentura de Terra Noua.
P.F.Angelicus à Spaccaforno.
P.F.Marinus de Careno.

In

In Conuentu Paradiſi Viterbij.

P.F.Coſmas Romanus.
P.F.Bonauentura à Caprarola.
P.F. Deſiderius de Luca.

In Connentu S.Franciſci Raguſij.

P.F.Hiacyntus de Raguſio.
P.F.Ioannes Maria à Caſtilento.
P.F.Auguſtinus Flauius Mecedouich.

In Conuentu S.Crucis Piſarum.

P.F.Celſus Maria Billò de Senis.
P.F.Ioſeph Maria de Ponſeuio.
P.F.Dominicus de Soncino.

In Conuentu Labaci in Croatia.

P.F.Antonius Lazari.
P.Fr.Sigiſmundus Sigonius.
P.F.

In Conuentu Poſnanienſi.

P.F.Stephanus Bidgoſtianus.
P.F.Carolus Praſnenſis.
P.F.

In Conuentu S.Mariæ de Ieſu Drepani.

P.F.Michael Angelus à Neapoli.
P.F.Benedictus à Panormo.
P.F.Chriſanthus à Monte Herculeo.

In Conuentu S.Mariæ de Ieſu Vallettæ Melitæ.

P.F.Antonius à Lidari.
P.F.Felix ab Auola.
P.F.

In Conuentu S. Mariæ Magdalenæ Auerſæ.

P.F.Gulielmus à Panormo.
P.F.Franciſcus à Neapoli.
P.F.Fabius à Foroliuio.

In Conuentu S. Mariæ de Orſoleo.

P.F.Antonius à Tricarico.
P.F.Nicolaus à Neapoli.
P.F.Iacobus ab Hydrunto.

In Conuentu S. Franciſci Zagabriæ.

P.F.Alexius Puſiachouich.
P.F.Ægidius Vicich.
P.F.

In Conuentu S. Andreæ Barlettæ.

P.F.Antonius de Biſceglia.
P.F.Antonius de Puteolis.
P.F.Bernardinus de Altamura.

Alia Studia Generalia erecta in præſenti Capitulo Generali.

In Conuentu S. Angeli Cremonæ.

P.F.Ireneus de Parma.
P.F.Antonius ab Arimino.
P.F.Angelus à Foroliuio.

In Conuentu S. Franciſci Laudæ.

P.F.Franciſcus Quareſmius à Mediolano.
P.F.Conſtantinus à Mediolano.
P. F.

Lectores Generales non aſſignati, ac Lectores Artium in Conuentu Sanctæ Mariæ de Aracæli, & alijs Conuentibus pro Seminarijs Iuuenum, deputabuntur à Reuerendiſſimo Superiore Generali.

Studia generalia in ordine ad Iubilationem.

Conuentus:

S.Mariæ de Aracæli.
S.Franciſci Peruſij.
S.Mariæ Nouæ Neapolis.
Omnium Sanctorum Florentiæ.
Sanctiſſimæ Annunciatę Bononiæ.
S.Franciſci Paduæ.
SS.Annunciatæ Genuæ.
S.Angeli Mediolani.
S.Mariæ Angelorum Panormi.
S. Bernardini Aquilæ.
S.Didaci Neapolis.
S.Franciſci Anconæ.
S.Franciſci Lucæ.
S. Antonij Licij.
S. Franciſci Coſentiæ.
S.Hieronymi Viennæ.
S.Bernardini Cracouiæ.
S.Mariæ ad Niues Pragæ.
S.Mariæ de Ieſu Meſſanæ.
Ieſu Mariæ Foggiæ.
S. Mariæ de Ieſu Montis Leonis.
S.Andreæ Leopolitani.
S.Ioſeph Brixię.
S.Thomæ Taurini.
S.Bernardini Alexandrię.
S.Annæ Varſauiæ.
S. Spiritus Ferrariæ.

BReue Sanctæ memoriæ Clementis X. declarans ex Miniſtros Generales totius Ordinis gaudere priuilegijs talium quocumque paruo tempore officio Miniſteriatus Generalis functi ſint.

CLE-

CLEMENS PAPA X.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filij Procurator Generalis, & Commiſſarius Generalis Curiæ Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum, quòd cum Conſtitutiones Generales dicti Ordinis circa prærogatiuas Fratribus, qui munera exercuerunt debitas, expreſsè diſponant, eoſdem Fratres prærogatiuis huiuſmodi frui non poſſe, niſi biennium in munerum ſuorum exercitio compleuerint; Vbi verò de illis,qui Miniſtri Generalis eiuſdem Ordinis munere functi ſunt, loquuntur,nullnm certum tempus præſcribant, ſed ſimpliciter diſponant, quòd Miniſter Generalis ſuo functus officio,ſit Pater, Diffinitor,& Diſcretus perpetuus totius Ordinis, & pro tali ab omnibus habeatur: Ipſi exponentes, ad tollendas dubietatum, quæ ſuboriri poſſent, occaſiones, de opportuna in præmiſſis declaratione à Nobis prouideri plurimum deſiderant.

Nos igitur eorundem exponentium votis,hac in re, quantum cum Domino poſſumus, fauorabiliter annuere volentes,& eorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à Iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes,ſupplicationibus, eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati; audita ſuper præmiſſis nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, qui iuſſu noſtro rem accurate diſcuſſerunt, relatione, Miniſtrum Generalem Ordinis prædicti ſuo functum Officio, eſſe Patrem, Diffinirorem, & Diſcretum perpetuum totius Ordinis huiuſmodi,& pro tali ab omnibus habendum, cæteriſque prærogatiuis conceſſis per Conſtitutiones eiuſdem Ordinis Miniſtris Generalibus ſuo Officio functis gaudere debere, licet ſexennium, biennium, vel aliud quodcumque limitatum ſui officij tempus non expleuerit, auctoritate Apoſtolica,tenore præſentium declaramus.

Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas,validas,& efficaces exiſtere, & fore,ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore, quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Iudices ordinarios,& delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, iudicari,& definiri debere, ac irritum,& inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica,vel quauis firmitate alia roboratis,ſtatutis, & conſuetudinibus,priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis,& innouatis. Quibus omnibus,& ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene,& ſufficienter expreſſis,& ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris,ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris, die xxiij. Septembris M. DC. LXXV. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

I.G.Sluſius.

Decreta nonnulla Sacræ Congregationis Rituum circa officia Sanctorum in Ordine Minorum de Obſerſantia celebranda.

Conceſſio officij omnium Sanctorum Ordinis.

SAcra Rituum Congregatio ad pias preces P.F.Ioſephi Copons, Procuratoris Generalis totius Ordinis Minorum Sancti Franciſci benigne annuit, atque conceſſit, vt omnes, & ſinguli Religioſi Fratres, & Moniales prædicti Ordinis Minorum Sancti Franciſci, in quacunque Mundi parte exiſtentes recitare poſſint officium, & Miſſam reſpectiuè celebrare omnium Sanctorum Ordinis Minorum ſub ritu duplici, die 26. Nouembris quolibet anno, ſicut celebra ur à Fratribus eiuſdem Ordinis in omnibus Prouincijs Ciſmontanæ Familiæ, ex conceſſione eiuſdem Sac. Congregationis ſub die 14. Nouembris 1676.inſtante Procuratore Generali Reformatorum eiuſdem Ordinis Min. Sancti Franciſci. Hac die 22. Iannarij 1678.

Cæſar Cardinalis Fachenettus.

Bernardinus Caſalius Sac.Rit.Congr.Sec.

Conceſſio celebrandi officium Sancti Patris noſtri Dominici ſub ritu duplicis ſecunda claſſis cum Octaua.

SAcra Rituum Congregatio ad preces Patris Miniſtri Generalis Ordinis S. Fran-

Franciſci Minorum de Obſeruantia benignè conceſſit, vt in poſterum ab omnibus Fratribus, & Monialibus regimini prædicti Patris Miniſtri Generalis ſubiectis celebrari poſſit die 4. Auguſti feſtum Sancti Dominici fundatoris Ordinis Prædicatorũ cum officio, & Miſſa ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, & cum Octaua tantùm. Hac die 2. Decembris 1679.

Cæſar Cardinalis Fachenettus.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congr. Sec.

Reſponſiones Sacræ Congregationis circa extenſionem Officiorum.

PRO parte Reuerendiſſimi Patris Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia expoſitum fuit apud Sac. Rituum Congregationem, quòd in aliquibus Prouincijs Hiſpaniarum nonnulli abuſus irrepſerint circa extenſionem conceſſionum aliqua officia recitandi, quibus licèt Congregatio Generalis Ordinis Toleti celebrata anno 1673. iuxta decreta ab hac Sac. Congregatione Rituum emanata occurrerit, nihilominus aliqui Fratres Prouinciarum diſcalceatarum, ſub prætextu, quòd Conſtitutionibus generalibus ordinis non obligentur, adhuc inhærent. Et cum non ſolùm ex generali lege, ſed ſpeciali ſuæ Regulæ præcepto, Fratres Minores teneantur officium Diuinum facere ſecundùm Ordinem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ideo, vt hoc præceptum exactiùs obſeruetur, abuſus extirpentur, & in toto corpore Religionis ſibi ſubiecto vniformiter laudes Deo perſoluantur, idem Pater Generalis pro ſui muneris ratione ſupplicauit, quatenus eadem Sac. Congregatio ſequentia puncta dignetur declarare.

Primùm. An Communicatio etiam ampliſſima priuilegiorum vnius Religionis alteri facta, ſe extendat ad officia Sanctorum?

Secundùm. An facultas recitandi officium de aliquo Sancto conceſſa ſpecialiter Minoribus Conuentualibus, vel Capuccinis, vel Fratribus Tertij Ordinis Sancti Franciſci, vel Monialibus Sanctæ Claræ, Sanctæ Eliſabeth, Conceptionis, aut Annuntiatæ, ſe extendat ad Fratres Minores de Corpore Obſeruantiæ, ſiue de familia, ſiue Reformati, ſiue Excalceati, ſiue Recollecti dicantur, itaut iſti licitè illa vti poſſint?

Tertiùm. An facultas recitandi aliquod officium conceſſa ſpecialiter Fratribus Minoribus Reformatis Italiæ ſub hoc nomine, ſe extendat ad Obſeruantes de familia, vel Excalceatos Hiſpaniæ, vel Recollectos Galliæ, & è conuerſo?

Quartùm. An eadem facultas conceſſa ſpecialiter Fratribus Minoribus de Obſeruantia familiæ Ciſmontanæ, ſe extendat ad Fratres eiuſdem Ordinis familiæ Vltramontanæ, & è conuerſo?

Quintùm. An facultas recitandi aliquod officium conceſſa ſpecialiter alicui Prouinciæ, ſe extendat ad alias Prouincias eiuſdem Ordinis, & inſtituti; aut conceſſa ſpecialiter alicui Conuentui ſe extendat ad alios Conuentus eiuſdem Ordinis, vel ſaltem eiuſdem Prouinciæ?

Sextùm. An conceſſio recitandi ſingulis menſibus vna die, feſto nouem lectionibus non impedita, officium Sanctæ Claræ à fœlicis recordationis Clemente X. Fratribus Minoribus regularis Obſeruantiæ abſolutè facta, ſit intelligenda cum moderatione ſimilibus officijs ab eadem Sacra Congregatione appoſita, nempè exceptis Quadrageſima, Aduentu, Quatuor temporibus, & Vigilis, vel abſolutè, vt ſonat?

Et eadem Sacra Rituum Congregatio quoad Primùm, Secundùm, Tertiùm, Quartùm, & Quintùm, reſpondit negatiuè in omnibus. Et quo ad ſextum reſpondit eſſe intelligendum cum moderatione. Et ita declarauit, & prædicta omnino ab omnibus Fratribus Regularis Obſeruantiæ non ſolum de familia, ſed etiam Reformatis, Diſcalceatis, Recollectis, aut alio quouis nomine nuncupatis ſeruari mandauit, ſub pœnis præfati Patris Miniſtri Generalis, eiuſque Succeſſorum pro tempore arbitrio imponendis contra inobedientes, non obſtantibus quibuſcumque. Hac die decimaſexta Decembris anno milleſimo Sexcenteſimo ſeptuageſimo nono.

Cæſar Cardinalis Fachenettus.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congr. Sec.

Indultum Sanctiſſimi Domini Noſtri Innocentij XI.

QVO Lectoribus Iubilatis Ordinis Minorum de Obſeruantia conceduntur prærogatiuæ, præeminentiæ, priuilegia, & gratiæ quibus alijs Regulares Doctores Artium, & in Sacra Theologia Magiſtri fruuntur, obtentum ex ſpeciali, & expreſſa licentia Reuerendiſſimi Patris Miniſtri Generalis totius Ordinis Sancti Patris Franciſci.

INNOCENTIVS PP. XI.

Ad futuram Rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Celſus Maria Billò de Senis

Gg Com-

Commiſſarius Generalis Curiæ Ordinis Fratrum S. Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum, quòd dudum ſtatim atque dictus Ordo ab Ordine Fratrum Minorum eiuſdem S. Franciſci Conuentualium nuncupatorum, authoritate Apoſtolica ſeparatus fuit, Fratres Minorum de Obſeruantia huiuſmodi, vt quidquid mundani faſtus, atque ambitionis inducere poſſet, à ſe procul amouerent, ad gradus Doctoratus Artium, & Magiſterij in Sacra Theologia promoueri, & Doctores, ac Magiſtri vocari deſierunt; Nihil tamen minus eiuſmodi ſcientiarum Studijs operam dederunt, ſed qui in illis tantum progreſſi erant, vt alios docere poſſent, ſolo contenti fuerunt, & adhuc ſunt, nomine, & titulo Lectorum actualium, & habitualium, qui etiam poſt peractam iuxtà Apoſtolicas, & Ordinis ſui Conſtitutiones, ſaltem triennio Philoſophiæ, & decennio Sacræ Theologiæ lecturam, Lectores Iubilati vocati fuerunt, & vocantur.

Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, licèt einſmodi Lectores Iubilati quoad rem ipſam, nempè litterarum ſcientiam, à Magiſtris in Sacra Theologia, & Doctoribus Artium, differre non videantur, quia tamen inter eos eſt nominum, titulorumque diuerſitas, nonnulli prætendant, ac etiam per ſententias iudicialiter definiant, illos Doctoribus, & Magiſtris huiuſmodi in Ordine ad aperiendas, & executioni mandandas litteras, per officium Pœnitentiariæ Apoſtolicæ expeditas, quæ eiuſmodi Doctoribus, ſeu Magiſtris ſuper abſolutione, diſpenſatione, votorumque, ſeu aliorum obligatione, commutatione dirigi ſolent, ac quoad alias prerogatiuas, pares non eſſe; Nobis propterea dictus Celſus Maria humiliter ſupplicari fecit, vt in præmiſſis opportunè prouidere, & vt infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaretur.

Nos igitur ordinis primo dicti decori, & honorificentiæ, quantum cum Domino poſſumus, benignè conſulere, ipſumque Celſum Mariam ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnibus, & ſingulis memorati Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia Lectoribus Iubilatis præſentibus, & futuris, vt quaſcumque litteras per officium Pœnitentiariæ Apoſtolicæ huiuſmodi pro tempore expeditas, quæ Doctoribus Artium, ſeù Magiſtris in Sacra Theologia directæ fuerint, recipere, aperire, & iuxta illarum formam, & tenorem executioni mandare, necnon quoad alias functiones Eccleſiaſticas, & litterarias quaslibet omnibus, & ſingulis prærogatiuis, præeminentijs, priuilegijs gratijs, & indultis, quibus Fratres expreſsè profeſſi aliorum Ordinum, Doctores Artium, & in Sacra Thologia Magiſtri, tam de iure, vſu, & conſuetudine, quàm aliàs quomodolibet vtuntur, fruuntur, & gaudent, ac vti, frui, & gaudere poſſunt, & poterunt in futurum, pari modo vti, frui, & gaudere liberè, licitè, & validè, poſſint, & valeant, authoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus.

Cæterùm non intendimus, per præſentes litteras, priuilegia, exemptiones, prærogatiuas, gratias, & indulta, quæ præfatis Lectoribus Iubilaris per Apoſtolicas, & Ordinis primò dicti Conſtitutiones, conceſſa ſunt, vllo modo augere, vel minuere, ſed illa in ſtatu, & terminis, in quibus de præſenti reperiuntur, remanere volumus.

Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectiuè, inuiolabiliter obſeruari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non dicti Ordinis, alijſque quibuſuis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, vt earundem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicuius

cuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides vbique locorum, tàm in iudicio, quàm extra illud, habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die xxvij. Nouembris M.DC.LXXIX. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

I.G.Sluſius.

Optantes Sanctum Miſſionum exercitium in Ordine noſtro promoueri, duo ſequentia Breuia à Sanctiſſimo obtinuimus, quæ Vobis in gratiam, & exemplum mandamus.

BENEDICTIO APOSTOLICA,

Et Indulgentia plenaria pro Miſſionibus à Fratribus Noſtri Ordinis faciendis.

INNOCENTIVS PP. XI.

Vniuerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis ſalutem, & Apoſlicam benedictionem. Cæleſtium munerum theſauros, quorum diſpenſatores eſſe Nos voluit Altiſſimus, libenter ijs impartimur, quos pro ſua in Deum, & proximos charitate, Chriſtianæ Religionis zelo, animarum ſalutem omni ſtudio procurare intelligimus, quo in genere, cum Fratres Minores Ordinis Sancti Franciſci, de Obſeruantia nuncupatos habeamus, eoſque in primis, quos dilecti filij eorundem Fratrum Superiores, ob hanc cauſam hoc ipſo, & conſequentibus annis in diuerſas Prouincias chriſtianæ Reipublicæ mittere conſtituerunt.

Nos ſanè eorundem Fratrum pietatem, ac operam, eorumque, ad quos illi mittendi erunt, Religionem, & deuotionem ſpiritualibus gratijs confouere, atque augere cupientes, Supplicationibus dilecti filij Ioſephi Ximenez de Samaniego dicti Ordinis Miniſtri Generalis Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, piamque illius deliberationem, quantùm cum Domino poſſumus, promouere volentes: De omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi: Omnibus, & ſingulis Fratribus dicti Ordinis tam Reformatis, quàm non Reformatis, Miniſtro Generali eiuſdem Ordinis ſubiectis, ad miſſiones in quibuſuis locis de Ordinariorum licentia exercendas in futurum mittendis, vbi tamen non erunt miſſionarij Congregationis de Propaganda Fide, & alijs vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, ad quos ipſi mittendi acceſſerint, Noſtram, & Apoſtolicam Benedictionem, per præſentes impartimur; Nec non ijſdem verè pœniten., & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui pro Sanctæ Romanæ Eccleſiæ exaltatione, Principum Chriſtianorum Vnione, Infidelium conuerſione, hæreſum extirpatione, prout vnicuique ſuggeret deuotio, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, Miſericorditer in Domino, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, pro vna vice dumraxat pro vnaquaque miſſione, de Ordinariorum locorum licentia reſpectiuè facienda, concedimus, & elargimur. Hortantes Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Eccleſiarum Dei Prælatos, & Rectores, ac Verbi Dei Prædicatores, vt in ſuis quiſque Eccleſijs, cum populus frequentior fuerit, præſentes literas, ac omnia in eis contenta publicent, & publicari faciant, ac omnem eiſdem Fratribus tam Reformatis, quàm non Reformatis fauorem, & auxilium in præmiſſis præſtent. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ, præſentibus ad ſeptennium tantum valituris. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xxiii. Decembris 1679. Pontificatus noſtri anno quarto.

I.G.Sluſius.

Erectio Seminarij Miſsionariorum in Regno Portugalliæ.

INNOCENTIVS PP. XI

Ad futuram rei memoriam.

Ex iniuncto Nobis diuinitùs Apoſtolicæ ſeruitutis munere, animarum ſaluti, piorumque Chriſtianæ charitatis operum, fęlici progreſſui, & incremento, iugiter inuigilantes, illis quę à Superioribus Regularibus conſimili conſilio prouidè, prudenterque facta, atque ordinata eſſe noſcuntur, vt perenni ſtabilitate ſubſiſtant, Apoſtolici muniminis, cum id à Nobis petitur, libenter adiungimus firmitatem, ac aliàs deſuper diſponimus, ſicut ad Omnipotentis Dei gloriam, & Animarum ſalutem,

ac Religionis incrementum ſalubriter in Domino expedire arbitramur. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit Dilectus filius Antonius à Plagis Frater expreſsè profeſſus Prouinciæ Algarbiorum in Luſitania, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum, quòd cum ipſe multorum annorum ſpatio miſſionibus in Regno Portugalliæ operam dediſſet, experientia que cognouiſſet, quantum inde fructus ad animarum ſalutem, benedicente Domino, proueniat, ac proinde eiuſmodi Miſſionariorum numerum ampliari, illorumque miniſterium ſtabiliri, & bonis legibus dirigi deſideraret: Dilectus etiam filius Ioſeph Ximenez Samaniego Miniſter Generalis dicti Ordinis, ipſi Antonio ſuam benedictionem, & facultatem conceſſit, vt Conuentum Sancti Antonij de Baratoxo dictæ Prouinciæ, ſibi, ſuiſque ſocijs ad effectum in eo inſtituendi Collegium Miſſionariorum huiuſmodi, à Sancta Sede petere valeret, ad quod obtinendum plenum conſenſum tribuit, & prædictæ Prouinciæ Algarbiorum conſenſum, quantùm poterat ſuppleuit; hæc autem conceſſit ſub diuerſis conditionibus, & ordinationibus, in prædicto Conuentu omnino obſeruandis, & aliàs prout vberius continetur in ipſius Ioſephi Miniſtri Generalis Patentibus literis, deſuper emanatis, tenoris, qui ſequitur, videlicet. Frater Ioſeph Ximenez Samaniego totius Ordinis Fratrum Minorũ Seraphici Patris Noſtri Franciſci Generalis Miniſter, & Seruus. Dilecto Nobis in Chriſto Patri Fratri Antonio à Plagis, Prædicatori Prouinciæ Algarbiorum Regularis Obſeruantiæ Alumno, ſalutem in Domino ſempiternam. Quandoquidem Noſter Seraphicus, & Apoſtolicus Ordo Minorum ad hoc præcipuè inſtitutus ſit, vt eiuſdem Fratres in ſtrictiſſima paupertate, auſteritate rigida, profunda humilitate, Mundi contemptu, & ſpiritus feruore, exemplo, verboque hominibus pœnitentiam prædicaret, iuxta s. mem. Innocentij Tertij oraculum, qui in prima Ordinis noſtri approbatione Fratres ipſos Prædicatores pœnitentiæ inſtituit, eiſque dedit de pœnitentia prædicanda mandatum; Et noſtri Seraphici Patriarchæ Franciſci Exemplum, qui Spiritu Sancto doctus, Deique zelo ductus, non ſibi ſoli viuere, ſed & alijs proficere conſtanter ſtatuit, & ita fœliciter præſtitit, vt quaſi vniuerſum mundum ad Deum velle conuertere videretur. Nos, qui eiuſdem Seraphici Patris, licèt immeriti ſucceſſores, ipſius Ordinis clauum tenemus, ex noſtri muneris ratione teneri iudicamus, præclara ipſa pietatis opera, ad quæ vocati ſumus, promouere, ac ipſa pro viribus Iuuare, & Fratribus, qui Spiritu Dei acti eiſdem fructuosè incumbunt, de medijs opportunis ad id feliciùs, & conſtantiùs præſtandum prouidere.

Dum itaque non ſolùm plurium virorum virtute, doctrina, ac nobilitate præſtantium ſincera informatione, ſed etiam conſtanti fama, ipſaque rei notorietate Nobis plenè conſtet, Te animarum Deo lucrandarum, zelo feruentem, cum alijs eiuſdem ſpiritus Fratribus, quos de licentia ſuorum Superiorum ad id operis tecum in ſocios aſſumpſiſti; per plures annos in his Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, officium Prædicatorum Miſſionariorum nedum annuentibus, verùm vocantibus, & poſcentibus Eccleſiarum Prælatis exercuiſſe; diſcurrentes per omnes ferè eorundem Regnorum Ciuitates, & Oppida, more verè Apoſtolico pedites, ſine calceamentis, ſiue pera &c. omnimoda temporalium rerum, & mundani faſtus abdicatione, ex ſola mendicatione parcè victitantes, pœnitentiam peccatoribus prædicando; & eorum confeſſiones audiendo, inimicitias ſedando, rudes in Doctrina Chriſtiana inſtruendo, & proficientes in via ſpiritus dirigendo, tanta Populi Chriſtiani ædificatione, ac animarum fructu, vt ſola Omnipotentis Dei manu, qui ſolus magna, & mirabilia per vilia, & abiecta inſtrumenta operari conſueuit, id fieri potuiſſe comprobetur.

Idcirco vt exercitium adeo fidelibus proficuum, Chriſtianæ charitati, & inſtituto noſtro conforme, in his Regnis non ſolùm conſeruetur, ſed etiam radicetur, & promoueatur; Nobis, de aliquorum Patrum doctrina, & virtute præditorum conſilio, opportunum, & congruentiſſimum medium viſum eſt, Vobis concedere aliquem operi ipſi commodum Conuentum, qui ſit huius ſancti exercitij ſchola, & Prædicatorum Miſſionariorum Seminarium, in quo ſpiritu, & doctrina Tirones informentur, roborentur veterani, ad quem poſt Miſſionum labores, temporibus ad ipſas non opportunis, pro viribus corporis, & ſpiritus reficiendis, reuertantur, & ex quo cum obedientiæ merito, viribus corporis vtcumque reſumptis, & nouo ſpiritus concepto feruore, armati, iterum in diuerſas plagas, ad Verbum Dei diſſeminandum prodeant.

Et quia ad hæc omnia præſtanda, Conuentus S. Antonij de Baratoxo, Prouinciæ Algalbiorum Regularis Obſeruantiæ, valdè commodus viſus eſt, tum ob ſitus ſolitudinem, & à negocijs temporalibus abſtractionem, tum ob faciliorem acceſſum, & receſſum pro expediendis miſſionibus; ipſum

ipſum prædicto effectui duximus conſignandum. Quod vt indubitata authoritate, perpetuaque firmitate fiat, præſentium tenore tibi noſtram Paternam benedictionem, & facultatem concedimus, vt tanquam Ordinis noſtri honorabile negotium, prædictum Conuentum S. Antonij de Baratoxo, à S. Sede Apoſtolica tibi, & tuis Socijs pro prædicto effectu petere valeas, noſtrum conſenſum tribuimus, & authoritate Miniſtri Generalis, qua fungimur, bono communi Ordinis conſulentes, prædictæ Prouinciæ noſtræ Algarbiorum conſenſum, in quantùm poſſumus, ſupplemus; hæc autem concedimus ſub conditionibus, & ordinationibus ſequentibus in prędicto Conuentu omninò obſeruandis, niſi aliter à prædicta S. Sede fuerit diſpoſitum.

Prima, quòd prædictus Conuentus in Seminarium erectus, nullius Prouinciæ ſit, quantùm ad regimen; ſed immediatè ſubſit Prælato Generali ex Ciſmontana familia aſſumpto, nempè Miniſtro, aut Commiſſario Generali reſpectiuè; habeat tamen commercium fraternitatis cum aliqua ex Prouincijs in his Portugalliæ Regnis conſiſtentibus, quantùm ad ſuffragia pro defunctis Fratribus, ita vt Conuentus ipſe, & Fratres in eo commorantes celebrent officia, & miſſas, iuxta Statuta pro quolibet Fratre illius Prouinciæ filio decedente, & viciſſim à ſingulis Conuentibus, & Fratribus Prouinciæ eadem celebrentur pro quolibet Fratre prædicti Conuentus, ſeu Seminarij vbilibet moriente.

Secunda, vt in prædicto Seminario triginta tantùm Fratres de familia admitti poſſint, quin hic numerus valeat vnquam augeri; Ex quibus viginti ſex ſint Sacerdotes Miſſionarij, tredecim Prædicatores, & tredecim Confeſſarij; quatuor reliqui ſint Laici pro Conuentus ſeruitio, & eleemoſynarum frequenti collectione.

Tertia, quòd electio Guardiani fiat à Miniſtro, aut Commiſſario Generali reſpectiuè ex tribus eiuſdem Seminarij Patribus, per ſecreta ſuffragia omnium Sacerdotum profeſſorum communitatis canonicè eligendis, & Prælato Generali præſentandis; Guardianus autem per triennium tantùm in officio durare poterit, & liberum erit Prælato Generali in dimidio triennij ipſum ab officio abſoluere, ſi ipſi conſtiterit, officio non ſatisfacere, habita informatione pro ſua conſcientia ſine ſtrepitu iudiciali, ſicut fit in toto Ordine à Congregationibus intermedijs.

Quarta, quòd in Seminario ſint quatuor Diſcreti pro grauioribus eius negocijs tractandis, qui ſemper erunt quatuor Miſſionarij in officio Miſſionis antiquiores, & in abſentia cuiuſlibet, pro tempore abſentiæ, alius, prioribus in antiquitate Miſſionarijs immediatus, ſubſtituatur.

Quinta, quòd à Guardiano, & diſcretis vnus ex Patribus Miſſionarijs eligatur in Vicarium Conuentus, ſeu Præſidem in communitatibus, & gubernio in abſentia Guardiani, qui etiam in caſu mortis Guardiani Conuentum gubernabit, vſque ad noui Guardiani electionem. Tenebitur tamen ſub pœna priuationis ipſo facto ſui officij, die octauo à morte Guardiani conuocatis Patribus abſentibus, qui intra illud tempus haberi poterunt, communitatem pro præſentatione, vt ſupra Generali facienda, congregare. In abſentia Guardiani, & Vicarij, antiquior Diſcretus in Communitatibus, & Conuentu præſideat.

Sexta, quòd Guardianus cum conſilio, aſſenſu, & approbatione Diſcretorum, poſſit recipere de familia in prædictum Seminarium iuxta numerum præſcriptum, Religioſos ex quacumque Ordinis Prouincia, qui ſe Sancto Miſſionum exercitio tradere cupiunt; dum tamen iam ſint in ſuis Prouincijs inſtituti Prædicatores, aut ſæcularium confeſſarij, ſintque bonæ famæ, & integræ vitę, ſanę, ſufficientis doctrinę, & talis corporis valetudinis, vt peregrinationes, & labores Miſſionum valeant ſuſtinere, quorum receptionem nullus inferior Prælato Generali poſſit impedire. Ipſi autem ſic recepti non poterunt, niſi poſt expletum in Seminario annum ad Miſſiones admitti, nec ſuffragium in Communitate habere; poſſit etiam Guardianus de conſilio Diſcretorum recipere Fratres Laicos, ex quacumque Prouincia, qui ſint deuoti, probatæ vitæ, & omnino apti pro officijs in Seminario exercendis à Laicis, quorum receptio ſimiliter à nullo inferiori Generalibus poſſit impediri.

Septima, quòd Guardianus habeat facultatem recipiendi Nouitios, dum tamen recipiendus, præter qualitates in Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Ordinis requiſitas, dederit probata ſigna ſpecialis vocationis, habeatque ſupra vigeſimum quartum ætatis annum, & vacauerit iam ſtudijs, vel Phyloſophiæ, vel Theologiæ Scholaſticæ, tali profectu, vt tutò poſſit Prædicator inſtitui, vel Sacrorum Canonum, aut Theologiæ moralis, & in ea adeo profecerit, vt poſſit iam iuſtam approbationem pro confeſſionibus ſæcularium audiendis obtinere, quod conſtare debet per rigidum examen diſcretorum, & eorum approbationem, ſine qua Guardianus nullum poſſit ad habitum recipere. Nouitij autem intra numerum ſupar

præ-

præfixum Fratrum Miſsionariorum debent contineri; itaut eo completo Guardianus nullum nec profeſſum, nec Nouitium poſſit in Seminarium admittere, quouſque aliquo deficiente, locus intra numerum vacet.

Octaua, quòd in dicto Seminario obſeruetur puriſsimè Regula Frarrum Minorum, tum quantùm ad paupertatem in communi, tum quantùm ad præcepta particularia, de qualitate, & numero veſtium, excalceatione, ieiunijs &c. & præcipuè de prouidendis ſingulis Fratribus, tam in ægra, quàm in ſana valetudine de omnibus neceſſarijs, iuxtà noſtrum ſtatum, ita vt omnes in communi viuant, & nullo caſu alicui Fratri permittatur habere, nec apud Syndicum Apoſtolicum, nec apud amicum ſpiritualem, cuiuſcumque ſit dominij, eleemoſynam pecuniariam pro ſuis particularibus neceſſiratibus.

Nona, qnòd indiſpenſabiliter ſingulis diebus per duas integras horas vacenr orationi mentali, alteram poſt primam, alteram poſt completorium: Officium autem diuinum dicant ſtatutis horis in Choro (ſine cantu tamen propter litterarum ſtudium ordinandum) cum pauſa conducente ad deuotionem ſine affectatione diuertente, cui, & Conuentuali Miſſæ, cæteriſque communitatibus omnes, nullo excepto, aſsiſtere, & intereſſe teneantur, ac omnes à Guardiano incluſiuè, ſucceſsiuè ſint hebdomadarij.

Decima, quòd ſingulis diebus habeant per duas horas lectiones, & conferentias: per vnam poſt Conuenrualem Miſſam de materia ad exercitium miſſionum conducente, vel de Theologia Miſtica; per alteram poſt Veſperas de Theologia morali, & caſibus conſcientiæ; à lectionibus autem ipſis nullus poſsit excuſari, nec à reddenda ratione de materia lectionis, ſi interrogetur.

Vndecima, quòd Miſsionarij tempore, quo in Seminario commorantur, pœnitentiam publicam in Refectorio faciant, ſi inuenti fuerint per Conuentum vagantes, aut otioſè colloquentes, cum debeat hoc receſſus tempore, vnuſquiſque in cella ſua ſtudijs ſuo exercitio conuenientibus vacare, dum communitatibus non adſtiterit. Proptereaque nulli egrediendi è Conuentu licentia concedatur, niſi ad aliquod vrgens pietatis opus ſuperiori notum, quouſque ad miſsiones iterum amandetur.

Duodecima, quòd nulli ſæculari permittatur ingreſſus ad interiora Conuentus, ſed in Clauſtro inferiori diſponetur aliqua camera honeſta, & deuota cum humilibus ſedibus, vbi viri ſæculares quærentes aliquem ex Patribus pro ſua ſpirituali conſolatione, excipiantur, & conſolentur.

Tertiadecima, quòd omnes prædicti Seminarij Patres, ſine aliqua inter ipſos notabili differentia, induant habitum exteriorem obſeruantium, iuxta eius Reformationem in vltima Congregatione Toletana factam, ad litteram obſeruandam, & in diſciplinis, ieiunijs extra Regulam, capitulis culparum, & alijs auſteritatibus, cæteriſque ad Regulæ, vitæ Monaſticæ, & Regularis diſciplinæ obſeruationem conducentibus Conſtitutionibus Generalibus Ordinis ſe conforment.

Quartadecima, quòd Guardianus, vel in eius abſentia, Præſes temporibus opportunis, aut quando neceſſarium iudicauerit, mittat Miſſionarios binos, & binos, Concionatorem cum Confeſſario, vt in vtroque munere fructificent, conſignando eis Ciuitates, Tractus, & Terras, in quibus ſinguli ſuas miſſiones facere debent, ita vt nullum maneat in prædictis Regnis Oppidum, quòd huius beneficij non fiat particeps. Relinquat tamen aliquos in Conuentu, qui communitatis exercitia expleant, & hi alijs reuertentibus mittantur.

Quintadecima, quòd ſi aliquis Miſſionariorum ſine legitima cauſa à diſcretis approbanda, ſe à miſſionibus, iuxta præſcriptum Guardiani faciendis, excuſauerit, vel in eis aliquid vltra victum moderatum acceperit, vel malum aliquod exemplum dederit, aut in Seminario pacem communitatis turbauerit, aut in aſſiſtendo communitatibus, & alijs exercitijs ſuprapoſitis explendis, notabiliter defectuoſus fuerit, & ſemel, ac iterum à Guardiano reprehenſus, non ſe emendauerit, Guardianus ipſe cum conſilio, & conſenſu Diſcretorum poſſit, ſi alicuius Prouinciæ filius fuerit, eum à Seminario expellere, & ad ipſam Prouinciam mittere, quæ ipſum recipere tenebitur ſub pena priuationis officij Prouinciali renuenti; Si verò in Seminario profeſſus ſit, teneatur monere Prælatum Generalem cum Diſcretorum voto in ſcriptis, vt illi de Prouincia, in qua moretur, prouideat.

Decimaſexta, quòd Prælatus Generalis teneatur per ſe, vel per ſuum Commiſſarium ad hoc ſpecialiter inſtituendum, viſitare prædictum Seminarium bis in ſingulis triennijs, & in ſingulis viſitationibus inquiratur ſigillatim de obſeruatione præmiſſarum omnium obſeruationum, & defectus, ſi qui fuerint, corrigantur, & iuxta eorum qualitates poſſit Prælatus ipſe Generalis procedere ad expulſionem miſſionariorum, & Guardiani priuationem; delegatus autem

ipſius

ipſius poſſit tantum ipſum Guardianum ſuſpendere, & adhibitis neceſſarijs correctionibus, Generalem de maiori remedio apponendo monere.

Vltima, quòd ſi aliquo tempore Conuentus ipſe relaxetur, & à perfectione, ad quam inſtituitur, defecerit, aut non fuerit cum effectu, & exercitio miſſionum Seminarium, Prouinciæ Algarbiorum, à qua ſumitur, iterum incorporetur; eiuſdemque regimini, ſicut cæteri Prouinciæ Conuentus ſubijciatur.

Sub his igitur Ordinationibus tibi præmiſſas facultates, & conſenſus tribuimus, monemuſque Te in Domino, vt ad opus Deo adeò placitum, fidelibus proficuum, & noſtro inſtituto conforme, Te accingas, ad quod tibi, & Socijs tuis Seraphici Patris Noſtri Franciſci benedictionem impartimur. Datum in Conuentu Noſtro de Caſtannera Prouinciæ Sancti Antonij in Luſitania, Regularis, & ſtrictioris Obſeruantiæ, die prima Decembris 1678.

Fr. Ioſeph Miniſter Generalis.

Loco † ſigilli.

Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, prædictus Antonius litteras Patentes huiuſmodi, quò firmiùs ſubſiſtant, & ſeruentur exactiùs, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri, & aliàs opportunè in præmiſſis à Nobis prouideri ſummopere deſideret. Nos ipſum Antonium ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus qomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus eius nomine nobis ſuper hoc humilitèr porrectis, præinſertas Patentes litteras cum omnibus, & ſingulis in eis contentis auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, confirmamus, & approbamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos iuris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus. Præterea eidem Antonio eiuſque Socijs Miſſionarijs prædictis, Conuentum Sancti Antonij de Baratoxo ſupradictum ad fines & effectus in iiſdem litteris Patentibus expreſſos, ac cum conditionibus, & ordinationibus in eis contentis auctoritate, & tenore præſentium concedimus, & aſſignamus; decernentes eaſdem præſentes litteras, ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectiuè in omnibus inuiolabilitèr obſeruari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, iudicari ac definiri deberè, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obſtantibus præmiſſis, Conſtitutionibus Apoſtolicis necnon Prouinciæ, & Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & Conſtitutionibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis; quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Maiorem, ſub annulo Piſcatoris, die vigeſimatertia, Nouembris anno quarto.

I. G. Sluſius.

Congregatio Generalis Romana anno 1679.

Tabula, & Conſtitutiones Congregationis Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia, & Reformatorum.

Celebratæ Romæ in Almo Aracælitano Conuentu die 20. Maij 1679.

PRÆSIDENTE.

Reuerendiſſimo Patre

P. Ioſeph Ximenes Samaniego totius Ordinis Sancti Franciſci Miniſtro Generali vigilantiſſimo.

SANCTISSIMO D. N.

INNOCENTIO XI.

Fælicitèr regnante.

F. Ioſeph Ximenes Samaniego totius Ordinis Fratrum Minorum Seraphici P. N. S. Franciſci Generalis Miniſter, & Seruus.

Vni-

Vniuerſis Patribus, & Fratribus, Superioribus, & Subditis noſtræ Ciſmontanæ Familiæ plurimùm in Chriſto Ieſu dilectis, ſalutem in Domino ſempiternam,

EA eſt hominis conditio, vt nunquam in eodem ſtatu permaneat, & cum ad malum prona ſit eius natura, ipſa mutabilitate plerumque, & à ſtatuta perfectione deficit, & in defectus non præcautos dilabitur. Hinc eis, quibus Religioſorum hominum ad perfectionis apicem directio incumbit, ne dum vtile, verùm perneceſſarium eſt, regulares leges inobſeruatas renouatione inſtaurare, dubias, declarationibus fulcire, & de nouo emergentibus malis, nouis ſtatutis occurrere. Hæc omnia accuratè præſtitit nupèr celebrata Congregatio Generalis huius Ciſmontanæ familiæ in ſuis iuxtà morem, de re Ordinis habitis maturè ſeſſionibus. Quæ vt optatum ſortiantur effectum, ipſa ſimul cum electionum ſerie Vobis intimamus, præcipientes omnibus Prouincialibus in virtute ſanctæ obedientiæ; vt ſinguli in ſingulis ſuæ Prouinciæ Conuentibus ea publicari faciant, & earum obſeruationi ſedulò inſiſtant; cæteriſque Fratribus, tam Prælatis, quàm Subditis, vt eadem prout vnicuique competit, opere compleant, ſub pœnis ibi impoſitis omninò exequendis iniungimus. Datum Romæ in noſtro Aracælitano Conuentu die v. Iunij 1679.

F. Ioſeph Ximenes Samaniego Miniſter Generalis.

Loco † ſigilli.

De mandato ſuæ Reuerendiſs. Paternitatis.
Fr. Hieronymus Soſa Secr. Gener. Ordinis.

Tabula, & Conſtitutiones Congregationis totius Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia, & Reformatorum nuperrimè celebratæ in Conuentu S. Mariæ de Aracæli Vrbis, die 20. Maij, Anno Domini 1679.

Sub Aſſiſtentia, & Præſidentia Reuerendiſſimi Patris F. Ioſeph Ximenez Samaniego totius Ordinis Fratrum Minorum Generalis Miniſtri.

Commiſſarius Generalis.

IN primis expleto, iuxtà Bullam Vnionis Leonis X. triennio Commiſſariatus Generalis Patris Reuerendiſſimi Franciſci Mariæ de Nicolis Cremonenſis, Exminiſtri Generalis; Reuerendiſſimus P. F. Antonius à Sancto Ioanne, Lector Iubilatus, ac Prouinciæ S. Angeli de Obſeru. Actualis Miniſter Prouincialis, omnium ferè Vocalium concurrentium ſuffragijs, in Commiſſarium Generalem huius Ciſmontanæ Familiæ, ritè, & canonicè electus eſt.

Pater, & Diffinitor Perpetuus totius Ordinis.

Reuerendiſſimus P. F. Franciſcus Maria de Nicolis Cremonenſis Exminiſter Generalis.

Procurator Generalis Ordinis in Curia Romana.

Adm. R. P. F. Petrus Eſporrin, Lector Iubilatus, S. Inquiſitionis Hiſpaniæ, & Supremæ huius Romanæ Vniuerſalis Qualificator, Prouinciæ Aragoniæ Pater, & Ordinis Exſecretarius Generalis.

Commiſſarius Generalis in Curia Romana.

Adm. R. P. F. Celſus Maria Billò de Senis, Prædicator Generalis, Lector Iubilatus, & Prouinciæ Thuſciæ de Obſeru. Miniſter actualis.

Procurator Generalis Reformatorum.

Adm. R. P. F. Bernardinus de Biſſiniano continuatur.

Diffinitores Generales.

R. A. P. F. Hieronymus à Velitris Lector Iubilatus, & Prouinciæ Romanæ de Obſeruantia Miniſter actualis.

R. A. P. F. Ioannes à Stronconio Theologus & Prouinciæ Obſeru. S. P. N. Franciſc Miniſter actualis.

R. A. P. F. Bonauentura à Iuliano Sacræ Theologiæ Lector, Prou. Reform. Terræ Laboris Exminiſter.

R. A. P. F. Cyrillus à Seniga Concionator Generalis, Prouin. Obſer. Brixiæ Miniſter actualis.

R. A. P. Baltaſſar à Meſſana Lector Iubilatus, Prou. Obſer. Siciliæ Exminiſter, & in Regno Siciliæ S. Officij Conſultor.

R. A. P. F. Petrus Antonius à Nereto Lector Iubilatus, & Prouinciæ Obſer. S. Bernardini Miniſter actualis.

R. A. P. F. Narciſus Hietel Lector Iubilatus & Prou. Reform. Auſtriæ Exminiſter.

R. A. A. P. F. Ioannes Baptiſta Gherzius à Genua Lector Theologiæ, & Prou. Reform. Ianuenſis Exminiſter.

R. A. P. F. Fortunatus Hueber Concionator Generalis, & Prouinciæ Reform. Bauariæ Miniſter actualis.

R. A. P. F. Ioannes Baptiſta Cattaneus Lector Iubilatus Prou. Obſeru. Bononiæ & Exſecretarius Generalis,

Guar-

Guardianus Ieroſolimitanus, & Terræ Sanctæ Cuſtos.

R.A.P.F.Petrus Marinus Sormanni Lector Generalis, & Prouinciæ Obſeru. Mediolanenſis Pater.

Sacræ Theologiæ Studia in Ordine ad Iubilationem, iuxtà Conſtitutiones Apoſtolicas Clemen. VIII. ac Vrbani VIII. & Lectores Generales pro Ciſmontana Obſeruantiæ Familia.

In Conuentu S. Mariæ de Arueali.

P.F. Angelus de Brixighella.
P.F.Ioannes Antonius à Panormo.
P.F.Matthæus à Meſſana.

In Conuentu S. Franciſci Peruſij.

P.F.Stephanus à Bettona.
P.F.Franciſcus à Burgo S.Sepulchri.
P.F.Ioſeph à Tiferno.

In Conuentu S. Mariæ Nouæ Neapolis.

P.F.Franciſcus de Sueſſa.
P.F.Angelicus à Neapoli.
P.F.Ioannes Iacobus Romanus.

In Conuentu Omnium Sanctorum Florentiæ.

P.F.Ioſeph Maria de Ponſeuio.
P.F.Gabriel Maria à Senis.
P.F.Fabius de Foroliuio.

In Conuentu Sanctiſſimæ Annunciationis Bononiæ.

P.F.Bonauentura à Fauentia.
P.Franciſcus à Mutina.
P.F.Petrus Franciſcus à Bononia.

In Conuentu S.Franciſci Paduæ.

P.F.Hieronymus à Verona.
P.F.Clemens à Moroſtica.
P.F.Andreas Stella.

In Conuentu Sanctiſſimæ Annunciationis Genuæ.

P.F.Cherubinus à Linguelia.
P.F.Thomas à Genua.
P.F.Antonius ab Antroduco.

In Conuentu S.Angeli Mediolani.

P.F.Cæleſtinus à Mediolano.
P.F.Dominicus Franciſcus à Soncino.
P.F.Ioſeph Maria Mazetti.

In Conuentu S.Mariæ Angelorum Panormi.

P.F.Benedictus à Panormo.
P.F.Alexander à Careno.

P.F.Felix à Panormo.

In Conuentu S. Bernardini Aquilæ.

P.F.Lucius à Petritoli.
P.F.Deſiderius à Luca.
P.F.Ioannes Maria à Caſtilento.

In Conuentu S. Didaci Neapolis.

P.F.Ioannes Baptiſta ab Antina.
P.F.Bonauentura à Maiori.
P.F.Martinus à Berrain.

In Conuentu S. Franciſci Anconæ.

P.F.Antonius à Cartoceto.
P.F.Antonius à Taramella.
P.F.Ioannes Baptiſta à Salerno.

In Conuentu S. Franciſci Lucæ.

P.F.Paulus de Senis.
P.F.Hieronymus à Maſſa.
P.F.Ioannes Maria à S.Cruce.

In Conuentu S. Antonij Lycij.

P.F.Bernardinus ab Alrilia.
P.F.Gulielmus à Panormo.
P.F.Franciſcus ab Iſchitella.

In Conuentu S. Franciſci Coſentiæ.

P.F.Bonauentura à Taberna.
P.F.Ioannes Baptiſta à Montopoli.
p.F.Chriſantus à Monterculeo.

In Conuentu S. Franciſci Cracouiæ.

P.F.Ludouicus Brikner.
P.F.Samuel Szyboroski.
P.F.Florianus Cicharonoski.

In Conuentu S. Mariæ Ieſu Meſſanæ.

P.F.Dominicus à Morano.
P. F.Cherubinus à Genua.
P.F.Sebaſtianus à Beneuento.

In Conuentu Ieſu Mariæ Foggiæ.

P.F.Franciſcus Antonius à Foggia.
P.F.Ioannes Baptiſta à Manfredonia.
P.F.Ioſeph.Maria à Liberano.

In Conuentu Lublinenſi.

P.F.Ambroſius Bigleuuiecz.
P.F.Ambroſius Barckaman.
P.F.Franciſcus Sulcz.

In Conuentu S. Mariæ Ieſu Mentis Leonis.

P.F.Franciſcus à Verulis.
P.F.Marcellus à Panormo.
P.F.Didacus à Pizio.

In Conuentu S.Ioſeph Brixiæ.

P.F.Franciſcus à Gabiano.

P.F.Angelus à Caſtrizato.
P.F.Angelus Maria de Venetijs.

In Conuentu S.Thomæ Taurini.

P.F.Bartholomæus à Carmagnola.
P.F.Franciſcus à Monteforti.
P.F.Franciſcus Quareſmius à Lauda.

In Conuentu S. Bernardini Alexandiæ.

P.F.Daniel ab Aquis.
P.F.Deſiderius à Mediolano.
P.F.Conſtantinus à Mediolano.

In Conuentu S. Spiritu Ferrariæ.

P.F.Saluator à Foroliuio.
P. F.Ioannes Franciſcus à Caſtro S.Petri.
P.F.Antonius Franciſcus de Bononia.

In Conuentu S. Annę Varſauiæ.

P.F.Valerianus Teuuardouuicz.
P.F;Carolus Praſnenſis.
P.F.Andreas Paſczynski.

Studia nouiter erecta in ordine ad Iubilationem.

In Conuentu S. Mariæ Ieſu Moticæ.

P. F.Bonauentura à Terra Noua.
P.F.Angelicus à Spaccafurno.
P.F.Ioannes Maria à Panormo.

In Conuentu S.Marie Nouæ Fani.

P.F.Antonius à Roſara.
P.F.Hieronymus à Guaſtalla.
P.F.Hieronymus à Laurino.

In Conuentu S. Franciſci Baſtiæ.

P.Auguſtinus à Petreto.
P.F.Alexander ab Occhiatana.
P.F.Iulianus à S.Lucia.

In Studijs Generalibus non ordinatis ad Iubilationem.

In Conuentu S.Franciſci Mantuæ.

P.F.Ferdinandus à Sanguineto.
P.F.Vincentius à Raguſio.
P.F.Paſchalis à Bruxellis.

In Conuentu Paradiſi Viterbij.

P.F.Dionyſius à Lerono.
P.F.Antonius à Dalmatia.
P.F.Laurentius à Laurentio.

In Conuentu S. Franciſci Raguſij.

P. Hyacintus à Raguſio.
P.F.Auguſtinus Flauius Macedoniech.
P.F.Dominicus à Bitonto.

In Conuentu S.Crucis Piſarum.

P.F.Michael Angelus à Florentia.
P.F.Franciſcus Maria de Caſtro Franco.
P.F.Ioſeph de Fabricis.

In Conuentu S.Mariæ Tarſati.

P.F.Sigiſmundus Sigonius.
P.F.Antonius Kraa.

In Conuentu Poſnanienſi.

P.F.Stephanus Bigdoſtianus.
P.F.Franciſcus Radanoski.
P.F.Alexander Coſimus.

In Conuentu S. Mariæ Drepani.

P.F.Bonauentura à Termis.
P.F.Antonius à Ieſu.
P.F.Franciſcus à Floro.

In Conuentu S.Mariæ Melitæ.

P.F. Antonius à Lipari.
P.F.Marinus à Careno.
P.F.Felix ab Aula.

In Conuentu S. Mariæ Magdalenæ Auerſæ.

P.F.Franciſcus à Neapoli.
P.F.Franciſcus à Pumiliano.
P.F.Nicolaus Cres.

In Conuentu S. Antonij Titi.

P.F.Michael Angelus à Neapoli.
P.F.Ioannes à Monte S.Paulo.
P.F.Carolus à Tiro.

In Conuentu S.Franciſci Zagabriæ.

P.F.Alexius Buſacouix.
P.F.Ægidius Vicih.
P.F. . . . . . .

In Conuentu S. Andreæ Barlettæ.

P.F.Bonauentura à Mineruino.
P.F.Angelus Maria à Neapoli.
P.F.Ioannes à Mulfitto.

In Conuentu S.Angeli Cremonæ.

P.F.Antonius ab Arimino.
P.F.Angelus à Foroliuio.
P.F.Ioſeph Franciſcus de Parma.

In Conuentu S. Franciſci Laudæ.

P.F.Bartholomæus à Lauda.
P.F.Clemens à Mediolano.
P.F.Hieronymus à Modoetia.

In Conuentu S.Hieronymi Viennæ.

P.F.Fulgentius Haſſl.
P.F.Lambertus Lambreſch.
P.F.Vvolfangus Plokner.

In Conuentu S.Mariæ ad Niues Pragæ.

P.F.Antonius Harttamann.

P. F.

P.F.Amandus Hermann.
P.F.Sebaſtianus Scambogen.

In Conuentu S. Franciſci Mirandulæ.

P.F.Reginaldus à Mirandula.
P.F.Hieronymus à Iouijs.

In Studijs Generalibus nouitèr erectis.

In Conuentu S.Franciſci Cauæ.

P.Angelus à Monte Coruino.
P.F.Antonius à Ciſonio.
P.F.Gregorius à Neapoli.

In Conuentus S.Crucis Maceratæ.

P.F.Angelus à Ragiolo.
P.F.Iſidorus à Mediolano.
P.F.Antonius Flaccus.

In Conuentu S. Mariæ Gratiarum Campibaſſi.

P.F.Gulielmus à Foggia.
P.F.Aloyſius à Cupertino.

In Conuentu S.Antonij Theatæ.

P.F.Saluator à S.Omero.
P.F.Angelus à S.Demetrio.
P.F.Angellus à Neapoli.

Conſtitutiones, & Decreta huius Congregationis.

Pro tota Familia.

1 Congregatio Generalis ſtatuit, ne in poſterum, quis in Diffinitorem Generalem eligi poſſit, niſi ſit de corpore ipſius Capituli, ideſt in eo ſuffragium habeat, vel actu ſit Secretarius Generalis Familiæ; & vltra hoc habeat conditiones in ſtatutis generalibus Familiæ preſcriptas, vt habetur in noua Compilatione cap.8. §.26. num.7., reuocata conſtitutione ibidem num.8.; & cum officium Diffinitoriatus Generalis ſit inſtitutum pro maioribus Religionis negocijs expendendis, & Prouinciarum controuerſijs iudicandis, & dirimendis; declaratur ad huiuſmodi officium aſſumi non poſſe, qui in Sacra Theologia, ſubſtantialibus Iuris, Conſtitutionibus Ordinis, & doctrina regulari non ſit apprimè verſatus.

2 Statutum Generale prohibens, ne duo ex eadem cognatione Diffinitorij ſimul intereſſe poſſint, declaratur, extendi tantùm ad primum, & ſecundum gradum incluſiuè.

3 Cum reſidentia Superiorum Prouincialium in ſuis Prouincijs, ſit iuri Diuino, & Canonico conformis, totieſque præcepta, cui alterius Prouinciæ viſitatio omninò opponitur, declaratur iuxta Decret. à S.Congregat.Regul.die 28.Iulij Anno Domini 1645.emanatum, nullum Miniſtrum, aut Vicarium Prouincialem actualem poſſe inſtitui Commiſſarium Viſitatorem alterius Prouinciæ, inſtitutionemque ipſam eſſe irritam, & nullam.

4 Vt ſupellectilia, & alia à Fratribus defunctis derelicta, congruè, ac fideliter diſtribuantur, præcipit Diffinitorium Generale, vt defuncto aliquo Religioſo, ſtatim à Guardiano, & Diſcretis fiat inuentatium omnium, quæ ille ad ſuum vſum habebat, & in loco firmiter obſerato collocentur, & claudantur, vſque ad aduentum Prouincialis, qui viſo inuentario, de rebus illis ſequenti modo diſponet. Si Frater defunctus fuerit in Infirmaria, eidem applicentur omnes panni linei, ſeu ex tela confecti: ſi autem extra Infirmariam mortuus ſit, applicentur Communitati Conuentus, vbi defunctus de Familia morabatur. Cui etiam Communitati conſignabuntur omnia lanea veſtimenta. Libri in eiuſdem Conuentus Bibliotheca reponentur, & ſi fortè aliquid pecuniæ reperiatur, Prouincialis faciat eam deponi apud Syndicum Apoſtolicum Prouinciæ, pro neceſſarijs ſumptibus, communibuſque Prouinciæ indigentijs, ſumpto à Guardiano, & Diſcretis Conuentus teſtimonio de quantitate, vt ſuo tempore rationem de illa tribuere poſſit; Et idem obſeruetur, ſi aliquid aliud conſiderabilis pretij inueniatur; Picturæ ſi fortè ſint, in Sacriſtia collocentur. Res autem minoris momenti inter Fratres eiuſdem Conuentus de conſilio Guardiani diuidantur; ſi autem, vel Miniſtri Prouinciales, vel Guardiani aliter fecerint, aut de rebus defuncti aliter diſpoſuerint, ſuſpenſionem officij ad ſemeſtre incurrant.

5 Eiſdem Prouincialibus ſtrictè præcipitur, vt finito triennio, coram Præſide Capituli, & nouo Diffinitorio rationem reddant omnium eleemoſynarum communium Prouinciæ, ſupellectilium defunctorum, & cæterarum rerum, quarum adminiſtrationem in ſuo triennio habuerunt; Et ſi qui rationem huiuſmodi non reddidiſſe, aut infideles reperti fuerint, priuatione actuum legitimorum pro culpæ qualitate puniantur.

6 Præcipit Diffinitorium Generale ſub priuatione officij, vt illi, qui Lanificij Prouinciarum curam habent, in quolibet Capitulo, & Congregatione rationem de adminiſtratione facta reddant, & ſuos libros computuum exhibeant, vt de eorum fidelitate Diffinitorio conſtet. Item præcipitur

tur ſub eadem pœna, vt Aromatarij in ſingulis viſitationibus tam Prouincialis, quàm Commiſſarij Viſitatoris, coram ipſis, ſimul cum Guardiano, & Diſcretis Conuentus rationem reddant acceptorum, & expenſarum, & ſtatus, in quo Aromataria inuenitur.

7 Diſtrictè præcipitur, vt Conſtitutio Generalis aliàs edita de oppoſitione facienda pro inſtitutione Lectorum Artium omnino ſeruetur, vt iacet in noua Compilat. Statutorum cap.5.§.5. per totum. Et cum illa ſit forma Lectores Artium inſtituendi, declaratur nullum Lectorem, qui ipſa non ſeruata in poſterum inſtituetur, eſſe legitimè, & validè inſtitutum, ac proindè lecturam aliter inſtituti, non poſſe ſibi ad Iubilationem computari, nec ad gradum lecturæ ſexennalis; Inter Reformatos verò, qui poſtmodum aliter inſtitutus deprehendatur, lectura omnino priuetur, vel à Diffinitorio Prouinciæ, vel à Prælato Generali. Quo ad modum concurſus, & inſtitutionis Lectorum Artium; Reformati, apud quos non ſunt ſtudia generalia, obſeruent contenta in prædicta Conſtitutione. Apud Obſeruantes autem, vbi ſtudia Generalia, & Prouincialia habentur, fiat ſub hac diſtinctione; Pro ſtudijs Philoſophiæ Prouincialibus, fiat à Miniſtro Prouinciali, & Iudicibus electio Lectorum eo modo, quo in Conſtitutione ipſa præſcribitur; Pro ſtudijs autem, ſeu ſeminarijs Generalibus, admiſſis ad oppoſitionem, etiam exteris, qui ſtuduerunt in ſtudijs Generalibus illius Prouinciæ, per vota ſecreta qualificentur digniores concurrentium, vnuſquiſque in ſuo gradu, excluſis indignis; & qualificatio ab omnibus Iudicibus ſubſcripta tranſmittatur ad Prælatum Generalem, vt ſic approbatis, iuxta ſuum gradum eligat Lectores Philoſophiæ tam pro ipſis ſtudijs, ſeu ſeminarijs Generalibus, quàm pro alijs, quæ indiguerint.

8 Prohibet Diffinitorium Generale ſub pœna priuationis actuum legitimorum per biennium, ne quis, prædicto modo Lector inſtitutus non fuerit pro determinato ſtudio, vel ſeminario, Lectoris ſibi nomen arroget, nec ab aliquo talis appelletur. Et reuocat omnes litteras patentes cuiuſcumque Prælati Ordinis, in quibus aliter inſtituti, aut nominati ſint Lectores, niſi per triennium iam legerint, aut actu legant, & ſub eadem pœna præcipitur, ne illi, qui actu non exercent prædicationis officium, vel illud per triennium non exercuerint, Prædicatores appellari poſſint, reuocata etiam qualibet illorum in Prædicatores inſtitutione.

9 Prohibet Congregatio Generalis, ne quis inſtitui poſſit Lector Artium, nec Prædicator, qui ſacro Presbyteratus ordine non ſit inſignitus.

10 Vt Lectores inutiliter non multiplicentur, præcipit Diffinitorium Generale, vt ſequens numerus omnino obſeruetur, excluſis ſupernumerarijs, quacumque Prælatorum authoritate collocati ſint. In vnoquoque ſeminario, aut Philoſophiæ ſtudio vnus tantùm Artium Lector collocari poſſit. In ſtudijs Generalibus Theologiæ tam primæ, quàm ſecundæ claſſis, tres tantùm Lectores Theologiæ permittantur. In Prouincialibus Obſeruantiæ duo tantùm ſint, remoto tertio, ſi adſit; Inter Reformatos autem in ſtudijs Theologię, vbi Studentes ad duodenarium numerum perueniunt, tres poterunt Theologiæ Lectores collocari; in quibus autem duodecim Studentes ſimul non extant, duo ſolummodò erunt Theologię Lectores.

11 Declaratur, quòd Lectores Theologiæ in Conuentibus, vbi legunt, abſente Guardiano, Vicario, aut Præſide ab ipſo delegato, ſi non adſit in Conuentu alius, qui iure ipſos præcedat, debent præſidere in Conuentu ipſo, & eius Communitatibus, iuxta Statutum Generale Toletanum de Anno 1658. Lectores caſuum conſcientiæ, qui duobus tantùm diebus in hebdomada legunt, illis tantùm exempti ſint à Choro.

12 Decernit Diffinitorium Generale, quòd Prouinciales ſub pœna ſuſpenſionis ſui officij per bimeſtre, non permittant ſuos Religioſos ad ſtudendum in alias Prouincias pergere, niſi priùs eos, cum toto, vel parte Diffinitorij, vel eo abſente cum aliquibus Lectoribus examinauerint. Et ſi quos idoneos non repererint, eorum inſufficientiam Prælato Generali repræſentent, nec ſine nouo eiuſdem ordine licentias eundi permittant; quos autem aptos inuenerint, dimittant cum litteris teſtimonialibus de examine, & approbatione, ſine quibus litteris, aut nouo, & ſpeciali Prælati Generalis ordine, Superiores Prouinciarum, ad quas tranſmittuntur, non poſſint ſub eadem pœna eos recipere, ſed protinus eos ad ſuas Prouincias remittant. Pro illis autem, qui in proprijs Prouinçijs ad Sacræ Theologiæ ſtudium promouendi ſunt, obſeruetur omnino Statutum Generale cap.5. §.4. num. 22. De curſu Philoſophiæ completo, & examine facto.

13 Vt inconuenientibus, ex alijs diſpoſitionibus ortis occurratur, Diffinitorium Generale determinat, ac præcipit, quòd

quòd Studentibus, qui in alienis Prouincijs ſtudiorum cauſa morantur, propria illorum Prouincia de veſtimento,& alijs neceſſarijs prouideat, modo regulæ noſtræ conuenienti: Onus verò prouidendi ſuis Prouincialibus imponitur, qui ex communibus Prouinciæ eleemoſynis, ad indicium Diffinitorij colligendis, huic obligationi ſatisfacient, ſub pœnis Prælatis non prouidentibus ſuis ſubditis de neceſſarijs in Statutis Generalibus impoſitis. Lectoribus autem actu in aliena Prouincia legentibus, illa ipſa, in qua legunt, veſtimentum tribuet, vti proprijs filijs facere ſolet, ſub eadem pœna Prælatis negligentibus.

14 Declaratur, quòd Suggeſtus Generales, pro quibus ad Prælatos Generales de Prædicatoribus prouidere pertinet, ſunt ſequentes, videlicet ex Cathedralibus,

Cathedralis Florentiæ.
Cathedralis Baſtiæ in Corſica.
Cathedralis Goritiæ.

Ex Eccleſijs in Ordine.

S. Mariæ de Aracæli in Vrbe.
S. Mariæ Nouæ (Neapolis.
S. Didaci (
S. Franciſci de Vinea Venetiarum.
Sanctiſſimæ Annunciationis Genuæ.
Viridarij Mediolani.
S. Mariæ Angelorum Panormi.
S. Franciſci Magni Patauij.
S. Thomæ Taurini.
S. Franciſci Mantuæ.
Sanctiſſimæ Annunciationis Parmæ.
S. Ioſeph Brixiæ.
S. Bernardini Aquilæ.
S. Spiritus Ferrariæ.
S. Apollinaris Rauennæ.
Dominæ Noſtræ Liburni.
S. Blaſij Vicentiæ.
S. Bernardini Veronæ.
S. Franciſci de Caua.
S. Mariæ Montis Leonis.
S. Franciſci Lucæ.
S. Bartholomæi Vrbis.
S. Lucæ Cremonæ.
S. Franciſci Laudæ.
S. Franciſci Viadanæ.
S. Franciſci Clauaris.

15 Prædicatio autem in prædictis ſuggeſtibus per tempus à Conſtitutione Generali præſcriptum declaratur ſufficiens pro obtinendo titulo Prædicatoris Clariſſimi, dum tamen per teſtimonia authentica conſtet, ipſam præclarè, & cum Religionis honore in effectu habitam fuiſſe, neminemque non exhibitis,& approbatis authenticis teſtimonijs prædictis, poſſe Prædicatorem Clariſſimum denunciari.

16 Decernit Diffinitorium Generale, vt nullus Concionator poſſit extrà ſuam Prouinciam conciones facere, niſi de licentia Superioris Generalis, cum aſſignatione loci determinati, vbi habiturus eſt conciones, aut de licentia tam ſui Prouincialis, quàm alterius, in cuius diſtrictu prædicaturus eſt, cum determinatione loci: Licentiam autem ſine prædicti loci determinatione conceſſam nullus Prælatus exequi permittat, non conſulto de nouo Superiore Generali.

17 Prouinciales Miniſtri, ſub pœna ſuſpenſionis ſuorum officiorum per ſex menſes mittant notitias hiſtoricas ſuarum Prouinciarum, aliàs à Reuerendiſſimo Miniſtro Generali per ſuas patentes litteras requiſitas, vt in decorem Religionis, eiuſdem hiſtoriæ proſequantur.

18 Vt labor in hiſtoria generali componenda, adeò Religioni noſtræ proficuus, aliquo præmio muneretur, ſtatuit Congregatio Generalis, vt Chronologus Generalis Ordinis, poſt editum opus aliquod, Reuerendiſſimi P. Miniſtri Generalis iudicio condignum, gaudeat titulo, & præcedentia Patris Prouinciç immediatè poſt Exprouinciales.

19 Decernitur, quòd Nouitius, qui non habet vltra medietatem ſuffragiorum Communitatis, ſtatim debeat expelli ſecundùm Decretum Innocentij X., neque ſit in arbitr o Miniſtri Prouincialis illum retinere, & hoc tam pro prima, quàm ſecunda, & tertia vice, quibus ſumuntur ſuffragia.

20 Declaratur, quòd Excuſtos modernior aliquo Ex-diffinitore, ſicut hunc præcedit, ita debet etiam illi anteferri in ſubrogatione, vel ſubſtitutione in defectu alicuius Diffinitoris actualis.

21 Congregatio Generalis commendat Officialibus Curiæ, vt procurent apud Sacram Congregationem Rituum, pro maiori Dei gloria, & honore Religionis noſtræ.

Primò, vt feſtum Immaculatç Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ celebretur ſub ritu duplicis primæ claſſis, vt Compatrona totius Religionis.

Secundò, vt ex Bullis Sixti IV.& V. de Canonizatione, & Doctoratu Sancti Bonauenturæ, addatur tertia lectio ſecundi nocturni Breuiario Romano apponenda.

Tertiò, vt ex lectione Sanctæ Claræ exiſten-

exiſtente in Breuiario Romano, & ex Bulla Canonizationis ipſius componantur tres lectiones, & eidem Breuiario Romano apponantur.

Quartò, vt lectiones propriæ Sancti Didaci, quæ in Diœceſi Toletana recitantur cum officio eiuſdem Sancti ponantur in Breuiario Romano.

Quintò, quòd officium proprium Beati Guidonis Confeſſoris Ordinis Noſtri, quòd in Diœceſi Cortonenſi ex indulto Apoſtolico recitatur, extendatur vniuerſaliter ad Ordinem noſtrum.

Sextò, vt officium proprium Beatæ Catharinæ, conceſſum Conuentui SS. Corporis Chriſti, Bononienſi, & toti Diœceſi extendatur ad Ordinem noſtrum.

Septimò, quòd concedantur etiam pro Ordine noſtro lectiones ſecundi nocturni propriæ, referentes martyrium Beatorum Martyrum Petri, & Sociorum eius Iaponenſium, quas ex hiſtorijs Religionis, & ex proceſſibus componi procurabunt.

Octauò, quòd officium Sancti Benuenuti Auximani, quod in eadem Diœceſi recitatur, extendatur ad vniuerſum Ordinem noſtrum, quem ipſe Sanctus, dum viueret profeſſus eſt.

Nonò, quòd officium Beati Lucheſij Tertij Ordinis S.P.Franciſci, quod ex indulto Apoſtolico Patres Tertij Ordinis recitant, ad vniuerſum Ordinem noſtrum extendatur.

Decimò, vt officium Beatæ Margharitæ de Cortona, iam ſub ritu ſemiduplici conceſſum ab Vrbano VIII., apponatur ſub ritu duplici cum lectionibus proprijs in ſecundo nocturno.

Pro Obſeruantibus.

32 Præcipit Diffinitorium Generale, vt omnino executioni mandetur in qualibet Prouincia Statutum generale in noua compilar. poſitum cap. 3. §.53. num. 11. quòd Lectores Sacræ Theologiæ pro tempore, & loco, quo actu legunt, præcedant Secretarios Curiæ Romanæ, Secretarios Prouinciarum, Excuſtodes, & Exdiffinitores, non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium.

23 Studium generale Sancti Franciſci Baſtiæ in Corſica fit primæ claſſis. Studium Sanctæ Mariæ de Campobaſſo Prouinciæ Sancti Angeli de Obſeruantia inſtituitur generale ſecundę claſſis. Studium Sancti Franciſci Cauæ Prouinciæ Obſeruantis Principatus, fit generale ſecundæ claſſis. In Conuentu Sancti Antonij Theatæ, Prouinciæ Obſeruantis Sancti Bernardini inſtituitur ſtudium generale ſecundæ claſſis. Studium prouinciale Theologiæ Sanctæ Crucis Maceratæ, fit generale ſecundæ claſſis, & ſtudium Sanctæ Mariæ Nouæ Fani, quod erat generale ſecundæ claſſis, declaratur primę claſſis, ambo in Prouincia Obſeruantiæ Marchiæ.

Pro Terra Sancta.

24 Congregatio Generalis ſtatuit, vt Commiſſarij Terræ Sanctæ deinceps non accedant ad Capitula, & Congregationes generales, propter rationes reddendas de eleemoſynis à ſe collectis, & in Ieroſolymam tranſmiſſis: ſed rationes ipſas, ſeu computus producant, & legitimenr coram Miniſtro Prouinciali, & Diffinitorio Prouinciæ, in qua ſunt; Et deindè legitimatas, & ſubſcriptas, clauſas, ac ſigillo Commiſſariatus munitas, Patri Cuſtodi eiuſdem Prouinciæ tradant, qui eas ad Comitia Generalia tranſportare teneatur, vbi de nouo examinabuntur, & de fidelitate, & diligentia iudicium feretur, reuocata quacumque conſtitutione in contrarium.

25 Item prohibet Congregatio Generalis prædictis Commiſſarijs Terræ Sanctæ, ne in poſterum poſſint mittere Hieroſolymas aliquem, vel aliquos Fratres cum eleemoſynis à ſe collectis; ſed prædicti Commiſſarij eas tranſmittant ad Syndicum Apoſtolicum Terræ Sanctæ, vel Liburni, vel Meſſanæ, vel Venetiarum, ſecundùm vniuſcuiuſque maiorem proximitatem: Moneantque Prælatum Generalem in his partibus Ciſmontanis commorantem, de eleemoſynis à ſe, ad prædictos Syndicos tranſmiſſis, vt ipſe tempore opportuno Religioſum probum, & fidelem deputet, qui prædictas eleemoſynas, vt præmiſſum eſt, collectas deferat Hieroſolymas, cum ſcriptura declarante, quænam determinata quantitas ex vnoquoque Commiſſariatu deportetur, vt in libris Hieroſolymæ ſcribantur, & pro Benefactoribus exoretur.

Pro Prouincia Boſna Argentina.

26 Conceditur Miniſtro Prouinciali, vt poſſit mittere aliquot ex ſuis Fratribus per omnes Romani Imperij Prouincias, qui pro vna vice tantùm, interuentu Syndici Apoſtolici loci, vbi fuerint, eodem modo, quo faciunt Commiſſarj Terræ Sanctæ, quæſtuationem pecuniarum facere poſſint. De eleemoſynis autem collectis rationem reddere debent, primo ſingulis

Mini-

Miniſtris Prouincialibus illarum Prouinciarum, in quibus eas collegerint, & deindè Reuerendiſſimo Patri Commiſſario Generali, vt diſtinctè appareat quantitas pecuniæ collectæ. Conceſſio autem hæc eſt ad effectum redimendi vaſa ſacra eiuſdem Prouinciæ iam oppignorata, & ad veſtimentum Fratribus tribuendum, nullo verò modo pro ſoluendis Turcæ tributis; ac proindè Prouincialis teneatur rationem reddere Commiſſario Generali de eleemoſynis collectis, expenſis pro prædictis neceſſitatibus.

27 Item conceditur Prouinciali eiuſdem Prouinciæ pro tempore exiſtenti, vt poſſit mittere duos Religioſos Conſtantinopolim ad inuigilandum ſuper quotidianas Græcorum inſidias, qui tamen nullum prorsùs tractatum, ſeu concordatum de ſoluendo Turcis aliquo tributo ſtatuere poſſint. Guardianus autem Conuentus noſtri Galatæ teneatur eos admittere, ac benignè fauere.

28 Demùm conceditur eidem Prouinciæ, vt tempore debito mittendi Commiſſarium ad viſitandam Prouinciam, Prouincialis cum maiori parte Deffinitorij poſſit proponere tres ex grauioribus, & prudentioribus eiuſdem Prouinciæ Religioſis, rogans Superiorem Generalem, vt vnum ex illis deputet ad prædictam viſitationem, & præſidentiam Capituli. Prælatus autem Generalis vnum illorum, quem maluerit, pro prædictis muneribus aſſignabit.

Pro Prouincia Boſnæ Croatiæ.

29 Concedit Diffinitorium Generale, vt aliquando propter vrgentiſſimam cauſam poſſit aſſumi vnus ex corpore Deffinitorij, & fieri Guardianus, cauſa autem priùs approbanda eſt à maiori parte eiuſdem Deffinitorij.

Promulgetur, & executioni mandetur translatio Studij Labacenſis ad Conuentum Tarſatenſem, aliàs in Capitulo Generali decreta.

Pro Prouincia Albaniæ.

30 Fratres Prouinciæ Albaniæ, qui ad alienas ſtudiorum cauſa pergunt, ſtatim finitis ſtudijs, ad propriam remitti debent à Miniſtris Prouincialibus, vbi ſtuduerunt, ſub pœna ſuſpenſionis Prouincialibus vltrà eos retinentibus.

31 Si quis Frater eiuſdem Prouinciæ in alia incorporetur, perpetuò priuatus ſit actibus legitimis, nec poſſit inſtitui Lector, aut Prædicator. De his verò, qui in alienis Prouincijs iam incorporati ſunt, Reuerendiſſimus Pater Commiſſarius Generalis informationem capiat de modo, quo fuerunt incorporati, & ſi ipſos non legitimè incorporatos inueniat, ſtatim excorporatos declaret, & ad propriam Prouinciam remittat. Rogat autem Deffinitorium Generale Reuerendiſſimos Patres Miniſtrum, & Commiſſarium Generalem, ne in poſterum aliquem præfatæ Prouinciæ Religioſum, authoritate propria in alia incorporent, aut quoquomodo incorporari permittant, cum adeò in propria pro eiuſdem conſeruatione, & animarum ſalute neceſſarij ſint.

Pro Prouincia Maioris Poloniæ.

32 Diſtrictè præcipitur ſeruari ſtatutum generale, de non permittendo tranſitu à Prouincia Reformata Maioris Poloniæ ad obſeruantem eiuſdem tituli, vel è contra, niſi de conſenſu Prælati Generalis, obſeruatis omnibus in Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Ordinis, pro ſimili tranſitu ordinatis. Prouincialis autem, qui aliquem Religioſum aliter admiſerit, à ſuo officio per ſemeſtre ſuſpendatur; Et ſi aliquis alio modo deinceps incorporetur, vel etiam de præterito incorporatus ſit, ſtatim ad propriam Prouinciam remittatur.

Iſta eſt

Fr. Ioſeph Miniſter Generalis.
Fr. Antonius à S. Ioanne Commiſſarius Generalis.
Fr. Celſus Maria Billò Commiſſarius Generalis Curiæ.
Fr. Bernardinus à Biſſignano Procurator Generalis Reformatorum.
Fr. Hieronymus à Velitris Diffinitor Generalis.
Fr. Ioannes à Stronconio Diffinitor Generalis.
Fr. Bonauentura à Iuliano Diffinitor Generalis.
Fr. Cyrillus à Seniga Diffinitor Generalis.
Fr. Balthaſſar à Meſſana Diffinitor Generalis.
Fr. Petrus Antonius à Nereto Diffinitor Generalis.
Fr. Narciſus Hietel Diffinitor Generalis.
Fr. Ioannes Baptiſta Gherzius Diffinitor Generalis.
Fr. Fortunatus Hueber Diffinitor Generalis.
Fr. Ioannes Baptiſta Cattaneus Diffinitor Generalis.

Decre-

Decreta nonnulla Sacrarum Congregationum,

Reuerendiſſimorumque Patrum Miniſtri, & Commiſſarij Generalis, pro felici, & pacifico Ciſmontanæ huius Familiæ gubernio emanata.

Decretum Reuerendiſſimi Patris Miniſtri Generalis.

Declarans, & determinans Religioſos, qui in Principaliori Prouinciæ Conuentu Guardianatus officio functi ſunt, habere præcedentiam ab antiquis in Religione.

Florentina Præcedentiæ.

IN cauſa controuerſiæ inter Patres Fr. Antonium à Terrinca, Prædicatorem, Theologum, & Fr. Cherubinum Valorium Concionatorem Generalem, atque Theologum Prouinciæ Obſeruantis Tuſciæ Alumnos, quorum primus ratione maioris antiquitatis, vtpotè quinquagenarius ætate, qui ſupra triginta Religionis annos expleuit, ſecundus titulo Guardianatus Principalioris Prouinciæ Conuentus iam præhabiti, mutuo ſe præcedere prætendunt.

Reuerendiſſimus Pater Fr. Ioſeph Ximenes Samaniego Miniſter Generalis totius Ordinis S. Patris Franciſci auditis partibus hinc inde informantibus, viſis videndis, & conſideratis conſiderandis, vt præſentem, & alias lites, quæ in hac materia, ex minus clara Conſtitutionum Ordinis diſpoſitione oriri poſſunt, dirimat, authoritate, ſuo officio, tum ex Apoſtolicis, tum ex Religionis Conſtitutionibus conceſſa, ſequentia puncta declarauit.

Primum. Religioſum, qui in principaliori Prouinciæ Conuentu Guardianatus officio functus eſt, debere præcedere omnes Sacerdotes, etiam habitu antiquiores, qui trigeſimum annum Religionis non compleuerint, aut, qui illum, incepto quinquageſimo ætatis anno, non attigerint. Hoc enim manifeſtè colligitur ex Conſtitutione Generali, conſignante præcedentiam Lectoribus Artium, & caſuum conſcientiæ in noua ſtat. compilat. cap. 8. §. 53. num. 20. nam dum præfatis Lectoribus conceditur præcedentia ſuper omnes Sacerdotes, qui trigeſimum Religionis annum non compleuerunt, aut qui Guardianatus officio in principaliori Prouinciæ Conuentu functi non ſunt; manifeſtum eſt prædictos habituales Guardianos principalioris domus in eodem præcedentiæ gradu poni, quo ſunt illi, qui trigeſimum Religionis annum compleuerunt, aut illum cum quinquageſimo ætatis attigerunt.

Secundum. Prędictis habitualibus Guardianis principalioris Conuentus nullam aliam præcedentiam maiorem deberi, ex hoc capite præhabiti Guardianatus, quia nullibi ipſis conceditur, & vbi non datur exceptio, generali legi de præcedentia Fratrum, iuxta Religionis antiquitatem, ſtandum eſt.

Tertium. Prædictam præcedentiam ſupra Sacerdotes, qui trigeſimum Religionis annum non compleuerunt, non deberi præfatis Guardianis, niſi per integrum biennium officio Guardianatus principalioris Conuentus functi fuerint. Nulla enim præcedentia, ex vi ſola præhabiti officij conceditur in Conſtitutionibus Generalibus, niſi illis, qui per biennium integrum in ipſo officio ſeruierunt, vt patet diſcurrendo per ſingula; in tantùm, vt ad exceptuandum ab hac generali regula officium Miniſtri Generalis, ratione dignitatis capitis totius Religionis, neceſſaria fuerit declaratio Papæ Clementis X. per Breue in vltimo Capitulo Generali admiſſum.

Quartum. Illum Sacerdotem, qui prius compleuit trigeſimum Religionis annum, quàm Guardianus principalioris Conuentus biennium prædicti Guardianatus, debere præcedere prædictum Guardianum poſt abſolutum officium, & idem eſt ſi ſimul expleat. Quia Guardianus ipſe per expletionem ſui biennij Guardianatus, ponitur in antiquitate triginta annorum Religionis, per exceptionem legis generalis de præcedentia Fratrum, iuxta tempus ſui ingreſſus in Religionem, & quaſi ex quodam priuilegio; Ille autem, qui trigeſimum Religionis annum expleuit, habet illam antiquitatem, & præcedentiam, ex vi legis generalis ſtatuentis Fratres ſeſe præcedere, iuxta tempus ſui ingreſſus in Religionem, & cæteris paribus præcedere debet ille, qui ex generali lege, illum, qui per exceptionem, & quaſi priuilegium in eodem gradu conſtituitur, maximè cum exceptiones, & priuilegia ſint odioſa, ac proinde reſtringenda.

Quintum. Guardianum principalioris Conuentus qui biennium prædicti Guardianatus expleuit, debere præcedere omnes Sacerdotes, qui tempore, quo ipſe expleuit biennium Guardianatus, non expleuerant trigeſimum annum Religionis, etiam poſtquam deinde illum compleuerint. Tum quia ſemel acquiſita præcedentia ex ratione, ſeu titulo aliquo permanenti, manentibus ſubiectis in eodem officio-

rum

rum gradu non amittitur per ſolam temporis ſucceſſionem; Tum, & maximè quia Guardianus per expletum biennium Guardianatus principalioris ponitur in antiquitate triginta annorum Religionis; ac proinde quando Sacerdos ille ſucceſſu temporis peruenit ad trigeſimum Religionis annum, iam Guardianus habitualis habet præter trigeſimum annum antiquitatis ſibi conceſſum, reliquum tempus maioris antiquitatis, quod ſucceſſit poſt biennium Guardianatus expletum, & ſic ſemper habet maiorem antiquitatem, cui præcedentia debetur.

Sextum. Præcedentiam, qua potiuntur Guardiani ratione Conuentus principalioris, cui per biennium integrum præfuerunt, extendendam eſſe ad omnes ſuæ Prouinciæ Conuentus, ita vt in ſingulis, & non tantùm in principaliori, æquale ius habeant ad præcedendum; Tum quia Lectores Artium actuales, quos Guardiani principalioris Conuentus abſolutè præcedere debent, legunt etiam in alijs Conuentibus, & non ſolùm in principaliori; Tum quia, vt ſupra expoſuimus, Guardianus idem mox, vt expleuit biennium ſui Guardianatus, ponitur in antiquitate triginta annorum Religionis; Igitur in quocumque Conuentu intra limites ſuę Prouincię debet poſſe vti iure huiuſmodi præcedentiæ ſibi, quamuis per exceptionem legis, & velut ex priuilegio conceſſæ.

Has autem declarationes præcipit Sua Reuerendiſſima Paternitas in omnibus Obſeruantiæ Prouincijs huius Ciſmontanæ Familiæ obſeruari, ſub pœna impoſita pacis perturbatoribus, & iuxta illas ab omnibus Prælatis ſibi ſubditis iudicari, & definiri in ſimilibus controuerſijs deberi. Et præſens publicum inſtrumentum expediri mandauit in Conuentu Aracælitano die 10. Septembris 1679.

Fr. Ioſeph Miniſter Generalis.
Locus † Sigilli.

De mandato Suæ Reuerendiſs. Paternit.

Frater Petrus Antonius Craſſus à Canturio Secret. Gen. Ord.

Decretum, quo Reuerendiſſimus Commiſſarius Generalis determinat Eleemoſynas Confeſſariorum Monialium, pertinere ad Conuentum, in quo Confeſſarij ſunt de Familia.

Lucana Congruæ.

Quoniam Eminentiſſimus ac Reuerendiſſimus Dominus S.R.E. Cardin. Iulius Spinula, Epiſcopus Lucanus, & Comes Imperialis, de ſpeciali mandato Sacræ Congregationis, negocijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ, iuxta decreta ab eadem Sacra Congregatione pluries emanata, & nouiſſimè de anno 1678. die 16. menſis Decembris, à Sanctiſſimo D.N. Innocentio XI. ſub die 18. Ianuarij anni 1679. viuæ vocis oraculo approbata; loco victus, vetiti recipi dietim à Monialibus exemptis, taxauit reſpectiuè ad Confeſſarios, eorumque ſocios, Sanctimonialium Monaſterij Sancti Michaelis Lucæ, non compræhenſis ſacrorum eleemoſynis, congruam centum duodecim ſcutorum annuorum, per medietatem, ſingulis quibuſque ſex menſibus ſoluendorum Syndico Apoſtolico Conuentus Sancti Franciſci præfatæ Ciuitatis Lucæ, in quo dicti Monaſterij Sanctimonialium Confeſſarij, & ſocij, tum ordinarij, tum extraordinarij morari ſolent.

Nos Fr. Antonius de S. Ioanne Ord. Minor. de Obſeruan. in hac Ciſmontana Familia, tam Obſeruantium, quàm Reformatorum Commiſſarius Generalis; Omnibus difficultatibus, & controuerſijs, quæ ſuper his quomodolibet inter Superiores Locales; Confeſſarios præfatos, ac ſocios oriri poſſent, de paterna noſtra ſolicitudine occurrere volentes, neuè occaſio vlla dari poſſit, vel debeat eiſdem, à promiſſa Deo altiſſima paupertate errandi, inhærendo allegatis Sacræ Congregationis Decretis, necnon Seraphicæ noſtræ Regulæ præceptis, declarationibus, Ordiniſque ſtatutis, facto etiam verbo cum eodem Domino Noſtro Papa Innocentio XI. ipſoque benignè annuente, vt retulit Illuſtriſſim. de Luca eius Auditor. Præcipimus, declaramus, & volumus, dictam eleemoſynarum quantitatem, illis quoque Sacrorum incluſis, ex integro debere eſſe ad fauorem memorati Conuentus Sancti Franciſci, ac totam, & totalitèr cum cæteris propè Syndicum Apoſtolicum deponendam, incorporandamue fore pro communibus Fratrum eiuſdem Conuentus neceſſitatibus, vt nihil penitùs talium eleemoſynarum prætendi poſſit, aut debeat, quocumque titulo à præfatis Confeſſarijs, & ſocijs, ſeu eorum aliquo, ſub pœna proprietarijs aſſignata, alijſque arbitrio noſtro ſeruatis, & ita inuiolabiliter obſeruari iubemus, non ſolùm in recenſito Lucenſi loco, ſed vbique huius noſtræ Ciſmontanæ Familiæ, mandantes per ſanctam obedientiam, atque in virtute Spiritus Sancti, necnon ſub pœna ſuſpenſionis ab eorum officijs per ſex menſes pro prima vice, & priuationis pro ſecunda, omnibus, & ſingulis Superioribus Pro-

Prouincialibus, & Localibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, vt hanc noſtram declarationem, ſeu decretum omnino ſeruent, & ſeruari faciant, cum onere tamen prouidendi promptè, & caritatiuè prædictis Patribus Confeſſarijs, eorumque ſocijs neceſſaria omnia, non tantùm, quemadmodum intra limites altiſſimę noſtrę paupertatis tenentur quoad omnes ſuos ſubditos, ſed ſpeciali quadam pia ratione ob graues, multoſque continuos ipſorum Confeſſariorum labores, prout ſedulò, ac benignè facturos, in Domino ſperamus, atque iniungimus, niſi iuſti iudicij Dei, noſtræue rationabilis indignationis, necnon comminatarum ſupra pœnarum rei eſſe velint. Datum Romæ die 19. Septembris 1679.

F. Antonius à S. Ioanne Commiſſ. Gen.
Locus † ſigilli.

De mandato Suæ Reuerendiſſ. Paternit.

Fr. Ludouicus ab Aquis Secret. Gen.

Decretum, quo Reuerendiſſimus Pater Commiſſarius Generalis declarat, ac determinat, prouentus, qui ex Cuſtodia Salariæ proueniunt, pertinere ad Conuentum Aracælitanum, & determinatè pro Communitate pannorum lineorum.

Romana Salariæ.

CVM Eminentiſſimus, & Reuerendiſſimus Dominus S.R.E. pro tempore Cardinalis Camerarius, de Apoſtolica Summorum Pontificum benignitate, dignetur miniſterio officij Salariæ in Vrbe aliquem Ordinis noſtri Religioſum deputare, cui, ob aſſiſtentiam, & labores, quædam certæ, incertæque eleemoſynæ erogari conſueuerunt.

Nos Fr. Antonius de Sancto Ioanne Ordinis Minorum de Obſeruantiæ in hac Ciſmontana Familia, tam Obſeruantiæ quàm Reform. Commiſſarius Generalis, ne hinc præfatus Religioſus occaſionem ſumere debeat, vel poſſit, quidquam dictarum eleemoſynarum ſibimetipſi appropriandi; Apoſtolicis inhærendo multorum Summorum Pontificum ſanctionibus, Sacrarum Congregationum decretis, atque Ordinis ſtatutis, pluries hac de re emanatis; facto etiam verbo cum Sanctiſſimo D. N. Innocentio XI., ipſoque benignè annuente, vt retulit Illuſtriſſimus de Luca eius Auditor; præcipimus per ſanctam obedientiam, & ſub pœnis in proprietarios latis, necnon priuationis officiorum Ordinis per ſexennium, ne vllo quæſito colore, aut prætextu, audeat per ſeipſum tales eleemoſynas recipere, ſeu quomodolibet de illis diſponere, ſed integrè, ac fideliter à Domino Syndico Apoſtolico huius Almi Conuentus Aracælitani recipi curet, vel illi ſolui faciat, qui eas incorporabit cum alijs eleemoſynis, in beneficium ſignanter Communitatis pannorum lineorum, & cæterorum, quæ ex eadem Communitate vſibus pauperum Fratrum neceſſaria ſunt, cum onere Patri Guardiano præfati Conuentus Aracælitani iniuncto, ſub pœna priuationis ſui officij, prouidendi ſedulò, & promptè omnia religioſè occurrentia prędicto Patri Deputato Salariæ, atque ei piè ferendi omnem illam opem, quam vera charitas, & Seraphica Fraternitas, tot perpenſis laboribus dictauerit in Domino.

Quia verò militat eadem ratio de reliquis, quæ in Vrbe, & alibi huius noſtræ Ciſmontanę Familię conſequi ſolent à Fratribus, titulo moderandi Horologia, Organa, Gymnaſia, Capellanias, Confraternitates, & id generis, vel diuerſi, volumus omnino, & ſub ijſdem pœnis, & formis mandamus hoc noſtrum decretum ad omnes, & omnia extendi, atque inuiolabiliter vbique locorum obſeruari, onerantes conſcientias Superiorum Prouincialium, & Localium, cum expreſſa intimatione noſtræ iuſtæ indignationis, ſuſpenſioniſue ab eorum officijs ad arbitrium, ſi minùs, quàm par eſt, diligentes ſuper his à nobis fuerint, quomodolibet inuenti, & etiam ſi contigerit eos non ſubminiſtrare ſollicitè, ac charitatiuè præ alijs, cuncta neceſſaria Fratribus, qui ſpeciali labore præfatis muneribus incumbunt, quemadmodum intra præſcriptum noſtræ altiſſimæ paupertatis de deputato Salariæ iniunximus. Dat. Romæ die 20. Nouembris 1679.

Fr. Antonius de S. Ioanne Comm. Gen.
Locus † ſigilli.

De mandato Suæ Reuerendiſſ. Paternit.

Fr. Ludouicus ab Aquis Secret. Gen.

Decretum Sacræ Congregatione Epiſcoporum, & Regularium, prohibens Fratribus Superioribus, & ſubditis, ne retineant ſæculares in Conuentibus.

Ordinis Minorum Obſeruantium Sancti Franciſci.

SAcra Congregatio Eminentiſſimorum Dominorum S.R.E. Cardinalium negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, religioſæ quieti, & tranquillitati Fratrum Ordinis Minorum

rum Sancti Franciſci de Obſeruantia benignè conſulens, iniungendum cenſuit, prout præſentis decreti tenore iniungit omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Superioribus Prouincialibus, Localibus, eorumque ſubditis ſub pœna priuationis officiorum Ordinis immediatè incurrenda, ne vllo vnquam tempore quouis prætextu, vel quæſito colore permittant, aut conſentiant, ſæculares quoſcumque ingredi ſepta ſuorum Conuentuum deferendo per ſyluas, hortos, & prata ſclopos ad venandum, ſeu alia armorum genera, vel illa apud Fratres tam Superiores, quàm ſubditos deponere, pariterque ludere quomodolibet per clauſtra, aliaque loca publica, vel priuata ipſorum Conuentuum, & conuiuere, ac pernoctare in eis vltra triduum, tantùm piæ hoſpitalitatis titulo; Et ſic ſeruari mandat. Non obſtan. &c. Romæ 1. Decembris 16 9.

G.Cardinalis Carpineus.

Locus ✝ ſigilli.

Io.Baptiſta Arebiep.Ian.Secret.

Conceſſio recitandi Officium Beatæ Catharinæ de Bononia.

Ordinis Minorum Obſeruantiæ Sancti Franciſci.

SAcra Rituum Congregatio ad pias preces Eminentiſſimi, & Reuerendiſſimi D.Cardinalis Ludouiſij S.R.E.Maioris Pœnitentiarij, porrectas pro Reuerendiſſimo Miniſtro Generali Ordinis Minorum Obſeruantię Sancti Franciſci benignè annuens gratiam extendendo conceſſit, vt in poſterum omnes, & ſinguli Fratres, & Moniales in quacumque Mundi parte exiſtentes, & militantes ſub iuriſdictione prædicti Patris Miniſtri Generalis licitè, & liberè recitare poſſint, & valeant officium proprium B.Catharinæ à Bononia Ordinis S.Claræ, eo modo, quo recitatur à Monialibus Corporis Chriſti Ferrariæ, & Bononiæ. Hac die 24. Februarij 1680.

Cæſar Card.Fachenettus.

Locus ✝ ſigilli.

Bernardinus Caſalius Sac.Rit.Congr.Secr.

Decretum Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, quo prohibetur Fratribus de Obſeruantia, ne vll pacto mutuas dare poſſint ſupellectiles, cæteraque ad eorum Eccleſias ſpectantia.

Ordinis Minor.Obſeru.S.Franciſci.

SAcra Congregatio Eminentiſſimorum S.R.E.Cardinalium negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, ſpectabili cultui, & decoro ornatui Eccleſiarum Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia, prouidè conſulens, iniungendum cenſuit, prout præſentis decreti tenore iniungit omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Superioribus Prouincialibus, Localibus, eorumque ſubditis, ſub pœna priuationis officiorum Ordinis immediatè incurrenda, ne vllo vnquam tempore, quauis occaſione vel prætextu, ad inſtantiam, & preces cuiuſuis, indulgeant, aut conſentiant ſupellectiles, vaſa, ornamenta, veſtes, atque omnis generis res ſpectantes aliquo modo ad præfatas eorum Eccleſias, Capellas, Altaria, Oratoria, Sacriſtias, extra illa, ad vſum, vel officium cæterorum diſtrahi, aſportari, ſeu alijs, ab ipſis Minoribus Obſeruantibus, commodari, quin priùs acceſſerit conſenſus ſaltem vltra duas partes totius Capituli cuiuſl bet reſpectiuè Conuentus, per ſecreta ſuffragia ſingulis vicibus præſtandus, necnon à Patre Miniſtro Prouinciæ authenticæ confirmandus, & ità ſeruari mandat. Non obſtantibus, &c. Romæ 14. Martij 1680.

G.Card.Carpinens.

Locus ✝ ſigilli.

Io:Baptiſta Arebiep.Ianuen.Secr.

Decretum, quo Sacra Rituum Congregatio concedit Fratribus, & Monialibus Minorum Obſeruantiæ, vt celebrare poſſint die 4. Septembris feſtum Sanctæ Roſæ Viterbienſis ſub ritu duplicis ſecundæ claſſis cum octaua.

Ordinis Minorum Obſeruantium Sancti Franciſci.

SVpplicante P.Celſo Maria Billò de Senis Commiſſario Generali Romanæ Curiæ Minorum Obſeruantium, quatenùs Sacra Rituum Congregatio dignaretur concedere, vt in feſto Sanctæ Roſæ Virginis Viterbienſis Tertij Ordinis Sancti Franciſci, quòd celebratur die quarta Septembris, fieri poſſit officium eiuſdem Sanctæ ſub ritu duplicis ſecundæ claſſis, cum octaua, in tota Religione Franciſcana. Et eadem Sacra Congregatio gratiam deſuper petitam benignè conceſſit pro Fratribus, & Monialibus Minorum Obſeruantium tantùm. Hac die 6. Aprilis 1680.

Pro Eminentiſs. D.Cardinali Fachenetto Præfecto Nicolaus Cardinalis Ludouiſius.

Locus ✝ ſigilli.

Bernardinus Caſalius Sac.Rit.Congr.Secr.

CXXXVII. *Cap. Gen. Tolet, anno* 1682.

Tabula, & Generales Conſtitutiones celeberrimi Capituli Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum.

Nuperrimè celebrati in Regali Conuentu Sancti Ioannis Regum Ciuitatis Toleti, in Vigilia Pentecoſtes die ſexta decima Menſis Maij Anno Domini 1682.

Præſidente Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo Domino D. Ludouico Archiepiſcopo Toletano S.R.E. Cardinali Portocarrero auctoritate Apoſtolica deſtinato.

Confirmatio electionis Reuerendiſſimi Patris Fratris Petri Marini Sormanni de Mediolano in Miniſtrum Generalem totius Ordinis Minorum Sancti Franciſci.

INNOCENTIVS PP. XI.

Dilecte fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cùm ſicut Nobis nuper exponi feciſti, Tu in Capitulo Generali Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum in Ciuitate Toletana nouiſſimè celebrato in Miniſtrum Generalem eiuſdem Ordinis, canonicè electus fueris, electionemque huiuſmodi pro maiori illius validitate, & ſubſiſtentia Apoſtolicæ confirmationis noſtræ robore communiri ſummoperè deſideres. Nos ſperantes electionem huiuſmodi de perſona tua, vt præfertur factam, ob tuum Religionis zelum, fidem, prudentiam, integritatem, & doctrinam, eidem Ordini plurimum profuturam, Teque ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & Interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus tuo nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, electionem de perſona tua in Miniſtrum Generalem dicti Ordinis, vt præfertur factam Apoſtolica authoritate, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos Iuris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint ſupplemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & quatenus opus ſit dicti Ordinis etiam iuramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus, Priuilegijs, quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die 10. Iulij M. DC. LXXXIII. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

I.G. Sluſius.

FR. PETRVS MARINVS SORMANVS A MEDIOLANO

Ex-Guardianus Ieroſolymitanus, Totius Ordinis Seraphici P.N.S. Franciſci Miniſter Generalis, & Seruus, &c.

Vniuerſis in Chriſto IESV dilectiſſimis Patribus, ac Fratribus eiuſdem Ordinis, tam Superioribus, quàm ſubditis. Salutem in Domino ſempiternam.

Ad grauiſſimum, & Angelicis humeris formidandum Seraphicæ Religionis miniſterium, meritis licet imparibus, ex mera Dei prouidentia euecti, nihil ardentiùs habuimus in votis, quàm, vt vniuerſos filios, & Dominos meos in Chriſto Iesv coram inuiſere, ac conſolari liceret; quod cùm hucuſque præ grandibus in noſtro ab Hiſpanijs ab Vrbem acceſſu, pro muneris noſtri debito negotijs detenti obtinere nequiuerimus; Ecce iam ſecundò, & tertiò venimus ad vos dilectiſſimi fratres, & filij, vos omnes, & ſingulos ad æmulanda chariſmata meliora, & inſectanda viuido conatu Seraphici Patris Noſtri veſtigia, excitaturi: per aſperſionem ſanguinis Iesv Chriſti Crucifixi, & per ſtigmata Paſſionis eius, quæ in ſacro Patris Noſtri corpore indubitabili claritate fulſerunt, adiuramus vos omnes; *Attendite ad Petram, vnde exciſi eſtis*. Mementote quotidie, nos eſſe Fratres Minores, ad hoc in Mundo poſitos, vt per Mundi contemptum, ſanctamque humi-

humilitatem, ac vitæ exemplaritatem, ſimus in lucem gentium, Hoc Chriſtus à Nobis diſtricto examine perquiret. Seraphicæ noſtræ Regulæ, ac Generalium Ordinis Statutorum, integram obſeruantiam vobis ad hoc impensè commendamus; quæ donec diligenti examine iuxta nouiſſimi Generalis Capituli decretum fuerint recognita, & emendata, nouas eiuſdem Capituli Conſtitutiones illis inſerendas, non nouarum legum grauamen, ſed antiquarū dubiorumque inde per dies emanantium declarationes vobis tranſmittimus, quatenus ad earum præſcripta vitam verò Minorita dignam in omnibus componere debeatis. Dum verò Religionis noſtræ quotidianum defectum attentiùs, at non ſine lachrymis conſideramus, hæc præ cæteris cum Seraphico Doctore Sanctiſſimo Anteceſſore noſtro defectionis cauſa, & ruinarum origo Nobis videtur, quod ea, quæ prouida cura per totius Ordinis prouidentiam in Generali Capitulo ſtatuuntur, paruipenduntur à fratribus, nec tranſgreſſiones huiuſmodi debita diſciplina caſtigantur. Hoc itaque potiſſimum coram Deo, qui me iudicaturus eſt, obteſtor, quòd ſicuti veri S. Franciſci filij, legumque obſeruatores, me benigniſſimum Patrem, & ſeruum inuenient, ita inobedientes, ac ex leges inflexibilem iudicem habebunt. Prælatos deſides in primis (quorum ex negligentia, & ſopore vniuerſa ruina dimanat) ad ineuitabile Chriſti tribunal prouocamus, vbi de Ouibus ſibi creditis, eorumque culpa pereuntibus, de Religionis iactura, quam inferunt, rationem ſint reddituri. Nos nihilominùs ad hæc à Deo conſtituti contra ipſos ſpeciali rigore proceſſuri; Zelatores, è contra in Charitatis viſceribus amplexuri. Hæ ſunt veſtri Paſtoris voces, hæc vota ſucceſſoris S. Franciſci vt ſupra.

In Dei Nomine Amen.

Hæc eſt Tabula Celeberrimi Capituli Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum Seraphici P.N.S. Franciſci in hoc Conuentu S. Ioannis Regum Imperialis Ciuitatis Toletanæ in Vigilia Pentecoſtes die 16. Menſis Maij Anni 1682. celebrati.

Miniſter Generalis.

IN primis ſexennio Reuerendiſſimi P. F. Ioſeph Ximenez Samaniego, magna cum laude completo: Reuerendiſſimus P. Fr. Petrus Marinus Sormanus à Mediolano Lector Iubilatus, Sanctę Inquiſitionis Conſultor; Prouinciæ Mediolanenſis, Regularis Obſeruantiæ Pater, Guardianus Ieroſolymitanus; Commiſſarius Apoſtolicus in Partibus Orientis; Totius Terræ Sanctæ Cuſtos: Miſſionum Ægipti Præfectus, ac Reſponſalis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, cunctorum animis, incredibili applauſu, meritorum veneratione, atque ad ipſum affectu, plenis Patrum Vocalium, ex toto Terrarum Orbe concurrentium ſuffragijs, in Miniſtrum Generalem Vniuerſi Ordinis Fratrum Minorum, ritè, & canonicè electus eſt: ac à Sanctiſſimo D. N. Innocentio XI. viua voce, & Breue confirmatus.

Commiſſarius Generalis Ciſmontanæ Familiæ.

Reuerendiſſimus Pater Fr. Marcus Zarzoſa, Lector Iubilatus, Prouinciæ Bethicæ Miniſter Prouincialis, ſimiliter canonicè electus eſt in Commiſſarium Generalem huius Ciſmonranæ familiæ.

Pater vtriuſque Familiæ.

Reuerendiſſimus Pater Fr. Ioſeph Ximenez Samaniego, Lector Iubilatus, Catholicæ Maieſtatis pro Immaculata Conceptione Theologus, huius Ciſmotanæ familiæ olim Commiſſarius Generalis, ac totius Ordinis Fratrum Minorum Miniſter Generalis præteritus.

Pater Familiæ Vltramontanæ.

Reuerendiſſimus Pater Fr. Antonius à Sancto Ioanne Lector Iubilatus, Prouinciæ Sancti Angeli Regularis Obſeruantiæ Cuſtos habitualis, Miniſterque Prouincialis, ac Ex-Commiſſarius Generalis Vltramontanæ familiæ.

Procurator Generalis Ordinis in Romana Curia.

Ex ſpeciali Mandato Sanctiſſimi D. N. Innocentij Papæ XI. ab Eminentiſſimo D. Cardinali Cybo noſtri Ordinis Protectore deputatus fuit ad ſuæ Beatitudinis diſpoſitionem R.A.P. Fr. Antonius Palumbus à Campobaſſo Theologus, Concionator Clariſſimus, Prouinciæ Sancti Angeli bis Ex-Miniſter Prouincialis, ac immediatus dictæ Curiæ Vice Commiſſarius.

Commiſſarius Generalis in eadem Curia Romana.

R.A.P.Fr. Angelus Zeballos, Lector Iubilatus Sanctæ Inquiſitionis Qualificator; Prouinciæ Immaculatæ Conceptionis Pater, & immediatus Ex-Procurator Ordinis, donec biennium expleat.

Diffi-

Diffinitoris Generalis Vltramontanæ Familiæ.

R.A.P.Fr. Celſus Maria Billo Lector Iubilatus Prouinciæ Regularis Obſeruantiæ Tuſciæ Ex-Miniſter Prouincialis, ac in Romana Curia Ex-Commiſſarius Generalis immediatus.

R.A.P.Fr.Franciſcus Gattinara Theologus, olim Diffinitor Generalis, & Prouinciæ Mediolanenſis Regularis Obſeruantiæ Miniſter Prouincialis.

R.A.P.Fr. Antonius de Cartoceto Lector Iubilatus, Prouinciæ Regularis Obſeruantiæ Marchiæ Miniſter Prouincialis.

R.A.P.Fr. Angelicus à Genua, Lector Iubilatus, Prędicator Clariſſimus, S.Officij Conſultor, Prouinciæ Ianuenſis Cuſtos.

R.A.P.Fr.Ludouicus Ruberti,Lector Iubilatus, Ordinis Ex-Secretarius Generalis, Prouinciæ Regularis Obſeruantiæ Principatus Ex-Prouincialis.

R.A.P.Fr.Fauſtinus de Chiari,Lector Iubilatus, & Prouinciæ Obſeruantiæ Brixiæ Cuſtos.

R.A.P.Fr.Paſchalis de Tropea Theologus, Ordinis Ex-Secretarius Generalis, Prouinciæ Reformatæ Sanctorum Septem Martyrum, olim Prouincialis.

R.A.P. Fr. Franciſcus de Bugnara Theologus, & Prouinciæ Reformatæ S. Bernardini Cuſtos.

R.A.P.Fr.Antonius de Monte Buſo Theologus, Prouinciæ Reformatæ Seraphicæ Vicarius Prouincialis.

R.A.P.Fr.Adrianus Hueppher Theologus, Prouinciæ Tyrolis.

Diffinitores Generales huius Ciſmontanæ familiæ.

R.A.P.Fr.Ioannes de Gueuera, Lector Iubilatus, & Prouinciæ Carthaginenſis Miniſter Prouincialis; ob cuius mortem, de Conſilio Patrum ſubrogatus fuit R. A. P. Fr. Antonius de Velaſco Lector Iubilatus ſupremæ Hiſpaniarum Inquiſitionis Qualificator, Prouinciæ Diui Iacobi olim Miniſter Prouincialis, ac Ex-Procurator Generalis Ordinis.

R.A.P.Fr.Ferdinandus de Guzman, Sacræ Theologiæ Lector, Maieſtatis Catholicæ Concionator, Ordinis Ex-Secretarius Generalis, Prouinciæque Angelorum in Bethica Pater,ac Cuſtos.

R.A.P. Fr. Bonifacius Maes, Prouinciæ S. Ioſeph in Comitatu Flandrię Ex-Prouincialis, & Actualis Pro Miniſter.

R.A.P. Fr. Martinus Sneps Lector Iubilatus, Prouinciæ S. Eliſabeth in Turingia, Prouincialis.

R.A.P.Fr.Balthaſar à Regibus, Sereniſſimi Portugalliæ Principis Concionator, ſemel,ac iterum Prouinciæ Algarbiorum Prouincialis Miniſter.

R.A.P.Fr.Claudius Fraſſen, bis Iubilatus, Sorbonæ Doctor, & Magni Conuentus Pariſienſis Guardianus.

R.A.P.Fr.Chriſtophorus à Sancta Maria, Prouinciæ S. Didaci Diſcalceatorum in Bethica Ex-Prouincialis, & actualis Miniſter.

R.A.P.Fr.Honoratus de Balleur, Theologus Prouinciæ S. Mariæ Magdalenæ Recollectorum Ex-Miniſter Prouincialis, & actualis Pro-Miniſter.

R.A.P.Fr.Stephanus Perier Sacræ Theologiæ Lector, & Prouinciæ Turoniæ Pictauienſis Cuſtos.

R.A.P. Fr. Petrus Miron Lector Iubilatus Prouinciæ Legionenſis, Tertij Ordinis Ex-Prouincialis, & actualis Pro-Miniſter &c.

Guardianus, & Cuſtos Terræ Sanctæ Ieroſolymorum.

R.A.P.Fr.Petrus Antonius à Canturio,Lector Iubilatus, Prouinciæ Mediolanenſis Pater, & Ordinis Ex-Secretarius Generalis.

Guardianus Conſtantinopolitanus.

Relinquitur arbitrio Reuerendiſſimi Patris Miniſtri Generalis.

Sacræ Theologiæ ſtudia in ordine ad Iubilationem iuxta Conſtitutiones Apoſtolicas Clem. VIII. & Vrbani VIII. Et Lectores Generales pro Ciſmontana Familia.

In Conuentu Sanctæ Mariæ de Aracæli Romæ.

P. F. Clemens Caprettus à Mediolano Secretarius Generalis Ordinis.
P. F. Antonius ab Introducco
P. F. Matthęus à Sancto Stephano.

In Conuentu S.Franciſci Montis Peruſii.

P. F. Ioſeph à Typherno
P. F. Ludouicus de Stronconio
P. F. Paſchalis de Bruxello.

In Conuentu Sanctæ Mariæ Nouæ Neapolis.

P. F. Nicolaus Cros
P. F. Franciſcus de Pomiliano

P.F.Agnel-

P. F. Agnellus de Neapoli.

In Conuentu omnium Sanctorum Florentiæ.

P. F. Michael Angelus de Florentia
P. F. Ioſeph Maria de Ponſeuio
P. F. Gabriel Maria à Senis.

In Conuentu Sanctiſſimæ Annunciatæ Bononiæ.

P. F. Franciſcus de Mutina
P. F. Angelus à Foroliuio
P. F. Petrus Franciſcus de Bononia.

In Conuentu S. Franciſci Paduæ.

P. F. Andreas de Vicentia
P. F. Ioſeph de Fabricis
P. F. Ioannes Antonius ab Aſſiſio.

In Conuentu Sanctiſſimæ Annunciatæ Genuæ.

P. F. Thomas de Genua
P. F. Cherubinus de Linguelia
P. F. Ioſeph de Liberano.

In Conuentu S. Angeli Mediolani.

P. F. Dominicus Franciſcus de Soncino
P. F. Cæleſtinus Treſſen à Mediolano
P. F. Ioſeph Maria Manettus à Mediolano.

In Conuentu S. Mariæ Angelorum Panormi.

P. F. Ioſeph Antonius à Matrito
P. F. Felix de Panormo
P. F. Ioannes à Sancta Maria de Panormo.

In Conuentu S. Bernardini Aquilæ.

P. F. Ioannes Maria de Caſtilento
P. F. Deſiderius de Luca
P. F. Petrus Paulus de Ariſchio.

In Conuentu S. Didaci Neapolis.

P. F. Angelus de Monte Coruino
P. F. Bonauentura de Maiori
P. F. Iſidorus de Mediolano.

In Conuentu S. Franciſci Anconæ.

P. F. Lucius à Petritoli
P. F. Antonius à Roſaria
P. F. Petrus Antonius de Talamella.

In Conuentu S. Franciſci Lucæ.

P. F. Ioannes Maria de S. Cruce
P. F. Franciſcus Maria de Caſtrofranco
P. F. Hieronymus de Maſſa Ducis.

In Conuentu S. Antonij Licij.

P. F. Ioannes de Molficto
P. F. Ioachim de Luceria
P. F.

In Conuentu S. Franciſci Coſentiæ.

P. F. Bonauentura à Tabernis
P. F. Michael Angelus à Neapoli
P. F. Chryſantus à Monte Herculeo.

In Conuentu S. Bernardini Cracouiæ.

P. F. Daniel Szambaski
P. F. Florianus Ciechanouski
P. F. Bernardinus Zebrzydousk.

In Conuentu S. Mariæ à Ieſu Meſſanæ.

P. F. Cherubinus de Genua
P. F. Sebaſtianus de Beneuento
P. F. Mauritius de Mediolano.

In Conuentu Ieſu Mariæ Foggiæ.

P. F. Franciſcus Antonius de Foggia
P. F. Franciſcus de Iſchitilla
P. F. Bartholomæus de Cilento.

In Conuentu S. Andreæ Leopoli.

P. F. Bruno Romanoroski
P. F. Franciſcus Sankieroz
P. F. Bonauentura Chrzonouski.

In Conuentu S. Mariæ de Ieſu Montis Leonis.

P. F. Marcellus à Drepano
P. F. Didacus à Pitio
P. F. Iacobus de Hydrunto.

In Conuentu S. Ioſeph Brixiæ.

P. F. Franciſcus de Gabbiano
P. F. Angelus de Caſtrerato
P. F. Angelus Maria de Venetijs.

In Conuentu Sancti Thomæ Taurini.

P. F. Paulus Franciſcus de Monteforte
P. F. Hieronymus Calatus à Modoetia
P. F. Petrus Franciſcus de Solerio.

In Conuentu Sancti Bernardini Alexandriæ.

P. F. Deſiderius Perla à Lauda
P. F. Daniel ab Aquis
P. F.

In Conuentu S. Spiritus Ferrariæ.

P. F. Ioannes Franciſcus à Caſtro S. Petri
P. F. Iulius de Foroliuio
P. F. Dominicus Antonius de Foroliuio.

In Conuentu Sanctæ Annæ Varſauiæ.

P. F. Franciſcus Rodouski
P. F. Stephanus Bidgoſtianus
P. F. Ladislaus VVeis.

Studia

Studia nouiter erecta in ordine ad Iubilationem.

In Conuentu S. Mariæ Ieſu Moticæ.

P. F. Bonauentura à Terranoua
P. F. Angelus à Spaccafurno
P. F. Seraphinus de Genua.

In Conuentu Sanctæ Mariæ Nouæ Pani.

P. F. Ioannes Antonius à Cartoceto
P. F. Hieronymus de Laurino
P. F. Ioſeph Maria de Parma.

In Conuentu S. Franciſci Baſtiæ.

P. F. Auguſtinus de Petreto
P. F. Alexander de Ecchiatana
P. F. Michael Angelus de Petreto.

In Studijs Generalibus non ordinatis ad Iubilationem.

In Conuentu S. Franciſci Mantuæ.

P. F. Vincentius de Raguſa
P. F. Laurentius de Venetijs
P. F. Bonauentura de Stronconio.

In Conuentu Paradiſi Viterbij.

P. F. Sylueſter de Vrbeueteri
P. F. Laurentius de Sancto Laurentio
P. F. Sebaſtianus de Riuolto.

In Conuentu S. Franciſci Raguſij.

P. F.
P. F.
P. F.

In Conuentu S. Crucis Piſarum.

P. F. Ladislaus de Florentia
P. F. Bartholomæus Siratia à Mediolano
P. F. Alexander Bichi Senenſis.

In Conuentu S. Mariæ Tarſati.

P.F. Antonius Kera.
P.F. Fuluius de Senis.
P.F. Dionyſius Panoſinus.

In Conuentu Poſnanienſi Immaculatæ Conceptionis.

P.F. Andreas Paszozynski.
P.F. Raphael Popelc.
P. F.

In Conuentu S. Mariæ Drepani.

P.F. Franciſcus de Sancto Florio.
P.F. Bonauentura de Politio.
P.F. Coſmas de Monte Leone.

In Conuentu S. Mariæ Melitæ.

P. F.
P. F.
P. F.

In Conuentu Sanctæ Mariæ Magdalenæ Auerſæ.

P.F. Angelus de Neapoli.
P.F. Auguſtinus de Sirolo.
P.F. Bonauentura de Atina.

In Conuentu S. Antonij Titi.

P.F. Bartholomæus à Puteolis.
P.F. Carolus à Tito.
P.F. Ioannes Dominicus de Vallico.

In Conuentu S. Franciſci Zagabriæ.

P. F.
P. F.
P. F.

In Conuentu S. Andreæ Barlettæ.

P.F. Michael à Bario.
P.F. Pacificus à Santo Vito.
P.F. Ioannes Baptiſta à Petra Vairana.

In Conuentu S. Angeli Cremonæ.

P.F. Antonius ab Arimino.
P.F. Lazarus Maria de Monelia.
P.F. Hieronymus de Guaſtalla.

In Conuentu S. Franciſci Laudæ.

P.F. Franciſcus Quareſmius à Lauda.
P. F. Ioſeph Antonius Caprettus à Mediolano.
P. F. Ioſeph à Summa.

In Conuentu S. Hieronymi Viennæ.

P. F.
P. F.
P. F.

In Conuentu S. Mariæ ad Niues Pragæ.

P. F.
P. F.
P. F.

In Conuentu S. Franciſci Mirandulæ.

P.F. Reginaldus à Mirandula.
P.F. Iræneus de Buxeto.
P.F. Iulius de Venetijs.

In Studijs Generalibus nouiter erectis.

In Conuentu S. Nicolai Salerni.

P.F. Antonius à Ciſonio.
P. F.
P.F. Angelus Tagliabo Mediolanenſis.

In Conuentu S. Crucis Maceratæ.

P.F. Antonius Flaccus.
P.F. Angelus à Ragiolo.
P. F.

In

In Conuentu S. Mariæ Gratiarum Campibaſſi.

P. F.
P. F. Angelus de Fruſunone.
P. F.

In Conuentu S. Andreæ Theatæ.

P. F. Angelus de S. Demetrio.
P. F. Ioannes à Sancto Polo.
P. F. Bonauentura Hibernus.

Lectores Generales non aſſignati, ac Lectores Artium in Conuentu S. Mariæ de Ara-Cœli, & aliis Conuentibus pro Seminarijs iuuenum deputabuntur à Reuerendiſſimo Superiore Generali, &c.

STATVTA GENERALIA.

Pro vtraque Familia in Ordine ad loca Terræ Sanctæ.

PRimò ad euitandas, quoad fieri poterit, exceſſiuas, intolerabileſque expenſas, innumeraque, ac grauiſſima perſecutionum, & vitæ diſcrimina, quibus ad hæc deſtinati in itinere ſubijciuntur, Capitulum Generale decernit, Guardianum Sacri Montis Syon modernum electum, Terræ Sanctæ Cuſtodem, alioſque omnes in poſterum eligendos, peracto triennio laudabiliter, poſſe iterum, atque debere in munere ſuo confirmari, & ad aliud perdurare triennium, ſi ita placuerit Sanctiſſimo diſpenſare, quin potiùs ordinare, & ſancire, vt humillime de hoc ſupplicatur.

Vicarium autem Conuentus Sancti Saluatoris Ieruſalem, ſicut & cæteros Fratres de Familia in Terra Sancta degentes, ibidem per ſex integros annos ad Cuſtodiæ Ieroſolimitanæ ſeruitia, commorari debere determinat.

Quoſcumque Fratres ad huiuſcemodi ſeruitia inpoſterum deſtinandos, & nunc deſtinatos antequam in locis principalioribus admittantur, per triennium ſaltem in inferioribus hoſpitijs, ſeu reſidentijs viuere, & commorari præcipitur, niſi aliter R. A. P. Cuſtos de conſilio, & aſſenſu diſcretorum, pro bono communi, & Dei gloria, quandoque iudicauerit prouidendum.

Sed ne aſſumpti in obſequium Terræ Sanctæ labores ſuo præmio careant, ſtatuit Capitulum Generale, quòd, quando quiſpiam per ſexennium officio Vicarij Conuentus Sancti Saluatoris Ieruſalem, vel Commiſſariatus laudabiliter functus fuerit, & per ſex inſuper alios annos in alijs munijs ſeruitio Terræ Sanctæ vacauerit, à Diſcretorio illius Cuſtodiæ, alijſque, ad quos intereſt, deputatus, gaudeat prærogatiua Patrum Prouinciæ quo ad præcedentiam tantùm, & honores, minimè verò quo ad ſubrogationem, & votum in Diffinitorio.

Quoniam autem multoties quorundam quantumuis vitæ probatæ Religioſorum deuotio circa hæc Sanctiſſima loca aliorum impedit deuotionem ijſdem votis ardentium, Capitulum Generale cunctorum fouere cupiens pietatem, & ſingulis, quantum in ſe eſt, manum dare, vt Sacroſancta Redemptionis noſtræ myſteria corporaliter perluſtrent, diſtrictè prohibet, ne eò iterum deſtinentur, qui aliàs inibi fuerint commorati, exceptis dumtaxat ijs, qui diutina, ac probatiſſima ſeruitute, nedum valdè vtiles, ſed neceſſarios ſeſe ſanctis locis præſtiterint.

Præterea quia inter malos benè viuere bonum, & inter malignitates innocentię retinere candorem, non mediocris eſſe actum virtutis certò ſcitur, ad præcauenda ſcandala, quæ oriri hinc poſſent, ſtatuit Capitulum Generale Seraphici Patris, imò & Domini Noſtri Ieſu Christi in regula Nobis tradita præceptis inhærens, inter Saracenos, & alios infideles eundi nullis tribuendam eſſe licentiam, niſi valdè idoneis, præcipit, neminē poſthàc ad loca Sancta mittendum, qui probatiſſimæ, ac integerrimæ vitæ, non de leui frangibilis, patientiæ, firmæque in aduerſis conſtantiæ priùs teſtimonia non dederit, à ſuæ Prouinciæ Diffinitorio comprobata.

Declarat Diffinitorium Generale, nullo modo licere Commiſſarijs, aut Vice-Commiſſarijs Terræ Sanctæ, ſub pœnis in proprietarios latis, alijſque arbitrio Superioris Generalis ferendis, quicquam ex eleemoſynis pecuniaris apud ſe retinere, & eo minus per ſe ipſos, vel per interpoſitam perſonam expendere, quæ omnes Syndicis Apoſtolicis aſſeruandæ tradentur, à quibus ſchedulas conſignatæ quantitatis, quam vnuſquiſque apud ipſos depoſitauerit, accipiet, expenſarum itidem notas cum fine, & cauſis earum expreſſis, tum Syndici, tum Commiſſarij manu firmatas, vt ſic in Capitulis, & Congregationibus, & collectarum, & expenſarum faciliùs computa fiant à Diffinitorio vniuſcuiuſque Prouinciæ reſpectiuè. Quæ verò in dies Commiſſarijs ipſis, aut Socijs pro eorum Religioſa commoditate, & vſu neceſſaria ſunt, per ſchedulas pari paſſu firmatas, ab ijſdem Syndicis miniſtrentur.

Inſuper confirmantur, & innouantur ſtatuta nouiſſimæ Congregationis Generalis Romæ edita pro Terra Sancta, ne ſcilicèt eius

eius Commiſſarij ad Capitula, & Congregationes Generales, pro reddendis rationibus de eleemoſynis à ſe collectis, & Ieroſolimam tranſmiſſis accedant, ſed eas reddant, liquidentque coram Miniſtro, & Diffinitorio Prouinciæ, in qua degunt, ſicque probatas, & liquidatas, ſubſcriptas, clauſas, & ſigillo Commiſſariatus munitas cuſtodibus portandas ad memorata Capitula Generalia tradant. Ac item ne memorati Commiſſarij Fratres vllos mittant ad eandem Ieroſolimorum vrbem cum eleemoſynis à ſe collectis, ſed monere de hoc teneantur Superiorem Generalem, cuius erit opportunis temporibus Religioſum fidelem, ac probum illùc ad id deſtinare cum declaratione ſummæ, & quantitatis ab vnoquoque Commiſſariatu collectæ, vt ad perpetuam ſingularum Nationum gloriam in libris Ieroſolimæ notetur, & pro Benefactorum ſalute, & retributione ſpecialiùs exoretur.

Si contigerit, Religioſos ad Terram Sanctam pergentes in Conuentibus Portuum Maris diutiùs, quam par eſt, immorari pro nauium occaſione captanda, ipſoſque pro interim in alijs Conuentibus diſtribuere opus fuerit, nolumus Terræ Sanctæ Commiſſarios Prouincialium ſibi iura abrogare ſine eorumdem licentia huc, vel illuc eos pro libito deſtinando, ſed Prouinciales admoneant, qui ad eorum inſtantiam promptè, & charitatiuè prouideant, prout expedire iudicauerint.

Hinc etiam ſtatuitur, vt in poſterum Fratres Terræ Sanctæ ab ipſa venientes, vel accedentes cuiuſcumque ſint gradus, vel conditionis, poſt tres dies eorundem quietis aſſignatos (niſi infirmitate detenti ſint,) & Choro interſint, & Refectorio conueniant, alijſque actibus Sanctæ Communitatis aſſiſtant, nec de Conuentu vnquam exeant ſine expreſſa Superioris localis licentia toties quoties petenda: Ipſi autem Guardiani teneantur ſub pœna priuationis ſuorum officiorum Fratres Terræ Sanctæ alere, & ſuſtentare. Prouinciales, qui ſecus permiſerint per Semeſtre à ſuo munere ſuſpenſi ſint. De inobedientia verò huius ſtatuti Commiſſarij Terræ Sanctæ certiorem ſubitò faciant (ſi caſus aderit) Superiorem Generalem, qui contra Guardianos inobedientes procedet vltrà pœnas taxatas, alijs arbitrio ſuo infligendis.

Ad adimplendam ea, qua par eſt, reuerentia, & promptitudine Sacræ Congregationis de Fide Propaganda mentem circa ſtudia linguarum, Diffinitorium Generale grata, rataque habet, atque confirmat pro nunc ea, quæ à P. Reuerendiſſimo Generali iam ante erecta fuerunt tempore ſui Guardianatus in Terræ Sanctæ locis, nouorum erectionem Reuerendiſſimæ Suæ Paternitati remittens, vbi, & quando ſibi libuerit, capta docentium opportunitate; & inſuper ad excitandos magis, magiſque Religioſos ad huiuſmodi officia animarum ſaluti adeò proficua, & neceſſaria, ſtatuit, vt ij, qui ſiue in memoratis iam erectis, ſiue alijs in poſterum erigendis linguarum ſtudijs Hebraicæ, Arabicæ, Græcæ, aut Syriacæ per duodecim integros annos ſe laudabiliter exercuerint, vel docendo, vel prædicando, vel Confeſſiones Sacramentales audiendo, idque authentico, & legitimo Guardiani, ac Diſcretorum teſtimonio comprobauerint, gaudeant ijſdem prorſus priuilegijs, gratijs, & indultis, quibus Commiſſarij Generales Terræ Sanctæ gaudent, ſi ſint Obſeruantes, Reformati verò ijs, quibus Lectores, qui iuxta præſentis Capituli Generalis decreta integrum Philoſophiæ curſum, & Sacram Theologiam per duodecim annos docuerunt, fruuntur, & gaudent.

Confirmatur ſtatutum de recipiendis, reficiendiſque omni charitate Peregrinis, qui deuotionis cauſa facultatem à Sanctiſſimo Domino Noſtro, vel à Superiore Generali viſitandi loca Sancta impetrauerint. Qui ad eorum ſeruitia deputati ſunt, omni erga eos modeſtia, humilitate, & charitate ſe gerant, nihil ab eis lucri temporalis ſperantes, nec ſponte oblatum recipientes: Si verò aliquid pia liberalitate in Terræ Sanctæ beneficium erogare voluerint, communi capſæ inferatur, libroque Procuratoris notetur, vt de alijs eleemoſynis fieri ſolet. Ad euitanda autem ferè innumera inconuenientia ex indiſcreta quorumdam vagantium infeſtatione oriri ſolita, declaratur in his tantùm locis præfatam hoſpitalitatem præcipi, in quibus Sanctuaria exiſtunt, & non alibi.

Caueant etiam Commiſſarij Generales Terræ Sanctæ, ſub pœna priuationis ſuorum officiorum, ne Peregrini quicumque ſiue Sæculares, ſiue Regulares ad Sancta loca proficiſcentes iter aſſumant, nauimque conſcendant, niſi priùs ipſis conſtiterit ſufficiens ipſos habere viaticum pro tali peregrinatione complenda, iuxta aliàs decreta. Quantitas autem eleemoſynæ adnotanda erit in Breui, ſeù obedientialibus eorumdem Peregrinorum in ſcripto habendis, & firmandis à Patre Commiſſario Terræ Sanctæ illius Portus, ex quo diſcedunt.

Sed quia plerumque ſub habitu Peregrinorum, Tertiariorum, & Eremicolarum plures Apoſtatæ, aut Sycophantæ, aut Balatro-

latrones incedunt, ex quibus damna non pauca, & dedecora maxima Chriſti fidelibus, ac noſtræ in primis Religioni oriuntur, diſtrictè præcipimus Commiſſarijs, vt luculenter ſuper ijſdem perſonis inuigilent, eorum obedientiales examinent, & ſi quos repererint malæ famæ, aut transfugas, aut valdè ſuſpectos, nullo modo permittant iter aſſumere; ſi verò Naucleris, Commiſſarijſque deceptis in partes Orientis appulerint, præcipuè ſi ſint Apoſtatæ cuiuſcumque Ordinis, carceri mancipent, cuſtodiantque in vinculis diligenter, donec occaſio eos remittendi ſe offerat, & ſi opus fuerit, tradant Conſulibus Nationum cuſtodiendos, & remittendos.

Cæterum ſi quid aliud pro bono Sanctorum locorum regimine fuerit prouidendum, Capitulum Generale Reuerendiſſimo Patri Generali Miniſtro commendat, vtpote negotiorum ibi emergentium apprimè conſcio, & Sanctæ Cuſtodiæ decoris, conſeruationis, & augmenti, ardentiſſimo zelatori.

Pro Vltramontana Familia.

Reuideantur Conſtitutiones Sambucæ.

1 Capitulum Generale renouat ſtatutum, quòd reuideantur, & corrigantur Conſtitutiones Generales recompilatæ tempore Generalatus Reuerendiſſimi Patris Michaelis Angeli à Sambuca per Patres deputandos à Diffinitorio Generali, à quo deputati ſunt Adm. RR. PP. Celſus Maria Billo de Senis Prædicator Generalis, Lector Iubilatus, Prouinciæ Tuſciæ olim Miniſter, Ex-Commiſſarius Generalis Curiæ Romanæ, ac Diffinitor Generalis actualis, & Ioannes Baptiſta à Burgo Collinæ Prædicator Generalis Lector Iubilatus, Ex-Secretarius Generalis, & Ex-Miniſter Prouincialis Tuſciæ ex Obſeruantibus: Ex Reformatis autem, Paſqualis à Tropẓa Prædicator Generalis, Lector Theologus Prouinciæ SS. Septem Martyrum, Ex-Miniſter Prouincialis, Ex-Secretarius Generalis, & Diffinitor Generalis actualis, & Franciſcus Maria à Bugnara Lector Theologus, Prouinciæ S. Bernardini Cuſtos, & Diffinitor Generalis actualis, ea tamen conditione, & lege, vt nihil proprio marte illis addere, ab eiſque diminuere audeant ex ijs, quæ in legitimis, & veris Conſtitutionum prædictarum exemplaribus reperiuntur, ſed tantùm addere in ſuis quibuſque locis Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinis, quæ deeſſe dignoſcuntur.

Quatuor Patres deputati pro eis.

Nihil proprio marte addant, vel minuant.

2. Decernit Capitulum Generale, vt præfata ſtatutorum correctione peracta, ſi deinceps aliquid pro bono Religionis prouidendum fuerit, fiat per modum decreti, & conſtante per curſum duorum Capitulorum Generalium neceſſitate, vel vtilitate huiuſmodi prouiſionis, in tertio Capitulo generali proponatur, & habeatur tanquam ſtatutum perpetuò valiturum.

Præſcribitur modus condendi ſtatuta in futurum.

3. Perpendens idem Generale Capitulum maxima inconuenientia, quæ Religioni prouenire poſſent, ex non accurata obſeruantia eorum, quæ in Conſtitutionibus Ordinis cap. 2. §. 1. à num. 1. ad 6. incluſiuè de ſæcularibus ad Religionis habitum admittendis, ſalubriter inſtituta ſunt; præcipit ſub pœna priuationis officiorum ipſo facto, & irremiſſibiliter incurrenda Superioribus, tum localibus, tum Prouincialibus, ac Diffinitorio, vt ea omnino exequantur, & exequi reſpectiuè faciant.

Renouantur ſtatuta de recipiendis ad habitum ſub pœna priuationis Superioribus localibus, & Diffinitorio.

4. Eidem pœnæ reſpectiuè ſubiaceant Superiores locorum, in quibus Nouitij ad habitum recipiuntur, qui non modò proteſtationes in prædicto num. 6. expreſſas ante habitus ſuſceptionem ſingulis veſtiendis non fecerint, ſed etiam in libro adhunc vſum deputato, cum ipſorum, & Diſcretorum ſubſcriptionibus, non adnotauerint dictas proteſtationes, quarum virtute; vel ad profeſſionem non admittantur, vel iam facta profeſſio, nulla declarari poſſit ſecundùm formam in dicto num. 6. expreſſam.

Proteſtationes fiant, & regiſtrentur.

5. Circa ætatem Magiſtri nouitiorum, & Guardiani Conuentus tùm Nouitiatus, tùm Profeſſorij Capitulum Generale declarat ſufficere, ſi ſint conſtituti in quinto ſupra trigeſimum annum iuxtà decreta Clementis VIII. non obſtante ſtatuto præſcribente ſaltem trigeſimum quintum completum. Hoc autem in caſu neceſſitatis tantùm à ſuperiore Generali approbandæ.

Magiſtri, & Guardiani Nouitiatus, & Profeſſorij ætas.

6. Si contigerit, Magiſtrum nouitiorum exercuiſſe officium cùm interpolatione, non proueniente ex mera voluntate, & commodo ipſius, ſed ex prouinciæ beneficio, Capitulum Generale, ſtatuit ipſum poſſe nihilominus aggregari inter Ex-Diffinitores, dummodò per octo annos integros ſolares in eo munere laudabiliter ſe geſſerit.

7. Similiter ſi quis ex Cuſtodibus, vel Diffinitoribus, ſiue actualibus, ſiue ex Patribus quibuſcumque aggregatis gaudentibus priuilegijs Patrum laudabiliter exercuerint officium Magiſtri nouitiorum, vel Profeſſorij, ſeu lecturæ myſticæ per ſex annos integros, & continuos Capitulares in prædictis domibus, præcedat in poſterum, vnuſquiſque in ordine ſuo reſpectiuè alios Patres etiam antiquiores, qui huiuſmodi munera non exercuerint; Inter ſeſe autem præcedant iuxta antiquitatem electionis inter

inter Definitores, & Cuſtodes, vel inſtitutionis inter aggregatos.

8. Quo ad difficultates ſuper titulis, & legibus ſăcitis nouiſſimè in Capitulo Generali Romano de anno *1676.* circa Conuentus recollectionis, quas experientia ducti propoſuerunt Patres Capitulares, ne illæ fruſtrentur, ſed omni procul abſurdo competenter ſeruari valeant, Definitorium Generale vnanimi conſenſu compromittit in Reuerendiſſimum P. Miniſtrum Generalem, quatenus pro ſuo zelo; & prudentia expoſitis opportunè iiſdem difficultatibus Sanctiſſimo Domino Noſtro de beneplacito, & approbatione Sanctitatis ſuæ prouidere dignetur, quidquid pro bono Religionis magis in Domino expedire cognouerit.

Tertiarij, quomodo admittendi, & educandi.

9. Ad remouenda nonnulla, eaque grauia inconuenientia, decernitur, nullum pro Tertiario poſſe ad ſeruitium Religionis admitti, etiam inter Reformatos, niſi præter alias conditiones requiſitas produxerit teſtimonia authentica, quòd alibi non fuerit receptus, & à Religione, ob patratos à ſe defectus expulſus. Quique ad ſeruitium vnius Conuentus, ſeu Prouinciæ ſunt deſtinati, non admittantur ad ſeruitium alterius abſque obedientia, & facultate Prouincialis, vel ſaltem teſtimonialibus Superioris localis, ſub pœna priuationis officij contrafacientibus, & expulſione ipſius admiſſi. Vt autem prædicti Tertiarij Religioſè, ac piè educentur, mandatur eiſdem Superioribus ſub eadem pœna, quatenùs illis ſaltem per triennium poſt eorum admiſſionem aſſignent aliquem Patrem ſpiritualem, qui cæremonias Ordinis, Doctrinam Chriſtianam & quæcumque ad perfectionem vitæ, & ſæculi ædificationem conducunt, eos inſtruat.

10. Obtinentes litteras obedientiales à quibuſcumque Superioribus maioribus, illas exequi nequeant, niſi poſt reſponſum acceptum à Prælato Prouinciæ ſub pœna Apoſtaſię, ſicut alias pro Reformatis proficuè ſtatutum fuit, excipitur tamen vtrobique caſus vrgentis neceſſitatis, quæ iudicio Superioris localis, & diſcretorum, dilationem non patitur, de quo iudicio ante diſceſſum è Conuentu, eundem Superiorem Prouincialem certiorem faciant.

Excipitur caſus neceſſitatis.

11. Capitulum Generale declarat, & quatenus opus ſit, etiam decernit, quòd Prouinciales poſſint mittere ſuos ſubditos ad quæcumque loca Prouinciarum contiguarum, ſeù viciniorum, publicè, vel grauis neceſſitatis intuitù, non tamen ad quęſtuandum; niſi de conſenſu intereſſe habentium. Si verò acciderit, fratres miſſos debere in contigua Prouincia vltrà menſem immorari, certiorem faciant Prouincialem qui nequeat eos mittere vltrà limites propriæ Prouinciæ. Viſitatores autem ab huiuſmodi obedientalibus concedendis omninò abſtineant, ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ per triennium, & grauis Apoſtaſiæ ſubditis; occurrente tamen caſu vrgentis neceſſitatis, vel publicæ vtilitatis, vt ſupra, tempore viſitationum, Prouinciales de eorundem Viſitatorum conſenſu illas concedere valeant.

Non etiam Viſitatoribus.

12. Definitorium Generale mandat ſeruari ſtatutum, quo ad Religioſos euntes, & redeuntes à Terra Sancta, qui Romam appulerint, quòd ſcilicèt ſubdantur Procuratori Ordinis, vel Commiſſario Curiæ reſpectiuè circa benedictionem petendam in egreſſu è Conuentu, & regreſſu ad eundem, ſicut cæteri forenſes.

13. Circa ſtudia linguarum ad mentem Sacræ Congregationis de Propaganda fide, in vnaquaque natione erigenda, Diffinitorium Generale ſolicitudini, experientiæ, ac zelo Reuerendiſſimi Patris Miniſtri Generalis innixum relinquit eidem prouidere, prout magis in Domino expedire animaduerterit.

Erectio ſtudiorum linguarum relinquitur arbitrio Reuerendiſſimi.

64. Definitorium Generale declarat ſtatutum de Definitoribus adhibendis pro iudicibus in Inſtitutione; & examine lectorum, intelligendum eſſe, quatenus ijdem Definitores, ac cæteri, qui ad idem iudicium vocantur, ſint periti, ſcilicèt, quòd Philoſophiam, & Theologiam legerint, ſeu docuerint, alioquin ſuperiores Generales, vel Prouinciales, cum conſilio, & aſſenſu duorum ſaltem digniorum Prouinciæ Patrum deputare debent peritos.

15. Renouatur, & confirmatur ſtatutum, quòd Superiores locales prouideant ſuis ſubditis de omnibus neceſſarijs ſub pœnis ibidem latis, pro quarum omnimoda executione, in caſu negligentiæ Capitulum Generale ſubijcit ſuperiores Prouinciales priuationi ſuorum officiorum:

Superiores locales prouideant ſubditis de neceſſarijs.

16. Capitulum Generale ſtatuit, in quibuſcumque Conuentibus deputandos eſſe Præfectos Communitatum pro veſtibus laneis, & lineis, qui ſi recuſauerint huiuſmodi onus obire, vel minùs quàm ſedulò, & charitatiuè illud exercuerint, priuationem incurrant officiorum Ordinis per ſexennium, ſi fuerint Sacerdotes, ſi verò laici, per idem tempus, nequeant applicari vlli miniſterio, tanquàm capita, neque fieri ſocij Confeſſariorum Monialium, & vltimum locum teneant in ſuo ordine: Superiores verò Prouinciales, & locales, ſi in præfata deputatione, & executione pœnarum, deſides fuerint, ſuis officijs priuati cenſeantur.

Deputentur in ſingulis Conuentibus Præfecti Cōmunitatum.

17. In-

Reddantur Computa ſingulis menſibus.

17. Innouatur, & Confirmatur ſtatutum de reddendis ſingulis quibuſq; menſibus per Superiores locales corā Fratribus Capitulariter congregatis eleemoſynarum receptarum, & expenſarum computis, ſuperaddendo priuationem officij Prouincialibus, qui contra negligentes taxatas pœnas non exegerint.

18. Capitulum Generale ſtatuit, vt in noua ſtatutorum compilatione facienda, vbi in delictis pœnæ correſpondentes taxatæ non fuerint, taxentur per Patres Reuiſores, vel ex antiquis Ordinis Conſtitutionibus, vel ex praxi Criminali Sanctorij de Melfi, vel ex iure communi, vel ex doctrina Doctorum Claſſicorum.

Exequantur pœnæ inflictæ contra nõ ſeruantes ordinem in appellatione, & recurſu.

19. Decernit Capitulum Generale, exequendas eſſe omninò pœnas à Conſtitutionibus Neapolitanis de anno 1590. cap. 37. inflictas contrà non obſeruantes ordinem in appellatione, & recurſu iuxta formam Decreti Sacræ Congregationis Regularium ſub Sixto V. nempe à grauamine Superioris localis, ad Prouincialem, à Prouinciali, ad Generalem, à Generali ad Protectorem, à Protectore ad Sanctam Sedem.

20. Statutum quo ſubrogatis, ſeu ſubſtitutis in Definitorio Generali conceduntur prærogatiuæ Patrum quoad Paternitatem, & præcedentiam dumtaxat, declaratur intelligendum eſſe de Patribus propriè, & rigorosè ſumptis, de ijs ſcilicèt, qui connumerantur inter eos, qui fuerunt Miniſtri Prouinciales, prout ſunt Guardiani Ieruſalem, Ex-Secretarij Generales, & Lectores Iubilati, poſt quos prædictis ſubſtitutis præcedentia debetur apud Obſeruantes; apud Reformatos autem poſt prædictos Ex-Secretarios Generales, abſque iure ſubrogandi.

21. Quoad præcedentiam Cuſtodum, & Prominiſtrorum, qui in Capitulo Generali Hiſpaniarum legitimè ſuffragati ſunt, declaratur, ſtandum eſſe Statuto Tolerano de anno 1658. nempè quòd non præcedant lectoribus Sac. Theologię apud Reformatos, non obſtante Statuto Romano 1676. bene verò apud Obſeruantes. Inter ſeſe autem vtrobique cæteris paribus præcedentiam competere Cuſtodibus ſupra Prominiſtros; Quo ad conditionem verò præſcriptam de Guardianatu per tres vices ad minùs, ipſam fore intelligendam primi, vel ſecundi nouitiatus: Cæterùm ob præciſam itineris rationem non deberi ipſis ius ſubrogandi, ſed tantummodò memoratos locum, & præcedentiam, ac proinde ex Cuſtodem antiquiorem, licèt non fuerit ſuffragatus in Hiſpanijs, præferendum eſſe.

Intereſſe vtrobique Cuſtodes præcedant Prominiſtros.

22. Declaratur item, Cuſtodibus completo officio deberi præcedentiam ſupra quoſcumque Ex-Definitores, etiam antiquiores in electione, quod paritèr intelligendum eſt inter Reformatos quo ad ius ſubrogandi.

23. Statutū in Cap. 8. §. 54. n. 1. de ordine ſeruando inter Definitores electos in eodem Capitulo, quòd ſcilicèt ſeruent pręcedentiam inter ſe ab antiquitate habitus, ſi aliàs non habeant alios titulos, ob quos ſe ad inuicem præcedebant, declaratur eſſe intelligendum de titulis, ob quos debebatur eis præcedentia ſupra Definitores.

24. Confirmatur etiā Statutum, quò lectoribus Iubilatis, ob defectum vacantiæ non gaudentibus prærogatiua iubilationis, conceditur præcedentia immediatè poſt Definitores habituales, ac ideò declaratur, eiſdem competere præcedentiam ſupra lectores ſexennales, cæteroſque patres aggregatos.

25. Renouatur, & confirmatur Decretum penultimi Capituli Generalis de anno 1676. pro tollendis diſſentionibus ortis cauſa præcedentię inter nonnullas Prouincias tam Obſeruantes, quàm Reformatas, quòd ſcilicet ſeruetur ſeries præcedentiæ iuxta Chronicon Reuerendiſſimi Gonzagę præſcindendo à Conſtitutionibus Compilatis per Reuerendiſſimum Sambucam, ita ut Prouinciæ nouitèr inſtitutæ teneant locum poſt antiquas.

26. Statutum diſponens, ſubrogationem non deberi Patri digniori, niſi à præcedenti ſubrogatione per biennium integrum vacauerit, declaratur intelligendum eſſe de eo, qui in dicta præcedenti ſubrogatione duobus etiam annis phyſicis durauerit.

In vacantia quinti Definitoris, non eſt facienda ſubrogatio, benè tamen in vacantia alicuius ex quatuor.

27. Si contigerit, in aliqua Prouincia quintum Definitorem reperiri, ipſo quomodocumque vacante, vel abſente, declaratur, non eſſe faciendam ſubrogationem, nec ſubſtitutionem; ſecus verò in vacantia, vel abſentia cuiuſquam ex quatuor, etiam præſente, & nonvacante quinto.

28. Statuta diſponentia, quòd Definitores actuales, eſſe non poſſint Guardiani, & quòd Definitor eo tempore, quo fuerit Guardianus de corpore Definitorij eſſe non poſſit, declaratur eſſe intelligenda de Diffinitoribus Prouincialibus electis, vel iam ſubrogatis, ſeu ſubſtitutis, non verò de ſubrogandis; ac propterea non obſtantibus prædictis ſtatutis, Pater dignior poteſt, imò debet ſubrogari, etiam ſi tempore ſubrogationis faciendæ reperiretur actu Guardianus, qui huiuſmodi Guardianatus munus

exer-

exercere poteſt vſque ad nouam electionem Guardianorum Congregationis immediatæ, vel Capituli Prouincialis, ſicut aliàs fuit diſpoſitum.

29. Declaratur inſuper, Secretariatus Prouinciæ,& Guardianatus officia ſimul, & ſemel ab eodem exerceri non poſſe, ac proinde, ſi Secretarius eligatur in Guardianum, eo ipſo cenſetur abſolutus à Secretariatu, & pari modo, ſi Guardianus aſſumatur in Secretarium.

Annos vacationum regulariter non ſunt ſolares, ſed Capitulares.

20. Quoties cumque in Conſtitutionibus Ordinis fit mentio de annis vacationum, declaratur intelligendos eſſe de annis Capitularibus, non de ſolaribus,niſi ſecus exprimatur; præfati autem anni Capitulares, non debent eſſe minores decem, vel vndecim menſium, excepto caſu imminentis Capituli Generalis, vel alio rationabili ad iudicium Superioris Generalis.

31. Definitorium Generale declarat, quòd quemadmodum Guardiani in Capitulis electi continuare poſſunt in officio ad triennium, & ſemeſtre, abſque vlla diſpenſatione Superioris Generalis, ita etiam alij electi, extra Capitulum ex ſpeciali tamen eiuſdem Generalis diſpenſatione.

32. Si in electione Vicarij Prouincialis contigerit electum ante captam poſſeſſionem renūciare,declaratur, Patrem digniorem, qui præfuit illius electioni, poſſe, imò debere omnino vlla interpoſita mora,iterum conuocare Patres, ſi fuerint abſentes, & legitimam agnoſcentes renunciationis cauſam, ad electionem alterius Vicarij Prouincialis deuenire abſque alia facultate Generalis, licèt infra ſpatium trium dietarum reperiretur; Quod etiam intelligendum eſt cæteris paribus, ſi prædictus Vicarius ſtatimè vita diſcederet. Interim verò regimen Prouinciæ in ijs, quæ dilationem non patiuntur, ſpectat ad eundem Patrem digniorem.

Secretarius colligat, & conſeruat ſcripturas.

33. Si cōtigerit mors Viſitatoris capta officij poſſeſſione, declaratur Prouinciali competere regimen Prouinciæ, vſque ad noui Viſitatoris deputationem in ijs tantùm, quæ dilationem non patiuntur. Vnde viſitare, proceſſus formare de præteritis delictis, cauſas terminare, & ſimilia facere non poteſt. Demortui autem Viſitatoris Secretarius coram Superiore, ac Diſcretis Conuentus Viſitationes, cæteraſque ſcripturas ad præfati Viſitatoris officium pertinentes, in Inuentarium referat, ac minori ſigillo Prouinciæ munitas conſeruet apud ſe vſque ad nouum Generalis mandatum.

Viſitatores inquirant de ſuorum immediatè prædeceſſorum moribus, & vita.

34. Decernitur, & ſtatuitur, Commiſſarios Viſitatores debere inter cætera diligenter inquirere de ſuorum immediatè prædeceſſorum, atque ſociorum, officio, moribus, & vita; ſi verò peracta Viſitatione inſurgat fama publica contra aliquem ex præfatis Viſitatoribus,vel ſocijs, poſſit Generalis non expectato tempore mittendi ſucceſſorem, deſtinare ſtatim Delegatum ſpecialem ad finem opportunè prouidendi, prout de iure.

35. Promotionem Procuratoris Ordinis, & Commiſſarij Curiæ Romanæ, & Guardiani Ieruſalem, Definitorium Generale declarat faciendam eſſe ad tenorem ſtatuti relati ſub cap.8.§.61.num.1.nempè de conſilio, & aſſenſu Definitorij Generalis, quemadmodum ab immemorabili vſu receptum eſt, non obſtante quacumque alia Conſtitutione Ordinis in contrarium.

36. Definitorium Generale declarat, votum deciſiuum competere Præſidi in electionibus, quæ per ballottationes tantùm, ipſo proponente, non autem in illis, quæ per ſchedulas, nemine proponente, fiunt, neque eo vti poſſe, niſi poſt tres vices vota fuerint æqualia.

Preſes, quando vti poteſt voto deciſiuo.

37. Renouantur, & confirmantur ſtatuta pro Bibliothecarum conſeruatione cap. 6. §. 1. necnon cap.8.§.33.ſub pœna priuationis Superioribus Prouincialibus,& & localibus, qui ſub eadem pœna teneantur de huiuſmodi obſeruantia teſtimoniales deferre, ſeu mittere in ſingulis Congregationibus, & Capitulis, ac omnino rationem reddere; quod non ſolùm intelligendum eſt de Bibliothecis magnis,ſeu formalibus, ſed etiam de alijs quantumcumque paruis.

Renouatio ſtatutorum pro conſeruatione Bibliothecarum.

38. Pro omnimoda executione ſtatuti præcipientis reſtitutionem veſtimenti veteris poſt nouum acceptum, ſub pœnis in proprietarios latis; Capitulum Generale decernit,ipſo facto priuandos eſſe Superiores locales, & Prouinciales ſi ſecus permiſerint, vel taxatas pœnas non exegerint.

Reſtituatur veſtimentum vetus poſt acceptum nouū. Superiores ſecus permittentes, priuentur officio.

39. Confirmatur etiam, & innouatur ſtatutum in cap.8.§.1.num.17. interdicens Patribus Reformatis petitionem eleemoſynarum intrà limites Conuentuum Patrum Obſeruantiæ, niſi priùs eiuſdem Obſeruantiæ Miniſtri Prouincialis obtineatur facultas in ſcriptis, & viceuerſa Patribus Obſeruantibus, abſque Miniſtri Prouincialis Reformati conſenſu, etiam in ſcriptis obtento ſub pœna grauis Apoſtaſiæ, & exilij Quæſtoribus ab illo Conuentu, necnon priuationis officij Guardianis mittentibus, & ſuſpenſionis per ſemeſtre Prouincialibus, qui huiuſmodi ſtatuti obſeruantiam, & pœnarum executionem neglexerint; Ac proinde vtrique ſub iiſdem pęnis, in petitione eleemoſynarum ſtare debent limitibus antiquitùs

tùs præſcriptis, vel de nouo ab vtroque Definitorio ſimul in vnaquaque Prouincia præſcribendis, vbi præſcripti adhuc non ſunt. Quæ diſpoſitio eſt pro locis, in quibus non ſunt ſimul Conuentus Reformatorum, & Obſeruantium, ſed alterutrius ipſorum; vbi verò ſunt Conuentus, vtrorumq; quæſtuationes ſint indiſtinctæ intra limites.

40. Exequatur omnino ſtatutum de reddendis ſingulis quibuſque menſibus per Superiores locales coram Fratribus Capitulariter Congregatis, eleemoſynarum acceptarum, & expenſarum computis; Et Prouinciales, ſi contra negligentes taxatas pœnas non exegerint, eo ipſo priuationem officij incurrant.

41. Præter ea, quæ nouiſſimè Congregatio Generalis Romana commendauit officialibus Curiæ Romanæ procurandà, apud Sacram Congregationem Rituum ad maiorem Dei gloriam, & noſtræ Religionis honorem; Definitorium Generale præſentis Capituli commendat ſucceſſoribus eiuſdem Curiæ promotionem Cauſarum Beatificationis Seruorum Dei Fratris Laurentij de Riuello, Fratris Antonij de Stronconio, & Fratris Ægidij de Laurenzana; nec non vt procurent orationem pro ſuffragijs in commemoratione Sanctorum Noſtri Ordinis quæ Sanctos tertij Ordinis Pænitentium comprehendat &c.

Pro Reformatis.

Nouus Gradus præcedentiæ pro Lectoribus Prædicatoribus & Magiſtr. Nouitiorum.

1. Capitulum Generale perpendens, multos premio, magis, quàm pœna ad virtutes excitari, omnium Vocalium ſtrictioris Obſeruantiæ vnanimi conſenſu, ac nemine penitus diſcrepante, ſtatuit eos, qui integrum Philoſophiæ curſum, & Sacram Theologiam per duodecim annos laudabiliter docuerunt, vel in poſterum docebunt, vltimum locum, & præcedentiam obtinere inter eos, qui Miniſtri, aut Vicarij Prouinciales per biennium, vel Guardiani Ieruſalem, vel Secretarij Generales fuerunt. Qui verò totidem annis in Cathedralibus, vel ſugeſtis conſpicuis, vel Generalibus in Verbi Dei promulgatione, præclarè ſe geſſerunt, vel poſt hac ſe gerent, immediatè poſt Definitores actuales; Et qui Magiſtri Nouitiorum per octo annos fuerunt, vel erunt, poſt Ex-Cuſtodes, & Pro-Miniſtros, qui in Capitulo Generali Hiſpaniarum legitimè ſuffragati ſunt locum habeant, ea tamen lege, vt vnus ex Lectoribus, vnuſq; ex Concionatoribus, & vnus ex præfatis Magiſtris antiquior in ſuo quolibet munere expleto, præfata reſpectiuè præcedentia, & loco, abſq; iure ſubrogàdi eodem tempore gaudere poſſit. Præfati autem Lectores, teneantur in poſterum exercitia ſcholaſtica facere ad præſcriptum Conſtitutionum Generalium.

2. Ad experiendam Superiorum localium, & Syndicorum Apoſtolicorum fidelitatem, atque ad obturanda obloquentium ora, iniungitur eiſdem Superioribus ſub pœna priuationis officij, ipſo facto incurrenda, quatenus intra ſpatium vnius menſis, connumerandi à die publicationis præſentium, conficiant librum magnum, qui ad plures annos inſeruire valeat, in cuius altera parte notentur eleemoſynæ pecuniariæ de die in diem diſtinctè, tam, quæ proueniunt ex laboritijs, quàm ex mera liberalitate, cum expreſſione nominis Benefactoris (ſi nominari voluerit) ſin autem ſub nomine N. & finis propter quem elargiuntur, nempe pro fabrica, pro libris pro pitantia, & ſimilibus. In altera verò parte eiuſdem libri regiſtrentur expenſæ quotidianæ ſingillatim, & diſtinctè, non autem in confuſo cum ſpecificatione cauſæ propter quam factæ ſunt. Eodem pari modo conficiatur alius liber, in cuius altera parte deſcribantur onera Miſſarum, quæ in dies adueniunt cum ſpecificatione nominis offerentis, & qualitatis earum, an ſcilicet ſint *de Requiem*, vel *Votiua*, vel *de Tempore*; & in altera eiuſdem libri parte adnotentur ſatisfactiones earundem, quæ celebrantur in dies cum eadem ſpecificatione Benefactoris, ad cuius intentionem celebratæ ſunt; Et conſtito de aliqua expenſa facta, vel eleemoſyna tributa, quæ notata non ſint, procedatur in præfatos Superiores, tanquam in defraudatores, & dilapidatores, ac propterea ſingulis quibuſque menſibus ſub eadem priuatione irremiſſibiliter exequenda, teneantur reddere computa coram tribus ſaltem diſcretis Conuentus, quorum Conſcientia ſerioſiùs oneratur, necnon, & Syndico Apoſtolico, tanquam dantium ſubſtituto. Caſu verò, quo præfatus Syndicus rationabilibus ex cauſis; in prædicta computorum redditione adeſſe nequiuerit, non propterea excuſantur Superiores locales, quin ipſa reddant coram memoratis diſcretis. Superiores autem Prouinciales, ſi pœnas contra negligentes inflictas non exegerint, vt complices, pari pœna plectantur.

Conficiatur alius liber, in quo regiſtrentur onera miſſarum, et ſatiſfactionis earum.

3. Quandoquidem ex incuria Superiorum localium, non aſſeruantium monumenta, ſeu ſcripturas ad Conuentus pertinentes, complura, eaque non leuia detrimenta eiſdem Conuentibus obuenerunt, iniungitur dictis Superioribus, quatenus intra bimeſtre ab harum publicatione, colligant ſcripturas prædictas in vnum, eaſque reponant in aliqua capſula, vel Archiuio, in

quo

quo bene cuſtodiri,& aſſeruari valeant vnà cum inuentario, ſeu libro, in quo diſtinctè notentur omnia in eiſdem ſcripturis contenta, prout ſunt fundationes, legata, inſtrumenta, priuilegia, indulta, & ſimilia.

Pro Prouincijs Poloniæ.

1. CIrca dubia propoſita à Miniſtro Prouinciali, & Definitorio Obſeruantium Maioris Poloniæ, Definitorium Generale,primò reſpondit, Guardianos, poſt reſignationem realem Guardianatus, acceptatam à maiori parte Definitorij Prouinciæ, eſſe iam abſolutos ab officio, & durante cauſa renunciationis non poſſe reeligi.

2. Quo ad Domos Recollectionis, obſeruandas eſſe Conſtitutiones à Sanctiſſimo Domino confirmatas, ſi quæ tamen circumſtantiæ, ſeu conditiones, ratione locorum eſſent moraliter inobſeruabiles, notificentur Reuerendiſſimo, cuius erit ab eodem Sanctiſſimo modificationem poſtulare.

3. Vſum duorum Caputiorum nullo modo permitti in regula noſtra; quoad Calepodia verò, & ſandalia ſtandum eſſe conſuetudini.

4. Circa inceſſum Patrum Reformatorum ſub eadem, vel ſub diuerſa Cruce cum Obſeruantibus in Proceſſionibus, ſeruandam eſſe etiam locorum conſuetudinem.

5. Quantum ad præcedentiam, quam ipſa Prouincia Maioris Poloniæ prætendit à Minori in pœnam negligentiæ Vocalium eiuſdem accedendi ad Capitulum Generale. Definitorium Generale reſpondit, non conſtare de culpa totius Prouinciæ, & conſequenter non eſſe adhuc dignam tali pœna.

6. Nec Fratribus Reformatis, vbi ſunt Conuentus Obſeruantium,nec Obſeruantibus, vbi ſunt Conuentus Reformatorum, licere in domibus ſæcularium pernoctare, iuxta Conſtitutiones Generales Ordinis.

7. Quoad titulum tandem Prouinciæ Minoris Poloniæ, Seruandum eſſe ſolitum.

Pro familia Ciſmontana ſtatuta.

1. VT in electione Diffinitorum Generalium Iuſtitia diſtributiua exactiùs ſeruetur. Statuitur, vt deinceps ex Prouincia, cuius filius electus fuit Diffinitor Generalis, in Capitulo immediatè præcedenti,non poſſit eligi in Diffinitorem Generalem in Capitulo immediatè ſequenti alius eiuſdem Prouinciæ filius, etiamſi Vocalis ſit pro iure alterius Prouinciæ, aut Conuentus, & aliter electio facta, ſit irrita, & nulla.

2. Circa ſtatuta compilanda, decretum eſt, vt perficiatur compilatio ſtatutorum huius familiæ, iuxta compromiſſum Capituli Generalis Romani ann. 1676. quod compromiſſum in Reuerendiſſimum Patrem Miniſtrum Generalem præſentem tranſiſſe Diffinitorium Generale declarat. Compilatione autem perfecta, ſequentia in præſenti Capitulo Generali ſtatuta omnino obſeruentur.

3. Ad euitanda in poſterum incommoda, quæ ex multiplici legum conſtitutione, antiquarum abrogatione, nouarum inductione, & receptarum mutatione, oriri expertum eſt, & vt conſultiùs, ſi quid de nouo ſtatuendum eſt,aut mutandum,procedatur, præſens Capitulum Generale ſequentia perpetuò obſeruanda ſtatuit.

4. Nempe, vt ſi aliquod ſtatutum generale, de nouo condendum ſit, aut antiquum abrogandum, primum proponatur in diſcretorio generali, ibique diſcutiatur, ſuffragijſque ſingulorum acceptis, ſi maiori parti videatur neceſſarium, ad Diffinitorium Generale deferatur, & ſi ibi re de nouo diſcuſſa approbetur, in actis Capituli ſcribatur, non vt ſtatutum factum, ſed vt Prouincijs propoſitum ad ipſius conuenientiam, vel inconuenientiam explorandam.

5. Propoſito autem ſic Prouincijs ſtatuto, & vſque ad conuocationem ſequentis Capituli Generalis, communi probatiorum Religioſorum circa illud ſenſu perſpecto, Diffinitorium cuiuſcumq; Prouinciæ ſuum votum de illo admittendo, vel non admittendo, prout in Domino viderit expedire, ſcripto formet, & à Prouinciali,cæteriſque Diffinitorij Patribus ſubſcriptum, ac maiori ſigillo Prouinciæ munitum, per manus Cuſtodis cum cæteris Prouinciæ ſcripturis ad Capitulum Generale deferendis tranſmittatur.

6. In Capitulo verò Generali viſis præfatis Prouinciarum votis, ſi maior pars Prouinciarum ſtatuto condendo ſuffragetur, & iterum inibi in Diſcretorio, & Diffinitorio diſcuſſum à maiori parte vtriuſque probetur, ſtatutum ipſum factum intelligatur, & inter leges Religionis perpetuò ſeruandum collocetur; ſtatuta autem aliter facta in poſterum irrita ſint, & nulla.

7. Nec per hoc neceſſitati Ordinis minùs conſulitur; cum expertum ſit multiplicitatem, & variationem ſtatutorum, Ordinem potiùs peruertere, quàm reformare, & ſanè in ſancitis hucuſque Conſtitutionibus, ad conſeruandam regularem diſciplinam,

ordi-

ordinationes pleniſſimè ſufficientes inueniuntur, accidentalibus verò caſibus per decreta; deformationi per præcepta applicationis pœnarum, & difficultatibus circa ſtatuta, per eorum declarationes, prouideri poteſt.

Decreta, & declarationes pro eadem Familia.

8. VT decretis aliàs à Sede Apoſtolica emanatis, & à Sacra Congregatione de Propaganda Fide de nouo iniunctis debita obedientia præſtetur, Diffinitorium Generale præcipit, vt cum primum fieri poſſit cum effectu conſtituantur ſtudia linguarum Hebraicæ, Græcæ, & Arabicæ in Conuentibus principalioribus academiarum noſtræ Familiæ, nempe Pariſienſi, Toloſano, Salmanticenſi, Complutenſi, Conimbricenſi, & Valentino, enixèque commendat Reuerendiſſimo Patri Miniſtro Generali, vt Lectores, qui præfatas linguas docere poſſint, ſedulò quærat, & ad præfata ſtudia tranſmittat.

9. Attenta intentione Ordinis in aſſignandis diebus diſciplinæ habendæ, & noua multiplicatione feſtorum ſub ritu duplicis maioris; Declarat Diffinitorium Generale, exceptiones à diſciplina in diebus feſtinis ſtatutas, debere intelligi præcisè in diebus primæ, & ſecundæ claſſis, & in feſtis ſeruandis, ac in feſtiuitatibus duplicibus maioribus Chriſti Domini, & Sanctiſſimæ eius Matris, nec non in Octauis per Conſtitutionem Segobienſem aſſignatis, nec vltrà extendendas fore, intelligique de diebus ipſis præfatis, non verò de eorum vigilijs, ſeu diebus immediatè antecedentibus.

10. Declarat item Diffinitorium Generale, nomine ſocij grati in litteris patentibus apponi ſolito, intelligi debere Religioſum probatæ vitæ, officio ſuperioritatis, aut neceſſariæ aſſiſtentiæ non occupatum, niſi aliter in caſu alicuius negotij communis pro bono Prouinciæ, aut Ordinis peragendi expedire iudicauerit, aut Superior Generalis, aut Miniſter Prouincialis.

11. Declarat inſuper, quòd ſi aliquis Lector Theologiæ à Prouincia inſtitutus, ex diſpoſitione, ſeu ordinatione Diffinitorij eiuſmet Prouinciæ Theologiam Scholaſticam legerit in aliquo Collegio ſæculari, aut alterius Religionis Conuentu, huiuſmodi lectura inter annos ad Iubilationem requiſitos ipſi computari debeat, dummodò ſingulis annis ſeptem continuos Lectoratus menſes expleat, cæteraque exercitia literaria in Conſtitutionibus noſtris Lectoribus Theologiæ iniuncta compleat.

12. Attenta ingenti deuotione, & pijſſima munificentia, quibus ſupra conſignatam eleemoſynam Excellentiſſimus Dominus N. Comes de Chinchon præſenti Capitulo Generali aſtitit; Diffinitorium Generale vtriuſque familiæ (expoſcente Excellentiſſima Comitiſſa coninge Ordinis Patrona) conceſſit, vt caſu quo præfata Excellentiſſima Patrona, è vinis ante prædictum Excellentiſſimum Dominum abeat, & ob id ipſe tempore propriæ mortis Patronus actu non exiſtat, fiant in toto Ordine pro ipſo ſuffragia eo penitùs modo, quo fierent, ſi tempore obitus ſui actu Religionis Patronus eſſet.

13. Diffinitorium Generale confirmat, & innouat decretum Congregationis Generalis Toletanæ de die vigeſima Septembris anni Domini milleſimi ſexcenteſimi ſeptuageſimi tertij, quo declaratur, fratres omnes Regularis Obſeruantiæ eſſe capaces recipiendi gradus ſcholaſticos, vſque ad lauream doctoralem in quauis vniuerſitate, & obtinendi Cathedras in ea ſub conditione, vt Vniuerſitas ipſa velit fratres noſtros ad prædictos gradus ſine expenſis admittere, & quòd fratres propinas, aut aliud quouis emolumentum ab alijs graduandis viciſſim non accipiant, ac Cathedras ſine ſtipendiis regant; quandoquidem ſub his conditionibus poſſint profectui doctrinæ communis inſeruire, & paupertas Euangelica, quam profeſſi ſunt, nullatenùs violetur.

Pro Gallis, & Germano-Belgicis.

14. COmpilationem Statutorum Magni Conuentus Pariſienſis, ex ordinationibus, & Decretis antiquis, & modernis Miniſtrorum Generalium, per quæ ſemper præfatus magnus Conuentus gubernatus eſt, compoſitam à Patribus, quibus Reuerendiſſimus Pater Fr. Ioſeph Ximenez Samaniego, tum Miniſter Generalis commiſit, & in diſcretorio eiuſdem magni Conuentus reuiſam, & probatam, atq; Diffinitorio Generali præſentatam, ex eiuſdem commiſſione iterum reuiſam, & probatam, Præfatum Diffinitorium approbat, & confirmat, & ab omnibus, ad quos ſpectat, obſeruari præcipit ſub pœnis in ipſis ſtatutis contentis.

15. Cum autem ex inſtrumentis authenticis Diffinitorio Generali conſtiterit, præfatum magnum Conuentum Pariſienſem optatæ, ac requiſitæ reformationi reſtitutum eſſe, in eoque obſeruantiam regularem vigere, & eidem Diffinitorio exhibitum fuerit Breue Apoſtolicum Sanctiſſimi Do-

Domini Noſtri Clementis Decimi, Regijs Patentibus munitum, reſtituens Prouinciæ Aquitaniæ Antiquioris ius ſuum habendi in dicto magno Conuentu Diſcretum, & Studentes, cum derogatione cuiuſuis oppoſiti, quæ tantùm deſiderabantur, vt iuxta Chriſtianiſſimi Regis Arreſta, & Miniſtrorum Generalium præcedentium decreta reſtitutio in præfatum ius executioni mandaretur; Diffinitorium ipſum Generale, præſenti decreto Prouinciam prędictam Aquitaniæ antiquioris in præfatum ius, cum effectu reſtituit, ac conſtituit, atque Guardiano, & Diſcretorio ipſius magni Conuentus executionem imponit ſub pœna nullitatis actorum ex oppoſito ſequentium.

16. Quia verò præfato magno Conuentui Pariſienſi, & inſtituto noſtro de Sæcularium ſpirituali profectu procurando haud ſufficienter prouiſum eſt; Concedit Diffinitorium Generale, vt duo, aut tres Lectores in eodem Conuentu Iubilati à Diſcretorio eiuſdem Miniſtro Generali præſentati, ſi ab ipſo litteras obedientiales obtinuerint in eodem magno Conuentu de familia manere poſſint, vt Confeſſionibus Benefactorum, & infirmorum viſitationibus, Magnatum, & Nobilium conſolationi ſpirituali vacent; & tandiù in eo maneant, quamdiù præfatis operibus ſedulam dent operam, cum hac tamen expreſſa conditione, vt numquam Diſcretorium ingrediantur, nec actiuam in electionibus, nec conſultiuam in rebus agendis vocem habeant.

17. Quantum ad prærogatiuas Ex-Guardianorum Pariſienſium, decreuit Diffinitorium Generale, ſtandum eſſe ſtatutis nationalibus Galliæ à Reuerendiſſimo P. Franciſco Maria Rhini tunc Miniſtro Generali, & Commiſſario Apoſtolico in Congreſſu Pariſienſi pro natione factis.

18. Ne ex his, quæ pro maiori profectu Religioſorum inſtituta ſunt, plures diuiſiones oriantur, Diffinitorium Generale prohibet, ne in vnaquaque Galliarum Prouincia ampliùs, quàm tres Conuentus receſſus ſpiritualis inſtitui valeant, qui nullis alijs legibus, quàm ſtatutis Generalibus pro Recollectis Hiſpaniæ ordinatis, poſſint gubernari, in quorum vno Nouitiatus inſtitui poterit.

19. Declarat Diffinitorium Generale, quòd in Prouincijs Recollectorum Galliæ Clerici profeſſi, etiam ſacris Ordinibus non initiati, debent præcedere fratres omnes Laicos in quibuſcumque functionibus, tam publicis, quàm priuatis, iuxta motum proprium ſanctiſſimæ memoriæ Vrbani Octaui de die 16. Nouembris 1642.

20. Decretum etiam fuit, vt in inſtituendis Agentibus in Curia Romana pro Natione Gallica, aut pro Germano-Belgica ſeruetur diſtributio inter Prouincias, itaut ex eadem Prouincia vnus poſt alterum, non inſtituatur, ſed inter omnes, quæ ad Nationem, pro qua eſt Procurator, pertinent, quantum fieri poterit, alternetur. Nec aliquis inſtituatur, niſi à Diffinitorio Prouinciæ, ex qua eligendus eſt, maturo examine præhabito teſtimonium bonum habeat de moribus, ſufficientia, doctrina, & habilitate, pro præfato munere exequendo &c.

Iudices pro expellendis Incorrigibilibus.

1. IVxta declarationem, & conceſſionem Sac. Congregationis Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Sacroſancti Concilij Tridentini interpretum, tenoris ſequentis, videlicet. [Sacra Congregatio Concilij Tridentini Interpretum, Sanctiſſimo Domino approbante, declarauit, ſex Patres in ſingulis Capitulis, vel Congregationibus Generalibus eligendos, de quorum conſilio, & aſſenſu, Generalis poteſt Regulares incorrigibiles à Religione eijcere, in vnaquaque Prouincia eligi poſſe; eoſdemque ſic electos, ſi Generalis tam longè abfuerit, vt cum eis conuenire non poſſit, debere ad eundem tranſmittere Summarium proceſſus, vnà cum eorum voto, & iuxta illud Generalis poſſit ad ſententiam expulſionis procedere: Interea tamen, vſque ad primum Generale Capitulum, vel Congregationem proximè celebrandam, Sanctitas Sua annuit, vt eiectio, ſeruata in reliquis forma decreti hac de re editi, poſſit fieri à Generali, cum conſilio, & aſſenſu ſex Patrum, quod idemmet Generalis in qualibet Prouincia infra quatuor menſes elegerit. Nona Auguſti 1625. S. Cardinalis S. Suſannæ. Loco † ſigilli. Proſper Fagnanus Sac. Congregationis Segretarius.] Deſignantur in ſingulis Ordinis noſtri Prouincijs, tam pro Obſeruantibus, quàm pro Reformatis ſex Patres, videlicet, Miniſter Prouincialis, & Cuſtos duo Antiquiores, ſeu Digniores Prouinciæ Patres, duo Antiquiores Lectores Iubilati, *Obſeruantes; apud Reformatos* autem, & vbi non ſunt Iubilati duo Lectores Sacræ Theologiæ, ſiue habituales, dummodò ſint antiquiores; defectu verò duorum Prouinciæ Patrum, duo Ex-Cuſtodes, ſeu Diffinitores antiquiores in officio.

2. Et quoniam ob amplitudinem, & dilatationem Ordinis, non poteſt Reuerendiſſimus Pater Generalis adire quamplu-

res

res Prouincias, præſertim Orientalium, & Occidentalium Indiarum, ac Inſularum, necnon Germaniæ, & Flandriæ; eadem Sacra Congregatio induliſt ſupradictam facultatem Commiſſarijs Viſitatoribus ab eo deſtinandis ad dictas Prouincias cum amplitudine poteſtatis, vt ſeruata in reliquis forma Decreti hac de re editi electio fieri poſſit ab illis, cum conſilio, & aſſenſu Prædictorum ſex Patrum, benignè annuente Summo Pontifice &c.

Sequuntur Suffragia.

PRO Sanctiſs. D. N. Innocentio XI. Summo Pontifice, Imperatore, Regibus, Principibus Orthodoxis, Eminentiſs. Card. Protectore, Exaltatione S. Matris Eccleſiæ, hæreſum extirpatione, fœlici ſtatu noſtri Ordinis, eiuſdemque Patronis fiant aſſueta, & iniuncta in anterioribus Capitulis Generalibus præſcripta ſuffragia.

Numerus Fratrum ab vltimo Capitulo Generali Defunctorum.

MOrtui ſunt ab vltimo Capitulo Generali Romæ celebrato anno 1676. Vſque ad præſens Capitulum Generale Toletanum ferè ſeptem millia, iuxta computationem factam per teſtimonia ad dictum Capitulum delata, quorum animæ orationibus fratrum ſubueniendæ commendantur.

Pro his verò omnibus, qui in acceſſu, & receſſu à præſenti Capitulo Generali obierunt, à quolibet Sacerdote vnam Miſſam celebrari, à Clericis vigiliam vnam defunctorum, & à Laicis centum Pater, & Aue Maria recitari, iuxtà Conſtitutionem Generalem præcipitur.

Ita eſt.

LVdouicus Cardinalis Portocarrero Archiep. Tolet. Capituli Præſidens.

F. Petrus Marinus Sormanus Miniſter Generalis.

F. Ioſeph Ximenez Samaniego Miniſter Generalis immediatus.

F. Franciſcus Maria de Cremona Ex-miniſter Generalis.

F. Marcus Zarzoza Commiſſarius Generalis.

F. Antonius à Sancto Ioanne Ex-Commiſſarius Generalis.

F. Chriſtophorus del Viſo Commiſſarius Generalis Indiarum.

F. Celſus Maria Billò Ex-Commiſſarius Curiæ Rom. & Diffinitor Generalis.

F. Franciſcus Gattinara Diffinitor Generalis.

F. Angelus à Genua Diffinitor Generalis, & Secretarius Ordinis.

F. Antonius à Cartoceto Diffinitor Generalis.

F. Adrianus Hueppher Diffinitor Generalis.

F. Ludouicus ab Aquis Diffinitor Generalis.

F. Paſcalis de Tropæa Diffinitor Generalis.

F. Antonius de Montebuſo Diffinitor Generalis.

F. Franciſcus Maria de Buniara Diffinitor Generalis.

F. Balthaſar à Regibus Diffinitor Generalis.

F. Ioannes de Gueuara, Diffinitor Generalis.

F. Chriſtophorus à Sancta Maria Diffinitor Generalis.

F. Martinus Sneps Diffinitor Generalis.

F. Bonifacius Macs Diffinitor Generalis.

F. Honoratus le Balleur, Diffinitor Generalis.

F. Claudius Fraſſen, Diffinitor Generalis.

F. Ferdinandus Guzman, Diffinitor Generalis.

F. Stephanus Perrier, Diffinitor Generalis.

F. Petrus Minor Diffinitor Generalis.

CONCLVSIO.

HÆc ſunt, quæ nulla non adhibita diligentia, tum ex ordinis Archiuijs, tum ex Regeſtis Curiæ vtriuſque reperire licuit, ſiue Ordinis in Communi, ſiue vtriuſque reſpectiuè familiæ, generalia ſtatuta, iuxta temporum, & ſucceſſuum viciſſitudines ampliata, diminuta, mutata, reuocata, vel reſtituta, prout etiam ex nouis Sacrarum Congregationum, vel Sedis Apoſtolicæ conſtitutionibus fuit neceſſarium. Miraberis forſan beneuole lector, quòd antiquiſſimas conſtitutiones, quæ cum præſenti rerum ſtatu nullatenus accommodari poſſe videntur, hic iterum appoſitas ſit inuenire: non miraberis, ſi cum Sapiente aduertes, nihil eſſe ſub ſole nouum, & illud, quod futurum eſt, iam in ſæculis præteritis præceſſiſſe; vnde non impoſſibile dicimus, vt ſtatus ille iterum in Religione reſtituatur, pro quo leges illas conuenire iudicatum fuit. Certè nulla lex hic erit otioſa, ſi vel ad confirmationem, vel ad elucidationem præſentium eam velimus accomodare; vel ſaltem ad intelligendum, quo in ſtatu fuerit olim noſtra Religio.

Conſtitutiones Narbonenſes,ab authore ſuo Sancto Bonauentura tam celebres in duodecim capita ordinatæ in Capitulo Narbonenſi anno 1260.non ſunt illæ, quæ ſub eo anno, & Cap. hic folio 10. deſcribuntur. fuerunt enim illæ particulares pro illis Comitijs; at præfatæ, ex omnibus anteactis, vt dixi, tunc compilatæ, & ordinatæ,hic fol.48.ſub Farinerio Generali in Aſſiſienſi Cap.de anno 1354. recenſentur, quando à Farinerio Generali non prorſus inuariatæ (vt ait P.Franchinus in a. opuſc.) ſed cum aliquibus additamentis ex Pontificum decretis ſubſecutis,& interſertis Papalibus nonnullis ſtatutis ad materias particulares attinentibus, fuerunt publicatæ: in ſua enim totali puritate, ideſt cum ſolo textu S.Bonauenturæ, ob tunc artis typographicæ carentiam,nullibi conſeruatæ reperiuntur.

Quæ ſub Iulij II. Papæ nomine ſtatuta alicubi allegantur; non ſunt propriè ſtatuta Ordinis ab ipſo edita; ſed aliquæ conceſſiones ſuper Regulæ rigores diſpenſatiuæ Conuentualibus conceſſæ; item Bullæ illæ, quæ pro Ordinis concordia ipſius authoritate prodierunt, nihilque aliud ab ipſo habetur, vt notat expreſsè wadingus, ad annum 1706. niſi fortè Alexandrina ſtatuta confirmauerit: vnde ſub ipſius nomine citentur.

Statuta Victorienſia, quæ alicubi allegantur (præter illa de anno 1648.in Generali Congregatione) fuerunt decreta quædam anno 1596. 1609.à Bonauentura de Calatayerone, & Archangelo de Meſſana ſucceſſiuè Miniſtris Generalibus edita, qui non Congregationem Generalem, ſed ex Apoſtolico indulto congreſſum aliquorum Patrum Victoriæ celebrarunt.

Quod tandem in plurimis omninò Capitulis, præſertim ab anno 1430. ſub Martino V. ad annum vſque 1500. ſub Alexandro VI. perrara ſtatuta producantur, illa non fuiſſe videtur cauſa principalis, quòd Comitiorum acta perierint; ſed quandoquidem conceſſa, non præcepta, Martini V. Papæ diſpenſatiua Regulæ priuilegia non ab omnibus in ordinis Communitate reciperentur, iudicarunt ſatiùs Patres in Comitijs, ad antiqua Religionis ſtatuta viuendo, atque particularibus in caſibus Apoſtolicis diſpenſationibus vtendo, ad euitandas contentiones nihil de forma regiminis innouare; quia ergo nihil graue fuit actum de nouo perierunt acta Comitiorum. Quæcumque igitur tota licuit diligentia colligere, hic in vnum congeſta produximus.

CATHALOGVS

Reuerendiſs. Patrum Miniſtrorum Generalium totius Ordinis Minorum S. P. N. Franciſci.

Ex libro, qui Firmamentum trium Ordinum *ſcribitur, Ex Lib.* Conformitatum, *& S. Antonino, Rodulpho, Gonzaga, Marchant, Vuadingo, & Comitiorum tabulis accuratè, & diligenter deſumptus.*

Etſi ex lib.3.Tomi primi huius operis, vbi omnium Miniſtrorum acta primaria per Ordinem recenſentur, ipſorum ſeries integrè poſſet haberi, quia tamen ad calcem tabularum in Capitulis Generalibus ipſorum Miniſtrorum ſeries ſolet apponi; eam hic per ſola nomina placuit indicare.

1 Sanctiſsimus P.N.Franciſcus de Aſſiſio Ordinem fundauit anno 1208. Per ſe,& ſuos Vicarios rexit annis 18.& vltra.

2 Reuerendiſs. P. F. Helias à Cortonio Hetruſcus electus 1227.rexit annis 3.

3 B.P.F.Ioannes Parens ex oppido Carmignano non longè à Piſtorio, ex Prouincia Etruſca,Miniſter Hiſpaniæ,electus 1230.rexit annis 6.

R.P.F. Helias, qui ſupra, ſecundò tumultuariè electus 1236. rexit annis 3. numerum non auget.

4 B.P. F. Albertus Piſanus Miniſter Angliæ,ex Prouincia Thuſciæ,electus 1239. rexit menſibus 4.

5 B.P.F. Haymo Anglicus de Feuershã, patria Cantianus, electus 1239. rexit annis 5.

6 R.P.F.Creſcentius Æſinus, prouinciæ Marchiæ, electus 1244.rexit annis 4.vel circiter; electus Epiſcopus Aſſiſias.

7 B.P. F. Ioannes Picus Parmenſis, prouinciæ Bononiæ,electus 1247. rexit annis octo cum dimidio.

8 R.P.& Sanctiſs.Doctor Eccleſiæ,F.Bonauentura Fidanza à Balneoregio, Hetruſcus, prouinciæ Romanæ, electus 1256.rexit annis 18. S.R. E. Cardinalis, Epiſcopus Albanenſis in Generali Concilij Lugdunenſis, Sanctorum numero adſcriptus.

9 R.P.F. Hieronymus de Aſculo,ex prouincia Marchiæ electus 1274. rexit annis 5.creatus Papa 1288. dictus Nicolaus IV.

10 R.P.F. Bonagratia de Sancto Ioanne in Perſeceto,prouinciæ Bononiæ,quem aliqui Dalmatinum faciunt, electus

1279.

1279.rexit annis 6.

11 R.P.F. Arlottus de Prato, prouinciæ Thuſciæ,electus 1285.rexit anno vno.

12 R.P.F. Matheus de Aquaſparta, prouinciæ Sancti Franciſci,electus 1287.rexit annis 2.S.R.E. Cardinalis Epiſcopus Portuenſis.

13 R.P.F.Raymundus Gaufredi Gallus, prouinciæ Prouinciæ, ſiue S. Ludouici electus 1289. rexit annis 7. Epiſcopus Parauinus electus, ſed non accepτauit.

14 R.P.F.Ioannes Minius de Murrho-Vallium, prouinciæ Marchiæ, electus 1296. rexit ann. 8. S. R. E.Cardinalis Epiſcopus Portuenſis.

15 R. P. F. Gundiſaluus de Valle bona Gallecus, vel Luſitanus prouinciæ S.Iacobi, electus 1304.rexit ann.9.

16 R.P.F.Alexander de Alexandria,prouinciæ Genuæ, electus 1313. rexit anno vno cum dimidio.

17 R.P. F. Michael à Ceſena, prouinciæ Bononiæ, electus 1316.rexit annis 13.

18 R.P. F. Gerardus Odonis, prouinciæ Aquitaniæ electus 1327.rexir annis 14. Epiſcopus Catanenſis, & Patriarcha Antiochenus.

19 R.P. F.Fortanerius Vaſali Gualenſis, prouinciæ Aquitaniæ,electus 1341.rexit annis 5.menſibus 8.creatus S.R.E. Cardinalis Epiſcopus Rauennas, & Patriarcha Gradenſis.

20 R.P.F.Guillelmus Farinerius,prouinciæ Aquitaniæ,electus 1348. rexir annis 8.S.R.E.Cardinalis.

21 R.P.F. Ioannes Bucchius, prouinciæ Aquitaniæ, electus 1357. rexit anno vno menſibus 7.

22 R.P.F.Marcus à Viterbio, ex prouincia Romana, electus 1359. rexit annis 8. S.R.E.Cardinalis.

23 R. P. Fr. Thomas à Farignano Mutinenſis,prouinciæ Bononiæ,electus 1367. rexit annis 6.S. R. E. Cardinalis, & Patriarcha Gradenſis.

24 R. P. F. Leonardus de Rubeis de Giffono, prouinciæ Terræ laboris, electus 1373.rexit ann: 6.Cardinalis nominatus ab Vrbano VI.& à Clemenre 7. in ſchiſmate, Sacram Purpuram à primo acceptare noluit.

25 R.P.F. Ludouicus Donatus à Venetijs,prouinciæ S. Antonij, electus 1379. rexit annis 4. S.R.E.Cardinalis. ab Vrbano VI.

26 R. P. F. Petrus à Canzano, prouinciæ Pennenſis, nunc S. Bernardini, electus 1383.rexit anno vno, menſibus aliquot.

27 R.P.F. Martinus à Sancto Georgio, à Riparolo, Pedemontanus ex prouincia Genuæ electus 1385.rexit an. 2.& vltra.

28 R.P.F.Henricus Alferus Aſtenſis Pedemontanus,ex prouincia Genuæ,electus 1387. rexit annis 18.

29 R.P. F. Antonius Angelus à Pyreto Prouinciæ Romanæ, electus 1405. rexit annis 16. quem Græcum facit Rodulphus.

30 R.P. F. Angelus Saluetus de Senis, prouinciæ Tuſciæ, electus 1421. rexit annis 2.menſibus 5.

31 R.P. F. Antonius à Maſſa, prouinciæ Thuſciæ, electus 1423. rexit annis 6. Epiſcopus Maſſenſis, & Populoniæ.

32 R. P. F. Guillelmus de Caſali, in Monferrato prouinciæ Genuæ, electus 1430. rexit annis 12.

33 R.P.F. Antonius de Ruſconibus,prouinciæ Mediolanenſis electus 1443. rexit ann.7.Epiſcopus Nouocomenſis, ab aliquibus ſcribitur.

34 R. P. F. Angelus Serpetri Peruſinus, prouinciæ S. Franciſci, electus 1450.rexit ann.3.

35 R.P.F. Iacobus à Mozanica, prouinciæ Mediolanenſis, electus 1454. rexit ann.4.

36 R. P.F. Iacobus Sarzuela Cathalanus,prouinciæ Aragoniæ, electus 1458. rexir ann.6.

37 R.P.F.Franciſcus à Ruuere Sauonenſis, prouinciæ Genuæ, electus 2464. rexit ann.5. creatus Papa 1491. dictus eſt Sixtus IV.

38 R.P.F. Ioannes, ſeu Zanettus de Vtino, prouinciæ S. Antonij, electus 1469. rexit ann.6.

39 R. P. F. Franciſcus Sanſon de Brixia, electus 1475. rexit ann. 24. cum dimidio.

40 R.P.F.Ægidius Delphinus Amerinus, prouinciæ Seraphicæ,electus 1500.rexit ann.6.

41 R.P.F. Raynaldus Gratianus à Cotignola,prouinciæ Bononiæ,electus 1506. rexit annis 4. Archiepiſcopus Raguſinus.

42 R.P.F. Philippus Bagnacaballenſis, prouinciæ Bononiæ, electus 1510. rexit anno vno menſibus 3.

43 R.P.F.Bernardinus Pratus à Cherio Pedemontanus,ex prouincia Genuæ,electus 1513. rexit ann.4.

44 R. P. F. Chriſtophorus Numalius Foroliuienſis, prouinciæ Bononiæ electus 1516. rexir anno vno S.R.E. Cardinalis Epiſcopus Iſernenſis, deinde Alatrinenſis. Hic eſt primus Miniſter Generalis ex Familia Regularis Obſeruantiæ, ad quos authoritate Leonis X. tranſlatus

eſt

eſt titulus,& dignitas Miniſtri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum iuxtà tenorem Regulæ, & contra aliorum reclamationes hucuſque conſeruatus ex decreto S. Rituum Congregationis 22. Martij 1631.

45 R.P.F. Franciſcus Lichettus Brixienſis, prouinciæ Brixię, electus. 1518. rexit ann.2.

46 R.P. F. Paulus à Soncino, prouinciæ Mediolanenſis, eleectus 1520. rexit annis 3.

47 R. P. F. Franciſcus de Angelis Quignonius Hiſpanus, prouinciæ Angelorum,electus 1523.rexit an.5.S.R.E.Cardinalis Vic.habuit Ant.Calcænaten.

48 R. P. F. Ioannes Piſottus Parmenſis, prouinciæ Bononiæ, electus 1529. rexit ann.4.& ad complendum ſexennium, Vicarium Generalem Ordinis accepit F. Leonardum Pedemontanum ab Oppido Publiciarum, qui deinde fuit Commiſs. Gener Ciſmontanus.

49 R. P. F. Vincentius Lunellus Hiſpanus, prouinciæ Carthaginenſis, electus 1535.rexit ann.6. poſt officium mortuus in Concilio Tridentino.

50 R. P.F. Ioannes Caluius, prouinciæ Corſicę, electus 1541.rexit an. 5. obijt in Concilio Tridentino: Suffectus eſt Vicarius Generalis F.Clemens Dolera, de quo ſtatim.

51 R.P.F Andræas Inſulanus, prouinciæ Portugalliæ, electus 1547.rexit annis 6. deinde Commiſſarius Generalis Vltramontanus.

52 R.P.F. Clemens Dolera Monelianus Ligur, ex prouincia Bononienſi electus 1553.rexit ann.6. S. R.E. Cardinalis, & Epiſcopus Fulginatenſis.

53 R.P.F.Franciſcus Zamorenſis Hiſpanus, prouinciæ Cartaginenſis, electus 1559. rexit annis 6.Tuyenſem, & alios Epiſcopatus Conſtantiſſimè recuſauit.

54 R.P.F. Aloyſius Puteus, prouinciæ Bononiæ,electus 1565.rexit ann.6.

55 R.P.F. Chriſtophorus à Capite fontium Britannus, prouinciæ Britaniæ,electus 1571 rexit ann. 8. Archiepiſcopus Cæſarienſis.

56 R.P. F.Franciſcus Gonzaga Mantuanus,prouinciæ S. Antonij,electus 1579. rexit ann. 8. Epiſcopus Cephaludenſis, deinde Papienſis, vltimò Mantuanus. agitur de ipſius Canonizatione.

57 R.P F. Franciſcus à Toloſa, prouinciæ Cantabriæ, electus 1587. rexit annis 6. coactus eſt Epiſcopatum Tuyenſem acceptare.

58 R. P.F. Bonauentura Secuſius à Caltagirone,prouincię Siciliæ,electus 1593 rexit an.7. Patriarcha Conſtantinopolitanus, Epiſcopus Pactenſis, Archiepiſcopus Meſſanenſis, & Epiſcopus Catanenſis.

59 R. P.F. Franciſcus à Soſa, prouinciæ S. Iacobi, electus 1600. rexit annis 6. Epiſcopus Canarienſis, deinde Oxomenſis, vltimò Segobienſis.

60 R.P.F. Archangelus à Meſſana, prouinciæ Siciliæ, electus 1606. rexit an.6. Archiepiſcopus Montis Regalis.

61 R.P.F.Ioannes del Hierro, prouinciæ Angelurum,electus 1612.rexit anno vno, menſibus 6. Succeſſorem pro complendo ſexennio accepit Fr. Antonium de Trejo Vic. Gen. Ordinis; & Epiſcopum Carthaginenſem in Hiſpania.

62 R. P. F. Benignus de Genua dictus, ex Vneliæ Principatu prouinciæ Siciliæ Reformatæ electus 1618. rexit annis 7. deinde Commiſſarius Generalis Citramontanus rexit an.9.obijt cum ſingulari pietatis opinione anno 1651.

63 R.P.F.Bernardinus de Senis Luſitanus, prouincię Portugallię,electus 1625. rexit ann.6. Epiſcopus Viſenſis in Luſitania; & dilatis Comitijs Vicarios Generales accepit ſucceſſiuè Petrum Iouer, & Antonium Henriquez.

64 R.P.F.Ioannes Baptiſta à Campania, prouinciæ Principatus,electus 1633.rexit an.6. Epiſcopus Derthuſenſis in Catalonia, deinde Pureolanus.

65 R.P.F.Ioannes Merinerus, prouinciæ Caſtellæ, electus 1639. rexit an.6. Epiſcopus Valliſoletanus.

66 R.P.F. Ioannes à Neapoli,prouinciæ Reformatæ Terræ laboris, olim Miniſter prouincialis, Pater Ordinis Conſultor S.Generalis Inquiſitionis in RegnoNeapolitano electus 1645. qui quadriennium ſui officij nō attingens ad cæleſtia vocatus eſt, & Reuerendiſs.P. F.Daniel à Dongo Vicarius Generalis totius Ordinis vltra biennium ordinem gubernauit.

67 R. P. F. Petrus Manerus prouinciæ Aragoniæ Pater, Lector iubilatus, Qualificator ſupremæ Inquiſitionis Hiſpaniarum, ex-Miniſter Prouincialis, Diffinitor, & Secretarius Generalis Ordinis, & Vice-Commiſſarius Generalis Vltramontanæ Familiæ electus anno 1651. rexit ann.5.& acceptis Vicarijs Gen.ſucceſſiuè Iuliano Perez, & Ioanne de Robles ad annum 1658. factus Epiſcopus Tyraſonenſis.

68 Reuerendiſs. P.F.Michael Angelus à Sambuca prouinciæ Reformatæ Siciliæ

Vallis Mazzariæ Pater, eiuſdem Regni S. Officij Qualificator, olim Diffinitor, & Secretarius Generalis, ſuæ prouinciæ Exprouincialis, in Hiſpanias pergens, electus anno 1658. rexit annis 6. Epiſcopus Catanenſis.

69 R.P.F. Idelphonſus Salizanes Lector Iubilatus, Supremæ, ac S. Inquiſit. Hiſpan. Qualificator pro Sacro Immaculatæ Conceptionis Myſterio Regis Catholici Theologus, Prouinciæ S. Iacobi Ex-Miniſter electus Romæ anno 1664. qui ſexennium ſui officij explens, Epiſcopus Ouetenſis conſecratus eſt.

70 R.P.F. Franciſcus Maria Rhini à Politio Lector Iubilatus, S. Inquiſitionis Cõſultor, & Qualificator, Prouinciæ Vallis Mazzariæ Regul. Obſeru. Pater. Sacri Montis Sion Guardianus, Commiſſarius Apoſtolicus in partibus Orientis, & totius Terræ Sanctæ Cuſtos, Hieroſolymis redux, in Capitulo Gen. Valliſoletano electus ann. 1670. rexit annis 4. & vltra, factus Epiſcopus Siracuſanus.

71 R.P.F. Franciſcus Maria de Nicolis è Caſtro S. Petri, de Cremona nuncupatus, ex Prouincia Bononiæ, Lector Iubilatus Ex-Miniſter Prouincialis, Ex-Procurator Ordinis, ad complendum anteceſſoris ſexennium factus primò à Clemente X. Vicarius Gen. Ordinis, deinde declaratus Miniſter Generalis rexit annis ferè duobus.

72 R. P. F. Ximenes Samaniego Lector Iubilatus, pro myſterio Immaculatæ Conceptionis Catholici Regis Theologus, Ex-Miniſter Prou. Burgenſis, Ex-Commiſſ. Gen. Familiæ Vltramontanæ electus eſt Romæ anno 1676. ſumma cum laude gubernauit: factus Epiſcopus Placentinus in Hiſpania.

73 R.P. F. Petrus Marinus de Sormannis Mediolanẽſis Lector Iubilatus, S. Officij Conſultor, Ex-Guardianus Hieruſalẽ, in Oriente Commiſſarius Apoſtolicus, & Ex-Cuſtos Terræ Sanctæ; Toletũ vix ingreſſus animis de repẽte mutatis electus eſt anno 1682. Proſperet Deus eius ſanctiſsimos, & prudentiſſimos conatus.

ADDITIONES

Ad Generalia Ordinis ſtatuta.

Præter edita Generalibus in Comitijs Ordinis ſtatuta, declarationes nonnullæ repertæ ſunt in Curiæ vtriuſque Regiſtris, tum à Sacris Emin. DD. Cardinalium Congregationibus, imò & ab immediata Sede Apoſtolica, tum à Reuerendiſs. Patre Generale prævio doctiorum Patrum examine, grauique diſcuſſione emanatæ: quas, cum ad ipſum Religionis gubernium attinere non dubitetur, ipſas hic poſt vniuerſa Comitiorum ſtatuta; de mandato Reuerendiſs. Patris Miniſtri Generalis Petri Marini Sormanni iuuat apponere, ad hoc vt ex dato caſu perquiſitæ ſecuriùs in perpetuum hìc ſimul collectæ valeant reperiri. Paſtoralem eiuſdem Reuerendiſs. Patris Miniſtri Generalis ad omnes ſuæ vigilantiæ concreditas Prouincias tranſmiſſam Epiſtolam Sanctiſſimis plenam documentis, ante reliqua præponendo.

CVM etenim caſus humani ſucceſſiuis temporibus varientur in infinitum; & iuxta Prophetæ Regis oraculum, *Dies diei eructat verbum*; Nemo ſapiens, vt ait Philoſoph. lib. 1. Metaph. admirabitur, vbi videat, per quotidianum noſtrarum legum augmentum, nunquam dubitationibus omnibus eſſe plenè ſatisfactum. Etenim ſecundùm Gloſſam cap. de Summa Trin. & fide Catholica, dubitare de ſingulis non eſt inutile; quia videlicet per Iuriſperit. Declarationem facta dubij ſolutione, mens ſubditi in maiori legis intelligentia tranquillatur. Quia ergo caſus omnes poſſibiles in ſimul haud poſſunt legislatori occurrere, non inutile, ſed neceſſarium eſt, vt pro nouiter occurrentium dubiorum integra declaratione ad ipſum recurratur, qui non modò doctrinaliter (quòd omnibus, & ſingulis in arte peritis competere non dubitatur,) ſed & authoritatiuè ad ſubijciendos ſubditorum animos valeat illa declarare: Quæ enim legibus determinata ſunt, immutare non licet; quæ nondum legibus decreta ſunt, ſequuntur arbitrium humanæ voluntatis: vt autem dixi, legitima, & ſufficiens authoritas in ſic declarante requiritur.

P Em. Rodr. t. 1. qq. Regul. qu. 12 a. 5 & t. 2. q. 73. a. 2.

Licèt autem declarare, vel interpretari legem authenticè, itavt obliget, ad ſolum attineat legislatorem *leg. fin. c. de leg. leges condere ſoli Imperatori conceſſum eſt, & leges interpretari ſolo dignum imperio eſſe oportet, & leg. in Prætorijs ff. de Prætor. obligat. c. ſicut* 11. *quæſt. 1. cap. inter alia de ſent. excom. Gloſ. in regul. contra iura in 6.* legem enim interpretari eius eſt, cuius eſt condere, & ſtatuta interpretari, ad ſtatuentes attinere Doctores communiter affirmant; Vnde cum ſolum Capitulum Generale ſtatuta condere valeat, quæ pro ſemper obligent Ordinem vniuerſum; Generali verò Ordinationes ſolum facere liceat, quæ obligent eius officio durante, dummodo non ſint contra Ordinis ſtatuta: Videtur ad Capitulum Generale dubiorum nouiter emanantium interpre-

pretatio reſeruari: Veruntamen cum per ipſa Ordinis ſtatuta, nempè Valliſoletana de anno 1593. cap.12.in fine, *tit.de Obſeru. ſtatutorum*, & per Sambuccana 1668. compilata cap.12. ſtat.24. num.2. Generalibus ſpecialiter reſeruetur, vt occurrente difficultate, vel dubitatione poſſint interpretari ſtatuta. Imò, & in Segobienſ. 1621. cap.8. tit. de Conſtitutionibus §. *Verum ſi aliquis*, eiſdem Generalibus expreſsè concedatur, & reſeruetur, vt non modò in dubijs interpretari, verùm & vt caſus de nouo occurrentes abſoluant, & decidant, qui in Sacris Canonibus, aut ſtatutis non fuerint deciſi; iam dubitari omnino non poteſt, quòd Miniſter Generalis authenticè, ſtabiliter, cũ vi obligatoria difficultates, & dubia nouiter emergentia declarare valeat, & debeat pro ſubditorum quiete interpretari: Hoc enim modo ſupplet Principis abſentiam, ad quem pro tali interpretatione recurrendum eſſet, *leg. vnica C. de Profeſſoribus leg. 1.ff.de origine iuris leg.1.ff. ſi certum petatur, leg. ſi negotium ff. de priuileijs Creditorum C. 2.de priuilegijs in C.da Proemio ſexti,& Clementinarum fine*.

Vnum tamen hîc aduertendum eſt cum *SanctOrio in Com.ad Conſtit.Ord.cap.12.ſtat. 12.qu.4.§.ſed quæ res* nempè non licere Generali pro libitò ſtatuta declarare contra Litteram, nec in ſenſu inſolito, vel conſuetudini, alijſque legibus, aut Canonibus repugnante, quoniam abrogandi vel tollendi ſtatuta non habet authoritatem, ſed ſolùm illa declarandi, & interpretandi. Declaratio autem eſt occulti, & obſcuri manifeſtatio, *vt per Decium in leg.edita num.*47. *C. de edendo Pariſ.conſ.*65.*num.*5.*& 6.vol.*1. *Ruinum conſil.*225.*num.6.vol.*1. Quia declarans non mutat eſſentiam, vel naturam diſpoſitionis. *Rolan. conſ.* 15.*num.*27. *vol.*3. *Dec. conſil.*8. *num.*211. *lib.*1. *Menoch. conſ.* 331. *num.*110. Interpretatio ergo iuxta Barboſam axiom.130.num. 1. ita facienda eſt, vt diſpoſitio non ſit eluſoria, nec ſequatur abſurdum; nec contrarietas, aut repugnantia, vel perplexitas: nec à mente diſponentis diſcedere debet, quantum coniectura permittit. Vnde ſi conſtet de mente Capituli, ſecundùm illam interpretari debet, quia hìc eſt primus gradus interpretationis: Siue illa non coſtet, attendi debet veriſimilitudo, quæ eſt ſecundus gradus, quibus deficientibus fieri debet ſecundùm meram ſignificationem verborum, & præcipuè attendenda eſt ſubiecta materia.

Cùm igitur, ex diligenti prudentium Patrum indagine, poſt vltima Ordinis Comitia Toleti celebrata anno 1682. dubia nonnulla, & quidem grauiſſima emerſerint; quæ publicum Ordinis gubernium, aut Prouinciarum pacem immediatè reſpiciunt; nempè circa formam in officialium Curiæ deputatione ſeruandam, ad hoc vt officium laudabiliter exactum præeminentijs per ſtatuta ſibi conceſsis frui valeant. 2. Circa gubernium in Prouincijs Braſilienſibus ex cauſa ſingulari aliqualiter innouandum. 3. Circa Conuentus Inſulæ lignorum Regni Portugalliæ à Portugalliæ Prouincia diſmembrandos, & in ſeparatam Cuſtodiam erigendos. 4. Quid agere poſſit, aut debeat Miniſter Generalis, quo caſu recurſus à Commiſſario Generali alterius familiæ ad ipſum interponatur. 5. An Ex-Miniſter, aut Ex-Commiſſarius Generalis ad Epiſcopatum nominatus, & annuente Pontifice conſentiens, ex ipſo conſenſu præeminentias amittant in Religione ſibi debitas. 6. Circa reordinandam Prouinciarum aliquarum præcedentiam iuxta Decretum Capituli Romani 1676. celebrati. 7. Circa ſubrogationem Patris dignioris pro Diffinitore Generali defuncto. 8. De vacantia officialium Curiæ quo caſu Congregationem Generalem celebrari non contingat, & alia nonnulla, ipſa ſucceſsiuè referemus, vbi aliqua ipſum ad Miniſtrum Generalem immediatè pertinentia dederimus; Alia item addemus in fine, quæ pro publico Religionis bono fuerunt expedita. Dubia itaque ſibi propoſita prudentiſſimus Generalis, vt omni cautela, & ſecuritate pro fæliciori Ordinis gubernio poſſet decidere, ita vt obligare valeant, per peritiſſimos, qui eſſent in Vrbe tota diligentia examinari, integro rigore diſputari mandauit, & tandem quid de ſingulis coram Deo ſentirent, cum in publico congreſſu ex Ordinis, & Apoſtolicis decretis, voce, & ſcripto retuliſſent; auditis ipſe, atque ſeriò ponderatis ſingulorum ſententijs, & rationibus allegatis; de ſingulis pro vt conformiùs ad Ordinis leges, & rectam rationem viſum eſt conuenire, de Conſultorum voto pronunciauit, & quid tenendum eſſet, per interpretationem authenticam determinauit.

Statim à ſua electione paſtoralis ſui zeli authenticum teſtimonium dedit ad Ordinem vniuerſum ſequentes litteras enciclicas pro Religioſa perfectione conſeruanda, vel reſtauranda.

Frater Petrus Marinus Sormannus à Mediolano, totius Ordinis Fratrum Minorum Seraphici Patris Noſtri Franciſci, Miniſter Generalis, & humilis ſeruus.

Vniuerſis in Chriſto Ieſu dilectiſſimis eiuſdem Ordinis Fratribus, tam ſuperioribus, quàm ſubditis ſalutem, pacem, & benedictionem à Domino ſempiternam.

SOllicitudo Paſtoris,& amor Patris,quibus æqualirer angimur, & mouemur, vt ea concredito Nobis Gregi, partiſque filijs monita demus, efflagitant, quæ noſtri erga eos amoris indubia pericula dignoſcantur. Iam noſtræ electionis notitiam ad Vos deueniſſe ſupponimus,minoribus placuiſſe iam membris, quòd ſummo capiti non diſplicuit arbitramur, puſillitati iam noſtræ à veſtra collatum aliquid charitate non dubitamus, cui tantùm contulit Deus deponens de ſede potentes exaltans humiles, vt ex tot Iſai natis Minorem natu, ex tot maximis viris ab Orbe vtroque coadunatis in vnum,pro Seraphicæ Nauis Gubernio, pro Franciſcanæ Religionis regimine, plenis ſuffragijs, eligere minimum ſit dignatus. Et verè, vel prorſus ignorare diuina, vel humana non capere cenſeretur, qui noſtram à Deo electionem omnimodè non fuiſſe contenderet; ſiquidem Nos adhuc Ieroſolimis adorantes, & ſanctioribus pereuntis quadrageſimæ terminis ordinantes Chriſto paſſo in loco paſſionis ſuæ Epicedia degebamus,cum aggregandi Vocales iam tunc in Hiſpaniam appuliſſent, & ipſa loci Capitularis confinia perluſtraſſent. Fruſtrandum lugebant ſuper Nos iter arreptum conſocij Paleſtinæ,nauigij deſperabant occurſum, quo in Italiam traijcere donarctur,cum & Nauis in promptu reperta eſt,& breuiſſimum naufragio iter in Galliam fœlici infœlicitate nos compulit, & contumacia peſtilentiæ perſoluta, Toletum peruenimus præter votum, quando inueſtigata iam vota nec locum noſtræ reliquerant paruitati. Sed vix noſtri rumor ad ventus effuſus eſt, cum omnium in Nos fixæ acies, delati ſtupores, ora ſimul, & corda conuerſa, factuſque eſt ipſius Oraculo Chriſti primus nouiſſimus, nouiſſimus primus. Qui ergo noſtram à Deo non fuiſſe electionem ſuccenſeat? Quamobrem ſi grates illi reddendæ pro beneficio quouis per hominum manus a uaras porrecto, quid retribuendum non erit quando diuiniſſimas ſuas tornatiles, plenaſque Hyacintis ipſemet infinita, vel non petenti, liberalitate protendit? Sanè ad hoc ſpectabile documentum regius nobis exhibet Pſaltes,dum ſua redditurum ſe vota pro laudabili gratiarum actione commemorat, ſiquidem meliori id modo peragere, quàm in Regulæ promiſſæ obſeruantia Religioſus non poteſt, per quod & gratia abundè redditur,& à largitore munifico in dies pro fuſior obtinetur. Non auſim,nec cogitauerim Patres nouum Vobis imponere iugum,non aggrauare vetuſtum, ſicut enim ſanctiſſimæ Regulæ, quæ à Deo Optimo Maximo data eſt,piaculum eſſet adimere, ita eſſet impietas additare. Satis ſuperque præſtabit eam fideliter ſeruans, cum Summorum Pontificum teſtimonio ipſam ſeruantibus ad præſcriptum martirij aurea debeatur.

Primum vitæ iſtiuſmodi fundamentum obedientia eſt, qua præſtita nihil ampliùs in Religioſo expetendum, qua ſine ad nominis vſque iacturam Religio tota deperditur. Et quia Generali Miniſtro ex Regulæ noſtræ præcepto, & Legislatoris exemplo obedientia primùm præſtanda eſt, ne dubitent Fratres, cui obedire in poſterum teneantur, omnes prædeceſſorum noſtrorum licentias, obedientias, collocationes, commiſſiones, prædicationum, & lecturarum patentes,ac dimiſſorias,quarum collatio ad Nos pertinet, reuocamus,abolemus, caſſamus, & annullamus,ac pro reuocatis, caſſatis,& annullatis haberi à cunctis volumus,niſi à Nobis,vel à Commiſſario noſtro Generali in hac,& pro hac Ciſmontana Familia,vel confirmatæ fuerint,vel emanatæ.

Licentias exeundi à Conuentibus perpetuas, quas ſiue officiorum prætextu inferioribus, ſiue grauioribus Patribus, aut Amicis ratione vrbanitatis ſolent concedere Guardiani, nullam ſocij aſſignationem à iure non habentibus ipſum, prætermiſſionem benedictionis ſumendæ in reditu ad Monaſterium toties quoties, eſſe nedum contra legem, ac Pontificia diplomata,ſed contra noſtram intentionem certò ſciant, qua propter ſi id conceſſerint, aut tolerauerint Guardiani,à Nobis rigoroſiſſimè punientur, ſciantque,qui id ſibi arrogauerint ſubditi peccatum inobedientiæ ſe committere, quo nullum in Religioſo deterius. Obedientiam igitur non ſolùm nobis metipſis, ſed quibuſcunque Prælatis præſtari à ſubdito volumus, vt omnes ad imperandum ſint apti,dum in obediendo ſunt prompti, non ſolùm in placitis, ſed in arduis; quia ſolùm in placitis obedire complacentia potiùs quàm obedientia eſt.

Paupertatem Euangelicam, quæ noſtri Seraphici Patris Sponſa Amantiſſima fuit, noſtræque eſt Regulæ Fundamentum, ac Religionis Ærarium, ita volo nos proſequi,

vt aſſequamur, ita diligere, vt præ diuitijs eligamus, quo ſimus filij Patris noſtri; de matre enim egena, ac Patre mendico filium naſci diuitem nimium ſuſpecta res eſt, ac redolens illegitimitatem. Hanc tamen adipiſci non ſperet, qui in greſſu, in veſtitu, in comeſtione, in cellarum, domorumque apparatu non præſeferat penuriam in omnibus patiens; non enim vera paupertas eſt, cui non deſunt ex neceſſarijs plurima, non voluntaria eſt, quæ proprijs relictis nimia ſolertia emendicat aliena, quinimò ſponte oblata non reſpuit. Ab hac tamen, vt religioſa videatur, in communitatibus præcipuè, & in Eccleſijs, ac Sacriſtijs omnino diſiungi volumus immunditiam, quia etiam ſanctiſſimis noſtræ Regulę obſeruatoribus Paupertas placuit ſemper, ſed ſordida nunquam.

Obedientiam, & paupertatem rite ſeruantibus ſuperfluum videtur, ſtudium præcipere caſtitatis, nihilominùs quia his non obſtantibus à noſtro Sanctiſſimo Patre nil hoc ordinatur efficacius, nil demandatur ardentius, illius verbis vos alloquar: Mulierum familiaritates, colloquia, & aſpectum, quæ multis occaſio ſunt ruinæ eò ſollicitius euitare debemus Fratres Chariſſimi, quo ſæpiùs per huiuſmodi videmus debilem frangi, & fortem ſpiritu infirmari. Harum contagionem euadere conuerſantem cum eis, niſi probatiſſimum virum tam facilè iudico, quàm iuxta ſcripturam in igne ambulare, & non comburere plantas. Dulce venenum mulier magnificos proſtrauit à ſæculi principio, quis modò tutus erit? Sit igitur noſtrum negotium cùm eis non habere negotium, ne pereamus, qui enim amat periculum, peribit in illo. Noſtra cum eis conuerſatio ſit ex earum profectu ſpirituali, & ea breuiſſima, non ex curioſitate, ſed charitate, Seraphicum Patrem Franciſcum, Ludouicum Epiſcopum, ac Petrum de Alcantara ſemper habentes præ oculis, qui ad quantùmvis propinquas mulieres leuauere nunquam oculos, ſcientes, quòd intrat mors per feneſtras, & oculi ſunt in amore duces.

Ob hoc, & ob noſtri decentiam ſtatus ob murmura Fratrum tollenda, ob alias plurimas cauſas eò vel maximè quia dicit Nobis Spiritus Sanctus: Væ ſoli, quia cùm ceciderit non habet ſubleuantem ſe, incedere ſolos per Vrbes, Caſtella, vel Pagos, ſolos vagari ſine ſocio, ſolos in prædijs, aut domibus ſæcularium degere Religioſis Nobis ſubiectis, cuiuſcumq; ſint gradus, ætatis, aut conditionis, rigoroſè interdicimus, præcipientes Guardianis, alijſque Prælatis ſub pœna diuinę vindictę, vt nullis ſic eundi, aut morandi licentiam tribuant, & ſi quos ita inuenerint ambulantes, puniât, & iuxta noſtras Conſtitutiones caſtigent.

Ad Monaſteria autem Monialium, etiam nobis ſubiectarum neminem accedere volumus, niſi eos quibus à Sede Apoſtolica conceſſa eſt licentia ſpecialis, neminem habere cum eis correſpondentias, neminem dare, aut recipere munera quamuis parua, nihil enim largiri eſt licitum, cui nihil eſt licitum poſſidere, & de paruo ad magnum ſine difficultate fit tranſitus. Si qui iſta contemnent, erunt apud nos contemptibiles, ſine honore, & ab omni officio vel gradu Religionis excluſi.

Quæ ad Dei ſeruitium pertinent ita ab omnibus præſtari volumus, vt Deum præ oculis, Deum in ore, Deum in corde ſemper habere videamur. In Eccleſijs exterioribus nulli moras, nulli deambulationes, nulli colloquia præſertim cum mulieribus habeant, nulli niſi ratione confeſſionis inhabitent, cui Religioſos Diſcretos ex profeſſo inſiſtere præoptamus, vt ſpirituale alimentum per Nos ſemper fidelibus miniſtretur, qui Nobis de temporali ſuccurrere non deſiſtunt. In Choro cum omni compoſitione, & modeſtia, cum omni grauitate, & decore, non incumbentes ſubſellijs, non ſedentes niſi ordinatè, ſine riſu, ſine nugis, ſine confabulationibus, omnes exactè conſiſtant, memores ſubitaneæ mortis, & improuiſæ, qua ſunt percuſſi à veneranda noſtri ſeruatoris Imagine toruè aſpecti Fratres quidam de noſtris, qui tempore Completorij nugabantur. A Matutinis media nocte recitandis nunquam Superiores diſpenſent. Miſſas, Veſperas, Completoria quotidiè in cantu perſoluant, reliquas horas ſecundum ſolemnitates, aut numerum Patrum Choriſtarum degentium, ita tamen, vt nunquam ſubmiſſa voce, feſtinanter, aut ſine notabili pauſa in fine, ac medio Verſiculorum, nec in Conuentibus paruis dicere liceat. A Chori ſeruitio nullus cenſeatur exemptus, præter eos, quos ſtatuta ſecernunt, aut celebrium Librorum Scriptores Egregios, quos Lectorũ generalium priuilegijs, exemptionibus, honoribus, præmijs, & ſi fieri poterit maioribus, tum inter Obſeruantes, tum inter Reformatos, quocunq; vocentur nomine debere frui, declaramus. Cæteros nec Chori, nec Eccleſiaſtici Cantus vnquam pigeat, ſcientes quòd ſe ſe diuino mancipauere ſeruitio, & de Choro Religioſorum in Terris ad Choros Angelorum in Cælis fœlici ſorte tranſitur.

Ab Oratione autem mentali bis in die facienda (niſi ſint infirmorum ſeruitia, quibus Superiores omnes totos atque totaliter

ter deditos eſſe iubemus) nullus vel ſtudij maioris prætextu ſe eximat, memor Seraphicæ mentis Diuo Antonio Patauino detectæ, Placet ſtudium cum pietate. Feſtiuis verò diebus eam non modò prætermitti non volumus,ſed augeri ſanctificare etenim feſta, ſicut tenemur, meliore non poſſumus pacto,quàm meditando, & orando.

Ante diuinum Altare cum omni timore, tremore, ac reuerentia ſtent Sacerdotes: Diuina tractent ea puritate,qua decet: Attentè repetant eum Chriſoſtomo, quo non oportet eſſe puriorem talis Miniſtrum Sacrificij? Quo ſolari radio non ſplendidiorem manum carnem hanc diuidentem? Os quod igne ſpiritali repletur? Linguam, quæ tremendo nimis ſanguine quotidie rubeſcit? Vt ſic à miſſis indeuotè, oſcitanter, & cum præcipitatione celebrandis abſtineant, vt hominibus indeuotis non placeant, ſed Deo, vt Nobis non obijciatur,quod ſcriptum eſt; nullum maius,quàm à Sacerdotibus ſuis detrimentum patitur Deus. Hoc tamen omnibus notum facimus, quòd ſi quis ad noſtrum Tribunal in hoc culpabilis deferetur,pœna ſuſpenſionis perpetuę,& inhabilitatis ad omnia Religionis officia irremiſſibiliter punietur.

Cum autem lege diuina ſcientia Sacerdotio ſit annexa, in ordine maximè noſtro, qui primus omnium ad ſalutem Animarum procurandam inſtitutus eſt, nedùm otioſitati vitandæ, ſed implendo vocationis noſtræ muneri, ſtudium, vſumque Librorum eſſe neceſſarium certò ſcitur. Quamobrem in omnibus Religionis noſtræ Conuentibus, Capitulo Generali annuente, iubemus, vbi Bibliothecæ non ſunt, ipſas inſtitui, vbi ſunt, augeri, coordinari, & qua opus fuerit innouari, vt anſa tam ſæpè exeundi de paruis Conuentibus otioſis Patribus auferatur, & qui noſtræ inuident ſorti, ſine armis Milites nos non vocent. Libros Morientium Fratrum ijs aſſignamus Conuentibus, in quibus decedunt ſine arbitrio Prouincialibus, ac quibuſuis Nobis ſubiectis aliter diſpenſandi. Eleemoſynas pecuniarias, & liberas, quæ in alijs minùs fructuoſè expendi poſſent, & à neceſſarijs ſuperſunt, in his expendi mandamus. Et quia quandoque contigit à Guardianis, vel alijs indiſcretè zelantibus de vno ad alium Conuentum librorum quantitates deferri, & applicari, ne libri inutiliter (vt aiebant) in Bibliothecis non formalibus remanerent, periculoque ſurreptionis expoſiti omnem, & quamuis librorum multitudinem Conuentus cuiuſuis ſeruitio dedicatam Bibliothecam formalem eſſe decernimus, & ſic transferentes ſine licentia, excommunicationis maioris nobiſmetipſis reſeruatæ, à qua abſoluendi nulli licentiam dare in generalibus intendimus, obnoxios eſſe decernimus, quouſque ablata reſtituantur,quomodo enim magnæ nunc eſſent Bibliothecæ inter Nos, ſi paruæ antea non fuiſſent? Et magna flumina à paruis fontibus Ortum habent. Maxima facere ſubitò, aut breui tempore,Regum eſt non pauperum.

Communitates, & pro maioribus veſtimentis, & pro minoribus pannis, alijſque neceſſitati Religioſorum requiſitis vbilibet fieri præcipimus, vbi non ſunt, vbi verò ſunt,conſeruari, & manuteneri, ita vt de omnibus neceſſarijs ac Seraphico ſtatui Conuenientibus ſubditis à Superioribus prouideatur, & eos apud Dominum non incuſent, dum ſe excuſare prætendunt impij proprietatis amantes. Guardiani, qui ſe minùs idoneos ad hæc præſtanda cognouerint officio renuncient, nullique eligantur in poſterum, qui ad hæc ſe obligare renuerint. Conquerentibus apud Nos iuſtè ſubditis non erit admiſſa excuſatio Prælatorum, aut ratio paupertatis, penuriæque, nihil enim habentes omnia Dei ope tenemus, & qui Nobis præcepit, vadant pro eleemoſyna confidenter, ſciebat ex alto maximum diuinæ largitatis Ærarium indefectibile Nobis futurum in prouidendo, ſi non defeciſſemus nos in amando,ac fideliter ſeruiendo.

Cum autem à recta iuuenum educatione dependeat vt plurimùm ſanctitas prouectorum, iuxta illud vatis, qualiter eſt imbuta recens ſeruabit odorem teſta diù,ſciamuſque,quantum ad iſtud conduxerint domus Recollectionis in Hiſpania, Gallia, Italia, Polonia, Germania, Flandria, & alibi erectæ, eas pro tanto fouere, & ſi poſſibile fuerit adaugere, noſtri eſſe propoſiti declaramus: experientia quippè diutina edocti ſumus huiuſmodi Recollectiones Seminaria ſemper fuiſſe virtutum, & ſanctæ ſtimulos æmulationis illarum mores, quorum incitamentis non modò de ricibus dœmonis,ac vanitatibus Mundi Sæculares plurimi erepti, ſed ipſimet, qui humanæ pondere infirmitatis à ſpirituali progreſſu retardabantur, ad Religioſæ ſolitudinis, & vitæ interioris perfectionem ſuauiter ſunt redacti.Propterea Miniſtros omnes Prouinciales ex Vltramontana Familia admonemus, eiſque per ſanctam obedientiam præcipimus, vt antiquas, tum intrà Italiam, tum vltrà eam, Recollectiones patrocinentur, erectas nouiter augeant, erigendaſque, vbi deſunt, proponant, & plenam à Nobis gratiam, & vberrimam à Chri-

Chriſto mercedem recepturi.

Spiritualia ſimiliter octo dierum exercitia non ſine notabili Animarum fructu in noſtra Religione vſitata, & cum non exiguo detrimento in quibuſdam Prouincijs exoleta, omnimodè reſtitui volumus, & tempore ordinationum à Clericis, & ſemel in anno ab omnibus obſeruari, à Prouinciæ Patribus incipiendo, quorum exempla imitari, & dociliores ſtudebunt, & ſegniores effugere verebuntur.

Poſtremò tandem ea, quæ noſtri ſunt muneris, non benè impleuiſſe videremur, ſi loca ſanctiſſima Paleſtinæ, à quorum regimine ad vniuerſæ Religionis Gubernium eucecti ſumus, non Vobis cordintimè commendaremus. Hæc Patres illa ſunt loca, quæ pretioſiſſimo Saluatoris noſtri ſanguine conſecrata ab ipſis Barbaris venerantur, & in ſui adorationem ex vltimis Terræ finibus fideles omnes compellunt; hæc ſunt Filiorum Franciſci ſingulariſſima decora, plurimorum noſtri Ordinis Martyrum nobilitata coronis; hæc ſunt noſtræ hæreditatis antiqua iura, nobis ab ipſiſmet Æthnycis, Sultano Ægypti videlicet conſignata; hæc ſunt primogenita noſtra, quæ à trecentis quadraginta, & inſuper annis viriliter à Nobis defenſa, & in medio Tygridum, atque Draconum ſarta, tecta, ſeruata, nimiæ Nos vilitatis arguerent, ſi minùs accuratè, ac ſolerter à Nobis in poſterum ſeruarentur; hæc, à quibus initia ſua Catholica ſumpſit Eccleſia non more caſtrorum cuſtodienda ſunt armis, ſed orationibus; non ferro, ſed auro, non viribus, ſed virtutibus; quamobrem nullus poſthac deſtinari ad illa poterit, quin Prouinciæ ſuæ Deffinitorij teſtimonio ſit probatus, quietus animo, ingenio docilis, purgatis moribus, & ſufficienti doctrina ad illas gentes Verbo Dei, fideique dogmatibus imbuendas, ſi ſit Sacerdos, Laicus verò moribus, & conſcientia purus, robuſtus corpore, & in aliqua arte mæcanica benè verſatus, qui omnes per ſexennium integrum inibi commorari ſeobligent, vt inutiles vitentur expenſæ, vt poſſit quilibet ſanctis locis æquè, & Hoſpitijs, & Miſſionibus deſeruire, & ex academijs linguarum ibi per Nos inſtitutis benè eruditi proſiliant exercendi.

Fratres verò ad ea loca, præter hos, mittere nullus audebit, niſi noſtris, aut Guardiani Ieroſolymitani patentibus nominatos, nec prætextu eleemoſynarum deferendarum, quas Commiſſarij Terræ Sanctæ iuxta Regulæ noſtræ puritatem colligi facient, collectaſque in manu Syndici Generalis vniri, fideliterque ſeruari, donec per Fratres à Nobis de ſumma, & quantitate Commonitis deputandos, Ieroſolymæ in manu Apoſtolici Syndici Montis Syon deponantur.

Ad vtriuslibet Indiarum Apoſtolicas Miſſiones, ſi qui Dei ſpiritu ducti, & zelo Fidei dilatandæ, ſanctoque amore ſuccenſi ire voluerint, petant à Nobis, aut à Patre Commiſſario Generali Indiarum licentias, cum ſpe non fruſtratæ petitionis, ſi ad Euangelicum opus neceſſaria in ijs aptitudo reperiatur. Hinc ad eas deſtinatos, & deſtinandos profusè, enixèque rogamus, vt ſedulò agant quòd agunt, nihilque præter Deum reſpiciant, aut Animarum ſalutem, ne incuria Paſtorum deperditæ, ſanguis earum de Terra, voceſque ab inferis contra ipſas ad vindictam æternam reclament.

Paterna Vos demum hortamur ſollicitudine, & charitate, ò dilectiſſimi Fratres, & in æternum benedicti filij, vt ſupra omnia vitetis ſcandalum, per quod ira Dei deſcendit in populum confidentiæ, per quod non modò veſtrarum, ſed plebis totius culparum erunt à Vobis Altiſſimo rationes reddendæ, vt à ſæcularibus, vanis, immodeſtiſque colloquijs abſtineatis, per quæ in medio ſic loquentium non Chriſtus inhabitat, ſed diabolus, ad omnia deteriora perducens, dicente Bernardo, Non longè diſtat à facto, qui ſolitus eſt delinquere in Verbo: Sed veſtra maximè cum extraneis, bis priùs ad Limam, quàm ſemel ad linguam verba deueniant: A veſtro nunquam recedat animo Doctorum æmulatio, imitatioque Sanctorum, his enim greſſibus ad arcem Gloriæ properatur, & hiſce firmata columnis ſanctitate videlicet, ac doctriua Religio noſtra conſiſtit.

Recurſum ad Sæculares quantumuis magnos, quantumuis Principes, quantumuis de Nobis optimè meritos, pro gradibus ac Dignitatibus in Religione obtinendis nullus apud nos audeat nominare, ſi ad ipſas voluerit nominari, ſi Deum timet, ſi iuſtitiam noſtram veretur. Sit rarus de Monaſterio veſter exitus, nulla veſtra per Vrbes vagatio, ac domus ſæcularium curſitatio, ſit grauis inceſſus, ſit serioſa modeſtia, decens veſtitus, frugalis victus, conſtans humilitas, religioſa conuerſatio, ſine fictione, ſine hypocriſi, ſine auiditatis ſuſpicione, ſine importuna eleemoſynarum quæſtuatione, qualem verè Franciſcanorum opus eſt eſſe, vt vereatur qui ex aduerſo eſt, nihil habens malum dicere de Nobis.

Turgentibus denique lacrimis, erumpentibus ab ore ſuſpirijs, ac corde charitatis

tatis lancea vulnerato hortamur inſuper noſtros diſcolos, & Apoſtatas omnes, qui ſui immemores, Religioni rebelles, Deoque inimici, vt prodigi hucuſque filij extra Domum paternam vixerunt; vt confidenter ad ipſam, ſinumque Patris recurrant humaniſſimè à Nobis excipiendi, ac cum remiſſione pœnarum ad Nos priuatiuè ſpectantium, ſi infrà quatuor menſium ſpatium à præſentium publicatione id efficiant, hoc ſolo pacto, vt de omnibus exceſſibus ſuis, & reditu, tam ipſi, quàm Prælati, ac Diſcreti, quibus ſe ſe præſentauerint, reddant nos illicò certiores.

Tandem cum numeroſa Minorum Familia eò magis adſtricta ſit Principum beneficijs, quò in terris degit pauperior, animique gratitudo ab Apoſtolo præſcripta magis in paupere eniteſcat, hinc omnes ſubditos noſtros per totum orbem diffuſos vehementer hortamur in Domino, vt diebus ſingulis particulares, ac feruentiſſimas ad Dominum miſericordiarum preces effundant, pro fœliciſſimo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſtatu, pro vtraque incolumitate Sanctiſſimi Domini Noſtri Innocentij Papæ Vndecimi Vniuerſalis Eccleſiæ Dei Paſtoris, atque Rectoris, vt diuina Clementia ei concedat, quod optat, propagationem ſcilicèt Sanctæ Fidei, Hæreticorum reductionem, Principum concordiam, vitiorum extirpationem, Religionis augmentum, vt quæ ſunt bona nutriat, ac pietatis ſtudio, quæ ſunt nutrita, cuſtodiat: Pro Sacra Cæſarea Maieſtate Imperatoris noſtri Leopoldi, qui glorioſa ſollicitudine præliatur prælia Domini, vt eum Deus cum Sereniſſima Auguſta, & fœliciſſima Prole conſeruet, hoſtium victorem efficiat, & ab aduerſitatibus tueatur: Pro Sereniſſimo Rege noſtro Carolo Secundo Catholico, vt eius ardentiſſimum zelum, hæreditarium affectum, ac profuſam in Nos liberalitatem diuina illi pietas Cœleſtium chariſmatum copioſa largitione remuneret; Pro pientiſſima Regina noſtra Catholica, vt eius pia vota, totiuſque Hiſpanicæ Monarchiæ deſideria, intercedente Beato Patre Noſtro Franciſco, Deus adimpleat. Pro Chriſtianiſſimo Rege Galliarum Ludouico XIV. ac Auguſtiſſima Regina, quorum virtute, fortitudine, ac iuſtitia Religio tota Catholica florentiſſimè viget, ac candidiſſimè ſuſtinetur: Pro Eminentiſſimo, ac Reuerendiſſimo Domino Alderano Cardin. Cybo feruentiſſimo Ordinis noſtri Protectore, ac Vniuerſo DD. S. R. E. Cardinalium Cœtu. Pro omnibus denique Rebus publicis, atque Principibus Orthodoxis, pro Benefactoribus cunctis, quibus iure patrocinij, aut beneficij titulo adſtringimur, quatenus bonorum omnium largitor pro temporalibus ipſis æterna retribuat, & deſiderata concedat: Pro Nobis verò metipſis veſtra vos charitas adhortetur, vt ea, quæ ad ſanctè Nobis viuendum, voſque in ſalutis, & gloriæ ſemitas deducendos ſunt neceſſaria, veſtris Orationibus impetremus, nihilque operetur à Nobis, quod veſtræ incolumitati, Deique honori non conferat. Valete Fratres, Valete Filij Chariſſimi, & Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus Vos benedicat, & ab omni culpa defendat; Immaculata Deipara Virgo Maria Ordinis noſtri Protectrix vos nunquam deſerat, & Seraphicus Pater Franciſcus nunc, & ſemper à me benedictos pro ſuis Filijs vos agnoſcat.

Ne verò vllus in poſterum ignorantiam huius noſtræ Paſtoralis, & paternalis viſitationis, admonitionis, & ordinationis adducat, volumus, vt præſentes impreſſæ, ac noſtro maiori ſigillo firmatæ ad omnes totius Orbis Prouincias mittantur, ac per earumdem Superiores de Conuentu in Conuentum, in quibus publicè lectæ, & ſeruatæ noſtræ integritatis, & zeli, ac erga Vos ardentiſſimi amoris indubia apud Deum, & homines teſtimonia ſemper exiſtant. Datum Matriti, die 24. Iulij 1682.

De mandato ſuæ Reuerendiſſ. Patern.

Fr. Angelicus à Genua Deffin. & Secr. Gen. Ord.

Deinde pro ſtabilienda inter Obſeruantes ad methodum in varijs Statutis præfixam ſecuriori, atque ſanctiori Nouitiorum receptione, ac educatione, ſequentes dedit ad ipſos litteras encielicas, nihil addendo de nouo, ſed omnia ex antiquis Statutis congregando.

FR. PIETRO MARINO SORMANNI

Miniſtro Generale di tutto l'Ordine Minore del Noſtro Padre

SAN FRANCESCO

Alli molto amati in Chriſto Fratelli Superiori, e Sudditi delle Prouincie Oſſeruanti Ciſmontane, ſalute, e vera pace nel Signore.

Conoſcendo Noi per eſperienza quanta difficoltà s'incontra in queſta Corte

te Romana in ottenere il poter veſtir Nouitij per quelle Prouincie, che non l'hanno hauuto ancora; ed il pericolo, in che ſono di perderlo quelle, che l'hanno già conſeguito; E ciò per la poca applicatione, che ſi vede in alcune di eſſe all'oſſeruanza delle Conſtitutioni Apoſtoliche, e dell'Ordine circa la recettione de Nouitij, ed eſſecutione delle regole ſtabilite per li Conuenti di Recollettione, di modo che ogni volta che habbiamo l'honore di eſſere ammeſſi à baciar i piedi di Noſtro Signore, quaſi ſempre riceuiamo dal ſommo zelo della Santità Sua nuoue doglianze, e ricordi circa queſte materie, come anche ci vengono inculcate ſpeſſo, e con pari zelo dal Noſtro Eminentiſſimo Protettore. Habbiamo perciò riſoluto di dare per mezzo di queſta alcuni ricordi così à Superiori Prouinciali, e loro Diffinitorij, come anche à medemi Religioſi reſpettiuamente ſopra queſti punti così eſſentiali, cauati da Statuti Generali della Religione, da Decreti della Sagra Congregatione fatti nel 1655. di ordine d'Innocenzo X. dalle Conſtitutioni del Capitolo Generale del 1676. confirmate dal Sommo Pontefice Regnante INNOCENZO XI. e dal Motu proprio del medeſimo, che comincia *Sollicitudo, &c.* ſenza aggiugnerui altro del noſtro, che alcune Regole, ed Inſtruttioni per la loro puntual oſſeruanza.

§. I.

Per la recettione, ed approuatione de Nouitij.

Innoc. X. 1655 §. 1. 1 Ordiniamo dunque primieramente che douendoſi fare la recettione de Nouitij, habbia cura il Superior Prouinciale di notificarla anticipatamente con lettera circolare per tutta la Prouincia, incarricando non ſolo à Superiori, mà à tutti li Religioſi di ciaſchedun Conuento, che nel riſtretto della queſtuatione di eſſo facciano diligenza, ſe vi ſiano giouani, che vogliano riceuerſi, acciò l'indrizzino al luogo, doue hà da farſi la recettione per il giorno, che ſarà notificato detta Circolare.

Innoc. X. §. 1. Conſtit. gen. par. 3. 4. n. 1. 2. 2 Riceuuto detto auiſo, douranno li Superiori Locali, e gli altri Religioſi fare eſſattamente detta diligenza, e trouando alcuno, che voglia riceuerſi da Chierico, procurino di ſapere ſe habbia buona intelligenza di grammatica; ſe ſia di età ſofficiente, e ſe habbia l'altre conditioni requiſite, acciò non faccia il viaggio in vano. L'inſtruiſcano parimente delle atteſtationi, ò fedi, che hà da portar ſeco per preſentarle in Diffinitorio; cioè quella del Batteſmo, quella della Creſima, ò Confirmatione, e quella de vita, & moribus, nella quale anche ſi hà da ſpecificare, com'egli è di ſtato libero, nè inquiſito che non hà debiti da ſodisfare, nè conti di amminiſtratione da dare, e che non hà Padre, ò Madre poueri, che non poſſano viuere ſenza di lui. E queſta fede dourà farſi dalla Communità, s'egli è ſecolare, ò dalla Corte Eccleſiaſtica s'egli è Prete. E tutte le ſudette atteſtationi debbano eſſere autenticate, e legalizate. Le medeſime diligenze facciano per quelli, che vogliono eſſere riceuuti per Laici; Eccetto che, in vece della Dottrina, oſſeruino ſe ſiano habili alle fatighe.

3 Sarebbe anche molto à propoſito, Innoc. X. §. 1. che il Superiore Prouinciale in occaſione di mandare tali Circolari ſcriueſſe anche lettere priuate al Superior Locale, ò ad altro Religioſo graue di ciaſchedun Conuento, con incaricargli ad informarſi ſegretamente della qualità della naſcita di quelli, che vengono di là per riceuerſi, e de coſtumi di ogni vno di eſſi, e della qualità della vita menata nel Secolo; e ſe ſia portato da vero ſpirito alla Religione, ò pure da neceſſità, ò da altro humano riſpetto, e con lettera ſegreta ne dia relatione à detto Superior Prouinciale, quale dourà poi communicarle col Diffinitorio, acciò non ſiano ingannati in vna materia così graue per il beneficio, e decoro della Religione.

Annunciamus ergo vobis, ô Filij, & Domini mei dilectiſſimi, Illuſtriſſimum, & Excellentiſſimum D. D. Iulium Sabellum de Cabrera, & Bobadilla Albani Principem, S. R. E. Mareſciallum perpetuum, Conclauiſque Cuſtodem, Hiſpaniarum Magnatem, Aurei Velleris Equitem, S. R. Imperij Principem, iamque propinquioris ex gradus iure Comitem de Chinchon &c. ad Ordinem noſtrum ex antiqua cauſa præfata ſingulariſſimè propenſum, iam ex ampliſſimi Maioratus de Chinchon legitima ſucceſſione, virtute antedicti Decreti, vt ſupra confirmati, Primarios inter Seraphicæ Religionis noſtræ Benefactores, atque Comitiorum Generalium Patronos iure ſucceſſionis eſſe receptum, atque declaratum, qui duplici iam ex titulo augendam potiùs, quàm minuendã ſuam in pauperes S. Franciſci Filios deuotionem, ac beneficentiam, incredibili pietatis affectu eſt proteſtatus. Hæc inquam annunciamus vobis, quatenus de tanto Patrono lætabundi, ipſum, eiuſque Ampliſſimam Domum in Orationibus veſtris, ſanctiſque Sacrificijs, cæteriſque pijs operibus tota ſingularitate, iuxta præcitata Generalis Capituli Decreta commendatos habere debeatis: Ad quod Nos etiam partialiùs intenti omnibus ad hæc pietatis, & debitæ gratitudinis officia ſpecialiter cooperantibus meritum obedientiæ ſalutaris adiungimus, vt Deus O.M. ad continuas, vnitaſque Religionis ſuæ preces, Illuſtriſſimum, & Excellentiſſimum Principem Patronum noſtrum, Ampliſſimamque Domum eius vniuerſam omnibus Cæli benedictionibus replere, ac vtraque fælicitate conſolari iuxta pia eorum deſideria, & proſperare dignetur. Valete in Domino. Datum Romæ in noſtro Celeberrimo Conuentu Aracælitano die 12. Iunij 1683.

Fr. Petrus Marinus Miniſter Generalis.

Loco † Sigilli.

De mandato Suæ Reuerendiſs. Paternitatis
Fr. Clemens Cabretus Secret. Generalis Ordinis.

Cum iam diù de modo, quo prima vice Princeps in Patronum huiuſmodi recipiendus eſſet, fuiſſet actitatum, tandem Reuerendiſſimi Patris Miniſtri Generalis precibus adactus, vt ad anteceſſorum ſuorum exemplum, omiſſa, quam aliàs Sabellos Princeps decere, non ignoramus, pompa, potiùs Ordinis Minorum, omnium pauperum pauperrimi, cuius iam veluti Pater agnoſceretur, humilitati pro poſſe ſe conformaret, Eccleſiam Sancti Petri de Monte aureo, per Religioſos de Strictiori Obſeruantia rara pietate, Vrbiſque totius ædificatione inhabitatam, Regumque Catholicorum inſignibus in marmore inſculptis vndequaque ornatam, ad huiuſmodi functionem elegit. Feria quinta infra octauas Pentecoſtes, die 25. Maij Tranſlationi corporis Sancti Patris Franciſci Sacra, hoc anno 1684. præclara nobilium virorum copia, & pluribus quadrigis comitatus, præeunte atque ſubſequente ſeruorum multitudine, ſolemni aureo vellere ornatus, ad ædiculam Beatæ Virginis Mariæ in medio Collis aſcenſus proceſſit, ibi iam perſonantibus feſtiuè campanis Reuerendiſſimi Patres Petrus Marinus Miniſter Generalis Ordinis, & Antonius à Sancto Ioanne ex-Commiſſarius Generalis Ciſmontanæ Familiæ, Triuenti Epiſcopus nominatus, (aberat enim ab Vrbe ad Viſitationem Prouinciæ Reuerend Adm. Pater Bernardinus à Biſignano Pater Ordinis, Ex-procurator Generalis in Curia pro Reformatis, & huius Romanæ Prouinciæ Reformatæ Miniſter actualis) poſt maximam Religioſorum multitudinem deuotiſſima ſupplicatione procedentium, obuiam facti, Excellentiſſimum Principem vti Religionis Patronum, grandibus reuerentiæ, atque mutuæ beneuolentiæ ſignis exceperunt. Acceſſit interim, præeunte ſemper inter Acholitos Cruce maiori, Sacerdos inter Miniſtros ſolemni-

lemnibus paramentis indutos, cum Cantoribus, & Principi iam ſuper nobile puluinar, Attalico aulæo ſuperpoſitum genuflexo Venerabilem IESV Chriſti Crucifixi Imaginem oſculandam porrexit, eo modo, quo Miniſtro Generali Ordinis prima vice ad Eccleſias noſtras venienti fieri conſueuit. Exindè Cantoribus Hymnum *Te Deum laudamus*, feſtiua ſolemnitate præcinentibus, & Fratrum multitudine deuotiſſimè proſequente, ducta eſt exemplari cum pietate ſupplicatio ad Eccleſiam, Reuerendiſſimis Patribus iam præfatis medium habentibus in fine ſupplicationis ipſum Excellentiſſimum Principem. Eccleſiam intrantes Religioſi hinc inde tota modeſtia diuiſi locum dederunt, vt inter ambas ipſorum partes Princeps ipſe cum Reuerendiſſimis Patribus ab omnibus humiliter veneratus, ad locum ſibi decentiſſimè cum Aulęis, & Puluinaribus præparatum accederet. Eccleſiam Vniuerſam, & Chorum nobiliſſimis Aulæis omni ex parte ornandam curauerat, atque pro Altari & pro Miſſæ peragendo Sacrificio paramenta ſua generoſitate digna, necnon pro ſingulis Aris faces copioſas Princeps ipſe præmiſerat; Vndè factum eſt, vt non tam Minoritica paupertas, quàm generoſa Principis nobiliſſimi pietas raperet vndequaque intuentium oculos. Ad Principis in Eccleſiam ingreſſum, terminantibus cantum Religioſis, Melos ſuauiſſimum inchoatum eſt à maxima principalium ex Vrbe Muſicorum multitudine, qui compoſitis arte tota huiuſmodi ad miſterium verſibus, miſericordias Domini cum omni genere Symphoniæ deuotiſſimè cantarunt, & celebrante Adm. Reuerendo Patre Carolo Franciſco de Variſio huius Reformatæ Prouincię Romanę Lectore controuerſiarum Fidei, Sacræque Theologiæ emerito, & S.R.Inquiſ.Qualificatore inter Miſſarum ſolemnia renouarunt. Librum Euangeliorum oſculandum poſt lectum Euangelium, & demum oſculum pacis, iuxta Rubricas in Ceremoniali Noſtro Franciſcano deſcriptas, Patre Sanctes de Locarno Prædicatore, ac Sacriſta Cœnobij ſibi inter paucos acceptiſſimo deferente Princeps ipſe ſuſcepit. Hinc inde Reuerendiſſimus Miniſter Generalis à dextris, & ex-Commiſſarius Generalis antedictus à ſiniſtris in proprijs Oratorijs ab Oratorio Principis aliquantulum infra ſepoſitis adſtabant, cum præcipuis Patribus Generali Ordinis Procuratore Antonio Palumbo de Campobaſſo, Sebaſtiano Arroyo Commiſſario Generali Curiæ, Berardo de Contiliano Procuratore Generali Reformatorum, Franciſco Maria de Buniara Deffinitore Generali, pro Ciſmontana Reformatione, Clemente Caprea de Mediolano pro Ciſmontanis Obſeruantibus, Ioſeph de Valdes pro Vltramontana Familia Secretarijs Generalibus, alijſque grauiſſimis Patribus; poſt abſoluta Sacra Myſteria ſimul aſſurgentes, & ad Principem reuerenter accedentes incredibili prorsùs obſequiorum, & amoris expreſſione dato, atque recepto Pacis & Charitatis amplexu, illius in Ordinem vniuerſum præeminentiam cum honorifico Patronatus titulo, propriamque Religioſorum vtriuſque ſexus ad ipſum, necnon ad vniuerſam eius Excellentiſſimam Domum reuerentiam, & obligationem, in publicis etiam, priuatiſque omnibus orationibus, & pijs operibus participationem ſingulariſſimam fuerunt tota cordis deuotione conteſtati; omnigeno Muſicorum Choro in Dei laudes ſuauiſſimè ſemper exultante. Deductum exinde Principem ad aulam Prælatorum decentiſſimè ornatam Reuerendiſſimi Patres medium ſemper habuerunt, vbi conſidentibus, atque religioſè tacentibus memoratis Patribus primarijs, Reuerendiſſimus ipſe Miniſter Generalis ſumpta ex Sacræ Ceremoniæ occaſione dicendi materia, ab Honorio III. Sabello Pontifice, qui Regulam Minorum diplomate primus confirmauit, per tempora ſubſequentia Sabellorum Principum raram nobilitatem, & ſingularem ad Ordinem Seraphicum beneuolentiam paucis perſtringens, huiuſque functionis miſteria, formamque declarans, de multiplicatis Principis eiuſdem meritis, & Religionis ad ipſum obligationibus compendioſè, ſed grauiſſimè atque doctiſſimè perorauit. Cui Benigniſſimus Princeps affabili prorsùs maieſtate, & amabili grauitate reſpondens, de Religionis ſanctitate, de ſua, ſuorumque per hoc plurimum adaucta deuotione, necnon ad omnes, & ſingulas eiuſdem Generalis, & totius Ordinis indigentias ſincera promptitudine, denique de ſingulari, quàm pro vniuerſa domus ſuæ vtraque fælicitate, ex meritis Sancti Franciſci, & filiorum eius orationibus, conceperat, fiducia ſingulari prudentiſſimè reſpondit. Intrarunt tandem eodem Ordine in Refectorium, non more Pauperum, ſed ex voluntate, imperio, & liberalitate Principis ipſius præparatum, vbi poſt ſolemnem menſæ benedictionem, ita volente Principe Reuerendiſſimus Generalis conſedit, & de manu Principis primum ferculum accepit; Princeps autem ab vniuerſa Fratrum Communitate de mandato Generalis feſtiuis acclamationibus veneratus, duobuſque de ſuis, qui Generali ſeruirent in menſa, relictis, ad propria lætiſſimè receſſit. D.O.M. eius pia, iuſtaque deſideria proſperare dignetur.

Sequun-

Sequuntur acta P. Generalis.

PRO Braſilienſium Prouinciarum Sancti Antonij,& Immaculatæ Conceptionis de StrictioriObſeruantia quiete,neque profectu multo diſpoſuit, & decreuit, & ab Apoſtolica Sede confirmari obtinuit, vt ſequitur.

MONITORIVM.

Ad fauorem Prouinciarum Sancti Antonij Braſiliæ, & Immaculatæ Conceptionis fluminis Ianuarij in eodem Braſilienſi Statu Indiarum Regnorum Portugalliæ ſuper obſeruatione Bullarum Apoſtolicarum Summorum Pontificum, Priuilegiorum, & gratiarum, Indulgentiarumque eiſdem Prouincijs conceſſarum.

DOMINICVS MARIA CVRSIVS Prothonotarius Apoſtolicus vtriuſque Signaturæ Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Referendarius, necnon Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor. Romanæque Curiæ Iudex Ordinarius, ſententiarum quoque, ac Cenſurarum, tam in eadem Romana Curia,quàm extra eam latarum ab eodemSanctiſſimo D.N. Papa ſpecialiter electus, & deputatus:

VNiuerſis,& ſingulis Reuerendis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Diaconis, Archidiaconis, Scolaſticis, Cantoribus, Theſaurarijs, Sacriſtis, tam Cathedralium, quàm Collegiatarum Eccleſiarum Canonicis, Rectoribus, Presbyteris, Clericis, Tabellionibus publicis quibuſcumque, illique, vel illis, ad quem, ſeu quos præſentes noſtræ litteræ peruenerint, ſeu quomodolibet præſentabuntur,ſalutem in Domino. NOVERITIS. Quòd infraſcripta die in Tribunali Noſtro coram Nobis tanquam litterarum Apoſtolicarum mero Executore fuit comparitum pro parte, & ad iuſtantiam Admodum Reuerendorum Patrum Fratris Danielis à Sancto Franciſco Sacræ Theologiæ Lectoris,Vicarij Prouincialis,ac Præſidis Capituli Prouinciæ Sancti Antonij Braſilienſis, & Chriſtophori à Matre Dei Prædicatoris Miniſtri Prouincialis Prouinciæ Immaculatæ Conceptionis Fluminis Ianuarij in eodem Braſilienſi Statu Indiarum, Regnorum Portugalliæ Cuſtodum, Diffinitorum, & Guardianorum præfatarum Prouinciarum Ordinis Minorum Strictioris Obſeruantiæ Sancti Franciſci, & omnium illorum nomine Admodum Reuerendi Patris Placidi à Sancto Antonio Verbi Dei Concionatoris perpetui Patris, & Cuſtodis, & habitualis Diffinitoris præfatæ Prouinciæ Sancti Antonij Braſilienſis in Romana Curia dictarumProuinciarum ſpecialis Procuratoris, nec non Commiſſarij Generalis Terræ Sanctæ Regnorum Braſiliæ, ac Domini Abbatis Emanuelis Dias de Meſquita omni meliori modo principalium, & expoſitum, Cuſtodiam Braſilienſem per ſanct. mem. Sixtum Papam Quintum, quàm plurimis fauoribus, & Priuilegijs decoratam eſſe, & in ſpecie per Breue Apoſtolicum de anno 1586. expeditum benignè indulſiſſe, quòd Pater dictæ Cuſtodiæ Cuſtos pro tempore exiſtens, vel per ſe ipſum, vel per quamcumque aliam perſonam idoneam tamen, ad id ab eo deputatam ad Prouincialia præfatæ Prouinciæ Sancti Antonij Comitia ſe conferre, & in huiuſmodi comitijs votum in rebus maximè publicis huius cuſtodiæ vtilitatem concernentibus habere, ac tam ex dicta Sancti Antonij, quàm alia ex quacumque Franciſcani Ordinis Prouincia Fratres, qui tamen iſta in cuſtodia vtiles fore viſi ſint, & ad eam traijcere voluerint,aſſumere, ſecum ducere, atque ei perpetuò mancipare Apoſtolica authoritate queat,vtque ij iſtius Cuſtodiæ Fratres,qui ad prędicationis munus obeundum, & ad Sacramentales Fidelium Confeſſiones excipiendas habiles fuerint, prædicare, atque huiuſmodi confeſſiones excipere valeant, & vt Fratres in Sacro Presbyteratus Ordine Conſtituti Baptiſmi, & Matrimonij, nec non quæcumque alia Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare, Eccleſias quoque, & in eis Altaria in locis de nouo ad Fidem Conuerſorum erigere, & in eis rem diuinam facere, inſuper Oratoria, & Eremitoria eidem Cuſtodiæ pro tempore concedenda regere, & adminiſtrare poſſint,vt etiam ſingularum domorum, ac in Cuſtodia pro tempore Canonicè erectarum Miniſtri, & Fratres omnibus, & ſingulis priuilegijs prærogatiuis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, Indulgentijs,ac alijs gratijs tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, quibus aliarum eiuſdem Ordinis Ædium quarumcumque Prouinciarum, & Cuſtodiarum Miniſtri, & Fratres in dictis partibus de Braſil, & Peruano Regno exiſtentes vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt, quomodolibet in futurum,pariter vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant; Vtque tandem præ-

fatæ huius Cuſtodiæ Fratres, nec ab Ordinario, nec à quacumque alia Perſona impediri, moleſtari, inquietari, ac perturbari debeant, quominùs præfatis priuilegijs fruantur, iunctaque ſibi munia liberè exerceant. Prout latiùs in eodem Breui, ad quod &c. Inſuper fuit per eoſdem Reuerendos Patres inſtantes exhibitum aliud Apoſtolicum Breue ſanctæ memoriæ Clementis Papę Octaui ſub datum Romę apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die quarta Martij 1600. tenoris qui ſequitur videlicet. Clemens Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. His quæ ad regularium perſonarum ſtatum, & commodum pronidè ſunt ordinata, cum à Nobis petitur, Apoſtolicæ confirmationis robur libenter adijcimus. Cum itaque, ſicut accepimus, dilectus filius noſter Hieronymus tituli Sancti Pancratij Presbyter Cardinalis Matthæius nuncupatus Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia Protector, ad quem nos ſupplicem libellum Nobis pro parte dilectorum filiorum Miniſtrorum Prouincialium, & Fratrum Ordinis Sancti Franciſci in partibus Indiarum, Occidentalium exiſtentium porrectum remiſeramus, quo quidem ſupplici libello Nobis exponebatur, nonnullos Commiſſarios Generales ex Hiſpanijs ad prædicti Ordinis Prouincias in partibus Indiarum huiuſmodi proficiſcentes, maximèque ad Prouinciam Limenſem, quæ in Regno del Perù ſita eſt, priuatis affectionibus motos, potiùs quàm communi Religionis vtilitati inſeruientes, illos, qui ſecum ex Hiſpania acceſſerant, ad Miniſtratus Prouincialis, & alia ordinis Officia promouere conſueuiſſe in non immodicum earumdem Prouinciarum, & præſertim Limenſis detrimentum, Nobiſque humiliter ſupplicabatur, vt huic malo occurrere dignaremur: maturo Conſilio, & deliberatione præmiſſis, ac Religionis Seraphicæ, dictarumque Prouinciarum communi vtilitati, nec non Religioſorum omnium, & præcipuè eorum, qui in remotiſſimis Orbis partibus doctrinæ, exemplariſque vitæ ſplendore Catholicam fidem propagare nituntur, honori proſpicere cupiens, eiuſdemque Religionis ſtatutis generalibus inhærens decreuerit, & ſtatuerit, vt in Prouincijs eiuſdem Religionis in partibus prædictis Indiarum, & præſertim in Limenſi Prouincia ad Miniſtratus Prouincialis, ſeu quomodolibet aliud dignitatis Officium aſſumi non valerent, alij dicti Ordinis Religioſi, quàm illi, qui eiuſdem Prouinciæ Alumni eſſent, vel ad eam expreſsè, & nominatim miſſi ex Hiſpanijs, cum Miniſtri Generalis, aut Commiſſarij Indiarum apud Catholici Hiſpaniarum Regis Curiam Aſſiſtentis litteris obedientialibus in illis Prouincijs incorporati fuiſſent, quòd, ſi ſecus fieri contingeret, irritum, & inanè omnino eſſet; & tam Electores, Promotores, & Fautores, quàm electos quoslibet priuationis ab eorum Officijs, ac inhabilitatis ad ſimilia, & alia in poſterum obtinenda pœnas, quas tunc inflixit, ipſo iure incurſuros declarauerit, prout in eiſdem Hieronymi Cardinalis Protectoris patentibus litteris ſub datis die vltima Ianuarij proximè præteriti expeditis pleniùs dicitur contineri. Cumque firmiora ſint ea, quæ Apoſtolicæ confirmationis robore muniuntur; Propterea pro parte Prouincialium, & Fratrum Prouinciarum prædictarum Nobis humiliter ſupplicatum fuerit, vt patentes litteras prędictas confirmare, ac aliàs in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur earumdem patentium litterarum totum tenorem præſentibus pro expreſſo habentes, ac Miniſtros Prouinciales, & Fratres dictarum Prouinciarum ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & eorum ſingulos à quibuſuis excommunicarionis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati eiuſdem Hieronymi Cardinalis Protectoris litteras patentes prædictas, omniaque, & ſingula in illis contenta Authoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illiſque perpetuæ, atque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus omneſque, & ſingulos iuris, & facti defectus, ſi qui in eiſdem interuenerint, ſupplemus, & nihilominus omnia, & ſingula præmiſſa de nouo ſtatuimus, & ordinamus, ac in Prouincijs prædictis obſeruari debere volumus, & mandamus. Præcipientes in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœnis ſupradictis eo ipſo incurrendis, tam Commiſſarijs, quàm alijs Superioribus, & Fratribus, ad quos ſpectat, ac in futurum ſpectabit, vt præmiſſa omnia, & ſingula inuiolatè obſeruent, & obſeruari curent, & faciant non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Prouinciarum prædictarum, etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus priuilegijs quoque, indultis, & litte-

litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis; Quibus omnibus, & ſingulis eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die quarta Martij milleſimo ſexcenteſimo Pontificatus noſtri anno nono. Sumptum ex minuta originali Breuium fel. recordat. Clementis Papæ VIII. collatum concordat I. G. Sluſius. Item exhibitum per eoſdem Reuerendos Patres inſtantes aliud Breue Apoſtolicum ſanctæ memoriæ Vrbani Papæ Octaui ſub datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die ſexta Auguſti *1639.* tenoris ſequentis videlicet. Vrbanus PP. VIII. ad perpetuam rei memoriam. Circumſpecta Romani Pontificis prouidentia ea, quæ in perſonarum Regularium Capitulis Generalibus interdum ſancita, & authoritate Apoſtolica comprobata fuerunt, ipſa ſubinde rerum experientia ſuadente præſertim cum felici earumdem perſonarum ſtatui, & quieti opportunè conſulitur, immutat, in hiſque ſuæ ſollicitudinis partes fauorabiliter interponit, prout conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Aliàs ſiquidem in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia nuncupat. de anno *1625.* celebrato inter alia conditum fuit ſtatutum tenoris ſequentis videlicet. Caueant ex Indianis Prouincijs Miniſtri Prouinciales, ne ad Capitulum Generale, vel aut ipſi veniant, vel Commiſſarios ſuo nomine mittant, ſolis Cuſtodibus veniendi facultas conceditur. Noſque ſtatutum huiuſmodi illius tenore incerto confirmauimus, & approbauimus, prout in noſtris deſuper in ſimili forma Breuis expeditis litteris, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem ſicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Ioannes Merinero dicti Ordinis Miniſter Generalis, Patres in Capitulo Generali eiuſdem Ordinis in hac Alma Vrbe noſtra nouiſſimè celebrato congregati, Miniſtris Prouincialibus prædictarum Prouinciarum Indiarum antiquum ius quod habebant, vt ad Capitulum Generale Commiſſarios eorum nomine ſuffragium laturos mittere poſſent iuſtis ex cauſis reſtituendum eſſe cenſuerint. Nobis propterea dictus Ioannes Miniſter Generalis humiliter ſupplicari fecit, vt in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eiuſdem Ioannis Miniſtri Generalis votis annuere volentes, illumque ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab Homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes huiuſmodi ſupplicationibus inclinati Miniſtris Prouincialibus dictarum Prouinciarum Indiarum pro tempore exiſtentibus, quòd ad Capitulum Generale dicti Ordinis mittere poſſint Commiſſarios, qui eorum nomine ſuffragium ferant, ea tamen lege, vt tam Commiſſarij, qui mittentur, quàm etiam Cuſtodes filij earum Prouinciarum reſpectiuè ſint, pro quibus mittentur, vel in eis incorporati, ſiue in Indijs, ſiue in alijs Europæ partibus exiſtant, dummodo ad electionis effectum non incorporentur, ac vt tam Commiſſarij, quàm Cuſtodes prædicti à ſuis Prouincijs, non aliter quàm iuxta Conſtitutiones generales Segobienſes eligantur, quodque ſi Commiſſarij, & Cuſtodes huiuſmodi in itinere decedant, ſuffragium ſuum nemini, etiam tanquam Procuratori abſenti, vel præſenti committere poſſint, ac idem in alijs etiam Prælatis, & Vocalibus iuxta laudabilem dicti Ordinis conſuetudinem ſeruetur; Apoſtolica authoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus; Et inſuper pro commodiori præmiſſorum executione Conſtitutionem fælicis recordationis Clementis Papæ Octaui prædeceſſoris noſtri, quæ incipit. *His, quæ ad Regularium perſonarum ſtatum* die quarta Martij *1600.* Pontificatus ſui anno nono editam, qua cauetur, vt in Prouincijs dicti Ordinis in partibus Indiarum præſertim in Limenſi Prouincia ad Miniſtratus Prouinciales, ſeu quodlibet aliud dignitatis officium aſſumi non valeant alij dicti Ordinis Religioſi, quàm illi, qui eiuſdem Prouinciæ Alumni ſunt, vel ad eam expreſsè, ac nominatim miſſi ex Hiſpanijs cum Miniſtri Generalis, aut Commiſſarij Indiarum apud Catholici Hiſpaniarum Regis Curiam Aſſiſtentis litteris obedientialibus in illis Prouincijs incorporati fuerunt, innouamus, approbamus, & confirmamus. Declarantes ſub illis verbis, *ſeu quodlibet aliud dignitatis Officium* in dicta Conſtitutione expreſſis Miniſtri Prouincialis, Commiſſarij Prouincialis, tam pro regenda Prouincia, quàm pro ferendo ſuffragio in Capitulo Generali deſignati, Vicarij Prouincialis, Cuſtodis, Diffinitorum

rum Guardianorum, Conuentuum, & Vicariorum officia comprehendi, & comprehenſa intelligi, ſicque in præmiſſis, & per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere legatos, & Sedis Apoſtolicæ Nuncios Iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari; Quocirca dilectis filijs nunc, & pro tempore exiſtentibus dicti Ordinis Commiſſarijs Generalibus in Indijs in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ, priuationiſque ſuorum officiorum, & perpetuæ inhabilitatis ad alia obtinenda pœnis præcipimus, & mandamus, vt præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque inuiolabiliter ſeruent, & ab alijs, ad quos ſpectat, & ſpectabit quomodolibet, ſeruari curent. Alioquin ſi eos hac in parte deliqniſſe compertum fuerit, ipſo facto ad propriam Prouinciam regredientes, omni priuilegio, titulo, immunitate, & exemptione priuati remaneant, iniungentes, & diſtrictè præcipientes dicto Ioanni, & alijs pro tempore exiſtentibus Ordinis prædicti Miniſtris Generalibus, vt citra conniuentiam quamcumque pœnas prædictas contra tranſgreſſores debitæ executioni demandari faciant onerando in his eorum conſcientias. Non obſtante ſtatuto, & litteris noſtris prædictis, alijſque Apoſtolicis, & Vniuerſalibus, Prouincialibuſque, & Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus; nec non dicti Ordinis, & Prouinciarum prædictarum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis eidem Ordini, & Prouincijs illatumque Miniſtris Generalibus, ac Prouincialibus, & Commiſſarijs prædictis alijſque Superioribus, Fratribus, & perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatariarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica Conſtitutę munitis eadem prorsùs adhibeatur fides, quæ adhiberetur præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die ſexta Auguſti milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo nono Pontificatus noſtri anno decimo ſeptimo. Sumptum ex minuta originali Breuium ſecretorum fel. recordat. Vrbani Papæ VIII. collatum concordat I. G. Sluſius. Item exhibitum aliud Breue Apoſtolicum ſanct. mem. Vrbani Papæ VIII. ſub datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die vigeſima prima Februarij milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo primo Pontificatus ſui anno decimo octauo tenoris ſequentis videlicet: Vrbanus Papa VIII. ad futuram rei memoriam. Decet nos opportunæ declarationis miniſterio prouidere, ne eorum, quæ à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris pro fælici perſonarum Regularium ſtatu vriliter conſtituta ſunt, & à nobis confirmata fuerunt, debita obſeruatio ambiguitatis prętextu, ab illis qui verba ſecundùm proprios affectus, quandoque interpretantur, temere negligatur. Aliàs ſiquidem conſtitutionem felic. recordationis Clementis VIII. Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit. *Hic qua ad regularium perſonarum ſtatum* die quarta Martij milleſimo ſexcenteſimo editam, qua inter alia cauetur, vt in Prouincijs Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum in partibus Indiarum, præſertim in Limenſi Prouincia ad Miniſtratus Prouincialis, ſeu quodlibet aliud dignitatis Officium aſſumi non valeant alij dicti Ordinis Religioſi, quàm illi, qui eiuſdem Prouinciæ alumni ſunt, vel ad eam expreſsè, ac nominatim miſſi ex Hiſpanijs, cum Miniſtri Generalis, aut Commiſſarij Indiarum apud Catholici Hiſpaniarum Regis Curiam Aſſiſtentis, litteris obedientialibus in illis Prouincijs incorporati fuerint, confirmauimus, prout in Noſtris in ſimili forma Breuis deſuper expeditis litteris, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, vberius continetur. Cum autem ſicut nobis nuper exponi fecit dilectus filius Gaſpar Sanchez Ordinis prædicti Profeſſor, &

Lector

Lector Iubilatus, illiuſque in Romana Curia Procurator Generalis; Commiſſarij Generales Indiarum huiuſmodi Ordinis Conſtitutione dicti Clementis Prædeceſſoris, & confirmatione noſtra prædictis, parum attentis, poteſtateque ſibi conceſſa abutentes ex commiſſione Generali plurimos Religioſos eiuſdem Ordinis ad Indias transmittant, & in illarum Prouincijs incorporent, Prælatoſque conſtituant, ex quo maxima oriuntur incommoda, paxque, & earumdem Prouinciarum tranquillitas perturbatur. Nobis propterea idem Gaſpar Procurator Generalis humiliter ſupplicari fecit, vt in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur exactæ Conſtitutionis huiuſmodi obſeruationi, & Prouinciarum prædictarum quieti, quantum cum Domino poſſumus, conſulere, dictumque Gaſparem Procuratorem Generalem ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & eum à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, per Verbum *Alumni* in dicta Conſtitutione, vt ſupra expreſſum illos ſolos, qui in prędictis Indiarum Prouincijs habitum per Fratres dicti Ordinis geſtari ſolitum ſuſceperunt Regularem, intelligi debere: verba autem einſdem Cõſtitutionis ſequentia videlicet, [vel ad eam expreſsè, ac nominatim miſſi ex Hiſpanijs cum Miniſtri Generalis, aut Commiſſarij Indiarum apud Catholici Hiſpaniarum Regis Curiam Aſſiſtentis litteris Obedientialibus in illis Prouincijs incorporati fuerint] intelligenda, ſic eſſe, vt tam Religioſorum Ordinis huiuſmodi ad Indias Miſſio, quàm eorum incorporatio expreſsè, & nominatim, nimirum nominando perſonaliter quemlibet Religioſum, qui illuc mittitur fiat à nunc, & pro tempore exiſtentibus Miniſtro, vel Commiſſario Generalibus huiuſmodi, non autem per commiſſionem, ſiue in genere, ſiue in ſpecie factam; Apoſtolica authoritate tenore præſentium declaramus, ſicque ab omnibus cenſeri, & ita in præmiſſis per quoſcumque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, mandantes propterea, & in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub excommunicationis pœna diſtrictè præcipientes Commiſſarijs Generalibus Indiarum huiuſmodi nunc, & pro tempore exiſtentibus, vt præmiſſa ſemper, & perpetuò inuiolabiliter obſeruent, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Prouinciarum huiuſmodi, etiam medio iuramento confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis, ſtatutis, & Conſtitutionibus priuilegijs, quoque indultis, & litteris Apoſtolicis Miniſtro, & Commiſſarijs Generalibus huiuſmodi, & alijs quibuslibet in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, & ſingulis, illarum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die vigeſima prima Februarij millesimo ſexcenteſimo quadrageſimo primo Pontificatus Noſtri anno decimo octauo. Sumptum ex minuta originali Breuium ſecretorum fel. rec. Vrbani PP. VIII. collatum concordat I. G. Sluſius. Item exhibitum aliud Breue ſa. me. Alexandri Papæ VII. ſub datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die vigeſima quarta Augusti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo Pontificatus ſui anno tertio tenoris ſequentis videlicet: Alexander PP. VII. ad perpetuam rei memoriam. Ex commiſſi Nobis diuinitùs paſtoralis officij debito ad ea propenſis ſtudijs ingiter intendimus, per quæ regularium perſonarum, quæ relicto ſęculo Dei obſequijs ſub ſuaui arctioris Religionis iugo ſe ſe manciparunt, ſtatui, & felici directioni conſulitur, vt ſecundùm ordinum ſuorum inſtituta gratum Altiſſimo impendentes famulatum proſperioribus in dies in Via Domini proficiant incrementis. Nuper ſiquidem nomine dilectorum filiorum Fratrum Cuſtodiæ Braſiliæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia Reformatorum nuncupatorum Nobis expoſitum fuit, quòd aliàs poſtquam die decimaquarta Auguſti milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo pro tempore quondam Ioannis de Neapoli dicti Ordinis Miniſtri

niſtri Generalis, erat ad eiuſdem Ioannis inſtantiam Cuſtodia prædicta Prouinciæ S. Antonij Regni Portugalliæ eiuſdem Ordinis, longiſſimi maritimi itineris, quo cuſtodia huiuſmodi à Regno prædicto diſtat, alijſque incommodis occurrendi ergo, per quaſdam literas Apoſtolicas in ſimili forma Breuis expeditas ſeparata, & ſubinde intra breue tempus aliquod Conuentibus aucta fuerat, in Capitulo Generali memorati Ordinis de anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo primo, in hac Alma Vrbe celebrato ſtabilitum fuit, vt Cuſtodia huiuſmodi, reſeruato tamen huius Sanctæ Sedis beneplacito in nonam Prouinciam dicti Ordinis erigeretur, ſed id propter nonnullas oppoſitiones, ſeu obiectiones ad effectum deduci hactenus non potuit, quinimo à quadam priuata perſona aliæ literæ in forma Breuis, ſimiliter expeditæ ſuper reunione eiuſdem Cuſtodiæ cum Prouincia prædicta ab eadem Sede impetratę fuerunt. Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, oppoſitiones, ſeu obiectiones præfatæ iam ceſſent, & Fratres dictæ Prouincię Sancti Antonij capitulariter congregati iuri, quod ſuper Cuſtodia præfata prætendere poterant, renunciauerint, Conuentuſque eiuſdem Cuſtodiæ, qui poſt ingreſſum hæreticorum in Braſiliam extincti fuiſſe prætendebantur, illis inde egreſſis ſeptemdecim numero, qui numerum Conuentuum nonnullarum Prouinciarum Ordinis præfati excedit, reſtituti fuerint. Cumque ſi dicta Cuſtodia in nouam Prouinciam, iuxta conſenſum ei rei à prædicto Capitulo Generali, vt præmittitur, præſtitum erigatur, id nemini præiudicium, ſed maximam proſpero Conuentuum ipſius Cuſtodiæ gubernio vtilitatem ſit allaturum. Nobis propterea dicti Exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, vt ſibi in præmiſſis opportunè prouidere, & vt infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ſpecialem eiſdem Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibus excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendnm harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes huiuſmodi ſupplicationibus inclinati Cuſtodiam Braſiliæ huiuſmodi, eiuſque Conuentus à dicta Prouincia S Antonij Regni præfati authoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò ſeparamus, & diſmembramus, ac ipſam Cuſtodiam, & eius Conuentus prædictos ſic ſeparatos, & diſmembratos in nouam Prouinciam Ordinis prædicti, cum omnibus, & ſingulis præeminentijs, prærogatiuis, indultis, priuilegijs, & gratijs, quibus aliæ eiuſdem Ordinis Prouinciæ frui, & gaudere ſolent, & poſſunt, ac debent authoritate, & tenore præfatis ibidem perpetuò erigimus, & inſtituimus; Decernentes, eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non, quatenus opus ſit, Ordinis Prouinciæ Cuſtodiæ, & Conuentuum huiuſmodi, alijſque quibuſuis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarinm præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die vigeſimaquarta Auguſti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo Pontificatus Noſtri Anno tertio. Sumptum ex minuta originali Breuium ſecretorum fel. recor. Alexandri PP. VII. collationatum concordat. I.G. Sluſius. Præinſertæ literæ Apoſtolicæ in forma huius, cum ſuis ſumptis originalibus ſan. mem. Clementis Octaui, Vrbani etiam Octaui, & Alexandri VII. Romanorum Pontificum reuiſæ concordant. Inſuper exhibitas Conſtitutiones Generales Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſeruantiæ, & Reformatorum Seraphici Patris S. Franciſci editas in Generali Capitulo celebrato Toleti in Regali Conuentu S. Ioannis Reg. ſub die octaua Iunij Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo octauo, in quibus inter cætera fuit inhibitum, nè Prouinciarum Procuratores ad Romanam Curiam, nec ad Curiam Matritenſem, nec aliorum Principum deinceps mittantur, niſi de licentia in ſcriptis obtenta Reuerendiſſimi Miniſtri, aut Commiſſarij Generalis, & aliter miſſi puniantur tāquam Apoſtatæ, nec audiantur, ſed ſtatim ad ſuas Prouincias mittantur, nec propterea tollitur à Miniſtris Prouinciarum, vnà cum ſuis Diffi-

Diffinitorij, facultas mittendi ob negotia vrgentia. Item exhibitas reſponſiones Sacræ Congregationis ad quædam dubia, videlicet. Sacta Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negocijs, & Conſultationibus Regularium præpoſita, viſis infraſcriptis dubijs per Miniſtrum Generalem Ordinis Minorum S. Franciſci tenoris ſequentis, videlicet. Primò Summi Pontifices, & præcipuè Paulus IV. & Gregorius XIII. vt certis officiorum in Religione tempus ſtabilirent, eorum perpetuitatem penitus ſuſtulerunt, ſed fruſtra, Prouinciales enim exacto ſui miniſterij triennio, ſi contingat ſucceſſorem diſcedere à Prouincia, vel è viuis excedere, in Commiſſarios, ſeu Vicarios Prouinciales ſeſe aſſumi procurant, tametſi ad ſexennium à dignitatibus vacare deberent, atque ideò non deſunt, qui in octo annos, & vltra Miniſtri, vel Vicarij, aut Commiſſarij Prouincialis titulo Prælaturam extendunt, Conſtitutionum verba pro ſuo libito interpretrantes. Quare, vt huiuſmodi Conſtitutio euitetur, ſupplicantur Eminentiæ Veſtræ decernere, an, & quanto tempore vacare debeant Miniſtri, antequam in Vicarios, ſeu Commiſſarios Prouinciales eligi poſſint, vbi dictū munus per duos annos obierint. Secundò, in quadam Hiſpaniæ Prouincia vltimus Prouinciæ Pater, qui vigore Bullæ ſa. me. Vrbani VIII. ingrediendi Diffinitorij facultatem habet intrare tamen recuſauit eum in finem, vt Patri ſibi in primis charo (cuius erat in aliorum defectum ſubrogari) ad honorem ſterneret viam, defuncto paulò poſt ex Diffinitoribus vno, idē Prouinciæ Pater, qui ſuis iuribus renunciauerat, in vacantis locum admitti præſumpſit. Quæritur an is, qui renunciauit tanquàm modernus Prouinciæ Pater ſubintrare valeat in locum deficientis, cùm dubitari poſſit de colluſione. Tertiò, nonnulli Prouinciales eo dominij, & auctoritatis deuenerunt in ſuis Prouincijs, vt in Diffinitores ſuis tantummodò factionibus adhærentes, & plerumque malæ notæ Religioſos eligendos curent. Vnde conſequitur, quòd quando in actu viſitationis errores, & defectus, ſiue in Miniſtro, ſiue in aliquo ex Diffinitoribus, vel eorum Amicis detegantur, ad debitas pœnas, & punitionem non procedatur, cum ipſorummet Diffinitorum ſit cauſas iudicare. Propterea Eminentiæ Veſtræ declarare dignētur, an ſtante diffidentia Iudicum, poſſit Generalis addere Diffinitorio quatuor, vel ſex eiuſdem, vel alterius Prouinciæ approbatos Patres, qui ſint Coniudices in Cauſis taliter Inquiſitorum, vel potius ad eradicandos huiuſmodi abuſus excludere à voce paſſiua Religioſos graui ſinis de Cauſis inquiſitos, quamuis nondum per ſententiam damnatos. Eiſdem examinatis, & maturè perpenſis reſpondit ad primum; Neque Vicarium Prouincialem in Miniſtrum, neque Miniſtrum in Vicarium, vel Commiſſarium Prouincialem, neque Vicarium in Commiſſarium, aut Vicarium Prouincialem eligi poſſe, niſi ſaltem per integrum triennium ab huiuſmodi officijs vacauerit; Aliter electos ceſſare debere à notificatione præſentium. Ad ſecundum, Ceſſiones, ſeu renunciationes fieri non poſſe, niſi cum expreſſione cauſæ à Diffinitorio cognoſcendæ, & approbandæ. Cauſa autem ſemel admiſſa, eaque durante ad huiuſmodi officia, neque per electionem, neque per ſubrogationem, aut quamcumq; aliam viam, reſignantes, ſeu cedentes aſſumi poſſe; aut munia prædicta exercere. Ad tertium tam in caſu ſuſpicionis Iudicum, quando eſt proferenda ſententia, quàm in caſu publicę diffamationis Inquiſitorum, iuxta Capitulum quartum de Accuſationibus, quando Cauſa ante electiones expediri non poteſt, procedendum eſſe ſecundùm diſpoſitionem Iuris communis, vbi Conſtitutio particularis eiuſdem Ordinis non prouideat: Romæ vigeſima Nouembris milleſimo ſexenteſimo quinquageſimo quarto. Item exhibitas, & præſentatas litteras patentes Adm. Reu. Patris Marini Sormani totius Ordinis S. Franciſci Miniſtri Generalis per Apoſtolicum Breue à Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa Innocentio Vndecimo fæliciter regnante confirmatas, quarum literarum tenor eſt qui ſequitur: Frater Petrus Marinus Sormanus à Mediolano totius Ordinis Seraphici Patris Noſtri Sancti Franciſci Miniſter Generalis, & Seruus. Muneris noſtri debitum indeſinenter expoſcit, vt Commiſſorum ſolicitudini noſtræ Religioſorum quieti; Conſolationi, & Commodo quantum in Domino poſſumus, ſedulò conſulamus; quapropter cum certam habuerimus notitiam ex deputatione Commiſſariorum Viſitatorum Europæorum ad viſitationes, & Capitulorum Celebrationes Prouinciarum noſtrarum Sancti Antonij in Braſilia, & Sanctiſſimæ Conceptionis ad Flumen Ianuarium (vulgo do Rio de Ianejro) multa incommoda moleſtias grauiſſimaſque expenſas prouenire. Nos tot, tantiſque malis pro Viribus obuiare volentes præſentium virtutē cenſemus, atque decernimus huiuſmodi Commiſſarios, Viſitatores in poſterum ex Europa non mittere, neque mittendos eſſe, ſed ex iiſdem Prouincijs aſſu-

aſſumi debere ſequenti modo. In quolibet Capitulo Prouinciali Prouinciæ Sancti Antonij à Diffinitorio nouiter electo deſignentur tres Patres ex Prouincia Conceptionis, qui habeant conditiones per ſtatuta generalia requiſitas ad hoc, vt poſſint viſitare Prædictam Sancti Antonij Prouinciam, quorum quidem trium Patrum nominatio mittatur ad Miniſtrum Generalem, per primam Nauium in Europam venientium opportunitatem, in quo ſi vel Prouincialis, vel alij negligentes reperti fuerint, puniantur ſuſpenſione à ſuis officijs per annum, alijſq; arbitrio Miniſtri Generalis infligendis. In Prouincia quoque Conceptionis ſimilis deſignatio, & nominatio fiat trium Patrum Prouinciæ Sancti Antonij, itavt Viſitator vnius Prouinciæ ex altera deſumatur, Miniſter autem Generalis habita huiuſmodi nominatione vnum ex tribus illis eligat, quem maluerit, eiuſque electionem, quanto citiùs potuerit, Prouinciæ viſitandæ ſignificet, quod ſi, vel ob locorum diſtantiam, vel naufragium aliundue impedimentum patentes Miniſtri Generalis non comparuerint vno anno ante tempus Capituli celebrandi, tunc Diffinitorium Prouinciæ illius, quæ viſitari debet, poſſit ſibi eligere vnum ex tribus iam nominatis, qui Prouinciam viſitabit, & Capitulo præſidebit cum voto, & omnibus alijs, quę præſtare ſoleret, & deberet ille, qui à Miniſtro Generali deputaretur, quod etiam intelligendum eſt, ſi ille, quem Miniſter Generalis elegiſſet, iam eſſet defunctus, tunc enim Diffinitorium poterit alterum ex duobus reliquis ad viſitationem prædictam vocare, caſu verò poſtquam Diffinitorium Viſitatorem aduocauerit, perueniant Patentes Miniſtri Generalis, ſi iam ille, qui vocatus fuit à Diffinitorio Prouinciam fuerit ingreſſus, proſequatur munus ſuum, & Capitulum celebret, vt ſupra, ſi verò nondum in Prouinciam intrauerit, omnino abſtineat, & Deputatus à Miniſtro Generali officium ſuum aſſumat, dummodò tempus ſuppetat, vt poſſit ad Prouinciam viſitandam accedere, quinque integris menſibus antè Capitulum. Et quia ad nauigandum ex vna in alteram Prouinciam quibuſdam tantummodò Menſibus Venti ſpirant ſecundi; hinc etiam tum Prouinciarum, tum Viſitatorum commoditati conſulere volentes, ſtatuimus tempus præfigere pro Capitulorum celebratione, quodquidem nullo modo prorogari debeat, abſque ſpeciali, & expreſſa Miniſtri Generalis facultate: Capitulum igitur Prouinciæ Sancti Antonij non differatur vltra diem Sabbati præcedentis Feſtum Sancti Patris Noſtri Franciſci, & Capitulum Prouinciæ Conceptionis non traſgrediatur Sabbatum immediatum poſt Feſtum Aſcenſionis Domini. Denique Viſitatores non ingrediantur Prouincias viſitandas, niſi quinque Menſibus antè Capituli celebrationem, & poſt illam ſtatim ad propriam redire debeant, quod ſi facere non potuerint poſt dies viginti à tali Celebratione Miniſtro Prouinciali electo ſigilla omnia renuncient, & Prouinciæ gubernio nullatenùs ſe immiſceant, cum tali tempore ex Statutis Ordinis Generalibus eorum authoritas omnino ſpiret: Aliud quoque pro ijſdem Prouincijs prouiſione dignum nobis viſum eſt, nempè vt euitentur incommoda, & vagationes Fratrum, qui vel cauſa, vel prætextu appellationis maximis cum periculis, & expenſis longiſſimis ſe itineribus exponunt, quapropter præſentium noſtrarum virtute in vnaquaque prædictarum Prouinciarum deputamus, & deputatos eſſe volumus tres Patres digniores extra Diffinitorium, qui Appellationum Iudices ſint, & ad quos appellantes à Sententia ſui Diffinitorij licitè, ac liberè recurrere poſſint, petita priùs à proprio Prouinciali facultate; Ita tamen, vt illi qui ſunt ex Prouincia Sancti Antonij iudicent Cauſas Prouinciæ Conceptionis, & è contra, ille autem, qui cæteros præcedit, erit illorum Præſes, vt illos conuocet, & congreget, quando opus fuerit: vno verò ex iſtis per mortem, vel aliam legitimam cauſam deficiente, alius Pater ſecundùm ordinem præcedentiæ intelligatur ipſo facto ſubſtitutus, durabuntque in eodem officio per triennium, ideſt de Capitulo ad Capitulum, & ſuper appellationes prædictas diffinitiuè, ac terminatiuè intra Ordinem noſtrum authoritate noſtra ſecundum Religionis praxim, & legem iudicabunt, & ſententiabunt. Omnia verò ſupradicta, ſcilicet nominatio Viſitatorum, nominationis tranſmiſſio ad Miniſtrum Generalem, eiuſque reſponſio, ſeù patentes, & iudicum appellationum ingreſſus ad officium ſecundùm tempus, quo contigerint, in libro Actuum Prouinciæ fideliter notentur. Præcipimus tandem in virtute Sanctæ Obedientiæ omnibus, & ſingulis Prouinciarum prædictarum Patribus, & Fratribus Superioribus, & Subditis, quatenus prædictis noſtris Ordinationibus, & Decretis pro bono; pace, & quiete eorumdem factis nullatenus ſe opponere audeant, ſed ea, qua par eſt, promptitudine pareant, & obediant. Datum in Conuentu Noſtro Sancti Franciſci Matriti die vigeſima nona Menſis Iulij Anno milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo ſecundo. Frater Petrus Marinus Miniſter Generalis

Locus ✝ ſigilli. Item præſentatas diuerſas Romanorum Pontificum Bullas ſuper Regularibus editas ſcilicet, alteram ſanctæ memoriæ Iulij Secundi ſub numero vigeſimo ſexto, & datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die vigeſima nona Martij milleſimo quinquecenteſimo ſeptimo in forma Breuis expeditam, in qua Sanctitas Sua declarauit, nullas eſſe tranſactiones, & concordias factas ſine aſſenſu Generalis, ſiue Capituli Generalis, & quæ perſonæ meritis Religionis gaudeant, propoſuitque Fratribus authoritatem eligendi Conſeruatores, illiuſque poteſtatem præſcripſit, & indulſit, quòd conceſſa vni Monaſterio, omnibus conceſſa intelligantur, & aliàs prout in eadem Bulla, ad quam relatio habeatur: alteram ſanctæ memoriæ Leonis Papæ Decimi incipien. Dilecti Filij &c. ſub Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris die vigeſima quinta Aprilis milleſimo quingenteſimo vigeſimo primo, in qua idem Pontifex conceſſit Fratribus in eodem Breui poſitis omnimodam poteſtatem ad abſoluendum, & diſpenſandum cum conuerſis ad fidem reſpectu cuiuſcumque criminis, & inhabilitatis, & ad commutandum quæcumque vota, & ad diſpenſandum cum his, qui matrimonium contraxerunt impedimento aliquo Iuris poſitiui irretiti, & vt poſſint Ordines Minores conferre, vbi non ſunt Epiſcopi, & Pontificalia ſimiliter exercere, & ædificare, & conſeruare Eccleſias, ac eas violatas reconciliare, & latiùs prout in dicta Bulla ſub numero tertio ad quam &c. Alteram ſanctæ memoriæ Adriani Papæ Sexti ſub datum Cæſarauguſtæ ſub Annulo Piſcatoris die decima Maij milleſimo quingenteſimo ſecundo, Carolo Romanorum Regi, & Hiſpaniarum Catholico Regi directam, quæ incipit Exponi nobis feciſti &c. In qua dictus Pontifex ſuam Papalem Benedictionem Fratribus ſpontè ad Indos pro eorum conuerſione euntibus impartitur, & prohibuit, ne Fratres Minores ire poſſint ad Indos, niſi à Concilio Regalis, & à ſuis Prælatis aſſignentur, & illos, qui quoquo modo impedierint ire Fratres Minores ad Indos, excommunicationis pœna puniuit, Fratreſque prædicti aſſignati ex ſe ipſis poſſint eligere Superiorem, qui durare debeat per triennium, & in vtroque foro poteſtatem habeat generalis, etiam ſuper Indos, in reliquis indulta præfatis Fratribus conceſſa confirmauit, & innouauit, & aliàs prout in dicta Bulla ſub numero primo, ad quam &c. Alteram B. Pij Quinti ſanctæ memoriæ Philippo Secundo Hiſpaniarum Regi directam, quæ incipit, *Exponi Nobis nuper fecitua Maieſtas Regia* &c. ſub datum Romæ apud D. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die vigeſima tertia Martij Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, in quo ad petitionem ſupradicti Regis Hiſpaniarum fuit conceſſum, vt Fratres in Indijs Occidentalibus commorantes poſſint officium Parochorum exercere, aſſiſtendo etiam Matrimonijs, & aliàs prout in dicta Bulla ſub numero quarto, ad quam &c. Alteram ſanctæ memoriæ Gregorij XIII. ſub datum Romæ decima quinta Iulij milleſimo quingenteſimo octuageſimo, in qua præfatus Pontifex conceſſit Miniſtro ipſi Generali, vt in partibus Orientalium poſſint Cuſtodes concedere facultatem, vt per ſe, vel per alium, ſeu alios valeat abſoluere profeſſos Nouitios, aut Conuerſos ab omnibus delictis, etiam in Bulla Cœnę contentis, demptis hæreſi, conſpiratione in perſonam, vel ſtatum Romani Pontificis, iniectione manuum violentarum in Prælatos, delatione Armorum, & aliorum prohibitorum ad partes Infidelium falſitate litterarum, & aliarum Scripturarum Apoſtolicarum: ac inſuper in eodem Breui concedit, quòd in eiſdem partibus Prædicatores, & Confeſſores ſemel præſentati non teneatur iterum præſentari coram Ordinario, aut eius Succeſſore, nec ad id à quocumq; inuiti valeant coarctari, & aliàs prout in dicta Bulla ſub numero tertio quæ incipit *Pijs votis ſuis* &c. ad quam &c. Et alteram ſanctæ memorię Sixti Papæ Quinti, quæ incipit, *Dum vberes fructus* &c. ſub datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die decima quinta Nouembris milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo, in qua dictus Pontifex de nouo erigit Prouinciam Sancti Gregorij, & huic Prouinciæ aliarum Prouinciarum priuilegia communicat, deditq; licentiam, vt Prouincialis dictæ Prouinciæ poſſit erigere Domos in quibuſcumque Terris, & etiam in Regno Chinæ, exceptis nonnullis in dicta Bulla expreſſis, & poſſit determinare duas feſtiuitates, in quibus vtriuſque ſexus fideles indulgentiam plenariam conſequantur, & aliàs prout in dicta Bulla, ad quam ſemper habeatur relatio &c. Et cum præfatæ Prouinciæ prodierint ex antiqua Cuſtodia Sancti Antonij Braſilienſi, quæ per vaſtiſſima Braſiliæ Regna ad ſpatium mille ſupra quingentarum leucarum, & vltra ita dilatata reperiebatur, vt in duas diſtinctas, & diſiunctas Prouincias eiuſdem Ordinis ſtrictioris Obſeruantiæ Sancti Franciſci ſeparata fuerit, prima Sancti Antonij Braſilienſis per Bullā ſanctę memoriæ Alexandri Papæ Septimi ſub datum vigeſima quarta Auguſti milleſimo ſex-

centeſimo quinquageſimo ſeptimo deſuper regiſtratam, & ſecunda ſub nomine Immaculatæ Conceptionis Fluminis Ianuarij à ſancta memoria Clementis Papæ Decimi per ſpeciale Breue, quod incipit *Paſtoralis officij* &c. ſub datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die decima quinta Iulij milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quinto ad quam &c. Et ad tuendam obſeruantiam Regulæ prædictæ à ſancta memoria Sixti Papę V. Apoſtolicum Breue obtentum fuerit de anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto, quod incipit *Pater huius Cuſtodiæ* &c. Cumque præfatæ Prouinciæ ſint per ſupradicta inſerta, & enunciata priuilegia Apoſtolica liberæ, & exemptæ à Commiſſariorum Generalium, & Viſitatorum Europeorum iuriſdictione, dictaſque litteras Apoſtolicas, decreta, & reſolutiones Sacrarum Congregationum, vt ſupra inſertas, & enunciatas ab omnibus, quorum intereſt, omnino, & ad vnguem obſeruari, & adimpleri debeant, nihilominùs neſcitur quo Iure, quauè ratione ducti Fratres Prouinciæ Sancti Antonij Regni Luſitaniæ in Gubernio præfatarum Prouinciarum Braſiliæ ſe ſe ingerere iactant, & præſertim Frater Michael à Plagis, qui vociferauit in præfata Braſilienſi Sancti Antonij prędictæ Prouincia eſſe Miniſtrum Prouincialem, & Frater Ludouicus à S. Ioſepho Procuratorem, & Commiſſarium Curiæ Vliiponenſis prædictarum Prouinciarum Braſilię contra omne Iuris debitum, Prouinciarumque litterarum Apoſtolicarum, & decretorum formam, & euidens Reu. Inſtantium præiudicium, qui cupientes prædictas Bullas, decreta, & alia vt ſupra enunciata, & expreſſa in omnibus, & per omnia ad vnguem, vt decet, obſeruari, attendi, & adimpleri; ad Nos tanquam litterarum Apoſtolicarum merum Executorem recurſum habuerunt, inſtantèr, & debitè requirentes, quatenus in præmiſſis de opportuno Iuris remedio prouidere, & Monitorium ſuper obſeruatione ad partes in forma ſolita, & conſueta decernere, & concedere dignaremur: Nos igitur Dominicus Maria Curſius Iudex, & Auditor prædictus attendentes requiſitionem, & petitionem huiuſmodi fore iuſtam, & rationi conſonam, iuſtaque petenti non eſſe denegandum aſſenſum, Vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, & veſtrum cuilibet in ſolidum tenore præſentium committimus, & in virtute ſanctæ Obedientiæ ſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ſtatim viſis, & receptis præſentibus, & poſtquam præſentium vigore fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrum fuerit requiſitus, ex parte noſtra imò veriùs Apoſtolica authoritate moneatis, & requiratis, prout nos monemus, requirimus per præſentes omnes, & ſingulos Prouinciales, Miniſtros, & Commiſſarios Generales familiæ Vltramontanæ, omneſq; Prouincias, ſcilicet Sancti Antonij Regni Luſitaniæ Pietatis, Soletatis, ac Sanctæ Mariæ de Arrabida, omneſque alios, & ſingulos in executione præſentium nominandos, & cognominandos, quatenus infra ſex dierum ſpatium, quorum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos dies pro tertio, vltimo, & peremptorio termino, ac canonica monitione nos aſſignamus, & vos aſſignetis eiſdem ſub mille ducatorum auri Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ applicandorum, & pro illis mandati executiui, & in Iuris ſubſidium excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis etiam in dictis præinſertis Bullis, & decretis expreſſis, debeant, & quilibet ipſorum debeat omnia, & ſingula in præinſertis Bullis, & decretis reſpectiuè contenta inuiolabiliter obſeruaſſe, adimpleuiſſe, ac debitæ executioni demandaſſe, & ab omnibus, & ſingulis moleſtationibus, vexationibus, perturbationibus, & impedimentis ipſis Reu. Inſtantibus in & ſuper prædictis omnibus, ac ſuper dictis exemptionibus, & immunitatibus, & aliàs quomodolibet contra formam præinſertarum litterarum Apoſtolicarum, & Decretorum illatis, & præſtitis, ac inferri comminatis, inferendiſque, & comminandis in futurum realiter, & cum effectu deſtitiſſe, ceſſaſſe, ac ſeſe abſtinuiſſe, quin imò ipſos Reuerendos Inſtantes in pacifica, & quieta poſſeſſione dictæ libertatis, immunitatis, & exemptionis, vt ſupra dictum eſt, manutenuiſſe, defendiſſe, & conſeruaſſe, ac manuteneri, defendi, & conſeruari feciſſe, mandatumque de manutenendo, obſeruando, & aliud quodcumque deſuper neceſſarium, & opportunum decerni, relaxari vidiſſe, & audiuiſſe, & ſi quid aliud à dictis Reuerendis Inſtantibus prætendatur, id totum coram Nobis, ſeu infraſcripto noſtro Locumtenente per acta infraſcripti Notarij deduxiſſe, & allegaſſe, præſentibuſque noſtris Monitorialibus litteris, ac præinſertis litteris Apoſtolicis, & decretis paruiſſe, & obediuiſſe, & inſuper inhibeatis, & inhibendo expreſsè præcipiatis, & mandetis, prout Nos inhibemus, præcipimus, & mandamus per præſentes omnibus, & ſingulis Prouincialibus, Miniſtris, aliiſque Fratribus Prouinciarum Sancti Antonij Regni Luſitaniæ, Pietatis, Soletatis, ac Sanctæ Mariæ de Arabida, omnibuſque, & ſingulis alijs in executione præſen-

ſentium nominandis, & cognominandis, & quacumque authoritate fungentibus, & fungturis, ne viſis, ſeu receptis præſentibus audeant, ſeu præſumant, aut aliquis ipſorum audeat, ſeu præſumat dictos Reuerendos Patres Inſtantes in de, & ſuper præmiſſis, illorumque omnium cauſa, & occaſione quodolibet moleſtare, vexare, perturbare, inquietare, & impedire, aut alibi, quam coram Nobis, & per acta infraſcripti Notarij conuenire, & in Iudiciũ trahere, aut aliquid aliud contra formam, & diſpoſitionem dictarum præinſertarum litterarum Apoſtolicarum, & decretorum, ac illorum contemptum, & vilipendium, ac ipſorum exponentium, & Iurium ſuorum præiudicium, grauamen, & damnum attentare, vel innouare, ſeu attentari, vel innouari facere per ſe ſeu alium, ſeu alios quouis prætextu, ingenio, & quæſito colore: quod ſi ſecus factum fuerit id totum reuocare, & in priſtinum ſtatum reducere curabimus iuſtitia mediante, alioquin præfatos ſic monitos, & monendos ſi in præmiſſis ſeſe grauatos fore ſenſerint, peremptoriè citetis, & citari curetis, prout nos citamus, & citari mandamus eoſdem per præſentes, quatenus ſexageſima die poſt præſentium executionem, ſi dies illa iuridica fuerit, alioquin prima die iuridica ex tunc immediatè ſequenti, compareant Romæ in Iudicio legitimè coram Nobis, ſiue noſtro infraſcripto Locumtenente per acta infraſcripti Notarij per ſeſe, vel alium, ſeu alios Procuratores idoneos, & informatos, eorum prætenſi grauaminis cauſam allegaturi, aliaque dicturi, facturi, & recepturi, prout Iuſtitia ſuadebit, & ordo dictauerit rationis, certificantes eoſdem ſic monitos, & monendos, ac citatos, quod ſi in dicto citationis termino comparuerit, ſiue non, Nos nihilominus, vel Locumtenens noſter prædictus ad prædicta, & ad alia grauiora Iuris, & facti remedia neceſſaria, & opportuna procedemus, ſeu procedet Iuſtitia mediante, dictorum citatorum contumacia, vel abſentia in aliquo non obſtantibus, abſolutionem verò præmiſſorum Nobis, vel Superiori noſtro tantummodò reſeruamus, In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Ædibus noſtris Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo, octuageſimo tertio Indictione ſexta, die verò ſecunda Decembris, ſedente Sanctiſſimo in Chriſto Patre, & Domino Noſtro Domino INNOCENTIO Diuina Prouidentia Papa XI. Pontificatus ſui Anno Octauo.

F. Subdatarius.

Loco † ſigilli.

I. I: Caualletinus Locumt.

Loco † ſigilli.

Petrus Scarſellius Cur. Cauſ. Cam. Ap. Not.

Monitorium ad fauorem Prouinciarũ Braſiliæ, ſcilicet S. Antonij, & Immaculatæ conceptionis Fluminis Ianuarij ſuper obſeruatione Bullarum Apoſtolicarum ſuper fundatione Conuentuum, & Iuris conferendi habitum Tertij Ordinis Secularibus.

DOMINICVS MARIA CVRSIVS Protbonotarius Apoſtolicus, Vtriuſq; Signaturæ Sanctiſs. D. N. Papæ Referendarius, necnon Curiæ Cauſ. Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Iudex Ordinarius ab eodem Sanctiſs. D. N. Papa ſpecialiter electus, & deputatus.

VNiuerſis, & ſingulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Diaconis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Theſaurarijs, Sacriſtis tam Cathedralium, quàm Collegiatarum, Eccleſiarum Canonicis, Rectoribus, Plebanis, V. Plebanis, Curatis, & non Curatis, cæteriſque Presbyteris, & Clericis, Notarijs, Tabellionibus publicis quibuſcumque, illique, vel illis &c. ſalutem in Domino. Noueritis nuper, & infraſcripta die fuiſſe corã Nobis, & in Tribunali noſtro comparitum pro parte, & ad inſtantiam RR. PP. Miniſtrorum Prouincialium, Cuſtodum, Diffinitorum, Guardianorum Prouinciarum S. Antonij Braſiliæ, & Immaculatæ Conceptionis Fluminis Ianuarij in eodem Braſilienſi ſtatu Indiarum, Regnorum Portugalliæ Ordinis Minorum Strictioris Obſeruantiæ, ac omnium illorum nomine Adm. Reu. Patris Placidi à S. Antonio verbi Dei Concionatoris, præfatæ S. Antonij Braſilienſis Prouinciæ Patris, Cuſtodis, & habitualis Diffinitoris Commiſſarij Generalis Terræ Sanctæ Regnorum Braſiliæ, & Angolæ, ac præfatarum Prouinciarum in Romana Curia ſpecialis Procuratoris, necnon Domini Abbatis Emanuelis de Meſquita, omni meliori modo &c. principalium exponentium per fel. rec. Clementem Papam Octauum in Conſtitutione 99. ſuper erectione locorum Regularium, quæ incipit *Quoniam ad inſtitutum* &c. ſub datum Romæ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die 23. Iulij 1603. & per s. m. Gregorium XV. Conſt. 31. quæ incipit *Cum aliàs* &c. inter cætera fuiſſe prohibitum Ordinarijs locorum concedere licentiam cuicumque, etiam Mendicantium Ordini nouos Conuentus, loca pia, Monaſteria, Domos, & alia loca Regularia erigendi, niſi priùs vocatis, & auditis aliorum Conuentuum Prioribus, & Prioribus, aliiſque intereſſe habentibus per quatuor millia paſſuũ cir-

circumuicinis locis,& cauſa cognita dictos Conuentus, & alia loca Regularia erigenda, abſque aliorum detrimento ſubſtentari poſſe,ſubinde per s.m. Vrbanum Octauum in litteris Apoſtolicis ſub Annulo Piſcatoris pariter expeditis ſub datum Romę apud S. Mariam Maiorem die 28.Auguſti 1624. ſeù &c.fuiſſe confirmatas,& reſpectiuè ampliatas dictas Conſtitutiones, imò ordinatum, nullos Conuentus, nec alia loca Regularia erigi, & fundari debere, niſi de expreſſa Ordinariorum licentia,& ſeruata eorumdem decretorum, ac Sac. Concilij, ac Sacrorum Canonum forma, cœptaque & inchoata contra ſupradictam formam perfici, & finiri non poſſe, & quatenùs ad vlteriora proceſſum fuerit, & ob id ad Sanctam Sedem Apoſtolicam recurſus haberetur,tunc appellatio etiam ſuſpenſiua locum habeat,& inhibeat,ſub pœnis in eiſdē Conſtitutionibus,& litteris Apoſtol. contentis. Inſuper expoſitum, quod de anno 1636. cum diſceptaretur in Sacra Romana Rota coram R.P.D.Merlino in cauſa Vlixibonen. Iuris conferendi habitum inter Fratres Minores de Obſeruantia,& Fratres Tertiarios Regulares Sancti Franciſci,cuinam iſtorum Ordini competeret ius,& facultas recipiendi ſæculares ad habitum Tertij Ordinis de Pœnitentia, ſiue dictum habitum ſæcularibus conferendi, fuit per ſententiam Rotalem pronunciatum pro Fratribus Minoribus de Obſeruantia,& inter cætera dictum, quod huiuſmodi habitus collatio per Sixtum Quartum demandata fuit Fratribus Minoribus in Bulla edita de anno 1471. & inſuper quòd Prælati prædicti Ordinis Minorum poſſint recipere volentes aggregari huiuſmodi Tertio Ordini, ac etiam poſſint eiſdem Tertiarijs deputare Viſitatorem,ſeu Confeſſorem prædicti Ordinis Minorum de Obſeruantia,prout latiùs in deciſione huius cauſæ, ad quam &c. Et licet prænunciatas Conſtitutiones, & litteras Apoſtolicas, ac deciſionem dictæ Sacræ Rotæ Romanæ, omniaque & ſingula in eis diſpoſita, tamquam ſapientiſſimo, & prudentiſſimo conſilio emanata nemo eſſe deberet, quin ſit illas, & illa omnino obſeruaturus: nihilominus ad aures dd.RR.PP.Inſtantium perueniſſe, quod R. P. Miniſter Prouincialis Tertij Ordinis de Pœnitentia Prouinciæ Portugalliæ, & Commiſſarius dicti Tertij Ordinis de Pœnitentia, & alij Fratres dicti Tertij Ordinis ad Ciuitatem Sancti Saluatoris Bahiæ omnium Sanctorum,& ad Braſiliam per dictum Patrem Miniſtrum Prouincialem miſſi,alijque forſan,ſiue Cappuccini, ſiue Societatis Ieſu, & alio quouis nomine nuncupati Fratres ſeſe iactarunt,& iactant velle Conuentum, ſine Monaſterium, & Hoſpitium, & alium Regularem locum in prefata Sancti Saluatoris Ciuitate Bahiæ Omnium Sanctorum erigere, ac in eo habitum Tertij Ordinis de Pœnitentia ſæcularibus geſtari, ſolitum donate, & Sacræ dicti Ordinis de Pœnitentia Confraternitati aggregare, illamque gubernare, contra omne iuris debitum,& prefatarum Conſtitutionum, & decretorum formam, euidenſque preiudicium Inſtantium. Qui cupientes proprijs iuribus conſulere, & ad alia infraſcripta procedere,ad nos tamquam litterarum Apoſtolicarum, & decretorum merum Exequutorem recurſum habuerunt inſtanter, & debitè requirentes, quatenus in præmiſſis de opportuno iuris remedio prouidere dignaremur. Nos igitur attendentes, petitionem huiuſmodi fore iuſtam, rationique conſonam, iuſtaque petenti non ſit denegandus aſſenſus. Vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, & veſtrum cuilibet in ſolidum tenore preſentium cōmittimus, & in virtute ſanctæ Obedientiæ ſtrictè percipiendo mandamus, quatenùs ſtatim viſis, & receptis præſentibus, & poſtquam præſentium vigore fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrum fuerit requiſitus,ex parte noſtra, imò verius Apoſtolica auctoritate MONEATIS, & requiratis, prout nos monemus, & requirimus per præſentes ſupradictum R.P.MiniſtrumProuincialem,&Commiſſarium dicti Tertij Ordinis de Pœnitentia, & quoſcumque alios ab eo, vt ſupra miſſos, necnon omnes alios Fratres, ſiue Cappuccinos, ſiue Societatis Ieſu, & quocumque alio nomine nuncupat. omneſque alios, & ſingulos in executione præſentium nominat. & cognominat. quatenus infra ſex dierum ſpatium, quorum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos dies pro tertio, vltimo, & peremptorio termino, ac continua monitione Nos aſſignamus, vos aſſignetis eiſdem per præſentes, ſub mille ducatorum auri R.C.A.applican. & pro illis mandati executiui, & in iuris ſubſidium ſuſpenſionis à Diuinis, interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & excommunicationis, aliiſque &c. pœnis. Debeant, & ipſorum quilibet debeat realiter, & cum effectu præinſertas litteras Apoſtolicas in omnibus, & per omnia, prout in eis continetur, & habetur,obſeruaſſe,attendiſſe,adimpleuiſſe, ac debitæ totali plenariæ,& omnimodæ executioni demandaſſe, omniaque & ſingula in eiſdem litteris contenta feciſſe, & fieri curaſſe, obſeruarique attendi, adimpleri, executioni demandari, ſeque ad hæc, & alia omnia deſuper neceſſaria, & opportuna in proceſſu cauſæ, & cauſarum huiuſ-

huiuſmodi tam principaliter, quàm incidenter coniunctim, & ſeparatim inſolidè ante, & poſt litem conteſtatam deduceur ſupradictas, & alias ob cauſas, & rationes ſi, & cum opus fuerit deducendum, & oſtẽdendum omnibus, & ſingulis vijs, iuriſque & facti remedijs deſuper neceſſarijs, & opportunis abſtringi, arctarique, & compelli, & mandatum de obſeruando, & aliud quodcumque deſuper neceſſarium, & opportunum decerni, & relaxari, iuſque, & iuſtitiam fieri, & miniſtrari, atque omne ius, omneque remedium in actibus vtiliùs, & expeditiùs deduci, beneficiumque iuris, & nobile officium Iudicis implorari, præmiſſaque & alia omnia deſuper neceſſaria, & opportuna, ſic & aliàs omni meliori modo fieri, & interponi vidiſſe, & audiuiſſe, & præſentibus omnino paruiſſe. Alioquin eoſdem ſic monitos, & monendos, ſi in præmiſſis ſeſe grauatos fore ſenſerint, peremptoriè citetis, & citari curetis, prout nos citamus per præſentes, quatenus trigeſima die poſt præſentium executionem, ſi dies illa iuridica fuerit, alioquin prima die iuridica ex tunc immediatè ſequenti compareant Romæ in iudicio legitimè coram Nobis cauſam eorum grauaminis allegaturi, & iuſtitiæ complementum conſequuturi. Certificantes eoſdem ſic monitos, & monendos, quod ſi in dicto monitorij termino comparuerint, ſiue non, Nos nihilominus ad præmiſſa, & alia grauiora iuris, & facti remedia procedemus, ſiue procedet, iuſtitia mediante, eorumdem contumacia, vel abſentia in aliquo non obſtantibus, & inſuper Inhibeatis, & inhibendo expreſsè præcipiatis, & mandetis, prout nos inhibemus, præcipimus, & mandamus ſupradictis ſic monitis, necnon omnibus, & ſingulis DD. Iudicibus Sæcularibus, Ordinarijs, & Commiſſarijs quacumque auctoritate, vel dignitate fungentibus, & functuris tam Ordinarijs, quàm extrà Ordinarijs, omnibuſque alijs in executione præſentium nominan. & cognominan. ne ſub iam dictis pœnis audeant, ſeu præſumant, aut ipſorum aliquis audeat, ſeu præſumat dd. RR. DD. Inſtantes in & ſuper præmiſſis illorum cauſa, & occaſione in partibus, & coram illis Dominis incompetentibus Iudicibus, nec alibi, quàm Romæ, & coram nobis peracta infraſcripti Notarij moleſtare, vexare, perturbare, inquietare, aut vllo modo impedire, nec quidquam aliud attentare, vel innouare, ſeu attentari, vel innouari facere quouis ſub prætextu &c. quod ſi ſecus &c. abſolutionem &c. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Ædibus Noſtris hac die.

I. I. Cauallerinus Locumtenens.

Locus † ſigilli.

Petrus Scarſellius Cauſ. Cur. Cam. Apoſt. Not.

In Nomine Domini Amen.

CVnctis vbique pateat, & ſit notum, quòd Anno à Natiuitate Domini MDCLXXXIII. Indictione ſexta, die verò 20. menſis Maij Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. INNOCENTII diuina Prouidentia Papę XI. Anno ſeptimo, Ego Notarius infraſcriptus vidi quaſdam litteras Apoſtolicas in forma Breuis, ſub Annulo Piſcatoris more Romanæ Curiæ expeditas tenoris ſequentis, videlicet. INNOCENTIVS Papa XI. Ad futuram rei memoriam. Admonet Nos ſuſcepti cura regiminis Catholicæ Eccleſiæ per Vniuerſum Terrarum Orbem diffuſę, vt paternam Chriſti fidelium Altiſſimi obſequijs ſub ſuaui Religionis iugo mancipatorum curam gerentes, ea quę pro felici, proſperoque illorum regimine, & gubernio, ac religioſa quiete ab eorum Superioribus regularibus prouidè, prudenterque ordinata eſſe noſcuntur, vt firma ſemper, atque illibata perſiſtant, Apoſtolici muniminis præſidio corroboremus. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filij Fratres Prouinciarum Sancti Antonij in Braſilia, & Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ ad flumen Ianuarium Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Strict. Obſeru. nuncupatorum, quod dilectus filius Petrus Marinus Sormanus Miniſter Generalis dicti Ordinis, vt incommodis, grauiſſimiſque moleſtijs, quæ ex deputatione Commiſſariorum Europęorum ad viſitandas Prouincias prædictas, illarumque Capitulis præſidendum mitti ſolitorum proueniebant, ſimulque vagationibus Fratrum, qui propter cauſas appellationum longiſſimis itineribus ſe committere cogebantur opportunis rationibus occurreret, nonnullas ordinationes in dictis Prouincijs ſeruandas fecit per quaſdam ſuas Patentes litteras deſuper expeditas tenoris, qui ſequitur, videlicet. Frater Petrus Marinus Sormanus à Mediolano totius Ordinis Seraphici Patris Noſtri Sancti Franciſci Miniſter Generalis, & Seruus. Muneris noſtri debitum indeſinenter expoſcit, vt commiſſorũ ſolicitudini noſtræ Religioſorum quieti conſolationi, & commodo, quantum in Domino poſſumus, ſedulò conſulamus, quapropter cùm certam

tam

tam habuerimus notitiam ex deputatione Commiſſariorum Viſitatorum Europeorum ad viſitationes, & Capitulorum celebrationes Prouinciarum noſtrarum Sancti Antonij in Braſilia, & Sanctiſſimæ Conceptionis ad flumen Ianuarium (vulgo de Rio de Ianeiro) multa incommoda, moleſtias, grauiſſimaſque expenſas prouenire. Nos tot, tantiſque malis pro viribus obuiare volentes præſentium virtute cenſemus, atque decernimus, huiuſmodi Commiſſarios Viſitatores inpoſternm ex Europa non mittere, neque mittendos eſſe, ſed ex iiſdem Prouincijs aſſumi debere ſequenti modo. In quolibet Capitulo Prouinciali Prouinciæ Sancti Antonij à Deffinitorio nouiter electo deſignentur tres Patres ex Prouincia Conceptionis, qui habeant conditiones per Statuta generalia requiſitas, ad hoc, vt poſſint viſitare prædictam Sancti Antonij Prouinciam, quorum quidem trium Patrum nominatio mittatur ad Miniſtrum Generalem per primam Nauium in Europam venientium opportunitatem, in quo ſi vel Prouincialis, vel alij negligentes reperti fuerint, puniantur ſuſpenſione à ſuis officijs per Annum, aliiſque pœnis arbitrio Miniſtri Generalis infligendis. In Prouincia quoque Conceptionis ſimilis deſignatio, & nominatio fiat trium Patrum Prouinciæ Sancti Antonij, itaut Viſitator vnius Prouinciæ ex altera deſumatur, Miniſter autem Generalis habita huiuſmodi nominatione vnum ex tribus illis eligat, quem maluerit, eiuſque electionem quanto citiùs potuerit, Prouinciæ viſitandæ ſignificet, quod ſi vel ob locorum diſtantiam, vel naufragium, aliudue impedimentum patentes Miniſtri Generalis non comparuerint vno Anno ante tempus Capituli celebrandi, tunc Diffinitorium Prouinciæ, illius quę viſitari debet, poſſit ſibi eligere vnum ex tribus iam nominatis, qui Prouinciam viſitabit, & Capitulo præſidebit cum voto, & omnibus, alijs quæ præſtare ſoleret, & deberet ille, qui à Miniſtro Generali deputaretur, quod etiam intelligendum eſt, ſi ille, quem Miniſter Generalis elegiſſet, iam eſſet defunctus, tunc enim Diffinitorium poterit alterum ex duobus reliquis ad viſitationem prędictam vocare, caſu verò poſtquam Diffinitorim Viſitatorem aduocanerit, perueniant Patentes Miniſtri Generalis, ſi iam ille, qui vocatus fuit à Diffinitorio, Prouinciam fuerit ingreſſus, proſequatur munus ſuum, & Capitulnm celebret, vt ſupra, ſi verò nondum in Prouinciam intrauerit, omnino abſtineat, & deputatus à Miniſtro Generali officium ſuum aſſumat, dummodò tempus ſuppetat, vt poſſit ad Prouinciam viſitandam accedere, quinque integris menſibus ante Capitulum. Et quia ad nauigandum ex vna in alteram Prouinciam quibuſdam tantummodò menſibus venti ſpirant ſecundi, hinc etiam tum Prouinciarum, tum Viſitatorum commoditati conſulere volentes, ſtatuimus tempus præfigere pro Capitulorum celebratione, quod quidem nullo modo prorogari debeat abſque ſpeciali, & expreſſa Miniſtri Generalis facultate. Capitulum igitur Prouinciæ Sancti Antonij non differatur vltra diem Sabbati præcedentis Feſtum Sancti Patris Noſtri Franciſci, & Capitulum Prouincię Conceptionis non traſgrediatur Sabbatum immediatum poſt Feſtum Aſcenſionis Domini. Denique Viſitatores non ingrediantur Prouincias viſitandas, niſi quinque menſibus ante Capituli celebrationem, & poſt illam ſtatim ad propriam redire debeant, quod ſi facere non potuerint, poſt dies viginti à tali celebratione Miniſtro Prouinciali electo Sigilla omnia renuncient, & Prouinciæ gubernio nullatenus ſe immiſceant, cum tali tempore ex Statutis Ordinis generalibus eorum authoritas omnino ſpiret. Aliud quoque pro iiſdem Prouincijs prouiſione dignum Nobis viſum eſt, nempè vt euitentur incommoda, & vagationes Fratrum, qui vel cauſa, vel prætextu appellationis maximis cum periculis, ac expenſis, longiſſimis ſe itineribus exponunt, quapropter præſentinm noſtrarum virtute in vnaquaque prędictarum Prouinciarum deputamus, & deputatos eſſe volumus tres Patres digniores extra Diffinitorium, qui appellationum Iudices ſint, & ad quos appellantes à ſententia ſui Diffinitorij licitè, ac liberè recurrere poſſint, petita prius à proprio Prouinciali facultate. Ita tamen vt illi, qui ſunt ex Prouincia Sancti Antonij iudicent cauſas Prouincię Conceptionis, & è contra: ille autem, qui cæteros præcedit, erit illorum Præſes, vt illos conuocet, & congreget quando opus fuerit, vno verò ex iſtis per mortem, vel aliam legitimam cauſam deficiente alius Pater ſecundùm ordinem præcedentiæ, intelligatur ipſo facto ſubſtitutus, durabuntque in eodem officio per triennium, ideſt de Capitulo ad Capitulum, & ſuper appellationes prædictas difinitiuè, ac terminatiuè intra ordinem noſtrum authoritate noſtra ſecundùm Religionis praxim, & legem iudicabunt, & ſententiabunt, omnia verò ſupradicta ſcilicet nominatio Viſitatorum, nominationis transmiſſio ad Miniſtrum Generalem, eiuſque reſponſio, ſeu patentes, & iudi-

iudicum appellationum ingreſſus ad officium ſecundùm tempus, quo contigerit in libro Actuum Prouinciæ fideliter notentur. Præcipimus tandem in virtute ſanctæ Obedientiæ omnibus, & ſingulis Prouinciarum prædictarum Patribus, & Fratribus, Superioribus, & Subditis, quatenùs prædictis noſtris ordinationibus, & decretis pro bono pace, & quiete eorumdem factis nullatenùs ſe opponere audeant, ſed ea, quæ par eſt, promptitudine pareant, & obediant. Datum in Conuentu Noſtro Sancti Franciſci Matriti die vigeſima nona menſis Iulij, Anno milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo ſecundo. Frater Petrus Marinus Miniſter Generalis. Locus ✝ ſigilli. Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, dicti Exponentes præmiſſa, quo firmiùs ſubſiſtant, & ſeruentur exactiùs Apoſtolicæ noſtræ confirmationis patrocinio communiri ſummoperè deſiderent. Nos ſpecialem ipſis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum preſentium tantùm conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes ſupplicationibus eorum nomine ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, præinſertas memorati Petri Marini Miniſtri Generalis Patentes litteras, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos iuris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint ſupplemus; Mandantes præterea in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub indignationis noſtræ, aliiſque noſtro, ſeu pro tempore exiſtentis Romani Pontificis arbitrio imponendis pœnis omnibus, & ſingulis dictorum Ordinis, & Prouinciæ, Superioribus, Fratribus, & perſonis, cæteriſque, ad quos ſpectat, ac pro tempore ſpectabit, vt eaſdem Patentes litteras, & in eis contenta quęcumque fideliter executioni demandent, ſeu demandari curent, & faciant. Ac decernentes, ipſas præſentes litteras firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectiuè inuiolabiliter obſeruari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Iudices ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non Prouinciarum, & Ordinis prædictorum, aliiſue quibuſuis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis haben. illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xiij. Maij MDCLXXXIII. Pontificatus noſtri Anno ſeptimo. Loco ✝ ſigilli. I. G. Sluſius. Quas quidem litteras ad me recipiendo ſuper illis hoc præſens publicum Tranſumpti Inſtrumentum confeci, vt illi fides adhibeatur, perindè ac ſi litteræ originales exhibitæ forent. Actum Romæ vbi ſupra præſentibus DD. Marco Antonio de Amatis, & Benedicto Badia teſtibus ad pręmiſſa vocatis &c.--Præinſertæ litteræ Apoſtolicæ cum ſuo originali reuiſæ concordant. Scriptor Paoluccius Officialis deputatus &c.--

F. Subdatarius.

Loco ✝ Sigilli.

Diaz

Ita eſt Carolus Franciſcus Franciſconius Sacræ Rotæ Not.

INNOCENTIVS PP. XI.

Ad futuram Rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Marinus Sormanus Miniſter Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum, quòd cum Nos per quaſdam noſtras in ſimili forma Breuis litteras Decretum in cauſa Alternatiuæ inter Fratres natiuos Hiſpanos, & Fratres Criollos nuncupatos Prouinciarum Limanæ, & de las Charcas in Indijs Occidentalibus dicti Ordinis vertente à Congregatione venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium

lium negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita emanatum confirmaſſemus, ipſe Petrus Marinus MiniſterGeneralis executionẽ Alternatiuę, ac Decreti, & litterarum noſtrarum huiuſmodi dilectis etiam filijs Commiſſarijs ſuis Generalibus tam Indiarũ in Curia Chariſſimi in Chriſto filij noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici reſidenti, quàm Prouinciarum Peruuianarum Ordinis prædicti, cum nonnullis præceptis, & ordinationibus demandauit per quaſdam ſuas Patentes litteras deſuper expeditas, tenoris qui ſequitur, videlicet: Frater Petrus Marinus Sormanus à Mediolano ex-Guardianus Hieroſolymitanus, ac totius Ordinis Seraphici Patris noſtri Franciſci Miniſter generalis, & ſeruus &c. Exigit à Nobis muneris noſtri debitum, vt quę pro felici concreditæ Nobis Religionis Seraphicæ Gubernio, vel à prædeceſſoribus noſtris, vel à Capitulis Generalibus, ſiue etiam ab Apoſtolica Sede ſancita ſunt, omnimodam ſortiantur executionem, & obſeruantiam; Eaque præ cæteris, quæ pro eliminandis diſcordijs, & concordia, ac pace inter Religioſos tuenda, ac manutenenda ordinata ſunt. Huius præcipuè finis intuitu in Capitulo Generali hic Romæ celebrato menſe Iunij 1664. inſtantibus Cuſtodibus, & Pro-Miniſtris ſeptem noſtrarum Obſeruantiæ Prouinciarum Regni Peruani in Indijs Occidentalibus vtroque annuẽte Diſcretorio, partibuſque auditis, fuit decretum ſub die quinta eiuſdem menſis, vt in ipſis fieret Alternatiua inter Religioſos Hiſpanos dictarum Prouinciarum filios, & Religioſos nationales vulgò Criollos nuncupatos eo modo, quo introducta fuerat in Prouincijs Mexicanis, ſeu nouæ Hiſpaniæ. Huic Decreto annuentibus cæteris, ſolùm ſe oppoſuit Limanæ Prouinciæ Pro-miniſter, qui cum auditus ab eodem Capitulo Generali nihil releuans deduxiſſet, prodijt ſecundum dicti Capituli Decretum, quo præcipiebatur, dictam Alternatiuam omninò ſtabiliri: Ac ſucceſſiuè ijdem Cuſtodes, & Pro-miniſtri non ſolum ſub die ſexta eiuſdem menſis obtinuerunt à Sac. Congregatione ſuper Epiſcopos, & Regulares præpoſita præfati Capituli Generalis Decreti approbationem, & confirmationem cum executionis mandato; ſed etiam pro maiori ſancitæ legis firmitate à Sanctiſſimo Alexandro Papa Septimo Apoſtolica auctoritate muniri, & roborari, ſupplicauerunt, & obtinuerunt per Breue datum die vigeſima eiuſdem menſis Iunij 1664. Verùm dicto Decreto vnà cum præfatis confirmationibus, nec non ſchedula Maieſtatis Regis Noſtri Catholici in Limanæ Prouinciæ Diffinitorio exhibitis parere renuentibus Religioſis Criollis, iterum fuit habitus recurſus ad Capitulum Generale anno 1670. Vallis-Oleti celebratum, in quo iterum partibus auditis, perpenſaque dictæ Alternatiuæ neceſſitate ipſam confirmauit nouo Decreto, cuius executionem, & obſeruantiam Reuerendiſs. Patri Commiſſario Generali Indiarum in Curia Catholicę Maieſtatis reſidenti, ſeriò inculcauit. Cum autem Criolli dictæ Prouinciæ Limanæ, quibus tunc primum adhæſit Careharum Prouincia iterum oppoſuiſſent, ſe hactenus opportunè non potuiſſe contra præfatum Decretum rationes pro ipſis facientes adducere, Congregatio Generalis Toletana de anno 1673. ad quam dicti Criolli prouocauerant, mandauit, vt dictarum Prouinciarum Definitoria in proximo Capitulo Generali deſuper informarent, ſuſpenſa interim Alternatiuæ executione. Capitulum igitur generale anno 1676. Romæ congregatum, vt omnem in poſterum controuerſiarum præcideret occaſionem, huiuſmodi cauſam in Reuerendiſs. Patres tunc temporis Miniſtrum Generalem prædeceſſorem noſtrum, ac Commiſſarium pariter Generalem Indiarum in Curia Catholicæ Maieſtatis reſidentem compromiſit, vt Matriti, habitis eorum, quæ deſiderabantur notitijs, prouiderent, ac diſponerent, prout in Domino magis cenſuiſſent expedire. Quo quidem compromiſſo à partibus acceptato, ne contingeret de illius validitate aliquando dubitari, quaſi obſtaret Decretum ſuſpenſiuum, quod præfato anno 1664. ex recurſu ſolius Pro-miniſtri Prouinciæ Limanæ ab hac Sacra Congregatione prodierat, proinde Criolli vtriuſque Prouinciæ Limanæ ſcilicet, & Charcarum vnitim eidem Sacræ Congregationi ſupplicauerunt, quatenus hoc Decreto de medio ſublato, totius negotij Alternatiuæ deciſionem prædictis Patribus Cõpromiſſarijs remittere dignaretur, annuitque eorum votis Sacra Congregatio per ſuum Decretum expeditum die 12. Iunij 1676. Huius Decreti vigore, & præfati compromiſſi per Capitulum Generale facti ijdem Reuerendiſs. Patres Cõpromiſſarij auditis in Curia Matritenſi partibus hinc inde informantibus per quaſi vnius anni ſpatium, ponderatiſque vtriuſq; allegatis ordinauerunt, & ſtatuerunt, non ſolùm in vtraque Prouincia ſtabiliendam, ac ſeruandam eſſe Alternatiuam inter Religioſos natos in Indijs, & natos in Hiſpanijs, ſed etiam formam ipſam practicandi in Limana Prouincia decreuerunt, vt ſcilicet Prouincialis vno triennio eligatur ex

vna

vna parte, adeo, vt ſi obierit, vel alia de cauſa durante triennio vacauerit Miniſter, Vicarius Prouincialis vſque ad celebrationem Capituli ſit, & eligatur ex eadem parte: alio verò triennio eligatur, & ſit ex altera,ſeruata eadem forma; Cuſtos verò ſi adfuerit,eligatur, & ſit ex illa parte ex qua non eſt Prouincialis in dicta forma; & ex quatuor Diffinitoribus duo ſemper ex vna, & duo reliqui ex altera parte ſint,& eligantur. Quo verò ad Guardianos,& alia officia de voto eligantur indifferenter,& ex vtraq; parte ſecundùm qualitatem meritorum, & idoneitatem perſonarum, itaut Guardianus Domus principalis ſemper alternetur ex vtraque parte de triennio in triennium; & omni tempore (præter Prouincialium, aut Cuſtodem, & duos Diffinitores) eligantur, & adſint ex minori parte ſaltem decem ad Guardianatus, & officia de Voto, ad hoc vt ex illis maiori libertate poſſint eligi duo Diffinitores. Quo ad Lecturas autem,& alia officia tam honoris,quàm oneris eligantur indifferenter, ſeruata iuſtitia diſtributiua, & habito reſpectu maiorum meritorum,& maioris idoneitatis iuxtà Conſtitutiones Generales Ordinis, onerantes in hoc Electorum conſcientias. Idem pariter decreuerunt pro Prouincia Sancti Antonij de las Charcas cum hac ſola differentia, quod attento minori numero officiorum de Voto ordinauerunt, quod decem officia de Voto, quæ pro Prouincia Limana mandarunt dari minori parti, in Prouincia de las Charcas dentur tantùm ſex, vt latiùs in Decreto per dictos Patres Commiſſarios, dato, & publicato in Conuentu S.Fràciſci Matriti 26. Aprilis 1677. quod quidem Decretum, vt firmiùs ſubſiſteret, ac debitę mandaretur executioni, Religioſi Hiſpani duplex Breue à Sanctiſſimo Domino Noſtro Innocentio XI.impetrarunt; alterum ſub die vigeſima ſexta Iunij 1677. præfati Decreti confirmatiuum: alterum verò ſub die ſexto Iulij eiuſdem anni, in quo committitur Archiepiſcopo Limano,vt ad proximè recenſiti Breuis cōfirmatiui executionem procederet, procedique faceret, atque inobedientes, & refractarios,non ſolum cenſuris,verùm etiam inuocato brachij Sæcularis auxilio compeſceret, & ad parendum compelleret. His omnibus Religionis,Summi Pontificis,imò etiam, & Regijs mandatis, ac diſpoſitionibus quomodo reſtiterint dictarum Prouinciarum Religioſi Criolli, ſicuti dolentes accepimus, ita modeſtè, vti notorium reticemus. Obtinuerunt tandem menſe Ianuarij prȩteriti anni 1682.ab hac Sac.Congregatione mandatum, vt huiuſmodi negotiū toties diſcuſſum, ac diffinitum iterum proponeretur in Capitulo Generali, quod in menſe Maij eiuſdem anni Toleti congregandum erat pro Voto conſultiuo tantùm; ad cuius mandati executionem partibus pluries auditis,emanauit Votum, quod dicta Alternatiua non ſolùm conducat, imò ſit omninò neceſſaria ex rationibus in ea productis: comparuerunt demum in hac Romana Curia dilecti filij noſtri Pater Frater Antonins Fernandez, & Pater Fr.Martinus Moreno cum procurationis mandato ex parte Criollorum vtriuſque Prouinciæ Limanæ, & de las Charcas pro cauſæ terminatione apud Sacram Congregationem EE.& RR. S.R.E.Cardinalium negotijs, & Cōſultationibus Epiſcoporū, & Regulariū Præpoſitorum,in qua auditis in cauſæ propoſitionibus partibus pluries informantibus,emanauit tandem Decretum pro dictæ Alternatiuæ confirmatione, quod Sanctiſſimus Dominus Noſter Innocentius Papa XI. confirmauit ſuis litteris in forma Breuis expeditis tenoris ſequentis, videlicet: Innocentius Papa XI. ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Marinus Sormanus Miniſter Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum, quod cum in cauſa Alternatiuæ inter Fratres natiuos Hiſpanos Prouinciarum Limanæ, & de las Charcas in Indijs Occidentalibus dicti Ordinis ex vna, & Fratres Criollos nuncupatos earumdem Prouinciarum ex altera partibus iam dudum vertente in Congregatione venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita acerrimè diſcuſſa fuiſſet, emanauit deſuper ab eadem Congregatione Cardinalium decretum tenoris qui ſequitur videlicet: In cauſa Peruana Alternatiuæ vertente inter Patres natiuos Hiſpanos profeſſos Prouinciarum Sanctorum duodecim Apoſtolorum Limæ, & S. Antonij Charcarum Ordinis Minorum Obſeruantium S.Franciſci in Indijs Occidètalibus ex vna, & Patres Criollos nuncupatos profeſſos earundem reſpectiue Prouinciarum partibus ex altera, de, & ſuper validitate, & reſpectiuè confirmatione, ac executione Decreti prædictæ Alternatiuæ emanati in Capitulo Generali anni 1664. & per hanc Sacram Congregationem, & Breue ſa.me. Alexandri VII. ac per ſubſequens Capitulum Generale anni 1670.confirmati rebuſque alijs &c. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, par-

partibus hinc inde in binis cauſę propoſitionibus pluries informantibus, reque maturè diſcuſſa, referente Eminentiſſimo Columna declarauit,atque decreuit,præfatam Alternatiuam eſſe confirmandam, prout præſentis Decreti tenore confirmauit, omnes, & ſingulos Iuris, & facti defectus, ſi qui interuenerint ſanando. Contrarijs quibuſcumque minimè obſtantibus &c. Romę 9.Iulij 1683.Gaſpar Cardinalis Carpineus. Loco † Sigili. B. Panciaticus Secretarius. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubiungebat: prefatus Petrus Marinus Miniſter Generalis Decretum huiuſmodi quo prōptius executioni mandetur, atque ita multis incommodis, inquietudinibus, & relaxationibus, quibus duæ Prouinciæ prædictæ occaſione diutinæ ventilationis cauſæ huiuſmodi, quæ multis annis tam in Capitulis Generalibus Ordinis præfati, quàm in Romana Curia agitata fuit,multipliciter vexantur, finis tandem imponatur, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio cōmuniri plurimum deſideret: Nos ipſius Petri Marini Miniſtri Generalis Votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus,fauorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſion. & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectū præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus eius nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ſalua tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis,ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit,in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari,& ab eis reſpectiuè inuiolabiliter obſeruari; ſicque in præmiſſis per quoſcumqne Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inanè ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit Prouinciarum,& ordinis præfatorum etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; Priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis,confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus,& ſingulis illorum tenores præſentibus pro pleuè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo piſcatoris die vij. Septembris 1683. Pontificatus Noſtri anno ſeptimo. I.G. Sluſius. Nos igitur ex præfatæ Apoſtolicæ confirmationis Decreti in pleno Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium congreſſu facti, lectura conſiderantes attentè,nullum dilectis filijs Noſtris dictarum Prouinciarum Limæ, & de las Charcas Religioſis Criollis relinqui ſubterfugium ad promptè non obediēdum Religionis determinationibus, Eminentiſſimorum S.R.E.Cardinalium, & Apoſtolicis decretis, necnon Maieſtatis Regis Noſtri Catholici piæ voluntati in dicta Alternatiua admittenda, & exequenda eo vel maximè cum omnes iuris, & facti defectus, ſi qui fortè in præfatis ſanctionibus irrepſerint, fuerint per Sacram Congregationem, & Apoſtolicam auctoritatem in præinſerto Decreto, ac Breui ſanati, ac contrarijs quibuſcumque non obſtantibus dicta Alternatiua confirmata. Cupientes propterea vtriuſque antedictæ Prouinciæ quieti,ac paci conſulere,ac diſſentiones, & diſcordias ex huiuſmodi cauſa exortas de medio tollere, & per dictæ Alternatiuæ executionem, & ſtabilitatem omnibus ſcādalorum occaſionibus obuiare. Hinc plurimum Nobis dilectis Reuerendiſs. Patri Commiſſario Generali Indiarum in Curia Maieſtatis Catholicæ reſidenti, ac Commiſſario pariter Generali in Prouincijs de el Peru, qui pro tempore fuerit, per præſentes committimus, ac ſerio inculcamus, vt dictam Alternatiuam modo quo ſupra expreſſam in præfatis Prouincijs Sanctorum duodecim Apoſtolorum Limæ, & S. Antonij de las Charcas, in executionem Religionis, ac Sacræ Congregationis, imò, & Apoſtolicorum Decretorum, omnibus iuris, & facti remedijs adhibitis introduci, acceptari, practicari, & in poſterum firmiter ſeruari mandent, ac pro viribus ſatagant; prout nos præſentium vigore, & officij noſtri auctoritate introduci, acceptari, practicari, ac in poſterum firmiter ſeruati mandamus, ac diſtinctè præcipimus, dilectos filios noſtros vtriuſque Prouincię Religioſos Criollos, vti ſeruus rogantes, vti

Fra-

Frater hortãtes, vti Pater commouentes, ac vti Superior, & legitimus, licèt indignus S. Patri Noſtri Franciſci ſucceſſor ipſis in virtute Spiritus Sancti, ac ſub diſtricto præcipientes ſanctæ obedientiæ merito, & ſub pœnis contra inobedientes ſancitis, vt dictæ Alternatiuæ tandem acquieſcentes, nec non Religionis, Sanctæ Sedis, Maieſtatis Regijs noſtri Catholici, ac noſtris obtemperantes mandatis, ſe veros, ac legitimos Sancti Patris Noſtri Franciſci filios oſtendant. Datum Romæ in Conuentu noſtro S. Mariæ apud Aram-Cœli die decima Septembris anno 1683. Fr. Petrus Marinus Miniſter Generalis. Loco † ſigilli. De mãdato Suæ Paternitatis Reuerendiſs. Frater Sebaſtianus de Arroyo Secretarius Generalis Ordinis. Et ſubinde Venerabilis Frater noſter Alderanus Epiſcopus Portuen. eiuſdem S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupatus dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protector memoratis Commiſſarijs Generalibus commiſit, vt præinſertas Patentes litteras fideliter exequerentur, & obſeruari facerent, cum facultate procedendi aduerſus inobedientes, & rebelles ad cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſq; pœnas in ſtatutis Ordinis præſcriptas, etiã appellatione remota, & alias prout pleniùs continetur in ipſius Alderani Epiſcopi Cardinalis, & Protectoris Decreto deſuper edito, tenoris ſequentis, videlicet: Alderanus Epiſcopus Portuenſis S.R.E. Cardinalis Cybo Seraphici Ordinis S. Franciſci apud Sanctam Sedem Protector. Attenta narratorum veritate, quæ ex documentis in Sacra Congregatione exhibitis nobis conſtat, cupientes tam pernicioſæ liti finem, & perpetuum imponere ſilentium præfatis PP. Commiſſario Generali Indiarum in Curia Matritenſi, & Commiſſario Generali Indiarum in Prouincijs Peruanis reſpectiuè reſidentibus committimus, & diſtrictè mãdamus, vt ſupraſcriptas litteras Patentes P. Miniſtri Generalis, quarum tenorem præſenti noſtro Decreto approbamus, & confirmamus, fideliter exequantur, & ab omnibus, ad quos ſpectat, in obſequium prædictæ Sac. Congregationis exequi, & inuiolabiliter obſeruari faciant cum facultate procedendi aduerſus inobedientes, & rebelles ad cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas in Statutis Ordinis præſcriptas, nulla eis ſuffragante appellatione, quàm pariter in obſequium eiuſdem S. Congregationis ab eius Decreti executione iuxta formam in dictis litteris Patentibus expreſſam ex nũc interdicimus, caſſamus, & annullamus. Non obſtantibus in contrarium quibuſcunque. Romæ die xviij. Septembris 1683. A Cardinalis Cybo Protector. Loco † Sigilli. Ioannes Baptiſta Ruſca. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, præfatus Petrus Marinus Miniſter Generalis præmiſſa quo firmiùs ſubſiſtant, & ſeruentur exactiùs Apoſtolicę confirmationis noſtræ munimine corroborari ſummopere deſideret: Nos ſpecialem ipſi Petro Marino Miniſtro Generali gratiam facere volentes, eumque à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti; alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus eius nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Patentes eiuſdem Petri Marini Miniſtri Generalis litteras, & memorati Alderani Epiſcopi Cardinalis, & Protectoris Decretum præinſerta cum omnibus, & ſingulis in eis reſpectiuè contentis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſq; inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos iuris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus. Decernentes, eaſdem præſentes litteras firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, inuiolabiliter obſeruari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Iudices ordinarios, & Delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit præfatorum Ordinis, & Prouinciarum, etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; Priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque cõtrarijs quibuſcumque. Dat. Romæ apud S. M. Maiorem ſub annulo piſcatoris die 4. Maij 1684. Pontif. noſtro anno 8.

I. G. Sluſius.

De

De noua Cuſtodia Inſulæ lignorum, ſiue de Madera.

ATlantico in mari, medio ferè interuallo inter Inſulas Fortunatas, ſiue Canarienſes, & Vliſyponem incognita priſcis iacebat Inſula Lignorum (*de Madera* dicunt Luſitani) à condenſis Siluis ita nuncupata: etſi *Cerne Atlanticum* prius appellata fuiſſe dicatur in nouiſſimo Lexicon Geographico ex Strabone: Anguſta videtur, vt quæ viginti quinque leucarum (centum ferè Italica milliaria ſunt) longitudinem, ac ſexaginta latitudinem non excedit; eximia tamen Cœli, ſolique bonitate gaudere comprobatur. Henricus Ioannis I. Luſitaniæ Regis filius, Dux Viſenſis, & militiæ Ieſu Chriſti eo in Regno Magnus Magiſter, qui omnium primus ex aſtrorum cognitione, cui maximopere, diuque deſudauerat, atque cum alijs peritis communicato negotio, ad nouas ſaltem Inſulas, nouaſque gentes in Oceani vaſtitate curſum patère ſuſpicatus, Indiæ nauigationi, vt dixi, omnium primus, miſſis claſſibus animum fœliciter adiecit; anno 1420. per Ioannem Gondiſaluum, & Triſtanum Vazium præfatam Maderæ Inſulam adinuenit, Imperioque Luſitanico adiunxit. Hoc fœlici principio vltrà progrediens, tum armorum viribus, tum Apoſtolica conceſſione, Fidei Catholicæ, nec non Luſitanici Sceptri Orientales in Indias dilatandi viam cæteris aperuit.

Dumetis, arbuſtis, tribuliſque contecta, inuia erat hæc inſula, & inculta, cuius tamen feracitatem ipſa dumeta, condenſæ ſiluæ, proceræque arbores oſtentarent; quam & in laborum præmium, & ad aliorum incitamentum, excolendam, & incolendam exploratores ipſi ex dono Principis acceperunt. Eorumque ſtudio intrà paucos annos, & habitationibus, & habitatoribus plena omniumque rerum, zaccari præſertim euaſit feraciſſima. Triginta ſex Paræcijs, & incolis ad quadraginta quinque millibus inſignitur. Oppida habet non vulgaria, Fanum Sanctæ Crucis, Monerixum, & alia: vicinam habet Inſulam Portus Sancti; Vrbs primaria eſt Funchalium Ciuitas Epiſcopalis Vlyſſyponenſi ſub Archiepiſcopo, licèt olim & ipſa fuerit Archiepiſcopalis Indiarum Orientaliũ Metropolis, dum pauciores haberẽt Eccleſias.

Illuc aduocati aliquot Minoritę Regularis Obſeruantiæ profeſſores ex Prouincia Portugalliæ, alterum Funchalij, alterum in propinqua Sanctæ Mariæ Inſula poſuere domicilia, ſed inconſulta Sede Apoſtolica. Tandem anno 1450. veniam errati poſtulantes à Nicolao V. Pontifice veniam ipſam, atque locorum præfatorum firmam poſſeſſionem ex Pontificia conceſſione impetrarunt; expeditis litteris, *Iniunctum*, *&c.* quarto Calendas Maij anno præfato 1450. ſuique Pontificatus anno 4. Wad tom. 5. 1450. n. 38.

Vnde cum Fratres eiuſdem Ordinis, qui Canarias Inſulas, etſi paruo numero, iam inhabitauerant, huiuſmodi conceſſionem Luſitanis factam ignorantes, ob propinquitatem, & commodum inde futurum ab eodem Papa Nicolao per Apoſtolicas litteras, *Dum ad præclara*, *&c.* quarto idus Decembris, eodem anno 1450. obtinuiſſent, vt in ipſa Maderæ Inſula locum ſibi poſſent ædificare, præuenti tamen à Luſitanis, gaudere non potuerunt impetratis. Hæc omnia fuſiùs in huius Cuſtodiæ deſcriptione narrabimus.

Anno 1459. cum Alphõſus hoc nomine V. Luſitaniæ Rex celeberrimum Vliſyponę Cœnobium pro Obſeruantibus in Valle de *Enxobregas* erexiſſet, fama ſanctitatis excitus, quæ de præfatis Incolis Maderæ peruolabat, eos omnes Vliſſyponem euocatos, voluit hoc in ſuo nouo Conuentu præeſſe cæteris ſpiritualis vitæ Magiſtros. Tertio verò poſt hæc anno quidam ex eis antiquæ ſolitudinis æſtuantes deſiderio Inſulam debita cum facultate repetentes, infra oppidum Macichi tugurium veriùs, quàm Conuentum cum quatuor cellulis ex luto ſibi poſuerunt ad fluminis ripam; vnde repentina ex fluminis inundatione anno 1467. habitatio illa cum ſuis pijſſimis habitatoribus fuit in mare deportata. Funchalij verò Ciues Fratrum abſentiam altè deplorãtes, & apud Sedem Apoſtolicam pro illorum remiſſione ſupplicantes, impetrarunt tandem, vt Fratres eiuſdem Ordinis eò iterum deportati à Sixto IV. in omnium locorum, quæ in de Madera, & adiacentibus Inſulis recuperauerant, poſſeſſione firmarentur, quæ omnia in vnũ Vicariatum erecta voluit F. Franciſcus Nanius Sampſon dictus Miniſter Generalis Ordinis: Apoſtolicas Sixti Papæ litteras iuuat hìc apponere, quia cum omnibus antedictis ad pleniorem ſubſequentium intelligentiam quàm maximè conducunt; cæterà, vbi de hac noua Cuſtodia tractabitur ex profeſſo, pleniùs examinanda, & deſcribenda reſeruamus. Chron. Prou. Portug. par. 2. lib. 11. cap. 29. & lib. 12. cap. 14.

[Sixtus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis Filijs Vicario, & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum in de Madera, & alijs Inſulis Maris Oceani temporali dominio Regis Portugalliæ pro tempore exiſtentis ſubiectis commorantibus, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.]

Ordi-

Ordinis veſtri Sacra Religio fęcunditate referta virtutum, & meritorum, perſpicuá ſanctitate non indigna promeretur, vt vos Apoſtolici fauoris plenitudine proſequentes votis veſtris, quæ Religionis eiuſdem propagationem, & animarum ſalutem cum diuini cultus augmento reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, fauorabiliter annuamus, & ijs, quæ propterea emanaſſe dicuntur, vt illibata perſiſtant, libenter Apoſtolici adijcimus muniminis firmitatem. Sanè pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd vos, qui Sancti Franciſci, & nonnullas alias domos veſtri Ordinis ſitas in de Madera, & nonnullis alijs Inſulis maris Oceani temporali dominio Regis Portugalliæ pro tempore exiſtentis ſubiectis, in locis per quondam Henricum Portugallię Infantem ad id conceſſis de licentia fęl.recor. Nicolai Papæ V. Prædeceſſoris noſtri pro vſu, & habitatione Fratrum veſtri Ordinis olim conſtructas, quas Vicarius, & Fratres dicti Ordinis olim in illis de ſimili licentia habitantes deſeruerant, elapſo quinquennio, vel circa de nouo inhabitare cæpiſtis, & ex tunc inhabitaſtis, prout inhabitatis Eccleſiam de præſenti, & aliàs nonnullas gratias à Generali Miniſtro dicti Ordinis vobis concedi obtinuiſtis, cupitis conceſſionem gratiarum huiuſmodi pro earum ſubſiſtentia firmiori, noſtræ approbationis munimine roborari, & apud Eccleſias earumdem Domorum Campanile humile cum Campana, & Cęmeterio, nec non Dormitorio, hortis, hortalitijs, & alijs neceſſarijs officinis conſtrui, & ædificari facere. Nos veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati conceſſionem gratiarum huiuſmodi Apoſtolica auctoritate confirmantes, & approbantes vobis, vt apud Domos prædictas, & quarumlibet earum Eccleſias, Campanile humile cum Campana, & Cęmeterio, necnon Dormitorio, Clauſtro, hortis, hortalitijs, & alijs neceſſarijs officinis conſtrui, & ædificari facere, eaſque Domos ſecundùm victum, & modum veſtri Ordinis reformare, ac omnibus, & ſingulis priuilegijs, libertatibus, indultis, & immunitatibus, quibus Fratres dicti Ordinis in genere potiuntur, & gaudent, ſeu potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, necnon gratijs prædictis conceſſis per Generalem Miniſtrum, vt præfertur, vti, potiri, & gaudere, liberè, & licitè valeatis, dicta auctoritate concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis prædicti iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus con:rarijs quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis, conceſſionis, & indulti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringengenteſimo ſeptuageſimo ſexto, quinto Kalendas Maij Pontificatus noſtri anno 5.

D.Gallettus.

Loco ✝ plumbi.

Cum verò vel effectum non habuerit, vel non diù perſeuerauerit illud gubernij genus ſub Vicario Prouinciali proprio, qui à Miniſtro Prouinciæ Portugalliæ ſolùm poſtulatâ, licet non obtentâ ſuæ electionis confirmatione, cum plenitudine poteſtatis loca inibi recuperata, & recuperanda, vel erigenda de nouo gubernaret, vt à Sampſone Miniſtro Generali fuerat conſtitutum; Conuentus tres antedicti, & Oratorium aliud exinde fundatum, necnon Sanctæ Claræ Monaſterium, in quo ſub Vrbaniſſarum Regula Moniales fermę ducentæ connumeratis Seruitricibus ex annuis prouentibus ſuſtentantur, ſub omnimodo Miniſtri Prouincialis de Obſeruantia regimine, atque ſubiectione fuere repoſita. Ne autem ex nimia Maris intercapedine, neceſſaria Prælati aſſiſtentia fraudarentur; ordinatum eſt, vt notat Gonzaga ſui Chron. par. 3. de hiſce Conuentibus agens in Prouincia Portugalliæ, vt Guardianus Funchalienſis S.Franciſci Conuentus, Commiſſarij Prouincialis authoritate fungeretur; quod anno 1636. die 27. Ianuarij, in Prouinciali antedictæ Prouinciæ Capitulo legimus fuiſſe confirmatum, ea lege, vt Commiſſarius ille omnimoda poteſtate fungeretur, qua Miniſtris Prouincialibus vti permittitur.

Ex Act. produ&.

Continuata ſuo ab exordio ijs in Conuentibus hac regiminis forma, in hunc vſque diem, Miniſtrum ſuum Prouincialem, Paſtorem ordinarium, qui oues ſuas præſens inſpiceret, & neceſſitates conſideraret, nunquam videre poterant: etenim præter ampliſſimam Oceani interpoſitionem, quotidiani etiam Pyratarum, maximè Turcarum occurſus, periculoſa item nauigatio, atque maxima aeris, Climatiſque differentia, non modò Miniſtros Prouinciales, ſed & vniuerſaliter Religioſos maiori virtute conſpicuos, ab huiuſmodi retardant, & deterrent itineris aſſumptione. Notabilia exinde non prouenire inconuenien-

nientia, non eſt moraliter poſſibile.

Ex inconuenientibus iſtis, atque ſuorum ex neglectu Sæcularis, Eccleſiaſticuſque ſtatus eiuſdem Inſulæ publico ex condicto præcauere volentes in futurum, per publicam, & authenticam ſcripturam iam ab anno 1679. & deinceps apud Sanctiſſimum Dominum Papam Innocentium XI. & ad S.Congregationem ſuper negotijs Regularium præpoſitam, necnon coram Reuerendiſſimo Patre Fr.Petro Marino Sormanni a Mediolano totius Ordinis Miniſtro Generali ſupplicarunt, quatenus attentis efficaciſſimis iuribus, & motiuis ad intentum allegatis, atque per authenticas, legitimaſq; probationes comprobatis, Conuentus antedicti Inſulæ Maderæ à Prouincia Portugalliæ, cui hucuſque ſubiecti fuerunt, totaliter auulſi, & diſmembrati in propriam, & omnino ſeparatam Cuſtodiam, Generali Ordinis Miniſtro, & Commiſſario Generali Familiæ reſpectiuè ſubiectam erigerentur. Hinc etenim pro certo confidunt, quòd habita exinde proprij Prælati aſſiſtentia, continua, & annua viſitatione, pro ſeligendis ad habitum recipiendis, atq; prouehendis ſtudijs, tuendaque Regulari diſciplina, necnon Dei ſeruitio, & animarum illius Inſulæ ſalute, omnia promouenda ſint in melius.

Cum itaq; memoriale hac de cauſa Sacræ Congregationi oblatum, & deinde Eminentiſs.Cardinali Cybo totius Ordinis Protectori fuiſſet remiſſum, ab ipſo autem Protectore Miniſtro Generali præfato demandatum; Generalis ipſe, vt maturiùs, atque ſecuriùs in cauſa procederet, à tribus de Ciſmontana, totidemque de Vltramontana Patribus grauiſſimis, atque doctiſſimis infra nominandis cauſam ad rigores iuris examinari præcepit, dato decreto die 22. Aprilis 1683. motiua verò pro nouæ Cuſtodiæ erectione propoſita, cæteris interim omiſſis, hic enarro primaria. 1. Neceſſaria Inſularum cum Hæreticis negotiatoribus illò tranſeuntibus conuerſatio; quæ particularem requirit in ſuis Religioſis Sacræ Theologiæ peritiam, quàm in Conuentibus adeo à Prouincia ſua diſſitis, & fermè derelictis in vanum hucuſque deſiderant. 2. Neceſſaria Prælati Superioris aſſiſtentia, & annua Fratrum viſitatio ad continendam, aut reſtituendam regularem diſciplinam per Sacros Canones, imò ex iure naturali requiſita. 3. Quia ſuppoſita nauigationis diſtantia, & difficultate, aeris, & climatis differentia, & quodammodo intra Inſulam recluſione, pyratarumque periculis, vix reperiri poſſunt Religioſi moribus, & doctrina conſpicui, qui eò proficiſci velint; ni potiùs inferioris notæ vt plurimùm in pœnam illò amandari contingat. 4. Quia ex ferè immurata vili Religioſorum incolentium conditione, vita non Religioſè cuſtodita, doctrinæq, neglectu non poſſunt apud Sæculares ipſi Religioſi non vileſcere, cum deuotionis, atque reuerentiæ ad ordinem debitæ iactura; Vnde fit, vt horum Caritas refrigeſcat, minuantur eleemoſynæ, eo vel maximè, quòd Religioſi extranei ſemel in vita illic habitaturi, pro bene applicandis quotidianis eleemoſynis, non adeò vt par eſt, ſeſe diligentes, & ſollicitos oſtendant. 5. Quia cum ibi ſtudia non ſint erecta, vel ſolerter cuſtodita, nec iuuenes nationales, etiam de primoribus, qui decori, & vtilitati forent Ordini, vel ab amplexando Sacro inſtituto deterrentur, vel non recipi poſſunt, nec promoueri; nec Conuentus in Inſula iuxta Inſularium deſideria multiplicari. 6. Quia ſi ad euitandas Canarienſibus Inſulis expenſas, quæ pro adducendo ſingulis tantùm triennijs Commiſſario Viſitatore fiebant, decretum fuit in Capitulo Generali de anno 1664. vt Viſitator ipſe de Inſula ipſa deberet aſſumi; multo maiores expenſæ ſunt hic ineuitabiles pro tranſuehendis dietim hinc inde Fratribus vniuerſis præſertim Superioribus, Confeſſarijs, & cæteris Officialibus, quibus ſi addantur expenſæ grauiſſimæ; quæ annis ſingulis pro neceſſitatibus Prouinciæ Portugalliæ tranſmittuntur, in maximam molem excreſcunt; Vnde ad eas congregandas inquietari debent inceſſanter benefactores, non ſine graui ſcandalo, Fratribus autem infirmis neceſſaria detrahi, & Conuentus in ruinam dimitti.

His omnibus ad omnem ſufficientiam occurritur, ſi Conuentus illi propriam in Prouinciam erigantur; Vnde nationales ad habitum Ordinis recipiantur, ſtudijs ſacris ex profeſſo vacabunt, religioſo miniſterio ſæcularibus etiam inter montana deſeruient, Cœnobia de facili multiplicabunt, animarum ſaluti proficient, ſumptus immenſos euitabunt, maiori ad inuicem charitate conuiuent, Dei ſeruitium, Regulamque diſciplinam efficaciùs promouebunt, dum correctioni, & Viſitationi ſuorum Prælatorum iuxta Sacros Canones erunt continuò ſubiecti, naturaleque religioſo ſuperaddendo affectum pro Ordinis, & Patriæ decore, pro domorum reſtauratione ſancta æmulatione contendent. Hæc profectò fuiſſe in Regio conſilio Luſitaniæ conſiderata non ignoramus, in quo iam ab antiquo decretum fuiſſe legimus, & in praxi obſeruatum conſpicimus, quòd officia Sæcularia, & Eccleſiaſtica ſolis Inſularibus, nullo

nullo modo forenſibus debeant aſſignari. Huc etiam reſpexiſſe non dubitatur Frater Franciſcus Sampſon tunc Generalis Miniſter Ordinis, dum vt ſupra notauimus, anno 1447. huius Inſulæ Conuentus in proprium, & ſoli Generali pro tempore ſubiectum Vicariatum erexit.

Fauent, & quidem efficaciſſimè ad intentum innumera pene etiam in Ordine noſtro exẽpla, quibus, vt oſtenditur, ad promouendum Dei cultum, regularemque diſciplinam reſtituendam, pacem firmandam, aliaque præcauenda incommoda, vnicum ſeparationis remedium profuiſſe docemur. Ita namque nouimus, hos ipſos Inſulæ Maderæ Conuentus fuiſſe olim in Vicariatum erectos, vt dixi, à Sampſone Generali; Sic Cuſtodia Chile cum vnico Conuentu anno 1547. Sic Angelorum Cuſtodia cum vnico; ſic Braſilienſis Cuſtodia cum vnico; ſic Cuſtodia Philippinarum cum vnico; ſic Cuſtodia Matris Dei de Malacca cum vnico; ſic Cuſtodia Candiæ cum tribus; ſic Aragoniæ Cuſtodia cum tribus; ſic Arabidorum Cuſtodia cum tribus; ſic Cuſtodia Sanctæ Crucis cum duobus; cum totidem Prouincia Pietatis, & ſimiliter Cuſtodia de Iucatan; Cuſtodia Sancti Saluatoris cum quatuor; Cuſtodia Bulgariæ cum tribus; Cuſtodia Sancti Euangelij cum quatuor; cum vnico Canarienſis, cum tribus Sancti Nicolai in Lotharingia, & cum totidem Cuſtodia Tranſiluaniæ, prout ad longum in Ordinis monumentis eſt videre. Quãtam verò ſubinde creuerint in molem, quàm proficuæ fuerint in populis, ac Eccleſiæ Dei, Ordinique noſtro honorabiles, fœliciſſimus oſtendit euentus.

Imo & minori cum occaſione, videlicet ex ſolo conſeruandæ pacis motiuo diuiſas fuiſſe Prouincias non ignoramus; vt de Brixienſi, de Tyrolenſi, de Sancti Didaci in Lombardia, de S. Thomæ in Pedemontio, de Bauarica, de Braſilienſi, de Prouincia ſolitudinis, de Canarienſi, & alijs abundè nouimus ex Ordinis Regiſtris.

Vrgent denique pro diuiſione, & diſmẽbratione huiuſmodi, atque nouæ Cuſtodiæ erectione ſacra iura propter impoſſibilem, aut difficilem Prælati maioris Viſitationem, ob maximam diſtantiam, ob morum, & inclinationum differentiam, ob exterorum incuriam, & alia ex Sacris Canonibus conglomerata, & in actis huius cauſæ abundantiſſimè producta, quæ omnia in regiſtro Curiæ Vltramontanæ ad Aram-Cœli per extenſum eſt videre.

Cum itaque poſtulata nouæ Cuſtodiæ erectio pro maiori populorum deuotione, pro diuini cultus decore, pro Religionis augmento, pro Sanctæ Fidei defenſione, atque dilatatione, pro Sacramentorum maiori frequentia, & pro integra totius Inſulæ, incolarum conſolatione, ſpiritualique profectu euidentiſſimè militare comprobetur: Omnibus æqua lance peractis, & in rigore diſcuſſis, Patres ad examen cauſæ, vt ſupra deputati, votum ſuum nemine diſcrepante protulerunt, vt ſequitur.

REVERENDISS. PATER.

NOS infraſcripti de mandato V.P. Reuerendiſſimæ congregati, vt iudiciũ proferamus ſuper negotio Inſulę de la Madera in Regno Portugalliæ; re per menſem fermè meditata, perſcrutata, & viſa, atq; perpenſis motiuis contentis in inſtrumentis collectis per Officiales publicos vtriuſque ſtatus in illis partibus, eorundemque poſtulatione Veſtræ Pat. Reuerendiſs. exhibita, recurſu itidem ad Eminentiſſimum Protectorem Ordinis noſtri facto, & ab Eminentia Sua remiſſo ad Veſtram Reuerendiſs. Paternitatem, quatenus deliberare poſſit, prout magis ſecundùm Deum expedire cenſuerit; libratis his omnibus, qua par eſt cura, & maturitate, conſulimus, vt ſequitur.

1. Negotium preſens iudicialiter neutiquam controuertitur, quandoquidem probationes, ſeu teſtimonia conſtructa non ſunt lite conteſtata, vel citata parte: Vnde deſeruiſſe ſolummodo videntur ad augendum cumulum rationum, ſeu motiuorum, quę inducunt ad annuendũ poſtulationi per ſtatum Sæcularem, & Eccleſiaſticum factæ.

2. Ex hoc præſuppoſito ſiſtit omnino negotium in iudicando, an expediat, nec ne ſecundùm Deum, Conuentus prædictæ Inſulæ diſmembrare à Prouincia Portugalliæ, cuius regimini ſubſunt, & in Cuſtodiam erigere, vel in antiqua ſubiectione retinere, ita ut deliberatio ſumẽda adhibeatur potiùs pro complemento muneris, quod Paternitati Veſtræ Reuerendiſs. ineſt ad conſcientiam coram Deo exonerandam applicando id, quod valet per modum prouiſionis, & prudentialis regiminis, quàm pro ſententia iuridicè lata, aut præuijs canonicè requiſitis diffinita.

3. Diſmembratio Conuentuum Inſulę ſupradictæ, eorumque in Cuſtodiam erectio Dei honori, Religionis incremento, regularis diſciplinæ vtilitati non ſolùm magis conſentanea; imò neceſſaria cenſetur. Pro hac cenſura ponderant Prælatorum legitimorum, ideſt Miniſtrorum Prouincialium Prouinciæ Portugalliæ perſonalis in partibus non experta, aut practica-

-a viſitatio, Superiorum localium non idoneorum temporalia cupientium, Fratribus neceſſaria negātiū,&Cōuentus malè adminiſtrantium illùc deſtinatio; imperitorum, & in vera obſeruantia deficientium Fratrum aliorum ad partes eaſdem miſſio; Incolarum filijs ad habitus noſtri receptionē denegatio, ad Monaſterij Monialium officia prohibita, vel potiùs deteſtanda electio, Commiſſorum per Fratres illuc miſſos criminum diffamatio, ad negotiandum illicita introductio, diuitiarum acquiſitio, de quibus omnibus atteſtationes per publicos Notarios, ſeu Tabelliones ſubſignatas nefas eſſet in totum denegare; præterquāquod diſtantia,& Prælati abſentia ad fidem adhibendam vires præſtat. Vltra notitiam ab expertis propalatam, quod illùc non mittantur viri decorati ob maris periculum, & longum iter nolentes ire; imò vel qui tædio ſunt Miniſtris Prouincialibus, vel quia aliàs diſcoli iure merebantur exulare. Proinde tanto diſpendio præter diſmembrationem aliud ſuppetere non apparet medium præſentaneum pro conſcientiæ quiete, & complemento muneris.

4. Ad prædictam diſmembrationem exequendam modo explicato ſupra Paternitas veſtra Reuerendiſſima facultate, & poteſtate gaudet, vt præter praxim in Religione ſeruatam, conuincit Pater Sanctorius ſuper ſtatuta. Statut. 12. cap. 12. fol. 685. & 686. quidquid in contrarium tenuerit Miranda to.2.q.7.art.11.cui adhæſit Lezana tom.1.cap.18. num.24. Eos tamen refutant Bordonus tom.2.reſol.58.num.16. nouiſſimè Antonius à Spiritu Sancto, Director. Regular. tract. de regimine Prælatorum cap.1. ſect.4. num. 64. Vbi licèt conſilium, & conſenſum debere interuenire dicat aliquorum ex parte illa, cui inferri apparet præiudicium, intelligenc's eſt nihilominus in Religionibus, in quibus talis viget conſuetudo; in noſtra autem auctoritas Generalis Miniſtri ſumma eſt iuxta ſtatuta Valliſoletana de anno 1593. ac proinde eadem cum illa, quam habet Capitulum generale, niſi aliunde per aliquod ſtatutum in caſibus determinatis limitetur: Cum igitur paſſim Capitula Generalia Prouincias diſmembrauerint, nouaſque Prouincias, & Cuſtodias erexerint, & aliunde Generalis Miniſtri auctoritatem, & poteſtatem circa hoc punctum nullibi coarctauerint, limitauerintue, certo certiùs eſt, facultatem circa erectionem, & diuiſionem Prouinciarum, & Cuſtodiarum de nouo in ipſo reſidere; adiuncto ex abundanti priuilegio sa:mem: Greg. Tertiodecimi ad hoc Patribus Capuccinis cōceſſo, vt ex Sorbo refert Sanctor. Vbi ſupra citatus; quo nos etiam per participationem fruimur. Rectiùs tamen fore, & firmiùs fieri, verbum ſuper hoc cum Sanctiſſimo facere, nullus quibit inficiari. Ita conſulimus, ſentimus, & cenſemus in hoc Conuentu Ara-Cœli. Romæ die trigeſima prima Maij anni 1683.

Ita ſentio eg · Fr. Antonius à Campobaſſo Procurator Generalis Ordinis.

Sic ſentio ego Frater Angelus de Zeuallos Commiſs. Generalis Curiæ.

Sic ſentiendum eſſe puto ego F. Clemens Caprettus à Mediol. Secret. Gen. Ordinis.

Sic ſentio ego Fr. Sebaſtianus de Arrojo Secret. Gen. Ordinis.

Ita cenſeo ego F. Ioannes Antonius de Panormo Lector Iubilatus.

Ita ſentio ego Fr. Laurentius à Sancto Paulo ex Suetia.

His ego concludentibus pro illorum Conuentuum à Prouincia Portugalliæ totali diſmembratione nouamque in Cuſtodiam erectione, Reuerendiſs. Pater Generalis ad ſententiam definitiuam procedens, ad mentem Conſultatorum ex integro pronunciauit; in omnibus tamen, vt decens eſt, reſeruato Sedis Apoſtolicæ beneplacito: Cumque Sanctiſſimus D.D. Innocentius Papa XI. peculiari ſuo diplomate diſmembrationem, erectionemque præfatam approbaſſet, & auctoritate Apoſtolica confirmaſſet; ipſemet Pater Generalis per nouas ſuas litteras erectionem nouæ Cuſtodiæ ſub titulo, & inuocatione S. Iacobi Minoris Inſulæ illius Aduocati, Patronique ſpecialis (vt meliùs in ipſis litteris explicatur) declarauit, & aſſignato pro interim Commiſſario, qui vſquequo Luſitanici Regis habito aſſenſu, Officiales omnes aſſignentur, nonam Cuſtodiam gubernaret, eam ſtabiliuit. Hæc omnia ſubiectis ex litteris pleniùs intelligentur.

F. PETRVS MARINVS SORMANNVS à Mediolano ex Guardianus Ieroſolymitanus, ac totius Ordinis Seraphici Patris noſtri S. Franciſci Miniſter Generalis, & Seruus &c.

CVM ab exordio Sacra noſtra Religio, Diuina voluntate afflante, ſub Euangelicæ paupertatis fundamento ſit inſtituta, & Vexillum conſtanter Patriarcha Minorum Seraphicus Pater noſter Sanctus Franciſcus aſſumpſerit, cuius (licèt immeriti) vices gerentes portamus, & vt notum eſt omnibus, doctrina Magiſtrorum, ſanguine Martyrum, vario Sanctorum cætu, & Apo-

& Apoſtolicæ Sedis patrocinio ſit illuſtrata, atque amplificata, extendens, ſicut arbor benedictionis, ramos ſuos per vniuerſum Orbem, gratum diuino Numini præſtans famulatum, cuius miſeratione promouente, etiam apud ſæculum, non ſolùm in veneratione ſit, ſed magis, ac magis ſpontaneo populi Chriſtiani impulſu, dilatatione concreſcat. Hinc eſt, quòd quantum noſtri muneris eſt, glorioſam ſubditorum noſtrorum quietem, & propagationem fælicem, ac vniuerſalem animarum ſalutem auidè procuremus. Cum itaque per Eminentiſſimum D. D. Cardinalem Cybo, noſtræ Religionis Protectorem ad nos tranſmiſſæ fuerint quædam facultates, epiſtolæ, petitiones, ac teſtimoniales (cum alijs inſtrumentis) litteræ per publicos Notarios, ſeu Tabelliones ſubſignatæ, pro parte Eccleſiaſtici, & ſæcularis ſtatus Inſulæ de la Madera ſuæ Eminentiæ præſentatæ, facientes ipſorum erga Ordinem noſtrum feruentiſſimæ deuotionis relationem, & fidem aliunde neceſſitatis magnæ, quam Conuentus illius Inſulæ habent, vt à Prouincia Portugalliæ, cuius regimini vſque adhuc ſubordinati erant, diſmembrentur, quia eum multùm diſtent à Portugalliæ Regno, nec viſitari à Miniſtro Prouinciali poſſunt, nec pro illorum viſitatione in Inſulam ob diſtantiam Maris, & Pyratarum, ac Turcarum periculoſam inuaſionem Religioſi grauės accedere volunt, quin potiùs, cum prędicti Conuentus de Prælatis, Prædicatoribus, & Confeſſoribus à dicta Prouincia prouideantur, ad talia munera Religioſi inexperti mittuntur; atque ad receptionem noſtri habitus Incolarum Filij, à Deo, ipſorumque deuotione, ac feruentiſſimo ſpiritu ad Religionem vocati, magno cum Natiuorum dolore denegantur: quæ, & alia motiua contenta in inſtrumentis collectis per Officiales publicos eiuſmodi vtriuſque ſtatus, ad quæ nos remittimus, quatenus maturè deliberarentur, inter Religioſos doctos, & decoratos iſtius, & alterius Familiæ, conferri decreuimus, & tanquam ad totam Religionem ſpectantia, inter ipſos, Procuratorem, & Commiſſarium Generalem, qui Religioni noſtræ in hac Curia deſeruiunt, nominauimus; ac re, non ſine magna maturitate, deliberatione, mora, & ſpatio temporis cum prędictis Patribus, & alijs in condecoratione ſimilibus præhabita, diſcuſſa, Decretum edidimus, quo Sanctiſſimo Domino Noſtro Innocentio XI. præſentato diſmembrationem memoratam approbauit, & per litteras ſuas in forma Breuis expeditas confirmauit, prout ſequitur.

Innocentius Papa XI. ad perpetuam rei memoriam: Nuper pro parte dilectorum Filiorum Senatus Inſulæ de Madera nobis expoſitum fuit, quòd Dilectus etiam Filius Petrus Marinus Sormanus Miniſter Generalis Ordinis Fratrum Minorũ Sancti Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum, maturè diſcuſſis rationibus, quæ Conuentus dicti Ordinis in Inſula prędicta exiſtentes, à Prouincia Portugalliæ eiuſdem Ordinis diſmembrandos, ac in Cuſtodiam erigendos eſſe, ſuadent, adhibitoque grauium Religioſorum conſilio, decretum edidit tenoris, qui ſequitur, videlicet: Frater Petrus Marinus Sormanus à Mediolano Ex-Guardianus Ieroſolymitanus, ac totius Seraphici Patris Noſtri Sancti Franciſci Miniſter Generalis, & Seruus: Viſis Patrum de Ordine noſtro conſultatorum Votis, ſuper negotio diſmembrationis Conuentuum Inſulæ de la Madera à Prouincia Portugalliæ, & erectionis eorum in Cuſtodiam ad nos per Eminentiſſimum Dominum D. Cardinalem Cybo noſtri Ordinis Protectorem tranſmiſſo, diſcuſſiſque coram Nobis illorum fundamentis, necnon inſtrumentorum omnium exhibitorum viribus maturè perpenſis, omnibuſque emergentibus hinc inde debita perſcrutatione collatis, ſupradictorum Patrum iudicio inhærentes, diſmembrationem præfatam, tamquam opportunam, & bono Religionis, Deique ſeruitio vtilem approbamus, ad cuius executionem beneplacito Sanctiſſimi impetrato (quòd neceſſarium credimus) cætera ex noſtri muneris parte requiſita, protinus expedire curabimus. Datum in Conuentu noſtro Sanctæ Mariæ apud ad Aram-Cæli Romano, die 5. Iulij anni 1683. Frater Petrus Marinus Miniſter Genneralis. Locus † ſigilli. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, dicti exponentes Decretum huiuſmodi, quo firmiùs ſubſiſtat, Apoſtolicæ noſtræ confirmationis patrocinio communiri, & aliàs opportunè in præmiſſis à Nobis prouideri plurimùm deſiderent; Nos ipſorum exponentium votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, fauorabiliter annuere volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum pręſentium tantùm conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes; Supplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum à memorato Petro Ma-

Matino Miniſtro Generali editum, vt prædicitur,authoritate Apoſtolica, tenore præſentium cõfirmamus, & approbamus, illiq; inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos iuris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus. Præterea eidem Petro Matino Miniſtro Generali, omnia,& ſingula, quæ pro præinſerti Decreti executione, quomodolibet neceſſaria, & opportuna fuerint, ſecundum datam ſibi à Domino prudentiam faciendi, ac decernendi, & ordinandi,quamcumque neceſſariam,& opportunam facultatem, authoritate, & tenore prædictis tribuimus,& impartimur. Decernentes eaſdem præſentes litteras firmas, validas,& efficaces exiſtere, & fore,ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri,& obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore expectabit pleniſſimè ſuffragari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari; non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Ordinis, & Prouinciæ, ac Conuentuum prædictorum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica,vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis. & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes,illis aliàs in ſuo robore permanſuris,ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die 30. Iunij 1683. Pontificatus noſtri anno ſeptimo I.G. Sluſius. Deſiderantes igitur pro noſtri muneris Paſtoralis laborioſo debito, Vicibus Vniuerſalis, & Communis Patris fungi; attentis Populorum deuotione, diuini cultus decore, Religionis augmento, fidei dilatatione, Sacramentorum frequentia, & omnium illius Inſulæ Incolarum conſolatione; Noſtra, ſpecialique authoritate,in hac parte nobis conceſſa vtentes, tenore præſentium præfatos Inſulæ de la Madera Conuentus, ſcilicet Sancti Franciſci del Funchal, Sanctæ Crucis, Sancti Bernardini, & Sancti Sebaſtiani ac Monaſterij Monialium Matris Sanctæ Claræ,qui de præſenti ſunt,& qui cum tempore ibidē adnumerari valebunt, ab immediato gubernio Prouinciæ noſtræ Portugalliæ diſiungimus, ſeparamus, & diſmembramus, ac diſiunctos, ſeparatos, ac diſmembratos eſſe volumus: Decernentes, quòd à die publicationis harum noſtrarum litterarum, ampliùs non ſubordinatur, nec ordinationibus, & determinationibus eiuſmodi Prouinciæ Portugalliæ obligentur, à cuius obedientia illos abſoluimus, & fine dependentia, ordine, aut aliquo ad ipſam reſpectu eos conſeruari, augeri, regi, & gubernari,ſeriò, & expreſsè declaramus:quapropter Nobis Miniſtro Generali, & Commiſſario Generali Vltramontano, qui de præſenti ſumus, & pro tempore fuerint, immediatè ſubiectos in Cuſtodiam ſub Aduocatione Sancti Iacobi Minoris, qui (vt aiunt) eiuſmodi Inſulæ Patronus, & Aduocatus eſt, illos erigimus, nominamus, & inſtituimus, atque facultatem vrendi ſigillis, ſicut cæteræ Cuſtodiæ vtuntur, concedimus, determinantes, vt nobis expoſtulatū fuit,quòd in præcipuo,aut maiori ſigillo ponantur inſignia Regni Portugalliæ cum effigiebus, ex vna parte Sancti Iacobi Minoris, ex altera Sancti Franciſci, & pro Stemmate *Sanctiſſimum nomen, Ieſus, luſtrato corda noſtra*, & ſcriptione ſequenti. Sigillum Cuſtodiæ Sancti Iacobi Minoris,Ordinis Sancti Franciſci Inſulæ de la Madera; & quatenus eiuſmodi Cuſtodia Sancti Iacobi, ſic per nos erecta, & declarata, immunitatibus, & beneficijs proprijs,ablata memoratæ Portugalliæ Prouinciæ dependentia, ſtatim fungi queat: Interim autem, & vſque dum Cuſtos, & Officiales cæteri pro eadem Cuſtodia inſtituendi, iuxta Ordinis noſtri ſtatuta de Fratribus, qui in Conuentibus dictæ Cuſtodiæ commorantur præditis virtute, prudentia,experientia, & aptitudine, vt ad munera Cuſtodis, & aliorum per nos aliàs informatione capta certioratos eligi poſſint, in Commiſſarium noſtrum eiuſmodi Cuſtodiæ, ac potiùs Conuentuum cum authoritate in vtroque foro de iure neceſſaria, & pro tempore noſtri arbitrij P. Fratrem Aluarum à Trinitate Prædicatorem; & caſu mortis, in ſecundo loco P.Fratrem Antonium à Sancta Maria Confeſſorem, tertijque Ordinis de pœnitentia, in præfato noſtro Conuentu del Funchal, Viſitatorem nominamus, inſtituimus,determinamus,& declaramus,ac illi per ſalutaris Obedientiæ meritum iniungimus, quatenus, vt Præſul Ordinarius, & Commiſſarius noſter (ſubſtantiale regimen non innouando) ſolatio ſpirituali Fratrum, ac Monialium ſtudium, diligentiam, curamq;

adhi-

adhibeat; quibus omnibus,& ſingulis, tam ſubditis, quàm Prælatis, cuiuſcumque conditionis, & qualitatis ſint, præcipimus per ſanctam Obedientiam, in virtute Spiritus Sancti, ac ſub excommunicatione maiori latæ ſententiæ ipſo facto incurrenda, priuatione actuum legitimorum, & alijs ad noſtrum arbitrium pœnis, vt ipſum ſic à Nobis in Commiſſarium iuxta earumdem tenorem præſentium inſtitutum, & declaratum recipiant, & admittant, eumque recognoſcant, & illi in omnibus eiuſmodi officium concernentibus pareant, & obediant; faueantque, & reſpectiuè aſſiſtant. Datum in Conuentu noſtro Sanctæ Mariæ apud Aram-Cæli. Romæ die quartadecima Auguſti anno milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo tertio.

Fr. Petrus Marinus Miniſter Generalis.
Loco † ſigilli.
De mandato ſuæ Reuerendiſs. Paternitatis
Fr. Sebaſtianus de Arroyo Secr. Gen. Ord.

Deinde Reuerendiſsimus ipſe Miniſter Generalis pro ſpirituali Fratrum, & Monialium ea in Inſula directione, atque conſolatione, ipſoſque vt ad æmulanda chariſmata meliora efficaciùs excitaret, ſequentem dedit ad eos epiſtolam.

Fr. Petrus Marinus Sormannus à Mediolano Lector Iubilatus, Ex-Guardianus Hieroſolymitanus Miniſter Generalis, & Seruus totius Ordinis P. N. S. Franciſci, & omnibus Fratribus, ac Sororibus cuiuſcumque gradus, & conditionis Conuentuum, & Monaſteriorum noſtræ Cuſtodiæ noniter erectæ Sancti Iacobi Minoris in Inſula Maderæ Regni Portugalliæ ſalutem, & pacem in Domino Noſtro IESV Chriſto.

VNus eſt altiſſimus Creator omnipotens, & Rex potens, & Metuendus nimis, ſedens ſuper thronum illius, & Dominus Deus, qui ſuper beneficium vniuerſalis Redemptionis (incomprehenſibilis ab humanis iudicijs) manifeſtauit humano generi pretioſam gemmam ex ſuis theſauris depromptam, hoc eſt Seraphicum P. N. Franciſcum pauperem, humilem, & debilem in corporalibus viribus, ſublimem, & robuſtum in ſpiritualibus donis, vt cum ſua gratia, & caractere, veri Dei, & hominis exprimeret doctrinam, & exemplum, excitando mundum, & velut ſignifer Eccleſiæ, ſui Domini extolleret vexillum: Verè hic eſt ille pauper, qui opere, & doctrina Chriſti ſuſtentabit Eccleſiam, dum milites congregaret voluntarios iuxta Euangelica præcepta, & conſilia ab ipſo Domino Ieſu Chriſto dictata viuentes, quemadmodum ipſe dixit occurrens timori ipſius. *Quid turbaris quaſi tuum hoc opus eſſet? tunè Legiſlator? tunè huius vitæ præceptor? Nonne hæ tabulæ à me formatæ? Tu dumtaxat tenue huius operis inſtrumentum, & calamus ſcribentis. Noui ego quid dictauerim, noui, quid velim præcipere*; & ſi decurſu annorum quadringentorum ſemper perſeuerauit inſtitutio, ſine termino videtur prorogare eiuſdem augmentum, quemadmodum fęlices teſtantur progreſſus, atque operationes. At verò cum Hortus hic Religionis penſilis tot ornatus floribus, ac plantis, vt vix propter varietatem, ac multitudinem etiam à quocumque curioſo diſcerni valeant; Principale tamen eius delectamentum in fundamento principali conſiſtit Altiſſimæ Paupertatis, atque humilitatis cum rerum terrenarum alienatione adeo ſingulari, vt ijſdem, quas deſpicit vtendo, magis, magiſque in ſpiritus abundantia creſcat, atque ditetur. Hinc quis vnquam, niſi ipſemet Deus, qui Regulam dedit, in tam dilatata familia huiuſmodi potuit manutenere priuilegium? Omnia equidem ipſe præuenit dicendo. Ego pars, & hæreditas eorum ero, quam ſi curauerint, vt hanc Regulam obſeruent, & quo maior erit eorum numerus, eo maior in illos mea videbitur Prouidentia. Hæc adeò videtur notoria, vt etiam conſeruata in remotis, ampliſſimiſque Prouincijs excitauerit zelum deuotorum ardentiſſimum erga humiliſſimum noſtrum habitum, ad procurandum illius augmentum. Hinc itaque moti tam Eccleſiaſticus, quàm ſæcularis ſtatus in ipſa Inſula Maderæ à multis iam annis ſollicitè in hac Curia Romana ſuorum Conuentuum ſeparationem à Prouincia Portugalliæ procurarunt, ſub titulo honorifico Cuſtodiæ ſeparatæ Sancti Iacobi Minoris ſui electi Patroni, ad hoc, vt rupto muro, qui ipſos cingebat, & terminis, qui ipſis prohibebant propriam dilatationem, poſſent proprios alumnos Inſulanos educare pro vtilitate publica, ſine mediatione antiqua præfatæ Prouinciæ. Huius diligentis ſollicitationis fructum à pietate Eminētiſs. Domini Cardinalis Cybo noſtri Ordinis Protectoris, ſicut, & in hoc Ordinis tribunali, nec non à ſumma benignitate Sanctiſſimi Domini Noſtri Innocentij XI. obtentū Veſtris Paternitatibus, ac Reuerentijs omnibus propalamus, atque manifeſtum facimus eo fine, vt hoc medio pax inter vos ſtabiliatur; exhortando ad obſeruantiam diſciplinæ Regularis, cum conamine poſſibili pro excludenda omni perturbatione, ad vnionem fouendam animorum, qua vniformes in Dei choro ſitis inſtrumentum

ſuaue,

Wad. t. 1.

ſuaue, atque gratum, non improperantes inuicem, quòd naturalis ſit Inſulanus, aut alienigena ex priori regimine Prouinciæ Portugalliæ tranſmiſſus; cum omnes Fratres ſitis, filij eiuſdem Patris, atque Matris Religionis, ſicque exulet à vobis frigidum illud verbum *meum*, & *tuum*, perſeuerantes in prima doctrina, & exceptione Conuentuum conformes, & hoc modo vniti ſpirituali vnione detis gloriam Deo, ac laudem noſtro Patriarchæ, correſpondendo veſtris benefactoribus cum grati animi, ac religioſæ vitæ exemplo, ſanaque doctrina, quibus bonæ famæ, atque integræ exiſtimationis aliquas ruinas apud ſæculares benè affectos reparare valeatis, dum vos viderint ad veſtræ profeſſionis conformitatem in omni virtutum gradu proficere. Hæc denique ſunt, ad quæ Veſtras Paternitates, & Reuerentias exhortamur, rogamus, & in quantum poſſumus commendamus, inculcantes memoriæ veſtræ pro concluſione huius noſtri feruentis deſiderij verba illa Prophetæ Iſaiæ: *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ Comedetis: quòd ſi nolueritis, gladius deuorabit vos, quia os Domini locutum eſt*. Iſa.c.1.
Et in reliquo, ne partibus noſtris defuiſſe videamur, eadem officia, atque exhortationes intimamus, atque notas facimus Sororibus Monialibus, propterea vt cum modeſtia, charitate, candoreque animorum correſpondendo ſuo ſtatui, ac vocationi, quæ ipſas Sponſas elegit Chriſti Domini, inuigilent in orationibus, & exercitijs ſpiritualibus, adiuuantes nos in ſpe bonorum operum, quæ à ſubditis noſtris expectamus, pro decore totius Religionis, & ędificatione publica. Dat. in noſtro Conuentu Sanctæ Mariæ de Ara-Cæli Romæ die 6. Septembris 1683.

Fr. Petrus Marinus Miniſter Generalis.

Loco † ſigilli.

De mandato ſuæ Reuerendiſs. Paternit.

Fr. Sebaſtianus de Arroyo Secr. Gen. Ord.

Poſtremò ne politica forſan ex occaſione Decretum ſeparationis antedictæ effectu ſuo fruſtrari contingeret, ad Luſitaniæ Regem (tunc Principem pro Rege fratre ſuo Regentem) ſequentem dedit Epiſtolam.

SERENISSIME PRINCEPS.

IN occaſione, qua ad hanc appuli Vrbem, mihi tranſmiſſæ fuerunt ab Eminentiſſimo D. Cardinali Cybo Ordinis mei Seraphici Protectore variæ Scripturæ, ac inſtrumenta, quæ eidem priùs oblata fuere per ſtatum Eccleſiaſticum, & ſæcularem Inſulæ Maderæ, & continebant manifeſtationem ardentiſſimi zeli, quo venerabantur humilem hunc habitum, motiua etiam, releuantia, ac feruoroſa deſideria, quibus mouebantur ad impetrandum, vt Conuentus, quos apud ſe habebant, & tunc ſuberant gubernio Prouinciæ Portugalliæ, ſepararentur ab ipſamet, & erigerentur in Cuſtodiam, cum immediata ſubiectione ſub Superioribus Generalibus. Vnde conſiderando ego, eſſe hanc materiam vnam ex cauſis arduis, quæ contingere in Religione mea poſſent, dum ad ipſam totam eiuſdem determinatio pertineret, curaui idcircò conuocare viros Religioſos, qui authoritate, conſilio, & experientia noſtrarum legum pollerent, inter quos fuere Miniſtri principaliores in hac Curia Aſſiſtentes pro negotijs vtriuſque Familiæ Ciſmontanæ, & Vltramontanæ, quæ corpus Religionis conſtituunt. Hi attendentes cum maturitate conſilij, ſinceritate, ſcientia, atque conſcientia negotij importantiam, ſtatuerunt conuenientem, ac neceſſariam eſſe huiuſmodi ſeparationem, ſupra quam expediri feci litteras patentes, quas cum mea propria perſona ſubmitto Serenitati Veſtræ, quò de rei ſucceſſu plenè inſtructa, & quomodo deſideraui iuxta æquitatem operari ex iuſtificato zelo ad hanc meam Religionem pertinente, iubeat Serenitas Veſtra ſecundùm ſui beneplaciti, & ſeruitij dictamen, in cuius determinatione depono omnem meã ſollicitudinem, ac intentionem, cum ſingulari hac mea Cura, vt ſubditi mei Omnipotenti Deo ſemper Commendent fœlicitatem Serenitatis Veſtræ, ac Regnorum ſuorum. Romæ die 22. Septembris anno 1683.

Fr. Petrus Marinus Miniſter Gener.

De Officialibus Curiæ.

CIRCA Officialium Curiæ deputationem, atque durationem varia fuere dubia non ſine fundamento ſuſcitata, quæ pro legitima, & authentica declaratione Reuerendiſſimo Miniſtro Generali propoſita voluit per primarios vtriuſque Familiæ Patres, hiſque in materijs maximè verſatos ad Apoſtolicarum, & Ordinis Conſtitutionum rigores examinari, quatenus ex euidentiſſimis, & omnium de conſenſu approbatis doctrinis poſſet clariùs, & ſecuriùs ad neceſſariam declarationem, atque deciſionem procedere.

1. Primum dubium fuit ex varijs Ordinis Statutis eductum, quæ diſponunt, vt Procurator Generalis Ordinis, & Commiſſarius

ſarius Generalis in Romana Curia à Miniſtro Generali *de Conſilio Patrum grauiorum* inſtitui debeant: quòd ſæpiùs in praxi obſeruatum non fuiſſe conſtat, maximè vbi horum vacantiam extra tempus Comitiorum eueniſſe contigit; Quæritur ergo, an huiuſmodi officialium Curiç deputatio pręſertim extra Capitulum, & Congregationem à Miniſtro Generali facta, non requiſito, vel non expectato Patrum grauiorum Conſilio, ſit legitima?

2. Eiſdem ex ſtatutis aſſumptum, quæ ordinant, vt in Officiales Curiæ nullus inſtituatur, qui priùs non fuerit Miniſter Prouincialis; An illius, qui Prouincialatus officium antea non exercuit, in Officialem Curiæ deputatio ſit legitima, & valida?

3. An ad hoc vt Officiales Curiæ iam Officio functi, iuribus, & præeminentijs eiſdem poſt terminatum Officium per ſtatuta conceſſis gaudere valeant, debeant ex neceſſitate integro triennio perſeueraſſe in Officio, vt videntur ipſa ſtatuta diſponere; an ſufficiat, vt expleto ſolùm biennio, tertium annum inchoauerint, vt in praxi videtur obſeruari?

4. Cum triennium, vel Completum, vel ſaltem inchoatum exercitij requiratur in Officialibus Curiæ, ad hoc, vt iuribus, & præeminentijs ſibi per ſtatuta conceſſis poſſint gaudere. Quæritur, an hoc exercitij ſui muneris tempus, in vno tantùm officio complere debeant: verbi gratia, an per trienninm ſaltem inchoatum Procuratoris Generalis munus ſemper exercere, vel ſemper Commiſſarij Generalis in Curia, ad hoc vt ipſi computetur in meritum? An verò ſufficiat, vt partim ſub Procuratoris, partim ſub Commiſſarij titulo fuerit, itaut triennium, vel completum, vel inchoatum ex Procuratoratu, & Commiſſariatu ſine interpolatione exercitij integrari valeat: itaut ius habere ſic valeat ad præeminentias Ex-Officialibus Curiæ debitas?

5. Suppoſito verbi gratia, quòd inſtituatur in Procuratorem, vel Commiſſarium Generalem Curiæ aliquis, qui tunc ſit in Hiſpania; & receptis ſuæ inſtitutionis litteris patentibus per aliquem actum publicum coram Superioribus officij ſibi collati poſſeſſionem accipiat in Hiſpania; & ſtatim ſine fraude proficiſcatur in Vrbem, vbi realiter officium ſuum exercere valeat; quæritur, an triennium ſuum à die ſuſceptæ poſſeſſionis in Hiſpania deſumendum ſit, itaut tempus in itinere abſque fraude conſumptum ei computetur, ac ſi realiter officium exercuiſſet, ceſſantibus, vt dixi, fraude, & officium illud in Curia actualiter exercentis præiudicio; aut rigorosè neceſſarium ſit, vt triennium vel completum, vel inchoatum in actuali ſui muneris exercitio teneatur adimplere?

Hæc omnia, & ſingula dubia non ſolùm Miniſtri Generalis inſtituentis authoritatem, ſed etiam Officialium ipſorum abſolutionem ab Officio grauiſſimè reſpiciunt. Arduum enim dubium ex ijs reſultare non ignoratur; an videlicet ille, qui Procurator, vel Commiſſarius Generalis Curiæ fuit, iuribus, & præeminentijs Ex-Procuratori, atque Ex-Commiſſario per iura conceſſis gaudere valeat; ſi vel abſque Conſilio Patrum fuerit à Generali Miniſtro deputatus; vel Miniſter Prouincialis ante talem deputationem non fuerit; vel integrum triennium in Officio non compleuerit; vel non in vno ſolo ex Officijs prædictis, ſed ex vtroque tempus ſuæ durationis integrauerit; vel denique ſi tempus ipſum non in exercitio actuali muneris in Curia compleuerit, ſed ad illius complementum tempus abſque fraude, & abſque alterius Officium illud actualiter in Curia exercentis præiudicio, in itinere conſumptum fuerit ei computatum? Ad quæ ſingillatim de mandato Reuerendiſſimæ Veſtræ Paternitatis reſpondere debemus, prout Ordinis, & Pontificijs conſtitutionibus examinatis, & in rigore ponderatis, coram Domino ſentimus.

Ad dubium primum videtur P. Sanctorius in Commentar. ad Conſtitutiones Ordinis ſtat. 28. defendere, quòd Miniſter Generalis in deputatione Officialium Curiæ non modò perquirere, ſed & ſequi teneatur Patrum grauiorum conſilium, ita vt deputatio aliter facta videri poſſit illegitima. Fundatur ipſe in Valliſoletano de anno 1593. cap. 8. vbi de Miniſtro Generali, dicitur, *ad ipſum ſpectat Procuratorem Ordinis, &c. de Conſilio tamen, & conſenſu Diſcretorum Ordinis illius Familiæ, &c.* ex quo contrariam Rodriguez ſententiam reijcere prætendit dicentis, deputationem iſtam ſoli Generali Miniſtro competere, Capitulo etiam, & Diffinitorio Generalibus non conſentientibus, Ordinis conſuetudinem pro ſua opinione allegantis; Cui propterea Sanctorius ipſe Valliſoletana, hoc de anno 1593. hìc citata opponit: addit deinde Salmaticenſia de anno 1553., quæ non Miniſtro, ſed Capitulo deputationem huiuſmodi videntur attribuere per hęc verba in cap. 8. *Procurator Ordinis ſemper inſtituatur de ea Familia, ex qua aſſumptus eſt Miniſter Generalis.* Vbi non exprimitur, vtrum à Generali, vel à non Generali

ſit

ſit inſtituendus. Duabus etiam rationibus ad hanc opinionem adducitur Santorius; Prima eſt, quòd Pater Ignatius de Zegama (quem tamen non nominat) anno 1636. à Reuerendiſſimo de Campanea inſtitutus in Commiſſarium Generalem Curiæ, fuerit ab Eminentiſſimo Cardinali Barberino Protectore reiectus, quia ad ipſius inſtitutionem non fuerint conſulti Patres Diffinitorij Vltramontani. Secundò, quia cum Procurator, &c. ſit non modò Procurator Miniſtri Generalis, ſed & totius Ordinis, ab Ordine vniuerſo per ſuos Diſcretos ſecundùm ſtatuta debet approbari, iuxta regulam iuris; *quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet*. Sed pace tanti viri, reſpondeo per nullum ſtatutum obligari Miniſtrum Generalem, ſub clauſula contrarium irritante ad ſequendum in hoc Diſcretorum conſilium; nullibi enim reperitur. Quòd autem in Valliſoletano à Sanctorio relato dicatur *de Conſilio, & aſſenſu*, non vniuntur hæc duo ad faciendam clauſulam copulatiuam, itaut vltra conſilium requiratur & aſſenſus; ſed ponuntur ibi per modum maioris explicationis, & directiuè tantùm, non coactiuè, quòd apparet per antiquiora Benedicti XII. & Iulij II. ſeu Alexandrina cap.8. part.20. ab ipſo Sanctorio vbi ſupra relata, & per Segobienſia Valliſoletanis illis poſteriora, vbi conſilium tantùm requirendum aſſignatur, non conſenſus; Vnde liquet, Valliſoletana hæc per antiquiora, & poſteriora declarari, quòd aſſenſus Diſcretorum directiuè tantùm, non verò coactiuè præſcribitur. De Salmaticenſibus ibidem citatis, patet, quòd eſt authoritas merè negatiua, quæ nihil concludit; Cum ergo illa non fuerint ſufficienter explicata, declarantur in ſubſequentibus Capitulis Valliſoletanis & Segobienſis & alijs, vbi Officialium huiuſmodi deputatio Miniſtro Generali de conſilio Diſcretorum reſeruatur expreſsè, non verò Capitulo, imò extra Capitulum, & Congregationem fieri poſſe, conteſtantur. De tertio nempè de Patre Zegama per Reuerendiſſimum de Campanea inſtitutum, & ab Eminentiſſimo Protectore repulſum, non dixiſſet Pater Sanctorius, ideo fuiſſe repulſum, quia ſine conſilio, & aſſenſu Diſcretorum fuiſſet inſtitutus; ſi vidiſſet ipſe in Curiæ Vltramontanę Regiſtis, apud Aram-Cœli facti totius hiſtoriam, atque Zegamæ ipſius litteras patentes, quæ conſilium, & aſſenſum Patrum grauiorum exprimunt; ſed ideò fuit reiectus, (non ipſe ſolùm, ſed & Procurator Ordinis vnà cum Commiſſario iſto deputatus) quia Officiales, qui iam erant triennales in officio, ob non celebratam Congregationem anno 1636. ſuffragati non fuiſſent in Comitijs: vt videre eſt in Orbe Seraphico de Gubernatis tom.1.lib.3. tit. *de Duratione Officialium Curiæ*; & in citatis Regiſ. Ara-cælit. de quo puncto hic infra dicetur. Ad vltim Reſp. negando aſſumptum; nempe Officiales Curiæ eſſe Procuratores totius Ordinis, & ideo, &c. ſi loquamur de Procuratione immediata: Cauſæ enim totius Ordinis immediatè pertinent ad Miniſtrum Generalem; *cuius Ordinaria poteſtas* ex Valliſoletan. 1593. in ordine ſumma eſt, à qua nemo eximitur: Cum verò ipſe pro omnibus ordinis cauſis in Romana Curia occurrentibus aſſiſtere non poſſit, deputare debet Officiales ſuos, vti Vicarios ſuos in ipſa Curia, qui pro Miniſtro agant agenda: ſicque ſunt immediatè Procuratores Miniſtri Generalis, & mediatè totius Ordinis, quaſi Vicarij eiuſdem Miniſtri. Hoc pâtet euidentiùs ex ipſis Valliſoletan. à Sanctorio relatis, & à Segobienſibus de anno 1621. tit. de Elect. & de Official. Curiæ; vbi cauetur expreſsè, *non licere Curiæ Officialibus aliquid agere, vel intentare, vel intentari permittere tangens totum Ordinem, vel eius libertatem coarctans, abſque Generalis Miniſtri ſcitu, & expreſſa licentia*. Ex quo patet, ipſos non eſſe Procuratores immediatos Ordinis; aliter non ſolùm inſcio, ſed & renitente Miniſtro poſſent cauſas Ordinis procurare. Vnde concludo, quòd ſi in caſu reluctantiæ vnus Procurator inſtitueretur à Capitulo Generali, alius à Miniſtro, hic non ille foret legitimus.

Hoc itaque punctum expreſsè deciſum habetur loco citat. Orbis Seraphici nu.17. Anno ſiquidem 1615. in Generali Congregatione Romana, ex grauiſſimo caſu, qui ibidem n.18. recitatur, in pleno Patrum conſeſſu cauſa hæc acerrimè diſputata fuiſſe legitur, atque de vnanimi Patrum aſſenſu, nemine diſcrepante, deciſum, Miniſtri Generalis eſſe integro iure, de abſoluta ſua poteſtate, Officiales Curiæ deſignare, atque conſtituere in Comitijs, & extra Comitia, requiſito, vel non requiſito Patrum grauiorum conſilio. Licèt enim conſilium huiuſmodi de iure ordinario requiratur ex Valliſol. 1593. nec non ex Segobienſibus 1621. ad maiorem tantæ rei ponderationem, non tamen grauiter, aut abſolutè, aut indiſpenſabiliter, & ſub clauſula factum contrarium irritante apponitur. Vnde Rodrig. mordicùs hanc tuetur Generalis Miniſtri poteſtatem, quod ponderatur loco citat. num.13. & 14. Rodrig. to.1. quæſt.53. ar. 1. et 1.

Nec huiuſmodi arctatio abſoluta ad Patrum conſilium requirendum, vel in prima Officia-

Officialium huiuſmodi conſtitutione in antiqua Ordinis Communitate, vel inter Obſeruantes per Beatum Ioannem de Capiſtrano introducta, nec poſt Bullam Vnionis in clariori Officiorum huiuſmodi declaratione, nec in Salmanticenſibus, aut Segobienſibus præcitatis eo ſub rigore apponitur; imò & Illuſtriſſimus Cardinalis Pius à Sabaudia Ordinis Protector anno 1553. & Eminentiſſimus Barberinus etiam Ordinis Protector anno 1644. huiuſmodi deputationem ad Miniſtrum Generalem referentes, de huiuſmodi Patrum requirendo conſilio nec verba fecerunt; vt videre eſt in Orbis Seraphici loco citat. num. 14. & 15. Quod etiam plurimorum Miniſtrorum Generalium continuato vſu comprobatur, vt in veriuſque Curiæ præſertim Vltramontanis Regiſtris ad Aram-Cæli videri poteſt, qui ſuis in patentibus litteris, per quas Officiales huiuſmodi Curiæ deputarunt, nullam de requiſito Patrum Conſilio mentionem habuerunt.

Grauiùs vrgere, atque Achilles eſſe poſſet pro oppoſita opinione argumentum in Orbis Seraphici loco citat. ad calcem nu. 13. adnotatum ex ſtatutis per Reuerendiſſimum Sambuccam nouiſſimè compilatis, vbi cap. 8. §. 30. num. 3. dicit, Officiales Curiæ per vota eligendos eſſe ſecreta.

Reſp. tamen, quòd cum Vallisoletana ibi citata hoc non habeant, nec poterat hoc nouum ſtatutum à Sambuca ſine legitima facultate ſuperaddi. A Capitulo verò Generali facultatem habuit, vt ſtatuta Ordinis, ſiue per Sedem Apoſtolicam, ſiue per Comitia generalia ſucceſſiuè adaucta, vel imminuta, vel mutata inſimul compilare, ac ordinare deberet, non autem, vt ipſa nouis additionibus mutaret; Vnde omnino non ſubſiſtere, omnibus eſt in confeſſo. Itaque citra omnem dubietatem præſertim ex caſu deciſo, manet inconcuſſa hæc reſolutio; Poſſe ſimpliciter, & abſolutè Miniſtrum Generalem non requiſito Patrum conſilio Curiæ Officiales inſtituere.

Secundum punctum, etiam in Orbe Seraphico tom. 1. lib. 3. capit. de Officialibus Curiæ num. 11. ſummariè deciſum habetur cum reſponſionibus ad rationes in oppoſitum. Vt autem pleniùs diſcuſſum maiori firmitate dilucidetur, Notandum, quòd in ſtatutis Romanis de anno 1587. in Vallisoletanis de anno 1593. in Segobienſibus 1620. iterumque in Sambucanis anno 1663. compilatis apponitur expreſsè, quòd Procurator, aut Commiſſarius Generalis Curiæ non poſſit inſtitui, qui Miniſter Prouincialis antea non extiterit, quod anno 1661. in Congregatione Generali Vallisoletana, cum clauſula fortiori fuit replicatum, vt nempè ita indiſpenſabiliter obſeruetur. Negari omnino non poteſt, clauſulam illam, ſiue conditionem de Prouincialatu prærequiſito in Officialibus Curiæ, non modò directiuam eſſe, ſed & præceptiuam, verùm tamen coercitiuam eſſe, cum clauſula irritante in contrarium facta, nullibi apparet; ex qua deducitur, abſque dubio licere Miniſtro Generali Officiales Curiæ, qui Miniſtri Prouinciales antea non fuerint, ex plenitudine ſuæ authoritatis inſtituere, quia factum in contrarium per nullam legem irritatur. Hoc ipſum ex ipſo Statutorum textu hoc decernentium clariſſimè apparet. Dicunt enim, inſtituendos eſſe viros graues, rerum agendarum vſu peritos, & qui tanto muneri pro publico Religionis bono valeant ſatisfacere. Cum verò grauitas huiuſmodi perſonæ, atque peritia, zelus, & prudentia de illis in iure præſumi debeat, qui iam Prouinciarum gubernia ſuſtinuerunt, ex antea ſuppoſita, & in Prouincialatu acquiſita experientia, quod in alijs non ita communiter eſt ſupponendum; meritò credidere Capitula Ordinis ſic ſecuritati publicę ſufficienter prouiſum iri, ſi neminem ad huiuſmodi munia promoueri permittatur, qui Miniſter Prouincialis antea non fuerit: ex quo liquidò conſtat, has omnes; & ſingulas leges in mera præſumptione fundari; Vnde ſi Miniſter Generalis, cuius voluntati talium inſtitutio reſeruatur, Patrem aliquem certò cognoſcat omnibus numeris abſolutum, & ad Officia huiuſmodi tota perfectione obeunda idoneum, etiamſi Prouincialatus dignitatem non habuerit, quis controuertere audeat, an huiuſmodi virum aliàs idoneum poſſit ad Procuratoratum promouere? Quis enim ſanæ mentis dixerit, meram Prouincialatus dignitatem reduplicatiuè viam ſternere ad Officia Curiæ perfectiùs exercenda, & non potiùs prudentiam, zelum, vſuperitiam, doctrinam, aliaque virturum inſignia, quæ Communiter in Ex-Miniſtro Prouinciali ſupponuntur, eſſe fundamenta, quibus Officiorum perfectior adminiſtratio ſolidiùs innitatur? Sicut ergo Ex-Prouincialis antedictis qualitatibus non plenè ditatus eſt ad grauiſſima Curiæ Officia inhabilis, etiamſi Prouincialis fuerit, ita qui dotibus illis indubiè præfulget, ad Officia illa promoueri poterit, etiamſi Prouincialis antea non fuerit; quod Miniſtro Generali erit conſiderandum, ceſſante legis præſumptione.

Sic in praxi quotidiana legimus obſeruatum,

uatum, vt in pluribus, præſertim in Vltramontana Familia, ex eo, quòd in tanta ab Vrbe diſtantia Ex-Miniſtri Prouinciales, vt plurimùm ætate, laboribuſque fatigati munus non audeant adeò tum ex itinere, tum ab exercitio laborioſum aſſumere: Sic immediatè poſt Valliſoletanum edictum (vt vetuſtiora taceam) anno 1602. Pater Ioannes de Rada Ex-Prouincia Sancti Iacobi, ſexennio continuatus ob ſpecialem Papæ beneuolentiam Procurator; Marcus ab Antiquo Ex-Prouincia Marchiæ tunc Curiæ Commiſſarius, anno 1606. Paulus de Lacu ex Prouincia Seraphica Procurator, & Franciſcus de Herrera tunc Curiæ Commiſſarius Ex-Prouincia Diui Iacobi: anno 1612. Commiſſarius Curiæ Pater Rodericus de Portello ex Prouincia Sancti Iacobi, qui omnes in plenis Comitijs fuerunt inſtituti; atque ſucceſſiuè Pater Irenæus Braſauola ex Bononienſi anno 1615. Imò ipſa in Segobienſi Congregatione, quando lex illa de Miniſteriatu prærequiſito fuit confirmata, inſtitutum legimus in Curiæ Commiſſarium Fr. Antonium Daza, & ſubſecutiuè Gaſpar Sanchez, & Fabius Papazzonius anno 1642. & anno 1645. Antonius de Ribera, deinde Martinus Diez 1654. Bartholomæus de Villalba ex Prouincia Caſtellæ; Pater Teodorus de Vicentia de Sancti Antonij Veneta Prouincia; Pater Rochus à Villarejo, Antonius de Vellaſco, Didacus de Mendibil, Antonius Loſada, & nouiſſimè Petrus Eſportin ex Aragonica, & Angelus de Zeuallos ex Prouincia Conceptionis; quos omnes vel Procuratores, vel Commiſſarios Generales in Curia fuiſſe non latet, abſque eo quòd Prouincialatus Officio fuiſſent inſigniti; & tamen maxima cum laude, ac Religionis vtilitate munere ſuo functi, præeminentijs omnibus, & iuribus huiuſmodi Officialibus poſt officia exercita conſtitutis per ipſas Ordinis Leges potiti ſunt, & inſigniti. Siquidem huiuſmodi ex praxi per legitimam Epicheiam introducta, ex titulo neceſſitatis quaſi firmata, controuerſiam non leuem legimus fuiſſe ſuſcitatam, ex eo videlicet, quòd opponentibus plurimis, qui Miniſtri Prouinciales fuerant, Officiales huiuſmodi ſine præuio Prouincialatu inſtituti moleſtarentur, quaſi præeminentijs antedictis vti, & gaudere non poſſent ex iſto defectu, quòd Prouinciales non fuiſſent.

Ad lites huiuſmodi dirimendas, proponentibus anno 1625. in generali Capitulo Romano Ioanne de Sancto Bernardino ex Portugalliæ Prouincia Procuratore Ordinis, & Ioanne Baptiſta de Monte Coruino Commiſſario Curiæ, (quorum neuter Prouincialatum exercuerat) & inſtante Diffinitorio Generali, ſolemne decretum, ſiue ſtatutum prodiit ab ipſo Capitulo, in forma ſpecifica confirmatum ab Vrbano VIII. & inſertum in Bulla, *In ſupremo Apoſtolatus ſolio, &c.* Dat. &c. die 20. Nouembris 1625. in hæc verba: *Inſtante Diffinitorio totius Capituli Generalis ſtatuitur ad euitanda dubia, vt Procuratores, & Commiſſarij Romanæ Curiæ ſuo officio functi (etiamſi Miniſtri Prouinciales antea non fuerint) intra ſuam Prouinciam, & extra omnes alios præcedant, licèt Miniſtri Prouinciales, aut Diffinitores Generales extiterint.* Cumque iterum anno 1628. & anno 1633. & 1639. huiuſmodi Officiales abſque præuio Prouincialatu fuiſſent inſtituti; denuo præfatum de anno 1625. ſtatutum, in Romanis iterùm Comitijs anno 1639. à toto Capitulo fuit confirmatum, & ab eodem Pontifice, eodem modo, quo ſupra, comprobatum; per eadem fermè verba ſuperiùs exſcripta, vt in hoc tomo ad illud Capitulum Generale eſt videre.

Ex hoc nouo poſt Valliſoletana, & Segobienſia ſtatuta, tria colligere licet; Primum per hoc ipſum non irritari præfata Segobienſia, vt notatum eſt in Orbis Seraphici tom. 1. loco præcitat. ſed ſupponi poſſibilem in Segobienſibus diſpenſationem, & in caſu talis diſpenſationis prouideri, quid habere debeant ſic diſpenſati, quando munere ſuo fuerint perfuncti: Secundum eſt, quòd Officiales Curiæ ſine præuio Prouincialatu inſtituti, ſunt veriſſimè; atque legitimè Officiales Curiæ; aliàs pro talibus à Diffinitorio, imò & à Capitulo Generali non recognoſcerentur, vt de facto per allegata Romana de anno 1625. & 1639. pro veriſſimis Procuratore, & Commiſſatio Curiæ recognoſcuntur, cum expreſſione. *Etiamſi Prouinciales antea non extiterint*: & vt tales ſemel, & iterum confirmantur à Pontifice in ipſo Bullæ contextu. Tertium eſt, quòd in hac ſecunda propoſitione definitur ex profeſſo, nempè Officialibus Curiæ laudabiliter officio functis, omnia iura, & prærogatiuæ debentur, (etiamſi Prouinciales non extiterint) quę ipſis Officialibus poſt exactum Officium per Ordinis ſtatuta conceduntur, quòd in his duobus vltimis ſtatutis hìc allegatis patet expreſsè, per quæ primaria prærogatiua, nempè præcedentia, vt ſupra eiſdem adiudicatur, & conſequenter idem iudicium eſſe debet de cæteris, niſi ratio ſpecialis opponatur in contrarium; quæ nullibi reperitur, imò ita practicatum fuiſſe, continuòque practicari videmus in exemplis omnino

no plurimis ſuperiùs adductis de Officialibus Curiæ, qui Prouinciales Miniſtri non antea fuerunt.

Dices; declarationes iſtas vltimò allatas de anno 1625. & 1639. prodeſſe quidem potuiſſe Officialibus illis, qui iam abſque tali conditione fuerant inſtituti, non autem ijs, qui ſubſequenter fuere ſic deputati.

Reſp. negando aſſumptum: quia tale ſtatutum non fuit ſententia definitiua, quaſi litis pendentis, ſed veriſſimum ſtatutum, atque lex promulgata, & in poſterum obſeruanda, omnibus itaque eodem modo debet ſuffragari.

Dices ſecundò, poſt illa Romana de anno 1625. & 1639. iterum prodijt Valliſoletanum Statutum anno 1661. quòd *nullus ad officia prædicta aſſumatur, niſi Prouincialatus Officio functus fuerit, & hoc indiſpenſabiliter.*

Reſp. primò, ſtatutum hoc ab vnica tantùm Familia in Generali Congregatione dimidiam tantùm Religionem repræſentante fuit editum, quæ tamen Congregatio vnius Familiæ Ordini vniuerſo, qui Generali repræſentatur in Capitulo, non poterat præualere.

Reſp. ſecundò, quòd hoc Valliſoletanum ſtatutum, ſi quid habet roboris, contra Miniſtrum Generalem militabit, cuius authoritatem limitare intendit; non verò contra Curiæ Officiales ad mentem ſtatuti non inſtitutos, qui ſic inſtituti, & ab Ordine acceptati, ius habent poſt exactum officium ad omnes præeminentias Officialibus huiuſmodi debitas; quia contra ipſos, aut de negandis eiſdem huiuſmodi præeminentijs ſtatutum ipſum nihil omnino diſponit; imò licèt dicat, hanc Prouincialatus conditionem eſſe indiſpenſabilem, factum tamen in contrarium non irritat; ergo ſubſiſtit.

Reſp. & fortiùs, atque ſtabiliùs; quòd cum allegata ſtatuta de anno 1625. & 1639. fuerint à Sede Apoſtolica in forma ſpeciali confirmata, & in ipſo Bullæ contextu inſerta; nullo modo poterant à Congregatione Generali, imò nec à pleno Capitulo abrogari, niſi Sedes ipſa Apoſtolica de hoc ſpecialiter conſulta, talem abrogationem approbaſſet, & validaſſet. Hoc procul dubio deciſum habemus in Bulla Vrbani VIII. *In ſupremo Apoſtolatus ſolio, &c.* die 8. Nouembris 1639. vbi per verba ſtatuti definitur expreſsè, quòd ſtatutum de non mittendis Commiſſarijs Prouincialibus Indiarum ad Comitia anno 1925. editum, non poterat in Toletanis anno 1633. diſpenſari, vel reuocari, ex eo præcisè, quia fuerat à Sede Apoſtolica in forma ſpeciali confirmatum. Quinimò Vrbanus ipſe in ſuo motu proprio; *Ad Apoſtolatum noſtrum, &c.* Dat. Romæ die 5. Iunij 1639. declarauit expreſsè, quòd ſtatutum illud Romanum de anno 1625. malè, & nulliter fuerat in Toletanis Comitijs anno 1633. reuocatum, etiamſi ſtatuta illa Toletana, in quibus erat huiuſmodi Romanorum reuocatio, fuiſſent ab ipſo Pontifice communi tamen in forma confirmata; ex illa nempè prædicta ratione, quòd Romana fuerint confirmata in forma ſpeciali: ergo multo minùs licuit ſimplici Congregationi Generali, ideſt Religionis medietati abrogare ſtatutum à toto Capitulo factum, & à Pontifice in forma ſpeciali confirmatum. Itaque de facto lex iſta Valliſoletana 1661. quæ indiſpenſabiliter officium Prouincialatus in Officialibus Curiæ prærequirit, vt nullius valoris, aut momenti nunquam fuit vſu recepta, vel praxi confirmata, imò maximè de Vltramontanis, vt diximus, patet oppoſitum. Cum itaque Congregatio illa non potuerit Generali Miniſtro limitare poteſtatem ipſi ab vniuerſa Religione in Capitulo approbatam, cum inſuper derogare non potuerit ſtatutum pleni Capituli Generalis à Sede Apoſtolica in forma ſpeciali confirmatum; Cum denique pœnam non appoſuerit Officialibus Curiæ, vt ſi Prouincialatu antea functi non fuerint, prærogatiuis huic muneri conceſſis gaudere nequeant; remanet euidentiſſimum, Officiales Curiæ etiamſi Prouincialatu non antea functos poſt exactum officium iuribus omnibus, & præeminentijs debere potiri, quæ generaliter Ex-Officialibus huiuſmodi per leges Religionis attribuuntur. Replicabis, teneri ſaltem Miniſtrum Generalem in ipſa inſtitutione Officialium huiuſmodi Prouincialatu non functorum diſpenſare in ſtatuto conditionem talem exigente.

Reſp. negando aſſumptum; etſi enim in aliquibus huiuſmodi patentibus diſpenſatio illa legatur expreſſa, tamen neceſſaria non eſt ſic expreſſa, cum de Superiore legem non ignorante ſupponi debeat, quòd rectè agat, & conſequenter, quòd tacitè diſpenſauerit; vti de Papa concordant iura; quòd ſi aliquem aliàs indignum ſcienter ad officium, aut beneficium promouerit, ſuper inhabilitate diſpenſaſſe ſupponitur: dari enim diſpenſationem tacitam, & expreſſam, némo non confitetur.

Tertium dubium eſt; an ſufficiat biennium in Officio completum, ad hoc vt quis prærogatiuis gaudere debeat Ex-Officialibus huiuſmodi conceſſis? Ad hoc etiam patet

patet reſponſio in tom.1. Orbis Seraphici loco citat. num.22. quod vt clariùs eluceſcat; axioma iuriſtarum adduco, quòd in fauorabilibus annum inceptum pro completo determinat, vt & patet in ordinandis ab Presbyteratus Ordinem, quibus annus vigeſimus quintus ſufficit inchoatus; etſi per ſacros Canones anni 25. præfigantur. Imò iam declaratione non indigere videtur, cum in Statutis Toletanis anno 1658. fuerit euidentiſſimè declaratum, & ab Alexandro VII. in Breuj ſuo Apoſtolico. *Cum ſicut nobis, &c.* die 11. Iunij 1659. confirmatum in hæc verba in §. pro vtraque Familia; *Fuit per Diffinitorium Generale declaratum, quòd in futurum Procuratores, & Commiſſarij Curiæ Romanæ non gaudeant præeminentijs, & præcedentijs Procuratorum huiuſmodi, niſi per duos annos integros eiuſmodi officia exercuerint: qui verò non compleuerint, poterunt de nouo inſtitui ad eadem officia, abſque vacantia, ſicuti cauetur de Vicarijs Prouincialibus;* Quid clariùs ad intentum deſiderari poteſt? De Vicarijs autem Prouincialibus in eodem caſu eodem modo determinatum fuerat in Statutis Romanis de anno 1639. §. *de Vicarijs Prouincialibus:* Confirmatur hoc idem per approbatam Religionis conſuetudinem, & Decreto Sacræ Congregationis ſtabilitam. Etenim, vt cætera omittam exempla in Curiæ Regiſtris ad Aram-Cæli videnda; Pater Didacus de Mendibil die 10. Nouembris 1669. in Officium admiſſus, & anno 1671. die 26. Decembris Officio cedens annos duos, & menſes duos, vix potuit in officio complere, & tamen nullo contradicente ad prærogatiuas exinde ſibi debitas fuit admiſſus. Quinimò cum ſubinde Pater Ioſeph Coppons die 27. Decembris in Commiſſariatus officio Patri Didaco præfato ſucceſſiſſet; & Pater Antonius de Loſada in Generali Congregatione anno 1673 in Commiſſarium deputatus, in poſſeſſionem Officij poſtularet admitti; recuſaret autem Pater Coppons antedictus ob ſui muneris biennium non completum, lite pendente, ad menſem Maij Coppons ipſe permanſit in Officio; tuncque per Decretum Sacræ Congregationis ſub die 18. Maij 1674. deciſum fuit Patrem Loſada ad Officij poſſeſſionem eſſe admittendum, & Patrem Coppons, cum iam biennium eo in munere compleſſet, omnibus præminentijs, &c. vti, & potiri gaudere. Sanctiſſimus verò die 19. eiuſdem Menſis, & anni facta ſibi relatione, tale Decretum approbauit: Hæc omnia pleniùs in Orbe Seraphico loco citat ſunt videnda.

Quartum dubium exinde conſurgit, quòd interdum videmus, eum, qui ex qualicumque Officij vacantia paulo antè generalia Comitia in Commiſſarium Curiæ fuit inſtitutus; ipſis in Comitijs, Miniſtro Generali ex altera Familia electo, in Procuratorem Ordinis promoueri; aut è contra, qui fuerat Procuratori Ordinis ſubſtitutus, in Generalibus Comitijs in Commiſſarium Curiæ inſtitui contingat; quæritur ergo, an biennium vt ſupra in Officijs huiuſmodi requiſitum, ad hoc vt poſt exactum officium prærogatiuis vti valeat ſibi competentibus ex officio præterito, & ex duobus hiſce munijs partialiter exercitis coaleſcere valeat, & integrari; an verò requiratur, vt ipſum biennium in ſolo Procuratoratu, vel in ſolo Commiſſariatu compleatur?

Reſp. ergo ex præcitat. loco Orbis Seraphici. Biennium illud optimè, & abſque vlla difficultate ex duobus, vt ſupra officijs partialiter exercitis coaleſcere; non quidem vt præeminentia digniori debita quis potiatur, niſi reuera biennium in illo digniori compleuerit; Etenim Ex-Procurator Generalis habendus non eſt, qui biennio integro Procuratoratum non exercuit, ſic autem coaleſcens verè biennio fuit Officialis Curiæ; non tamen biennio Procurator Ordinis, qui ad maiores labores obligatur, & ideò maiori præeminentia decoratur, vt autem Ex-Commiſſarij priuilegijs gaudeat, quis dubitare poſſit, tempus eidem ſuffragari, quo eidem officio ſub digniori titulo deſeruiuit? Sunt quippe vnum, & idem Procuratoris, & Commiſſarij in Curia munera, & ante Bullam vnionis inter Obſeruantes ambo vocabantur Curiæ Commiſſarij. Poſt Bullam vnionis legitimè decretum eſt, vt qui de Familia Miniſtri Generalis eſt, in Capella Pontificia oret, & aſſiſtat, & Ordinis Procurator appelletur, & ideo dignior habeatur præ Commiſſario, vt ſucceſſiuè fuit declaratum; cæterùm quo ad negotia in Romana Curia pertractanda tam Procurator, quàm Commiſſarius ex æquo ſuę quiſque Familiæ cauſas, & negotia reſpectiuè promoueat. Ergo idem eſt vtriuſque munus, ſed alterum ſub digniori appellatione ad maiores labores obligatur, & in concernentibus Ordinem vniuerſum ipſe immediatè debet adeſſe, & in proponendis coram Sanctiſſimo Seruorum Dei cauſis ipſe ſolus debet adhiberi. Quis ergo ſanæ mentis audebit effingere, quòd Ex-Commiſſarius ex eo puniatur, vt præeminentijs ſibi debitis gaudere non permittatur, quia idem omnino Officium, ſed ſub titulo digniori, & cum labore maiori aliquando ſuſtinuerit? hoc enim etiam iuri naturali repugnare non du-

bitatur: Adde quòd dum Procuratorem egit, ad cauſas etiam extendebatur, quæ illi Familiæ, pro qua poſtea fuit Commiſſarius, competebant.

Hæc omnia ex praxi Religionis haberi deciſa, negare non poſſumus, præſertim in exemplo Patris Didaci de Mendibil iam recitato, qui primùm Procurator Ordinis, deinde Commiſſarius in Curia pro Vltramontana Familia biennium inter vtrumque compleuit, & ad prærogatiuas Ex-Commiſſarijs debitas, nullo contradicente fuit admiſſus, vt fuſiùs eſt videre in Orbe Seraphico loco citat.

Quintum Dubium, vt plenè intelligatur, aduerto, contingere poſſe, vt cum verbi gratia Procurator Generalis Ordinis iam biennio Procuratoratus ad plenum exacto ſucceſſorem expectat, interim ipſe ſucceſſor poſt integrum Procuratoris antedicti biennium per litteras patentes Miniſtri Generalis declaretur in Hiſpania, ſtatimque à dictarum litterarum publicatione, præſertim coram ipſo Generali, vel alijs Ordinis Diſcretis per aliquem actum poſitiuum, & publicum iſte Procurator nouiter inſtitutus in Officij poſſeſſionem admittatur: verbi gratia præcedentiam in actibus publicis ſupra Diffinitores Generales, ſupra Ex-Procuratores, & Ex-Commiſſarios, qui ibidem adeſſent, ad conſultationes cum ijſdem, vel ab ipſo Generali, vel eo abſente, ab eius Commiſſario delegato, vel à Commiſſario Generali Indiarum recipiatur, quæ omnia ſuppono, ipſi aliàs omnino non competerent, niſi realiter in Procuratorem Generalem Ordinis recognoſceretur. In hoc, & ſimili caſu negari non poteſt, hunc ipſum nouiter inſtitutum ad Officium Procuratoris realiter intraſſe, tametſi Curiæ negotia, propter abſentiam non exerceat, & eius anteceſſor ipſum in Vrbe expectans exercitium Officij interea ſubeat; aliàs ille ad memoratos actus non fuiſſet admiſſus, qui eidem, præſcindendo ab actuali Procuratoratu Generali, nullo modo competere poſſunt: Tunc dico, ſi nouus iſte Procurator debita cum diligentia, nullaque interpoſita fraude ad iter adeo longinquum efficiatiuè ſe præparet, & præparatus iter Vrbem versùs arripiat, malitioſè non declinando per viam, nec immorando plùs æquo in eadem, ad hoc vt muneris labores interim euitet, vel alijs negotijs, vel ſuis denique recreationibus intendat, ſed ſincerè iudicio prudentis viri proſequatur iter, vt pro poſſe aduentum in Curiam ſollicitans ſui muneris partes valeat exercere (ſi enim fraus vlla, vel voluntaria negligentia intercedat, certo certiùs eſt, fraudem, & culpam nemini patrocinari, & ſuffragari debere); tunc dubium ſic propono. Stante, quòd tempus hoc intermedium à ſuarum publicatione, & qualicumque executione litterarum, vſque dum Romam ingreſſus Officium Procuratoris actualiter exerceat, Procuratori anteceſſori, qui interim labores Officij in alterius ſuſtinet abſentiam, nullo modo prodeſſe poteſt, & ideo, quòd nec computetur, in nullum ipſius vergit præiudicium; quæro ego, an tempus hoc intermedium ſic abſque fraude, & culpa, & abſque anteceſſoris actu ſupplentis præiudicio in itinere conſumptum, ad fauorem huius noui Procuratoris hoc modo ſe ad iter præparantis, & ad Romanam Curiam proficiſcentis computari valeat; ita vt ad complendum biennium, quòd in Officio complere debet, liceat admitti; itaut ſi ſucceſſorem accipiat, & officio cedat poſt biennium numeratum à die publicationis, & executionis antedictæ ſuarum patentium litterarum, haberi debeat pro legitimo Ex-Procuratore, & præeminentijs exinde concceſſis gaudere?

Patet itaque ſuppoſita duo in quæſtione propoſita includi; nempe, quòd abſque fraude, culpaque ſua ad iter ſe præparet, & ipſum proſequatur. Alterum eſt, quòd hoc ſit abſque præiudicio ſui anteceſſoris officium interim adminiſtrantis; extra quippe controuerſiam non eſſe non poteſt, quòd, ſi tempus illud intermedium anteceſſori tali ſuo ſit ad complementum ſui biennij neceſſarium, iuſtè hic prætendet, labores hoſce ſuos ſibi, non autem alieno eſſe adſcribendos, ſibique proficere; nec iuſtè cogi poterit ad ſubeundam iniuriam, vt ipſe laboret, & laboribus ſuis non gaudeat, & alij non laboranti proficiant, nec idem tempus duobus poteſt computari. Si itidem eius ſucceſſor ad Vrbium Curioſitates, ad recreationes ſuas ex animo diuertat, vel moras aliter interponat, & iudicio prudentis ingreſſum in Vrbem differre videatur; certum eſt, quòd labores effugere dicetur, quorum fructibus gaudere intendit, quod à iuſtitia non toleratur? His addere poſſumus, quòd nouus iſte Procurator, vel à diutina infirmitate, vel cauſa bellorum, aut alio modo ex prudentum iudicio non diù impediatur, quin ad Vrbem poſſit accedere, & ſuum munus exercere; De leuibus namque non curat Prætor; His poſitis, ad quæſtionem;

Dico, quòd ceſſantibus, vt ſupra cautum eſt, fraude, & culpa noui Procuratoris; & præiudicio anteceſſoris, computari debet ad integrandum requiſiti biennij terminum, tempus omne, quod à publicatione,

ne, & qualicumque (modo iam declarato) ſuæ inſtitutionis executione, Procurator ſic nouiter inſtitutus in itinere legitimè impendit.

Probatio prima. Tempus illud intermediatum realiter continuatur, & moraliter abſque culpabili intertuptione copulat inſtitutionem cum exercitio actuali Officij: ergo vt veriſſimum tempus in officio impenſum debet computari.

Confirmatur, quia in approbatione finis approbantur, & media neceſſaria ad finem, ſed profectio ad Curiam eſt ſimpliciter neceſſaria ad exercendum Officium in Curia, ergo dum authenticè quis declaratur Officialis Curiæ, ſufficienter authorizatur tempus in itinere neceſſarium. Confirmatur ſecundò, per publicationem litterarum, & introductionem ad iura, & actionis Procuratoris, veriſſimè inſtituitur, declaratur, & acceptatur in Officio Procuratoris, aliàs ad iura, & actiones officio illi adnexas non admitteretur, cum aliàs omnia cum illius ſuffragio acta redderentur vitioſa, & nulla; vel ergo tempore intermedio itineris iterum ab officio deſtituitur, vel non: quomodo deſtituatur non apparet, cum nullibi eidem intimetur talis deſtitutio.

Verùm eſto, quòd deſtituatur, quis de nouo ipſum inſtituit, vt Curiam ingreſſus admittatur in Officium? Nullus certè, nam per litteras primas in Vrbe præſentatas abſque noua permiſſione admittitur; Si ergo interim non deſtituitur, quare biennij terminus à ſua prima inſtitutione, & acceptatione non erit numerandus? Certè rationem in oppoſitum non video. Dices, quia tunc per actuale exercitium officio non deſeruit. Reſp. negando aſſumptum; veriſſimè enim officio ſeruit, qui ad ipſius exercitium abſque fraude, & culpa ſua properat; homo ſiquidem corpore grauatus non poteſt in inſtanti de vna Prouincia in aliam euolare, & operi ſe applicare inſtantaneè. Sic qui materias graues ad laborem ſibi Commiſſum præparat, in eo laborare ſupponitur, & pro labore operis mercedes iuſtè recipit; alioquin nullus ad hæc ſe vellet accingere. Cur ergo ſolus Officialis Curiæ pro verè laborioſa præparatione ad exercendum officium contra ius naturale mercede priuabitur? Replicabis, quia per Ordinis leges hoc biennium in proprio, & reali talis muneris exercitio requiritur. Reſp. negando aſſumptum; namque talis expreſſa ſpecificatio nullibi reperitur cum tali rigore, etſi etiam reperiretur, ſanè, & cum grano Salis eſſet intelligenda; ita vt exercitium Curiæ Officialis, ſicut alia exercitia laborioſa explicarentur, quia non eſt deterioris conditionis.

Confirmatur ſecundò, quia in Religione ipſa cætera biennalia exercitia in varijs Officijs per Ordinis leges requiſita ſic intelliguntur, vt tempus in itinere neceſſarium ad biennij complementum imputetur, vt patet de Vice-Commiſſario Generali, de Vicario Prouinciali, qui ante completum integrè biennium accedere deberent ad Comitia, & ipſo in itinere biennium complerent, aut ſi extra Familiam, vel Prouinciam fuerint, à die ſuſceptæ inſtitutionis biennium enumerat: & bienninm in Guardiano per Ordinis ſtatuta requiſitum ad hoc, vt in Prouincialem eligi valeat, ab eius electione dimetitur, etiamſi tunc in longinquo poſitus per aliquod temporis ſpatium iter faciendo, non ſit in actuali gubernio; ergo à pari de Curiæ Officialibus poſt acceptam, & publicatam inſtitutionem ſuam iter ſine fraude facientibus, vt ad muneris exercitium ſe conferant, eſt argumentandum ſaltem à paritate rationis. Videantur de his omnibus Sratuta de anno 1651. cap. 3. §. 8. *Vice-Commiſſarius*; & cap. 2. §. 1. *Patres Prouinciæ*, & de anno 1664. §. *Pro vtraque Familia*, & alia plura.

Probatur ſecunda Concluſio, & quidem efficaciſſimè. Ex Bullis Beati Pij V. *Paſtoralis, &c.* & Gregorij XIII. *Conſueuit, &c.* duo habemus. Primum quòd Officiales Curiæ ad Miniſteriatum, vel Commiſſariatum Generalem, niſi vacantiâ ſexdecim annorum interpoſitâ promoueri non licet. Secundum eſt, quòd ipſi ad Ordinis Comitia, rationem reddituri accedere tenentur: his duobus ex lege Apoſtolica ſuppoſitis: do caſum, quòd Officiales iſti poſt viginti duos menſes in actuali exercitio verè conſumptos ad Capitulum euocentur, alioſque duos menſes in itinere compleant; tunc iſti non poterunt ad Generalatum promoueri; quod patet à ſimili, quia & Vice-Commiſſarius Generalis, qui computato itineris tempore biennium in Officio compleuit, tenetur ad eandem vacantiam ex Bullis Beati Pij Quinti, & Gregorij Decimitertij præcitatis, vt per Ordinis ſtatuta fuit declaratum; nec Diffinitor ſubſtitutus, ſi biennio ſuerit in ſubſtitutione, poteſt in Diffinitorem reeligi; ergo Procuratori Generali nocebit pro publico bono, & pro obedientia litteris Apoſtolicis præſtita punietur in hoc ipſo, quod alijs vocalibus Capituli computatur meritum: conſequentia patet: ſi enim Procurator in Curia perſtitiſſet, & non iuiſſet ad Comitia, biennium in ſui muneris exercitio compleſſet, &

præmia Ex-Procuratoribus debita conſecutus eſſet; at ex profectione ad Capitulum, vnde Prominiſtri, & Cuſtodes remunerantur, ipſe damnum ex odioſa legis interpretatione ſubire cogetur.

Dices; poterit eo in Capitulo eligi in Miniſtrum, vel Commiſſarium Generalem ſuæ familiæ, vel ſaltem in Commiſſarium Curiæ, donec biennium ſuum compleuerit.

Reſp. neg. primam partem aſſumpti; quia Miniſteriatus Generalis ex Bulla *Vnionis*, deferri debet in alteram familiam. De Commiſſariatu Generali ſuæ familiæ nimis eſt incertum (aut ſaltem hoc ſemper non poteſt eſſe ſecurum) vt inter plures Candidatos ipſe pallium euincat; in eo præſertim dubio, an licitè, & validè ſic eligatur propter oppoſitas, quas citaui, conſtitutiones Apoſtolicas. De Commiſſariatu Curiæ reſpondeo, quòd hic non adæquat in multis Procuratoratum; & ideo maior eſt Ex-Procuratoris præeminentia; vnde quia biennium in Procuratoratu non compleuit, præeminentiam non habebit, vt legitimus Ex-Procurator, ſed tantùm vt Ex-Commiſſarius Curiæ; & ſic ſemper damnum patietur ex profectione ad Capitulum, ex qua cæteri lucrum reportant.

Si dicas, eis computari ad complendum biennium menſes in profectione ad Comitia conſumptos; ergo à pari computari debent menſes in itinere ſine fraude, & ſine alterius præiudicio conſumpti, vt ad officij ſui exercitia contenderent ob euidentiſſimam rationis paritatem; quia eodem modo copulantur moraliter cum ipſo exercitio in Curia, & ad ipſum æquè ordinantur.

Confirmatur, quia dubium hoc etiam in terminis ad fauorem Officialium Curiæ videtur à Sacra Congregatione Epiſc. & Regul. fuiſſe deciſum anno 1674. in cauſa P. Coppons, & P. Lozadæ ſupracitata; vt videre eſt in Orb. Seraph. to. 1. loco ibid. cit. quod ibi per extenſum eſt videre; ne dicta redicam. Prob. 3. quia Religio noſtra in remunerandis laboribus piiſſima, itinerantium labores pro eundo ad Ordinis Comitia recognouit ampliſſimè per prærogatiuas Prominiſtris, & Cuſtodibus ad ipſa cum ſuffragio venientibus, atque per expenſas in itinere neceſſarias eiſdem prouidendas, vt videre eſt in Valliſol. 1593. & Tolet. 1645. Victorien. 1648. Toletan. 1658. & in alijs ſucceſſiuè; ergo ſaltem a pari, vel etiã fortiori dum agitur de laborioſo itinere, nec ſine vitæ periculo in Ordine ad aſſumendum, & exercendum primarios Ordinis labores aſſumpto, non erit minùs pia ipſa Religio, in computando ſaltem tempore, quod in huiuſmodi itinere abſque fraude, & ſine alterius præiudicio conſumit. Confirmatur, quia fauores ſunt ampliandi, & odia ſunt reſtringenda, ſed fauorabile eſt, Religionis pietatem cæteris minoribus officijs exhibitam, in computando, ad biennij complementum, imò & ad remunerandum tempus in itinere ad Comitia conſumptum, in Vice-Commiſſarijs Generalibus, in Subſtitutis Diffinitoribus Generalibus, in Vicarijs Prouincialibus, in Prominiſtro, & Cuſtodibus, extendere ad Officiales Curiæ; effingere verò contra hoſce ſolos legem pœnalem, eſt nimis odioſum; ergo illa, non iſta opinio eſt tenenda; quia lex iſta contra Officiales Curiæ reſtrictiua nullibi reperitur.

Dices: Nullibi quidem reperitur lex iſta pœnalis, ſed nec lex vlla laborum huiuſmodi approbatiua; ergo nec eam debemus abſque fundamento ſupponere.

Reſp. ſi hac in Cauſa Officialium nec ad odium, nec ad fauorem reperitur expreſſa: reperitur tamen fauorabilis à ſimili memoratis in caſibus; cur ergo contra in iure, & vſu receptiſſimum axioma de fauoribus ampliandis, & de odioſis, atque pœnalibus reſtringendis, volumus iniquè contra ſtylum pium Religionis, caſum paritatis in fauorabilibus excludere; legem verò pœnalem gratis omnino, & abſque vllo fundamento confringere?

Poteſt ergo Miniſter Generalis licitè ſe ſolo, nec requiſito, nec expectato diſcretorum conſilio Curę Officiales inſtituere; qui etiamſi Miniſtri Prouinciales antea non fuerint, & ſolùm biennium in officio compleuerint, etiam ex Procuratoratu, & Commiſſariatu coaleſcens, computato etiam ad hoc biennium tempore illo, quod poſt publicatam, & acceptatam ſuam inſtitutionem abſque fraude, & alterius præiudicio in itinere conſumpſerunt, priuilegijs omnibus Ex-Officialibus Curiæ debitis, gaudere non dubitantur.

Cauſam iſtam in quinq; puncta repartitam ſimul cum doctiſſimis iurium allegationibus, dato ſupplici libello propoſuit coram R. P. Petro Marino Sormanni Miniſtro Generali Adm. R. P. Angelus de Zeuallos Ex-Procurator, & Ex-Commiſſarius Generalis in Curia pro ipſorum legitima, & authentica declaratione ſupplicando. Reuerendiſs. autem Miniſter Generalis, vt omni omnino cautela, & ſecuritate procederet, illa omnia per Patres Ordinis primarios, & maximè verſatos examinari præcepit, vt ſequitur: RR. Adm. PP. Franciſcus de Bugnara Theologus Prouinciæ S. Bernardini Cuſtos, Pater, ac Diffinitor Generalis Ordinis, atque pro Reformatis Secretarius Generalis, Fr. Clemens

mens Caprettus à Mediolano Lector generalis, ac Iubilatus Prouinciæ Mediolanenſis Pater, Secretariuſque Generalis. Sebaſtianus de Arrojo pro Vltramontana Familia, & Prouinciæ Caſtellæ in ea Pater, atque Secretarius Generalis. Franciſcus Canizares Prouinciæ Granatenſis alumnus, atque Lector Iubilatus, necnon Commiſſarius Generalis Hieroſolymitanus in hac Romana Curia. Laurentius à S. Paulo de Suetia Theologus. Inſuper Dominicus de Gubernatis Theologus, Prouinciæ Sancti Thomæ in Sabaudia Pater, & Chronologus generalis Ordinis. Ioannes Antonius de Panormo Lector Generalis, & Iubilatus, ac Prouinciæ Romanæ Pater Adiuncti pro Ciſmontana Familia duobus Patribus ſupra primò nominatis; quibus committimus præſentem cauſam, maturè, ac diligenter examinandam, dicant pro conſcientia ſecundùm Deum id, quod eis videbitur magis conſonum rationi, iuri Canonico, atque Ordinis noſtri ſtatutis circa ſingula propoſita ſupra &c. In Conuentu noſtro Ara-Cœli die x. Iunij anno milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo tertio.

Fr. Petrus Marinus Min. Gen.

Loco † ſigilli.

Coram me
Fr. Sebaſtianus de Arroo Secr. Gen. Ord.

Cum verò Patres illi ad examen deſtinati, exhibitis proprijs ſyngraphis, quid hac de re ſentirent etiam ſimul vniti coram P. Reuerendiſs. Generali, poſt grauiſſimè diſcuſſam pro vtraque parte quæſtionem, nemine diſcrepante in doctrinas vt ſupra relatas à P. Dominico de Gubernatis Ordinis Chronologo congeſtas, & ordinatas, vnanimi conſenſu concordaſſent; voluit vlteriùs P. Reuerendiſſimus ad abundantiam cautelæ, vt doctrinæ ipſæ R. Adm. P. Procuratori Generali Ordinis pro rigidiori examine committerentur, quibus & ipſe ſubſcripſit, vt ſequitur.

Viſis Ad. RR. PP. ad quos præſens cauſa fuit commiſſa, conſultationibus, & votis, eorumque rationibus non ſolùm ſcripto, ſed etiam verbo coram ſe diſcuſſis, perpenſis, & libratis Reuerendiſs. P. Noſter F. Petrus Marinus de Sormanno totius Ordinis Miniſter Generalis; cauſam ſupradictam ſimul cum inſtrumentis, & votis pro maiori illius iuſtificatione, & reſolutione maturiùs deſumenda, committendam duxit R. Adm. P. Antonio à Campo baſſo Procuratori Generali Ordinis, prout præſentis decreti vigore committit; vt his omnibus examinatis, & inter ſe collatis tamquam Officialis generalis Ordinis, cuius munus negotia ad vtramque familiam ſpectantia complectitur, opponat, quidquid ſibi in contrarium facere apparebit, & ex ratione, praxi, aut inconuenienti, vel Ordinis noſtri Statutis pro conſcientia, & ſecundùm Deum. In Conuentu Ara-Cœli die 6. Iulij 1683.

Fr. Petrus Marinus Min. Gen.

Coram me
Fr. Sebaſtianus de Arrojo Secr. Gen. Ord.

Nihil habeo, quod opponam in contrarium, Fr. Antonius à Campo baſſo Procurator Gen. Ordinis.

Tandem Reuerendiſs. P. Miniſter Generalis, omni ex parte de ſtatutorum mente plenè ſecurus, cum nec difficultas vlla in contrarium aliqnid releuans, aut ſubſiſtens appareret, ad legitimam, & authenticam dubiorum antedictorum ſolutionem ex officij ſui authoritate ſolemniter decreuit, vt ſequitur.

Viſis vnà cum ſupplici libello nobis porrecto doctrinis, & allegationibus per R. P. Fr. Angelum de Zeuallos Commiſſarium Generalem Curiæ Romanæ traditis, & vt debita cum maturitate iuxta rei exigentiam propriam expediremus deliberationem, ſeptem primò ex grauioribus noſtræ Religionis in hac Vrbe viris ex vna, & altera familia in Ordinis praxi, & ſtatutis maximè verſatis ad prædicta perſcrutanda deputatis, ſingulorumque votis per ſcriptum datis, & manu propria ſubſcriptis non ſolùm ſeorſim intellectis, perceptis, & plenè conſideratis, ſed etiam eorumdem Patrum coram nobis inſimul vocatorum rationibus attentis, fundamentis perpenſis, vi quoque, & ſoliditate vtrorumque ad pondus libratis: Deinde prædictis doctrinis, & allegationibus ſimul cum votis prænarratis ad Procuratorem Generalem Ordinis de nouo mandatis, & remiſſis, vt tamquam agens Religionis Vniuerſalis, & valde principalis, cuius munus eſt iura, & leges Ordinis, earum vigorem, praxim, & viridem obſeruantiam tam in communi, quàm in particulari tueri, manutenere, & defendere, quin læſio alicui irrogetur, vel præiudicium aliquibus inferatur, imò ius ſuum, vt iuſtitia poſcit, vnicuique ſeruetur, ſi quidquam contra ſupradicta haberet, in medium produceret, voceque, aut ſcripto, vel alio quouis modo oppoſitionem faceret, tamquam ſuper negotio Ordinem vniuerſum concernente, eiuſdem Procuratoris deſuper reſponſione percepta propria manu ſubſcripta, verboque præterea coram nobis ipſis iterum concluſa, ſtabilita, & firmata.

mata. His denique omnibus præmiſſis apud noſmetipſos (vt par eſt, rationique, & iuri conſonum) combinatis, & inter ſe collatis, atque matura meditatione recognitis, recogitatis, & diſcuſſis

Authoritate nobis per Sedem Apoſtolicam, necnon per ſtatuta Ordinis conceſſâ, & attributâ in hac parte vtentes, & ea formâ, modoque meliori, quo poſſumus, & de iure petitur, declaramus, quo ad vtrumque forum tam æquitatis, & conſcientiæ, quam iuris, & contentioſum: Primò, quòd Officialium Curiæ Romanæ videlicet Procuratoris Generalis Ordinis, & Commiſſarij Generalis Curiæ inſtitutio extra Comitia generalia facta per Miniſtrum Generalem nullo conſilio Patrum Ordinis, aut conſenſu expectato valida eſt, & omnino legitima. Secundò, quòd dicti Officiales functi iam officijs præcedentiam, & cæteras præeminentias debent obtinere, & de facto obtinent intra, & extra proprias Prouincias, licèt antecedenter Prouinciales non fuerint ante omnes alios Ex-Prouinciales etiam Ex-Diffinitores Generales, qui antea Curiæ Romanæ officia non habuerint. Tertiò, quòd tunc intelligitur, prædictos Officiales realiter, & cum effectu officijs eſſe functos, quando biennij tempus in officijs compleuerint. Quartò, quòd verè complent annos duos prædicti Officiales, quando per hoc temporis ſpatium in Curia Romana laborant ſub vnico titulo Procuratoris ſcilicet, aut Commiſſarij, vel ſub duplici nimirum Procuratoris, & ſucceſſiuè Commiſſarij Curiæ, vel è contra. Quintò, quòd tempus biennij in Officialibus præfatis requiſitum ad prædictos honores obtinendos computari incipiat ab actu primo poſſeſſionis publico per eoſdem capto vigore ſui officij, vel ingrediendo Diffinitorium Generale, vel publicè ad conſpectum Communitatis congregatæ in Choro, aut Refectorio, vel alibi ſimiliter occupando locum digniorem ante alios Patres, qui circunſcripto reſpectu Officialium Curiæ Romanæ aliàs deberent præcedere eos, qui inſtituti ſunt in dicta Curia Officiales; ſi tamen actus dictæ poſſeſſionis morali vnione cum exercitio officij in Curia Romana copuletur. Quod in eis, qui de partibus Vltramontanis ad Curiæ accedunt exercitium, de prædictorum Patrum per nos deputatorum iudicio ſuper hoc peculiariter demandato, & ſeriò explicato, atque exhibito, contingere prudentia dictante dicimus, & declaramus, quando vltra tres menſes non protrahitur tempus ab actu primo poſſeſſionis publicè ſumpto vſque ad eorumdem officiorum, & Officialium exercitium in ipſamet Curia Romana, fraude aliàs, & præiudicio Officialium actualiter exercentium deficientibus.

Vnde mentem Conſtitutionum noſtrarum Generalium circa prædicta, & aliarum inſuper, quarum mentem declarare ad nos ſpectat, vel ſpectare poteſt, ſicuti expreſſimus, eſſe, declaramus; atque ita, & non aliter ipſas intelligendas eſſe, & hunc pro proprio earum ſenſu haberi debere, authoritate noſtra proferimus, exprimimus, & declaramus, atque pro prolato, expreſſo, & declarato eſſe volumus, & quantum ſub noſtra manet poteſtate, decernimus, prout continetur in hac noſtra prolatione, pronunciatione, expreſſione, interpretatione, & declaratione, aut aliàs competente inſinuatione, ſeu manifeſtatione, præuia diſcuſſione adhibita authoritatiuè, & plenè deliberata. Romæ in hoc noſtro Ara-Cæli Conuentu hac die vigeſima tertia Iulij, anni milleſimi ſexconteſimi octogeſimi tertij.

Fr. Petrus Marinus Miniſter Generalis.

Loco † ſigilli.

De mandato ſuæ Reuendiſs. Paternitatis

Fr. Sebaſtianus de Arroyo Sec. Gen. Ord.

Declaratis modo ſuprapoſito dubijs, & difficultatibus, quæ circa Curiæ Officialiû inſtitutionem poterant occurrere; vnum ſupereſſe videtur ad poſterorum inſtructionem hic apponendum. Cum enim poſt abſolutum P. Angeli de Zeuallos, vt ſupra, Commiſſariatus officium, alius ſubintrare deberet; Accidit, vt qui iam tempore Comitiorum litteras patentes pro ſucceſſione in futura proxima vacantia iam à Miniſtro Generali receperat, de ordine Sanctiſſimi propter ſpecialia motiua fuerit excluſus. Miniſter autem Generalis, vt maiori firmitate in re tanti momenti procederet, ad alterius deputationem, niſi re priùs cum ipſo Sanctiſſimo, & cum Eminentiſs. Protectore communicata deuenire noluit; de quorum tandem vnanimi beneplacito, & aſſenſu P. Fr. Sebaſtianum de Arroyo Prouinciæ Caſtellæ Cuſtodem habitualem, & Patrem, & Ordinis, actualem Secretarium Generalem voluit eſſe nominatum. Hic quidem gratias egit, vt par erat, Miniſtri Generalis benignitati pro tanta ſibi collata dignitate; Verùm cum alterius, vt diximus, antea deſignati præfuiſſet excluſio, & ipſe Prouincialatum formaliter non exercuiſſet, quamuis ob alia longè æquipollentia munia pro Ordinis vtilitate honorificè iam exercita, nec non ob ſpecialiſſimum Sanctiſſimi Papæ, atque Eminentiſſimi Protectoris aſſenſum, pluri-

plurimorum ad inſtar anteceſſorum, iuxta ſuprapoſitas declarationes poſſet ſic abſolutè deputari ; ad omnem tamen furtiuæ ſupplantationis auertendam ſuſpicionem, rogauit humiliter, vt dignaretur Reuerendiſſimus Generalis negotium iſtud iuxta Ordinis Conſtitutiones cum Patribus diſcretis ſuæ familiæ communicare. Annuit iuſtæ petitioni prudentiſſimus Generalis, & datis die prima, & ſecunda Auguſti 1683. literis, propenſionem ſuam de inſtituendo in Curię Commiſſarium P. Sebaſtiano Arroyo ſingulis Vltramontanæ familiæ Diſcretis ſignificauit, vt quid in hoc ſinguli ſentirent, indicare deberent. Mirùm quidem, quàm vnanimi conſenſu omnes, & ſinguli, licèt ab inuicem longè, latèque diſtantes in huius viri deputatione Reuerendiſſimi Generalis approbauerint, & cōmendauerint conſilium; adeoùt aliqui, conſiderata temporum contingentia, dicere non erubuerint, ad hunc ſingulari prudentia iam probatum, cæteris præferendum, obligationem cenſeri ſingularem. Itaque P. Petrus Miron Prouinciæ Legionenſis Tertij Ordinis de pœnitentia Lector Iubilatus, Ex-Miniſter, & Ordinis Diffinitor Generalis ſub dat. Benauente. P. Chriſtophorus à S. Maria Ex-Prou. S. Didaci Diſcalceatorum in Bethica iterum Miniſter, & Ordinis Diffinitor Generalis ſub dat. Hiſpali 1683. menſe Septēbri. P. Balthaſſar à Regibus Regius in Portugallia concionator, Prouinciæ Algarbiorum iterum Miniſter, & Generalis Diffinitor Ordinis: Dat. Vliſſipone die 20. eiuſdem menſis, & anni. P. Claudius Fraſſen bis Iubilatus, Doctor Sorbonicus, in magno Conuentu Pariſienſi Guardianus, & Ordinis Diffinitor Generalis, Dat. Pariſijs eodem menſe, & anno. P. Honoratus le Balleur Prouinciæ S. Mariæ Magdalenæ Recollectorū Lector Theologus, & Miniſter, Ordiniſque Diffinitor Generalis: Dat. in Conuentu Pontiuij in Britannia inferiori eodem menſe, & anno. P. Bonifacius Maes Prouinciæ S. Ioſeph in Belgio Ex-Miniſter, Ordiniſq; Gen. Diffinitor, Dat. Gandaui eodem menſe, & anno. P. Martinus Sneps Lector Iubilatus Prouinciæ S. Eliſabeth in Turingia Ex-Miniſter, & Ordinis Diffinitor Generalis. P. Ferdinandus de Guzman Lector Theol. Regius Concionator, Prouinciæ Angelorum Cuſtos, & Pater, Ex-Secretarius Generalis, Ordiniſque Diffin. Gen. Dat. Hiſpali eodem menſe, & anno. Pater Stephanus Perier Lector Theologus Prouinciæ Turoniæ Pictauienſis Pater, & Ordinis Diffin. Gen. Dat. Matriti eodem menſe, & anno. P. Angelus de Zeuallos Lector Iubilatus, S. Officij Qualificator Prouinc. Conceptionis Pater, Ex-Procurator Ordinis, & Commiſſarius actualis in Curia. Dat. in Conuentu Ara-Cæli die 17. Octobris 1683. Pater Antonius de Velaſco Supremæ Inquiſitionis Qualificator, Ex-Miniſter Prouincialis &c. Ex-Procurator Generalis Ordinis, & Diffinitor Generalis. Dat. Salmanticæ die 12. Septembris 1683. Reuerendiſs. P. Fr. Chriſtophorus del Viſſo Granatenſis Prouinciæ bis Miniſter Prouincialis, & actu Commiſſarius Gener. Indiarum in Curia Regis Catholici præfatam P. Sebaſtiani Arroyo deputationem pro Cōmiſſario Generali Curiæ ſibi à Miniſtro Generali, vt ſupra, propoſitam approbarunt, & commendarunt; Vti etiam Reuerendiſs. P. Zarzoſa Commiſſarius Gener. illius familiæ ex Rioſeco. Quibus omnibus in vnum collatis, nulla iam ex parte retardari poterat Reuerendiſs. Miniſter Generalis, quin ad executionem conſilij ſui procedere valeret. Solus ipſe Pater Arroyo de omnibus non plenè ſatisfactus, vt omnia plenè narrata vera fuiſſe conſtaret, ipſius Pontificis confirmatione voluit eſſe comprobata: vnde literas patentes ſuæ deputationis à Generali Miniſtro expeditas, curauit Apoſtolico diplomate confirmari, vt ſequitur.

Dilecto filio Sebaſtiano de Arroyo Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum Profeſſori.

INNOCENTIVS PP. XI.

Dilecte fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Religionis zelus, vitæ, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud nos fide digno cōmendaris teſtimonio, Nos inducunt, vt te ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequamur. Exponi ſiquidem nobis nuper feciſti, quòd dilectus filius Petrus Marinus Sormanus Miniſter Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum te, qui (vt aſſeris) Frater expreſsè profeſſus Prouincię Caſtellæ dicti Ordinis exiſtis, Commiſſarium Generalem eiuſdem Ordinis in Romana Curia inſtituit, & deputauit, ac ad eum effectum tecum ſuper eo, quòd Prouincialatus munere nunquam functus es, ad maiorem cautelam diſpenſauit, & aliàs prout continetur in eius patentibus litteris deſuper emanatis, tenoris, qui ſequitur, videlicet.

Frater Petrus Marinus Sormanus à Mediola-

diolano Lector Iubilatus, Ex-Guardianus Ieroſolymitanus, Vniuerſi Ordinis Seraphici P. Noſtri Sancti Franciſci Miniſter Generalis, & Seruus &c. Dilecto nobis in Chriſto P. Sebaſtiano de Arroyo Concionatori, Prouinciæ Caſtellæ Alumno, Cuſtodi habituali, perpetuoque Patri, Ex-Secretario Generali, ac actuali Ordinis, ſalutem in Domino ſempiternam. Ex omnibus noſtri Ordinis Prouincijs ad Romanam Curiam quotidie confluentium magna multipliciũ negotiorum moles, maiores noſtros ab antiquis diebus iure merito induxit, vt publico Decreto authoritate Apoſtolica toborato ſtatuerint, ad huiuſmodi negotia pertractanda, & expedienda pro vtraque reſpectiuè familia Patrem aliquem pietate inſignem, religione clarum, morum integritate conſpicuum, prudentia circunſpectum, eruditione celebrem, ac rerum agendarum vſu præſtantem, in memorata Romana Curia reſidere debere. Huic ergo laudabili maiorum noſtrorum decreto, pariter, & exemplo inhęrentes, ac propterea noſtræ Vltramontanæ familiæ, videlicet Hiſpaniæ, Indiarum, Franciæ, & Flandriæ, totiuſque Germaniæ inferioris, & annexarum Prouinciarum publicę vtilitati, & commodo quantum (Deo dante) poſſumus, per legitimam,& firmam Commiſſarij noſtri Generalis in Romana Curia deputationem conſulere volentes, ad te, quem moribus, & vita laudabilem, doctrina, & eruditione ſpectabilem, prudentia, dexteritate, atque in rebus agendis ſolertia, & peritia commendabilem experientia noſtra agnouimus, mentis noſtræ oculos intendimus. Primò itaque reuocantes, caſſantes, & annullantes, prout harum ſerie (propter ſpecialia motiua, & iuſta) reuocamus, caſſamus, & annullamus litteras patentes pro futura dicti officij ſucceſſione per nos Anno præterito Patri Cuſtodi Michaeli Pontich noſtræ Prouinciæ Cattaloniæ filio conceſſas, ipſas nullius eſſe valoris, atque momenti declaramus. Deinde in ſtatuto Segobienſi anni 1621. & in Valliſoletano anni 1661. prohibente, ne ad huiuſmodi officia promoueri valeant, qui Prouinciales non fuerint; & in alijs ſimilibus, ſi quæ alia ſint huiuſmodi, (quamuis poſt grauiſſimam cauſæ diſcuſſionem per authenticas Prædeceſſorum noſtrorum, & noſtri declarationes conſtet, Miniſtros Generales ad huiuſmodi, & ſimilia ſtatuta non abſolutè, & rigorosè obligari) ad exuberantiam cautelæ diſpenſantes, harum ſerie tecum diſpenſatum eſſe denunciamus; quod tamen non ſine graui fundamento factum eſſe declaramus. Cum enim apud Reuerendiſſimos tum Miniſtros tum Commiſſarios Generales plurium annorum ſpatio deſeruieris, ac ſemel, & iterum cum exercitio reali, atque formali Secretarij Generalis Ordinis munus exercueris; Vnde in illa graduatione meritò fueris conſtitutus per diuerſa Generalia Ordinis Statuta præſertim Romana de anno 1639. in forma ſpeciali confirmata, vt poſt Ex-Miniſtros Prouinciales, ante Commiſſarios Generales Regni Peruani, & nouæ Hiſpaniæ, nec non ante Ex-Vicarios Prouinciales omnino præcedas: iiſdemque de cauſis pro digniore Patre in propria Prouincia (præter Cuſtodis actualis dignitatem) in functionibus Diffinitorialibus, atq; Capitularibus iure acceptatus fueris. Propter hæc, inquam, & alia motiua tuæ virtutis merita, tametſi rigoroſa graduatione non ſis Ex-Prouincialis, nihilo tamen minus te in æquali, vel quaſi æquali conſideramus. Quinimò etiamſi Eminentiſsimi D. D. Cardinalis Cybo Seraphici noſtri Ordinis Protectoris vigilantiſſimi conſenſus expreſſus nobis acceſſerit; habito etiam recurſu ad Sanctiſſimum, benignè annuerit, quòd pro omni iure abundantiſſimè debet ſufficere; tamen ad affluentiam cautelæ, atque iurium, Reuerendiſſimos, & Adm. Reu. Patres Diffinitorij Generalis Vltramontanæ Familiæ, Patres, atque Diffinitores Generales Ordinis per ſcripturam authenticam ipſorum Chirographis reſpectiuè firmatam iam recepimus. Ex his omnibus non immeritò inducimur, vt te Commiſſarium noſtrum, & eiuſdem noſtri Ordinis apud Romanam Curiam eligendum, nominandum, deputandum, & inſtituendum duximus, ſicut pręſentium litterarum noſtrarum tenore, atque virtute eligimus, nominamus, inſtituimus, & deputamus, cum omnibus honoribus, & oneribus, aliiſque annexis,& connexis ad euranda, agenda, & pertractanda omnia, & ſingula negotia vniuerſarum Prouinciarum ad dictam familiam noſtram Vltramontanam ſpectantium, & præſertim, quæ ad Regularis obſeruantiæ noſtræ conſeruationem, & augmentum, ac ad dictarum Prouinciarum, Fratrum, & Monialium publicam vtilitatem quomodolibet ſpectabunt: nec non ad comparendum coram Sanctiſs. D. N. Papa, ac S. R. E. Eminentiſſimis D. D. Cardinalibus, Illuſtriſſimis Auditoribus, Iudicibus Delegatis, & Subdelegatis, Commiſſarijs, Conſeruatoribus, Officialibus, & alijs Iudicibus quibuſcumque Eccleſiaſticis, aut Sæcularibus, & eorum Locumtenentibus, quacumque authoritate fungentibus, contra quaſcumque perſonas Eccleſiaſticas, Religioſas, & Sæculares communiter, & diui-

diuiſim cauſas, iura, priuilegia, vel indulta Ordinis impedire, vel perturbare volentes, atque ad proceſſus ad eumdem finem inceptos terminandos, nouoſque incipiendos, ad querelas, lites, & controuerſias componendas; cæteraque omnia alia, & ſingula dicenda, facienda, & exequenda, quæ veri, & legitimi Procuratores Ordinis de iure, vſu, vel conſuetudine, intra, vel extra Ordinem ad præſcriptum legum, & ſtatutorum noſtrorum dicere, & facere, etiam in foro conſcientiæ poſſunt, & valent. In quibus omnibus plenam, liberam, & amplam tibi concedimus facultatem, & authoritatem, præcipientes in virtute ſanctæ Obedientiæ omnibus, & ſingulis dictarum Prouinciarum Superioribus, & alijs Fratribus, & Monialibus, vt in ijs, quæ munus, & officium tuum concernunt, ſicut tenentur, ad formam ſtatutorum præfatorum tibi aſſiſtant, pareant, & obediant. Datum Romæ in noſtro celeberrimo Conuentu Sanctæ Mariæ apud Aram-Cæli die 18. Octobris 1683. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, tu præmiſſa, quo firmiùs ſubſiſtant, Apoſtolicæ noſtræ confirmationis patrocinio communiri ſummopere deſideres. Nos te præmiſſorum meritorum tuorum intuitu ſpecialis fauore gratiæ proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium rantùm conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes; ſupplicationibus tuo nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati inſtitutionem, & deputationem de rui perſona in Commiſſarium Generalem dicti Ordinis in Romana Curia à memorato Petro Marino Miniſtro Generali factam, vt prædicitur, expeditaſque deſuper illius patentes literas præinſertas cum omnibus, & ſingulis in eis contentis authoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos iuris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus. Decernentes, eaſdem præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac tibi in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorũ quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die IX. Decembris M. DC. LXXXIII. Pontificatus Noſtri Anno Octauo.

I.G.Sluſius.

Loco † Annuli Piſcatoris.

AMPVRIEN. PRÆCEDENTIÆ.

CVM in Sardiniæ Regno in oppido Nului Ampurien. Diœceſ. Patres Cappuccini ex eo quòd paulò antiquiorem haberent in loco Conuentũ, præcedentiã ſuper Obſeruantes ſibi deberi prætenderent, cauſa ad Sac. Rit. Congregationem deducta, diuque, & acriter diſputata, partibus & verbo, & ſcripto viuidè informantibus, ex motiuis in Decreto videndis ad fauorem Obſeruantium fuit deciſa: non tamen vt pro illo ſolo controuerſiæ loco, ſed generaliter pro vniuerſo Obſeruantiæ Corporis deciſio ipſa deſeruiret; Vnde plurimis, quæ pari ex cauſa poſſent oriri, litibus finis imponatur. Decreti tenorem exhibeo.

Decretum Sacræ Congregationis Rituum ſuper controuerſiam cauſæ Ampurienſis Præcedentiæ in Proceſſionibus inter Fratres Minores Obſeruantes, & Cappuccinos Ampurienſis Præcedentia. Arch. Aracœli Regeſ. 9. Cur. VIII. fol. 74.

FACTA relatione per Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Sabellum Ponentem cauſæ Ampurienſis Præcedentiæ in Sacra Rituum Congregatione de controuerſia ſuper præcedentia in proceſſionibus vertente inter Fratres Minores Obſeruantes ex vna, & Cappuccinos parte ex altera habentes ambos Conuentum in Oppido de Nului in Sardinea Ampurienſis Diœceſis, & eadem Sacra Congregatio, auditis hinc inde partibus in voce, & in ſcriptis plu-

pluries informantibus, & præcipuè pro parte Minorum Obſeruantium declarauit, præcedentiam deberi Fratribus Obſeruantibus Minorum, ex quo Obſeruantes ſunt priores in Ordine qualitatis, & approbationis Apoſtolicæ, & Cappuccini licèt priores in fundatione per quatuor annos in eodem loco, ſunt ramen filiales ex eadem Religione Obſeruantium, & longè poſteriores in approbatione Apoſtolica, quo caſu non intrat Bulla Gregoriana de anterioritate Conuentus in eodem loco; & ita decreuit, & ſeruari mandauit; Die 26. Nouembris 1678.

V. Cardinalis Carpineus.

Locus † ſigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

Cum ad Vniuerſum Obſeruantię Corpus hæc cauſa pertineat, optimum cenſuit Pater Ioſeph Coppons Procurator Generalis Ordinis in Curia, vt prę̨fatum Sac. Rit. Congregationis Decretum Apoſtolico Breui confirmaretur; quod & obtinuit, vt ſequitur.

INNOCENTIVS PP. XI.

Ad futuram rei memoriam.

Ibid. fol. 158. NVPER à Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum emanauit Decretum tenoris, qui ſequitur videlicet. Facta relatione per Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Sabellum Ponentem cauſæ Ampurienſis præcedentiæ in Sacra Rituum Congregatione de Controuerſia ſuper præcedentia in proceſſionibus vertente inter Fratres Minores Obſeruantes ex vna, & Cappuccinos parte ex altera habentes ambos Conuentum in Oppido de Nului in Sardinia Ampurienſis Diœceſis, & eadem Sacra Congregatio auditis hinc indè partibus in voce, & in ſcriptis pluries informantibus, & præcipuè pro parte Minorum Obſeruantium declarauit, præcedentiam deberi Fratribus Minoribus Obſeruantibus, ex quo Obſeruantes ſunt priores in Ordine qualitatis, & approbationis Apoſtolicæ, & Cappuccini licèt priores in fundatione per quatuor annos in eodem loco, ſunt tamen filiales ex eadem Religione Obſeruantium, & longè poſteriores in approbatione Apoſtolica, quo caſu non intrat Bulla Gregoriana de anterioritate Conuentus in eodem loco, & ita decreuit, & ſeruari mandauit. Die 16. Nouembris 1678. V. Cardinalis Carpineus. Loco † ſigilli. Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congregat. Secret. Cum autem, ſicut Dilectus filius Ioſephus de Coppons Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum Nobis ſubinde exponi fecit, ipſe Decretum huiuſmodi, quo firmiùs ſubſiſtat, Apoſtolicæ Confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret. Nos ipſum Ioſephum Procuratorem Generalem ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis Excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus eius nomine ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum authoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ſalua tamen ſemper in præmiſſis authoritate memoratæ Congregationis Cardinalium; Decernentes, eaſdem pręſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illos, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Dat. &c. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 16. Ianuarij 1679. Pontificatus noſtri anno, tertio.

Loco † ſigilli.

I. G. Sluſius.

Cum verò Patres Cappuccini deciſioni antedictæ non acquieſcerent, allegantes, ſe ad ſufficientiam in cauſæ diſputatione non fuiſſe auditos, euicerunt tandem, vt ad alleganda potiora, ſi quæ in ſui fauorem haberent, iura, iterum propoſita cauſa poſſent in Sacra Congregatione audiri. Scripſerunt ad eorum defenſionem applicatione tota, ſummoque ſtudio, ac ſubtilitate præcipui ex Vrbe iuriſperiti; Scripſerunt etiam pro ſuorum Conſeruatione iurium Obſeruantes, cum hæc materia potiſſimùm

ex

ex pleniori noſtræ Religionis hiſtoriarum cognitione dependeret, vt partim in tomo primo adnotaui, & in Regiſtro 9. Curiæ Vltramontanæ poteſt ex integro videri. Tandem Eminentiſſimi Patres de omnibus ab vtraque parte pleniſſimè informati prænotatam ſententiam nouo Decreto cenſuerunt eſſe confirmandam; vt ſequitur.

Decretum Sac. Rituum Congregationis.

Ibid. fol. 169. ITerum per Eminentiſſimum, & Reuerendiſſimum Dominum Cardinalem Sabellum propoſita cauſa Ampurienſis Præcedentiæ ad inſtantiam Patrum Cappuccinorum Oppidi Nului in Sardinia contra Patres Minores Obſeruantes de Familia eiuſdem loci. Sacra Rituum Congregatio, audita vtraque parte in voce, & in ſcriptis plenè informante, viſiſque Iuribus hinc inde deductis, illiſque maturè diſcuſſis cenſuit ſtandum eſſe in deciſis. Sub die 26. Nouembris 1678. nempè præcedentiam deberi Fratribus Minoribus Obſeruantibus, & ita decreuit die 24. Februarij 1680.

Cæſar Cardinalis Fachenetus,
Loco † ſigilli.

Bernardinus Caſalius S.R.Cong. *Secr.*

NOVARVM MISSIONVM INSTITVTIO.

SEraphica Minorum Religio nunquam Seraphico zelo non ardens pro procuranda efficaciter animarum ſalute à primo ſuæ inſtitutionis exordio, nec proprio filiorum ſuorum ſanguini parcens, vt oues pretioſo Chriſti ſanguine redemptas ab infernalis lupi faucibus eriperet, laborauit indefeſſa. Hoc præter abundantiſſimos in Chriſtianis populis fructus, numeroſę Martyrum cohortes atteſtantur, qui barbaras inter nationes teſtimonium IESV Chriſto ſuo ſanguine dederunt. Nouiſſimè Minores ipſi de Strictiori Obſeruantia Sanctum hoc Charitatis incendium dilatantes, Apoſtolicis Miſſionibus haud contenti, quas magno numero, & fructu in Orbe veteri, & nouo inceſſanter inter infideles omnis generis exercent, etiam in Catholicis Prouincijs de Ordinariorum licentia ſacras Miſſiones erigere voluerunt, ad hoc vt copioſior in Vrbibus, & Pagis prædicationis fructus exurgeret, & in Montanis, & alpeſtribus non audiatur vox Prophetæ lamentantis; *Petierunt paruuli panem, & non erat, qui frangeret eis.* Piiſſimum hoc filiorum ſuorum conatum nobili priuilegio Apoſtolico decorare, atque corroborare dignatus eſt Clemens X. Pontifex, quod ſtatim appono. Ipſum deinde priuilegij tenorem eadem in occaſione ad Regularis Obſeruantiæ Miſſionarios, ſupplicante Reuerendiſſimo Patre Samaniego Miniſtro Generali, Sanctiſſimus D.D. Innocentius XI. extendere dignatus eſt; expedito diplomate, *Vniuerſis*; quod in tabula Capituli Generalis anno 1676. per extenſum exſcripſimus. Vt autem Miſſionum huiuſmodi feruor in filijs ſuis non tepeſceret, & fructus excreſcerent; Miſſionariorum Seminaria primò in Luſitania, vbi iam introductæ fuerant huiuſmodi Miſſiones, deinde in Hiſpania, & in America ſub optimis legibus, & grandibus priuilegijs ad vberiores peccatorum conuerſiones erigenda Curauit; Hęc omnia quantùm ad integram facti cognitionem ſufficiunt, hìc per Ordinem deſcribemus; quatenus vniuerſę Religioni noſtræ ad tam Sanctum Miniſterium Seraphico ardore, ac toto conatu conſeruandum, & augendum, poſteris ab anteceſſorum exemplo incitamentum forte tradatur.

Primo itaque Apoſtolicum priuilegium pro Reformatis apponam, quia omnium primum fuit expeditum; Alterum pro Obſeruantibus iam in loco præcitato fuit inſertum; vt & Luſitanici Seminarij erectio eodem in loco; Hiſpanicum Seminarium indicabo, & Americanum ad aliorum exemplum ex integro deſcribam.

CLEMENS PAPA X.

Vniuerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

COEleſtium munerum theſauros, quorum diſpenſatores eſſe Nos voluit Altiſſimus, libenter ijs impartimur, quos pro ſua in Deum, & in proximos charitate, & Chriſtianæ Religionis zelo animarum ſalutem omni ſtudio procurare intelligimus; quo in genere cùm Fratres Minores Ordinis Sancti Franciſci de Obſeruantia Reformatos nuncupatos habeamus, eoſque in primis, quos dilecti filij eorumdem Fratrum Superiores ob hanc cauſam hoc ipſo, & conſequentibus annis in diuerſas Prouincias Chriſtianæ Reipublicæ mittere conſtituerunt: Nos ſanè eorumdem Fratrum pietatem, ac operam, eorumque, ad quos illi mittendi erunt, religionem, & deuotionem ſpiritualibus gratijs confouere, atque augere cupientes, eorumdem Superiorum precibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis,

rectis inclinati, plamque illorum deliberationem, quantùm cum Domino poſſumus, promouere volentes; de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi; Omnibus, & ſingulis Fratribus Reformatis dicti Ordinis ad Miſſiones, in quibuſuis locis de Ordinariorum licentia reſpectiuè exercendas, in futurum mittendis (vbi tamen non erunt Miſſionarij Congregationis de Propaganda Fide) & alijs vtriuſque ſexus Christi fidelibus, ad quos ipſi mittendi acceſſerint, noſtram, & Apoſtolicam benedictionem per præſentes impartimur. Necnon iiſdem verè pœniten, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui pro Sanctæ Romanæ Eccleſiæ exaltatione, Principum Christianorum vnione, Infidelium conuerſione, hæreſum extirpatione, prout vnicuique ſuggeret deuotio, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, pro vna viee dumtaxat pro vnaquaque Miſſione, de Ordinariorum locorum licentia reſpectiuè facienda, concedimus, & elargimur. Hortantes Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Eccleſiarum Dei Prælatos, & Rectores, ac Verbi Dei Prædicatores, vt in ſuis quiſque Eccleſijs cùm populus frequentior fuerit, præſentes litteras, ac omnia in eis contenta publicent, & publicari faciant, ac omnem eiſdem Fratribus Reformatis fauorem, & auxilium in præmiſſis præſtent. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Præſentibus ad ſeptennium tantùm valituris. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die xx. Aprilis MDCLXXII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

I.G.Sluſius.

Noua Miſſionum Seminaria.

CVM Pater Antonius à Plagis Ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ de Algarbiorum Prouincia per annos plurimos, Miſſionarij munere aſſumpto, per Vniuerſam Luſitaniam haud ſine prægrandi peccatorum efficaci conuerſione, atque multiplici pietatis incremento, animarumque fructu diſcurriſſet; Reuerendiſſimus Pater Samanlego tunc Miniſter Generalis, qui coram à Patribus illarum Prouinciarum præcipuis, ab Aulæ Regiæ Miniſtris, ab ipſo etiam Sereniſſimo Principe Regente, demum ab Illuſtriſſimo Apoſtolicæ Sedis Nuntio fructuum huiuſmodi veritatem, & abundantiam perceperat; eumdemque Antonium à Plagis coram ſe poſitum ſeriùs examinatum, religioſum omnibus numeris abſolutum, ſanctique propoſiti tenacem comperiſſet, huiuſce pijſſimæ Miſſionis manutenentiam, & propagationem ſtabilire vehementer concupiuit. Vbi ergo pro celebranda Generali Congregatione in Vrbem anno 1679. aduenìſſet; à præfato etiam Luſitaniæ Principe Regente (nunc Rege commendatiſſimo) per litteras grauiſſimas ſub Dat. Vlyſſipone die 11. Septembris, eodem anno nouiter excitatus promotionem Miſſionis antedictam, vt ſtabiliret, Apoſtolicum Breue ab Innocentio XI. fæliciter regnante impetrauit: Incip. *Ex iniuncto nobis, &c.* Dat. Romæ die 23. Nouembris eodem anno 1679. quod quia iam in tabula Comitiorum Generalium eo anno approbata fuit exſcriptum, non eſt, cur hic repetere debeamus. Regulas omnino ſingulariſſimas diuturno ſtudio diſpoſitas pro amplianda, & futuris temporibus conſeruanda illa Miſſione; Pro conſeruanda Minoriticæ Regulæ puritate, vitæque rigore, pro purificandis, & augendis Miſſionariorum fructibus ipſe Generalis Samaniego præſcripſit eodem in præcitato diplomate Pontificio recenſitas, approbatas, & confirmatas; quarum virtute litterarum deputatus fuit Conuentus Sancti Antonij de Baratoxo Prouinciæ Algarbiorum, vt pro Seminario Miſſionariorum ſub educatione, atque diſciplina præfati Patris Antonij de Plagis in perpetuum deſeruiret, vt loco præcitato per extenſum eſt videre.

Vt autem huiuſmodi Miſſionum deſiderabiles fructus etiam per Hiſpaniam extenderentur, idem Reuerendiſſimus Generalis Samaniego voluit, vt in Prouincia Immaculatæ Conceptionis Regularis: Obſeruantiæ Conuentus Dominæ Noſtræ de Hoz, annuente ipſa Prouincia pro Seminario huiuſmodi Miſſionariorum omnino ad exemplum, & regulas Luſitanici prædicti deputaretur; & de facto deputauit; quod etiam, ipſo Generali Miniſtro ſupplicante, fuit ab eodem Pontifice confirmatum expeditis litteris. *Exponi nobis fecit, &c.* Dat. Romæ die 31. Auguſti 1681. vt in Regeſto nono Curiæ Vltramontanæ apud Aram-Cæli fol. 199. per extenſum eſt videre. Cupiens denique ipſe Reuerendiſſimus Generalis, vt ad Indias quoque fructus ampliſ-

ſimi

ſimi huiuſmodi Miſſionum propagarentur, deſignato in Prouincia de Mechioacan Conuentu pro Seminario viginti quatuor Miſſionariorum ſub optimo Præfecto confirmationem etiam Apoſtolicam impetrauit, vt ſequitur.

[Breue Apoſtolicum Sanctiſſimi Domini noſtri Innocentij Papæ XI. Cum inſertis litteris patentibus Reuerendiſſimi Patris Fratris Ioſeph Ximenes Samaniego, per quod tam inſtitutio. Reuerend. Patris Fr. Antonij Linaz in Commiſſarium viginti quatuor Miſſionariorum ex Prouincijs Hiſpaniæ Selectorum, quàm erectio Conuentus Sanctæ Crucis de Gueretaro ex Prouincia Mechioacam in India Occidentali in Seminarium Miſſionariorum perpetuis futuris temporibus Apoſtolica authoritate approbatur, confirmatur, & communitur.]

INNOCENTIVS PP. XI.

Ad futuram rei memoriam.

SAcroſancti Apoſtolatus officium, quod inſcrutabilis Diuinæ Sapientiæ, atque bonitatis altitudo humilitati noſtræ, nullo licèt meritorum noſtrorum ſuffragio imponere dignata eſt, ſalubriter exequi, adiuuante Domino, iugiter ſatagentes, illa, quæ à Superioribus Regularibus ad promouenda Religioſæ Obſeruantiæ ſtudia, procurandamque infidelium ad veritatem Chriſtianæ Religionis conuerſionem, ac ad ſalutarem fidelium in via Domini directionem piè prudenterque conſtituta, atque ordinata eſſe noſcuntur, vt firma ſemper, atque inuiolata perſiſtant, Apoſtolici roboris præſidio, cum id à nobis petitur, libenter communimus, & aliàs deſuper diſponimus, ſicut Perſonarum, locorum, & temporum qualitatibus maturè conſideratis, ad Omnipotentis Dei gloriam, & animarum ſalutem, ac Religionis incrementum conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit Dilectus filius Angelus de Zeuallos Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum; quod Dilectus etiam filius Ioſephus Ximenez Samaniego Miniſter Generalis dicti Ordinis Collegium, ſiue Seminarium Fratrum Miſſionariorum eiuſdem Ordinis in Indijs Occidentalibus ad fidei Catholicæ dilatationẽ inſtituendum eſſe exiſtimans, de nonnullorũ Fratrum doctrina, & virtute præditorũ conſilio Conuentum Sanctæ Crucis de Gueretaro Prouinciæ de Mechoacã in noua Hiſpania Ordinis prædicti ei rei duxit deſtinandum, ac proinde dilecto filio Antonio Linaz eiuſdem Ordinis profeſſori ſuam benedictionem, & facultatem conceſſit, vt eundem Conuentum ſibi, ſuiſque ſocijs ad effectum in eo inſtituendi Collegium Miſſionariorum huiuſmodi ab hac Sancta Sede petere valeret, & ad id ſuum conſenſum tribuit, ac ſui Generalatus auctoritate prædictæ Prouinciæ de Mechoacam conſenſum, quantùm poterat, ſuppleuit, cum diuerſis conditionibus, & Ordinationibus, & aliàs prout pleniùs continetur in ipſius Ioſephi Miniſtri Generalis litteris patentibus deſuper emanatis tenoris, qui ſequitur, Videlicet Fr. Ioſeph Ximenez Samaniego totius Ordinis Seraphici Patris noſtri Franciſci Miniſter Generalis, & Seruus, Dilecto nobis in Chriſto Patri Fr. Antonio Linaz eiuſdem Ordinis Sacræ Theologiæ Lectori Iubilato, & Sancti Officij qualificatori, Prouinciæ noſtræ Sancti Petri, & Pauli de Mechoacam Cuſtodi, Prouinciæ verò noſtræ Maioricenſis alumno, ſalutem in Domino ſempiternam.

Cum per Patres Prominiſtros, & Cuſtodes ex Prouincijs noſtris Indiarum Occidentalium ad ſuffragandum in Capitulo Generali proximè celebrando, accedentes, ac præcipuè per te nobis innotuerit, meſſem adhuc multam apud Indos extare, Operarios autem paucos; atque idcirco Dominum meſſis deprecari oportere, vt mittat operarios in meſſem ſuam. Nos conſiderantes, Religionem noſtram Fratrũ Minorum ſecundùm gratiam Seraphico Inſtitutori ex alto conceſſam ob id potiſſimùm ad Vineam Domini vocatos, vt Apoſtolorum veſtigia ſequentes, euntes in mũdum vniuerſum prædicarent Euangelium omni creaturæ, fidelibus ſcilicet ad morum reformationem, Infidelibus verò per ſacrum regenerationis lauacrum ad veritatis Catholicæ agnitionem, & ſalutarem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, extra quam ſalus non eſt, obedientiam præſtandam, ſicuti per multa ſæcula, Deo donante, in omni loco, & tempore copioſo per huius Ordinis Fratres profuſo Sanguine; optimo experimento didicimus, dolenteſq; nimiùm, quòd ingens adeo Indorum multitudo, & ſi pretioſo Chriſti Sanguine redempta, ex penuria tamen Miniſtrorum Euangelica luce orbata, ac infidelitatis tenebris obruta, beneficio tanto in caſſum accepto, per momenta ſingula miſerabiliter pereat. Facultatem tibi conceſſimus, quatenùs ex noſtris Hiſpaniæ Prouincijs viginti quatuor

Reli-

Religioſos ſcligeres morum integritate, litterarum ſcientia, & ſalutis animarum zelo pollentes, qui huiuſmodi iter tecum aggredi, & in pio adeò, atque proficuo miniſterio exercere optarent. Legatum te eorumdem Prælatum, & Commiſſarium noſtrum Delegatum cum opportuna, & neceſſaria facultate conſtituentes, ſicut in litteris per nos ſuper hac re expeditis latiùs continetur. Idcirco vt exercitium hoc animarum ſaluti ſummè neceſſarium, Chriſtianæ charitati, & inſtitutioni conforme in partibus Indiarum non ſolùm inducatur, ſed etiam radicetur, & promoueatur; Nobis de aliquorum Patrum doctrina, & virtute præditorum conſilio opportunum, & congruentiſſimum medium viſum eſt, vobis concedere aliquem operi ipſi commodum Conuentum, qui ſit huius ſancti exercitij Schola, & Prædicatorum Miſſionariorum Seminarium, in quo ſpiritu, & doctrina Tirones informentur, roborentur Veterani. Ad quem poſt Miſſionum labores, temporibus ad ipſas non opportunis, pro viribus corporis, & ſpiritus reficiendis reuertantur, & ex quo obedientiæ merito viribus Corporis, vtcumque reaſſumptis, & nouo ſpiritus feruore accepto, armati iterum in diuerſas plagas ad verbum Dei diſſeminandum prodeant, & quia ad hæc omnia præſtanda Conuentus noſter Sanctæ Crucis de Queretero Prouinciæ de Mechoacam Regularis Obſeruantiæ in noua Hiſpania valdè commodus viſus eſt, tum ob ſitus ſolitudinem, & à negotijs ſæcularibus abſtractionem, tum ob ipſius cum infidelibus, quorum intuitu præcipuè erigitur, propinquitatem, ipſum prædicto effectui duximus conſignandum; quod, vt indubitata authoritate, perpetua firmitate fiat, præſentium tenore tibi noſtram paternam benedictionem, & facultatem concedimus, vt tamquam Ordinis noſtri honorabile negotium prædictum Conuentum Sanctæ Crucis de Queretero à Sancta Sede Apoſtolica tibi, & Fratribus ſocijs pro prædicto effectu petere valeas, ad quod noſtrum tibi conſenſum tribuimus, & authoritate Miniſtri Generalis, qua fungimur, bono communi Ordinis conſulentes, prædictæ Prouinciæ de Mechoacam conſenſum, in quantum poſſumus, ſupplemus. Hæc autem concedimus ſub conditionibus, & ordinationibus ſequentibus in prædicto Seminario omninò obſeruandis, niſi aliter à prædicta Sancta Sede fuerit ordinatum.

Prima.

QVòd prædictus Conuentus in Seminarium erectus nullius Prouinciæ ſit, quantùm ad regimen, & immediatè ſubſit Commiſſario Generali nouæ Hiſpaniæ pro tempore exiſtenti, habeatq; commercium fraternitatis cum eadem noſtra Prouincia de Mechoacam, quantùm ad ſuffragia pro defunctis Fratribus, itaut Conuentus ipſe, & Fratres in eo Commorantes celebrent Officia, & Miſſas iuxta ſtatuta Generalia pro quolibet Fratre eiuſdem Prouinciæ filio decedente, & viciſſim à ſingulis Conuentibus, & Fratribus Prouinciæ eadem celebrentur pro quolibet Fratre prædicti Seminarij vbilibet moriẽte.

Secunda.

Vt in prædicto Seminario triginta tantùm Fratres de familia admitti poſſint, quin hic numerus valeat vnquam augeri, ex quibus viginti ſex ſint Sacerdotes Miſſionarij, quatuor Religioſi ſint Laici pro Conuentus ſeruitio, & eleemoſynarum frequenti collectione.

Tertia.

Quòd electio Guardiani fiat à Commiſſario Generali nouæ Hiſpaniæ ex tribus eiuſdem Seminarij Patribus per ſecreta ſuffragia omnium Sacerdorum Profeſſorum Communitatis canonicè eligendis, & prædicto Commiſſario præſentandis. Guardianus autem per triennium tantùm in officio durare poterit, & liberum erit Commiſſario præfato in dimidio trienuij ipſum ab officio abſoluere, ſi ipſi conſtiterit officio non ſatisfacere, habita informatione pro conſcientia, ſine ſtrepitu iudiciali, ſicut fit in toto Ordine in Congregationibus intermedijs.

Quarta.

Quòd in Seminario ſint quatuor Diſcreti pro grauioribus eius negotijs tractandis, qui ſemper erunt quatuor Miſſionarij in officio Miſſionis antiquiores, & in abſentia cuiuslibet pro tempore abſentiæ alius prioribus in antiquitate Miſſionarij immediatus ſubſtituatur.

Quinta.

Quòd ex Guardiano, & Diſcretis vnus ex Patribus Miſſionarijs eligatur in Vicarium Seminarij, ſeu Præſidem in Communitatibus, & guberno in abſentia Guardiani, qui etiam in caſu mortis Guardiani Conuentum gubernabit vſq; ad noui Guardia-

diani electionem, tenebitur tamen ſub pœna priuationis ipſo facto ſui officij die octaua à morte Guardiani, conuocatis Patribus abſentibus, qui intra illud tempus haberi poterunt, Communitatem pro præſentatione, vt ſupra Commiſſario Generali nouæ Hiſpaniæ facienda congregare. In abſentia Guardiani, & Vicarij antiquior Diſcretus in Communitatibus, & Seminario præſideat.

Sexta.

Quòd Guardianus cum conſilio, aſſenſu, & approbatione Diſcretorum poſſit recipere de Familia in prædictum Seminarium iuxta numerum præſcriptum Religioſos ex quacumque Indiarum Occidentalium Prouincia, qui ſe ſancto Miſſionum exercitio tradere cupiant, dum tamen ſint bonæ famæ, & integræ vitæ, ſanæ, ſufficientiſque doctrinæ, & talis corporis valetudinis, vt peregrinationes, & labores Miſſionum valeant ſuſtinere, quorum receptionem nullus inferior præfato Commiſſario Generali poſſit impedire. Ipſi autem ſic recepti non poterunt, niſi poſt expletum in Seminario annum ad Miſſiones admitti, nec ſuffragium in Communitatibus habere. Poſſit etiam Guardianus de conſilio Diſcretorum recipere Fratres laicos ex quacumque Prouincia, qui ſint deuoti, probatæ vitæ, & omninò apti pro officijs in Seminario exercendis à laicis, quorum pariter receptio à nullo alio inferiore præfato Commiſſario valeat impediri, ſicut nec quòd in Hiſpaniam mittat pro Fratribus de nouo aggregandis.

Septima.

Quòd Guardianus habeat facultatem recipiendi Nouitios, dum tamen recipiendus, præter qualitates in conſtitutionibus Apoſtolicis, & Ordinis requiſitas, dederit probata ſigna ſpecialis vocationis, habeatque ſupra vigeſimum quartum ætatis annum, & talem litteraturam, vt accedentibus exercitijs Seminarij in Miſſionum miniſterio proficere poſſit, & valeat, quod conſtare debet per rigidum Diſcretorum examen, & eorum approbationem per ſuffragia ſecreta, ſine qua Guardianus nullum poſſit ad habitum recipere. Nouitij autem intrà numerum ſupra præfixum Fratrum Miſſionariorum debent contineri, ita vt, eo completo, Guardianus nullum, nec profeſſum, nec Nouitium poſſit in Seminario admittere, quouſque aliquo deficiente locus intra numerum vacet.

Octaua.

Quòd in dicto Seminario obſeruetur puriſſimè Regula Fratrum Minorum tum quantùm ad paupertatem in Communi, tum quantùm ad præcepta particularia de qualitate, & de numero veſtium, excalceatione, & ieiunio, &c. & præcipuè de prouidendo neceſſitatibus Fratrum tam in ægra, quàm in ſana valetudine iuxta noſtrum ſtatum, itaut omnes in Communi viuant, & nullo caſu alicui Fratri permittatur habere nec apud Sindicum Apoſtolicum, nec apud amicum ſpiritualem, cuiuſcumque ſit Dominij, eleemoſynam pecuniariam pro ſuis particularibus neceſſitatibus.

Nona.

Quòd indiſpenſabiliter ſingulis diebus per duas integras horas vacent orationi mentali; Alteram poſt Primam, alteram poſt Completorium; Officium autem diuinum dicant ſtatutis horis in Choro, ſine cantu tamen propter ſtudium ordinarium cum pauſa conducente ad deuotionem, ſine affectatione diuertente, cui, & Conuentuali Miſſæ, cæteriſque communitatibus omnes, nullo excepto, aſſiſtere, & intereſſe tenentur; & omnes à Guardiano incluſiuè ſint ſucceſſiuè Hebdomadarij.

Decima.

Quòd ſingulis diebus habeant per duas horas lectiones, & Conferentias; Per vnam poſt Conuentualem Miſſam de Idiomate Indorum, ad quos debent fieri Miſſiones; per alteram poſt Veſperas de modo conuertendi, cathechizandi, & inſtituendi conuerſos. A lectionibus autem ipſis nullus poſſit excuſari, nec à reddenda ratione de materia lectionis, ſi interrogetur.

Vndecima.

Quòd Miſſionarij tempore, quo in Seminario commorantur, pœnitentiam publicam in Refectorio faciant, ſi inuenti fuerint per Conuentum vagantes, aut otiosè colloquentes, cum debeat hoc recurſus tempore vnuſquiſque in cella ſua ſtudijs ſuo exercitio conuenientibus vacare, dum communitatibus nō aſtiterint, proptereaq; nulli egrediendi è Conuentu licentia concedatur, niſi ad aliquod vrgens pietatis opus Superiori notum, quouſque ad Miſſiones iterùm amandetur.

Duodecima.

Quòd nulli Sæculari permittatur ingreſſus ad interiora Conuentus, ſed in Clauſtro inferiori diſponatur aliqua Camera hone-

honeſta, & deuota cum humilibus ſedibus, vbi viri ſæculares quærentes aliquem ex Patribus pro ſua ſpirituali conſolatione excipiantur, & conſolentur.

Tertiadecima.

Quòd omnes prædicti Seminarij Patres ſine aliqua inter ipſos notabili differentia induant habitum exteriorem Obſeruãtium iuxta eius reformationem in vltima Congregatione Toletana factam ad litteram obſeruandam, & in diſciplinis, ieiunijs extra Regulam, capitulis culparum, & alijs auſteritatibus, cæteriſque ad Regulæ vitæ Monaſticæ, & regularis diſciplinæ obſeruationem conducentibus, Conſtitutionibus Generalibus Ordinis ſe conforment.

Quartadecima.

Quòd Guardianus, vel in eius abſentia, Præſes temporibus opportunis, aut quando neceſſarium iudicauerit mittat Miſſionarios binos, & binos, aut in maiori numero, prout conuerſionum neceſſitati viderint expedire, conſignando eis oppida, tractus, & terras, in quibus ſinguli ſuas Miſſiones facere debent. Relinquant tamen aliquos in Seminario, qui Communitatis exercitia expleant, & hi alijs reuertentibus mittantur.

Quintadecima.

Quòd ſi aliquis Miſſionariorum ſine legitima cauſa à Diſcretis approbanda ſe à Miſſionibus iuxta præſcriptum Guardiani faciendis excuſauerit, vel in eis aliquid vltra victum moderatum acceperit, vel malum aliquod exemplum dederit, aut in Seminario pacem Communitatis turbauerit, aut in aſſiſtendo communitatibus, & alijs exercitijs ſupra poſitis explẽdis notabiliter defectuoſus fuerit, & ſemel, ac iterum à Guardiano reprehenſus non ſe emendauerit; Guardianus ipſe cum conſilio, & conſenſu Diſcretorum poſſit, ſi alicuius Prouinciæ filius fuerit, eum de Seminario expellere, & ad ſuam Prouinciam mittere, quæ ipſum recipere tenebitur ſub pœna priuationis officij Prouinciali renuenti. Si verò in Seminario profeſſus ſit, teneatur monere Commiſſarium Generalem nouæ Hiſpaniæ cum voto Diſcretorum in ſcriptis, vt illi de Prouincia, in qua moretur, prouideat.

Sextadecima.

Quòd prædictus Commiſſarius Generalis teneatur per ſe, vel per ſuum Commiſſarium ad hoc ſpecialiter inſtitutum viſitare prædictum Seminarium in ſingulis triennijs, & in ſingulis viſitationibus inquiratur ſigillarim de obſeruantia præmiſſarum omnium conditionum, & defectus, ſi qui fuerint corrigantur, & iuxta eorum qualitates poſſit Commiſſarius ipſe Generalis procedere ad expulſionem Miſſionariorum, & Guardiani priuationem. Delegatus autem ipſius poſſit tantùm Guardianum ſuſpendere, & adhibitis neceſſarijs correctionibus Commiſſarium Generalem de maiori remedio apponendo monere; & quia ſperamus, quòd Dei aſpirante gratia per hos ſui verbi Miniſtros plures Gentilium populi ad fidem ſint conuertendi, quorum Neophitos in accepta fide conſeruare, eiſque Sacramenta miniſtrare neceſſarium eſt, ordinatur, vt in Conuerſis populis aliqui ex præfatis Miſſionarijs ad prædicta obeunda neceſſarij remaneant: Monito Guardiano Seminarij, & ab eo licentia obtenta, qui ſemper eiuſdem Guardiani ſubditi remanebunt, & eius correctioni vt ſupra ſubiecti: manentes autem in oppidis Conuerſis non computabuntur in numero aſſignato Miſſionariorum Seminarij, ſed eorum loco alij in Seminario poſſint recipi. In cura autem animarum ſic conuerſarum ad fidem tamdiù ſolummodo poterunt remanere, quoaduſque Epiſcopo, ad quem terra pertinet, vel in poſterum pertinebit, placuerit Presbyteros Sæculares, quibus animarum curam committat, deſtinare. Quamdiù verò prædicti Miſſionarij in prædicta cura remanſerint, nihil ex titulo Curatorum, vel doctrinarum poſſint accipere, ſed præcisè ex emẽdicatis eleemoſynis, vel vltrò oblatis viuere debent. Poterunt tamen ſtabilita noſtra fide, & Curatis ſæcularibus inibi manentibus in oppidis magnis, aut capacibus de licentia Epiſcopi, & præfati Commiſſarij Generalis, Regio etiam conſenſu accedente Conuentus noſtri Ordinis fundare, in quibus iuxta Regulam, & ſtatuta ex eleemoſynis ſub regulari diſciplina Fratres Conuentus viuere poſſint, & Conuentus illi Guardiano præfati principalis Seminarij erunt ſubiecti, quouſque ex illis Cuſtodia poſſit formari, vel aliter in Capitulo Generali de illis prouideri.

Vltima.

Quòd ſi aliquando Conuentus relaxetur, & à perfectione ad quam inſtituitur, defecerit, aut non fuerit cum effectu, aut exercitio Miſſionum, Seminarium eidem Prouinciæ de Mechoacam, à qua ſumitur, iterum incorporetur, eiuſdemque regimini, ſicut cæteri eiuſdem Conuentus ſubijciatur. Sub his igitur conditionibus, & ordinationibus præmiſſas tibi facultates tribuimus, monemuſque te in Domino, vt ad

opus Deo adeò placitum, fidelibus proficuum, & noſtro inſtituto conforme, te accingas, ad quod tibi, & ſocijs tuis Seraphici Patris noſtri Franciſci benedictionem impartimur. Dat.in Conuentu noſtro Sancti Franciſci Matriti die duodecima Martij. Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo ſecundo. Fr. Ioſeph Miniſter Generalis. Loco ✝ ſigilli. De mandato Reuerendiſſimæ P.S. Fr. Hieronymus de Soſa Secretarius Gen.Ordinis.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, præfatus Angelus Procurator Generalis litteras patentes huiuſmodi, quo firmiùs ſubſiſtant, & ſeruentur exactiùs Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri plurimùm deſideret. Nobis propterea etiam memoratorum Ioſephi Miniſtri Generalis, & Antonij Linaz, eiuſq; ſociorum Miſſionariorum nomine humiliter ſupplicari fecit, vt in præmiſſis opportunè prouidere, & vt infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur illos ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati, exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes huiuſmodi ſupplicationibus inclinati præinſertas præfati Ioſephi Miniſtri Generalis patentes litteras cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus. ac omnes, & ſingulos iuris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus. Præterea præfatis Antonio Linaz, eiuſque ſocijs Miſsionarijs ſupra dictum Conuentum Sanctę Crucis de Queretero ad fines, & effectus in eiſdem litteris patenter expreſſos, ac cum conditionibus, & ordinationibus in eis contentis eadem authoritate harum ſerie aſſignamus, decernentes, ipſas præſentes litteras efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, ſicq; in præmiſſis per quoſcumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter cótigerit attentari: Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Prouinciæ, & Conuentus, ac Ordinis præfatorum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 8. Maij 1682. Pontificatus noſtri anno ſexto.

I.G.Sluſius.

Poſtquam Sanctiſſimus Innocentius Papa XI. Confirmauit erectionem Conuentus Sanctæ Crucis de Queretaro Prouinciæ Mechoacam in India Occidentali in Seminarium Miſſionariorum per Breue ſupradictum; fuit poſtulatum eidem Sanctiſſimo per libellum ſupplicem, vt dignaretur concedere Miſſionarijs illis priuilegia, & Indulgentias, quæ ſolent concedi Miſſionarijs de Propaganda fide. Remiſſus fuit libellus ſupplex ad prædictam Congregationem de Propaganda pro voto. Ipſa autem Congregatio declarauit, Patrem Fr. Linaz Præfectum Miſſionum in Indijs Occidentalibus; & libellum ſupplicem remiſit ad Sacram Congregationem Sancti Officij, in qua, & in ea de Propaganda conceſſa fuere priuilegia, & indulgentiæ infra videnda. Omnia autem hic tranſcribuntur ordine ſeruato.

Libellus ſupplex.

FR. Angelus de Zeuallos Procurator Generalis Ordinis Minorum de Obſeruantia, & humilis Orator exponit, quòd Conuentus Sanctæ Crucis de Queretaro Prouinciæ Mechoacam in India Occidentali fuit à Miniſtro Generali eiuſdem Ordinis erectus, & deputatus pro Seminario Miſſionariorum de aliquorum Patrum Ordinis conſilio, quam erectionem S. V. approbauit, & confirmauit per Breue *Sacroſancti Apoſtolatus officij* ſub die 8. Maij currentis anni, & ſimiliter inſtitutionem Fr.Antonij Linaz in Commiſſarium viginti quatuor Fratrum ex Hiſpaniæ Prouincijs ſelectorum, qui ſalutis animarum zelo pollentes ad conuerſionem Gentilium, quorum magna copia eſt in illis partibus, ſe accinxerunt, vt eos de tenebrarum errori-

bus,

bus, atque excitate ad fidei lumen ſuperno adiutorio trahentes per prædicationem Euangelij Sanctæ Matris Eccleſiæ gremio iungant, gloriam Omnipotentis, & animarum ſalutem, vnicè præ oculis habentes. Vt autem operarij iſti Euangelici finem optatum poſſint adipiſci, plurimùm intereſſe videtur, priuilegijs, & indulgentijs, quibus Gentiles ipſi alliciantur, & quæ eorumdem Conuerſionem concernunt, adiuuare; Quapropter Orator ad pedes S. V. humillimè ſupplicat, quatenus pro ſolita benignitate dignetur concedere Miſſionarijs prædicti Seminarij priuilegia, & Indulgentias, quæ concedi ſolent Miſſionarijs de Propaganda Fide, quandoquidem idem exiſtit eorum occupatio, & exercitium. Ob quam &c.

Decretum S. Congregationis de Propaganda Fide habitæ ſub die 15. Iunij 1682.

Referente Eminentiſs. Domino Cardinali Caſanate S. Congregatio Præfectum Miſſionum in Indijs Occidentalibus ad ſeptennium declarauit Patrem Antonium Linaz Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia Superiorem Conuentus S. Crucis loci de Queretaro Prouinciæ Mechoacam in noua Hiſpania cum ſolitis facultatibus, & poteſtate eas communicandi Fratribus eiuſdem Conuentus Sanctæ Crucis, & ad formam Breuis Sanctiſſimi Domini Noſtri Innoc. Papæ XI. emanati ſub die octaua Maij 1682. Dat. Romæ die 15. Iunij 1682.

Cardinalis de Alterijs Præfectus.
Archiep. Seleuciæ Secret.

Facultates conceſsæ à Sanctiſsimo Domino noſtro D. Innocentio Diuina Prouidentia Papa XI. Fratri Antonio Linaz Ordinis Fratrum Minorum de Obſernantia Præfecto Miſſionum in Indijs Occidentalibus Superiori Conuentus Sanctæ Crucis loci de Queretaro Prouinciæ Mechoacam in noua Hiſpania.

Prima.

Diſpenſandi in quibuſcumque irregularitatibus, exceptis illis, quæ ex bigamia vera, vel ex homicidio voluntario proueniũt, & in his duobus caſibus etiam ſi præciſa neceſſitas operariorum ibi fuerit, ſi tamen quoad homicidium voluntarium ex huiuſmodi diſpenſatione ſcandalum non oriatur.

Secunda.

Diſpenſandi, & commutandi vota ſimplicia etiam Caſtitatis ex rationabili cauſa in alia pia opera, non tamen Religionis.

Tertia.

Abſoluendi, & diſpenſandi in quacumque Simonia, & in reali, dimiſsis beneficijs, & ſuper fructibus malè perceptis iniuncta aliqua eleemoſyna, vel pœnitentia ſalutari arbitrio diſpenſantis: vel etiam retentis beneficijs, ſi fuerint Parochialia, & non ſint, qui Parochijs præfici poſſint.

Quarta.

Diſpenſandi in 3. & 4. conſanguinitatis, & affinitatis ſimplici, & mixto tantùm; & in 2. 3. & 4. mixtis; non tamen in 2. ſolo, quoad futura matrimonia, quo verò ad præterita etiam in 2. ſolo, dummodo nullo modo attingat primum gradum cum ijs, qui ab hæreſi, vel infidelitate conuertuntur ad fidem Catholicam, & in prædictis caſibus prolem ſuſceptam declarandi legitimam.

Quinta.

Diſpenſandi ſuper impedimento publicæ honeſtatis, iuſtitia ex ſponſalibus proueniente.

Sexta.

Diſpenſandi ſuper impedimento criminis, neutro tamen Coniugum machinante, ac reſtituendi ius petendi amiſſum.

Septima.

Diſpenſandi in impedimentis cognationis ſpiritualis, præterquam inter leuantem, & leuatum.

Octaua.

Hæ verò diſpenſationes matrimoniales, vt 4. 5. 6. & ſeptima, non concedantur, niſi cum clauſula; dummodo mulier rapta non fuerit, vel ſi rapta fuerit, in poteſtatem Raptoris non exiſtat, neque in vtroque foro, vbi erunt Epiſcopi; ſed in foro conſcientiæ tantùm, & in illis expediendis tenor huiuſmodi facultatem in diſpenſationibus inſeratur, cum expreſsione temporis, ad quod fuerint conceſſæ.

Nona.

Diſpenſandi cum Gentilibus, & Infidelibus plures vxores habentibus, vt poſt Conuerſionem, & Baptiſmum, quam maluerint ex illis, ſi etiam fidelis fiat, retinere poſſint, niſi prima voluerit conuerti.

De-

Decima.

Abſoluendi ab hæreſi, & Apoſtaſia à fide, & à Schiſmate quoſcumque etiam Eccleſiaſticos tam ſæculares, quàm Regulares; non tamen eos, qui ex locis fuerint, in quibus Sanctum Officium exercetur, niſi in locis Miſsionum, in quibus impunè graſſantur hæreſes, deliquerint; neque illos, qui iudicialiter abiurauerint, niſi iſti nati ſint, vbi impunè graſſantur hæreſes, & poſt iudicialem abiurationem illùc reuerſi in hæreſim fuerint relapſi, & hos in foro conſcientiæ tantùm.

Vndecima.

Abſoluendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis.

Duodecima.

Benedicendi paramenta, & alia vtenſilia ad Sacrificium Miſſæ.

Tertiadecima.

Reconciliandi Eccleſias pollutas aqua ab Epiſcopo benedicta, & in caſu neceſsitatis etiam aqua non benedicta ab Epiſcopo, huiuſmodique facultatem communicandi ſimplicibus Sacerdotibus.

Quartadecima.

Conſecrandi Calices, patenas, & altaria portatilia cum oleis ab Epiſcopo benedictis, vbi non erunt Epiſcopi, vel diſtent per duas Dietas, vel ſedes vacet.

Quintadecima.

Diſpenſandi, quando expedire videbitur, ſuper eſu Carnium, Ouorum, & Lacticiniorum tempore ieiuniorum, & præſertim Quadrageſimæ.

Sextadecima.

Celebrandi bis in die, ſi neceſsitas vrget; ita tamen vt in prima Miſſa non ſumpſerit ablutionem, per vnam horam ante auroram, & aliam poſt meridiem in altari portatili ſine Miniſtro ſubdito, & ſub terra in loco tamen decenti; etiamſi altare ſit fractum, vel ſine reliquijs Sanctorum, & præſentibus Hæreticis, Schiſmaticis, Infidelibus, & excommunicatis, dummodo Miniſter non ſit hæreticus, aut excommunicatus, ac aliter celebrari non poſsit.

Huiuſmodi autem facultate celebrandi bis in die nullis vti liceat, niſi rariſsimè, & ex grauiſsimis, & vrgentiſsimis cauſis, in quo grauiter eius conſcientia oneratur, quòd ſi ad præſens, aut in poſterum quandocumque aderit Epiſcopus, aut Vicarius Generalis, aut Capitularis, ſiue Apoſtolicus, ad cuius Diœceſim, ſeu adminiſtrationem pertineant loca, vbi ſecundò celebrari contingat, præfata facultas bis celebrandi nullius prorſus ſit roboris, ac momenti, niſi priùs prædicto Epiſcopo, aut eo abſente ipſius Vicario Generali, aut reſpectiuè Capitulari, aut Vicario Apoſtolico fuerit exhibita, ab eoque examinatæ, & approbatæ fuerint in ſcriptis cauſæ ea vtendi, nec aliter conceſſa intelligatur, quàm iuxta moderationem ab ipſo apponendam, & non aliàs. Cuius Epiſcopi, ſeu Vicarij conſcientia oneratur, & nonniſi ex vrgentiſsimis cauſis, vt ſupra dictum eſt, & ad breue tempus pluries, & eadem ſeruata forma, prorogare intra tempus in hac facultate à Sancta Sede conceſſum, & non vltrà; Idipſum autem prorſus ſeruetur ab ijs, quibus hæc eadem facultas celebrandi bis in die iuxta poteſtatem inferiùs apponendam communicata fuerit, adeo vt nemo ex ipſis niſi iuxta moderationem ab Epiſcopo, vel eius Vicario Generali, vel Capitulari, ſeu Vicario Apoſtolico, vt dictum eſt, apponendam huiuſmodi facultate vti valeat, iniuncta eorumdem Epiſcoporum, ſeu Vicariorum Conſcientia, vt vltra ſuperiùs dicta, non omnibus indifferenter, quibus fuerit communicata, ſed paucis dumtaxat, iiſque maturioris prudentiæ, ac zeli, & qui abſolutè neceſſarij ſunt, nec pro quolibet loco, ſed vbi grauis neceſsitas tulerit, & ad breue tempus, vt dictum eſt, facultatem, quo ad hoc communicatam approbet.

Decimaſeptima.

Concedendi indulgentiam plenariam primò conuerſis ab hæreſi, atque etiam fidelibus, quibuſcumque in articulo mortis ſaltem contritis, ſi confiteri non poterunt.

Decimaoctaua.

Concedendi indulgentiam plenariam in oratione quadraginta horarum ter in anno indicenda diebus bene viſis contritis, & confeſsis, ac ſacra Communione refectis, ſi tamen ex concurſu populi, & expoſitione Sanctiſsimi Sacramenti nulla probabilis ſuſpicio ſit ſacrilegij ab hæreticis, ſeu infidelibus, vel Magiſtratum offenſum iri.

Decimanona.

Lucrandi ſibi eaſdem indulgentias.

Vigeſima.

Singulis ſecundis ferijs non impeditis feſtis nouem lectionum, vel eis impeditis, die immediata ſequenti celebrando Miſſam de Requiem in quocumque Altari etiam portatili liberandi animam ſecundùm

dum eius intentionem à Purgatorij pœnis per modum ſuffragij.

Vigeſimaprima.

Deferendi Sanctiſsimum Sacramentum occultè ad infirmos ſine lumine, illudque ſine eodem retinendi pro eiſdem infirmis in loco tamen decenti, ſi ab hæreticis, aut infidelibus ſit periculum ſacrilegij.

Vigeſimaſecunda.

Induendi veſtibus ſæcularibus, ſi aliter, vel tranſire, vel permanere non poterit in locis Miſsionum.

Vigeſimatertia.

Recitandi Roſarium, vel alias preces, ſi Breuiarium ſecum deferre non poterit, vel Diuinum Officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeat.

Vigeſimaquarta.

Tenendi, & legendi, non tamen alijs concedendi, libros hæreticorum, vel infidelium de rebus Religionis tractantium, ad effectum eos impugnandi, & alios quomodolibet prohibitos, præter opera Caroli Molinæi, Nicolai Machiauelli, ac libros de Aſtrologia iudiciaria principaliter, aut incidenter, vel aliàs quouis modo de ea tractantes, ita tamen vt libri ex illis Prouincijs non efferantur.

Vigeſimaquinta.

Adminiſtrandi omnia Sacramenta etiam Parochialia, Ordine, & Confirmatione exceptis, & quoad Sacramenta Parochialia in Diœceſibus, vbi non erunt Epiſcopi, vel Ordinarij, aut eorum Vicarij, vel in Parochijs, vbi non erunt Parochi, vel vbi erunt, de eorum licentia.

Vigeſimaſexta.

Communicandi has facultates in toto, vel in parte Fratribus Conuentus Sanctæ Crucis loci de Queretaro Prouinciæ Mechoacam in noua Hiſpania, & ad formam Breuis Sanctiſsimi D.N. Innoc. Papæ XI. tam pro omnibus locis in ea miſsione Cōtentis, quàm pro aliquibus eorum, & ad tempus ſibi benè viſum, prout magis in Domino expedire iudicauerit, necnon eaſdem, quatenus opus fuerit reuocandi, ſiue etiam moderandi tam circa illarum vſum, quàm circa loca, & tempus eaſdem exercēdi, quod etiam, eo abſente, Vicepræfecto conceſſum intelligatur, itaut nec eidem Vicepræfecto, nec ipſorum cuilibet liceat eiſdem, ſi in miſſione præſens fuerit, hanc eandem Præfecti facultatem alteri communicare, ſi verò fuerit abſens, hoc ipſum V. Præfecto tempore obitus ipſius V. Præfecti conceſſum intelligatur, vt ſit, qui interim poſſit ſupplere, donec Sedes Apoſtolica certior facta, quod quamprimùm fieri debebit, per Delegatum alio modo prouideat.

Vigeſimaſeptima.

Et prædictæ facultates gratis, & ſine vlla mercede exerceantur, & ad annos ſeptem tantùm conceſſæ intelligantur.

Feria quinta die 16. Iulij 1682.

In Congregatione Generali S. Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis Sanctiſſimus D.N. Innoc. Papa XI. conceſſit ſupradictas facultates præfato Fr. Antonio Linaz Ordinis Fr. Minorum de Obſeruantia Præfecto Miſſionis in Indijs Occidentalibus Superiori Conuentus Sanctæ Crucis loci de Queretaro Prouinciæ Mechoacam in noua Hiſpania ad ſeptennium proximè futurū.

Cæſar Cardinalis Fachenetus.

Franciſcus Rinardus S.R. & Vniuerſalis Inquiſit. Not.

D V B I V M.

Vtrum à Commiſſario Generali alterius Familiæ ad Miniſtrum Generalem totius Ordinis poſſit haberi recurſus.

Quoniam caſus euenire poteſt, quòd aliqui Religioſi noſtri, vel etiam aliqua Prouincia de altera Familia ab illa, de qua Miniſter Generalis fuit aſſumptus à Commiſſario Generali huius familiæ ſecundùm Bullam *Vnionis* electo ſe ſe grauari prætendant, & ideò recurſum ad Miniſtrum Generalem totius Ordinis expoſtulent, non ſolùm vt ab illatis, ſiue prætenſis grauaminibus liberentur, verùm etiam ad implorandum contra poſſibilia in fu[illegible] grauamina remedium; deciſum indubie [illegible] videtur hucuſque, vel ex Apoſtolicis, vel ex Ordinis noſtri Conſtitutionibus; an Miniſter Generalis in tali caſu poſſit huiuſmodi recurſum admittere, cauſas, vel perſonas, aut Prouincias recurrentes ad ſuum tribunal aduocare, nec non ad præcauenda in poſterum inconuenientia, vel inquietudines per Commiſſarios ſuos ſpeciales à Generali Commiſſario prorſus independentes viſitare, aut etiam immediatæ ſuæ iuriſdictioni omnino reſeruare.

Vnde liquidò apparet, tria quæſita in hoc puncto principalia contineri; primò, an à Commiſſario Generali alterius familiæ ad Miniſtrum Generalem detur legitimus recurſus; ſecundò, an Miniſter Generalis licitè

citè poſſit Commiſſarios ſuos ſpeciales, & à Commiſſario Generali independentes deſtinare ad aliquas Prouincias in familia Commiſſarij Generalis; tertiò, an Miniſtro Generali liceat, aliquam ex huiuſmodi Prouincijs alterius familiæ, ſuæ immediatæ iuriſdictioni reſeruare; itaut interim non liceat Commiſſario Generali familiæ illius de tali ſic reſeruata Prouincia ſe vllatenus intromittere.

Cauſæ dubitandi poſſunt eſſe ſequentes. Primò, quòd Commiſſarius Generalis videatur in altera familia conſtitutus (ob Religionis amplitudinem, cui Miniſter Generalis vnus per ſe ſufficere non poſſit) vt ipſam pro Miniſtro Generali abſolutè regat, & gubernet, eo modo, quo poſſet Miniſter Generalis, ſi præſens adeſſet; vnde non remaneat ab ipſo ad Miniſtrum Generalem recurſus, aut appellatio.

II. Quia Commiſſarius ex cauſa prædicta videtur eſſe quaſi Vicarius, aut locum tenens Miniſtri Generalis; vnde cum à Vicario Epiſcopi ad ipſum Epiſcopum non detur recurſus, ita nec à Commiſſario alterius familiæ ad Miniſtrum Generalem totius Ordinis.

III. Et fortiùs, quia in Pariſienſibus de Anno 1579. in Valliſoletanis 1593. & in Segobienſibus 1621. vbi de recurſu, & appellatione legitima tractatur, decernitur, vt appellatio fiat à Prouinciali ad Generalem (in numero ſingulari) à Generali ad D: Card. Protectorem; cum ergo, nemine diſcrepante, ſub nomine *Generalis* æquè veniat Commiſſarius Generalis in ſua familia, ac Miniſter Generalis in toto Ordine; extra dubinm videtur poſitum, quòd à Prouinciali ad Commiſſarium Generalem in ſua familia, (vti Prælatum legitimum, & ordinarium) ab ipſo autem non iterum ad Miniſtrum Generalem Ordinis, ſed immediatè ad D. Card. Protectorem eſſe d[...] recurſus, & appellatio.

IV. Quia per Commiſſarios [...]atores ſpeciales à Miniſtro Generali deputatos, & per auocationem alicuius Prouinciæ de familia Commiſſarij ad omnimodam, & ſolam iuriſdictionem Miniſtri Generalis cum excluſione totali eiuſdem Commiſſarij Generalis, nimiùm videtur arctata, & læſa huius ordinaria poteſtas, & iuriſdictio; quòd Miniſtro Generali, niſi præſente, atque conſentiente Capitulo Generali, competere non videatur.

Rationes huiuſmodi, vel motiua cum verioribus, & plenioribus ſuis fundamentis inferiùs poſt cauſæ diſcuſſionem pleniùs referentur, & examinabuntur.

Vt autem integra claritate, atque ſecuritate poſſimus in cauſa procedere, ab huiuſmodi Commiſſariatus officij prima inſtitutione, atque forma eſſentiali eidem præſcripta inchoare debemus. Ergò Leo X. anno 1517. in generaliſſimo totius Minoriticę Religionis capitulo conſiderās vaſtiſſimā Ordinis eiuſdem amplitudinem, cui Miniſter Generalis non poſſet (vt par eſt) ſuo præſentaneo regimine intereſſe, Commiſſatium hunc Generalem pro familia altera, ab ea, de qua pro tempore aſſumeretur Miniſter Generalis, primus adinuenit, & authoritate Apoſtolica in celebri Bulla *Vnionis* inſtituit per hæc verba: [Ne ob huiuſmodi amplitudinē debito paſtoralis regiminis careat beneficio, decernimus, quòd ſi Miniſter Generalis de Ciſmontanis electus fuerit, inſtituat in partibus Vltramontanis vnum Generalem Commiſſarium ab eiſdem Fratribus Vltramontanis eligendū, cui Miniſter Generalis ſuper pręfatos Fratres Vltramontanos vices ſuas committat, prout Capitulo Generali expedire videbitur; ita tamen quòd Commiſſarius præfato Miniſtro Generali omnimodè ſubijciatur, vt cæteri prædicti Ordinis Prælati ſubijciuntur, ac illi per omnia obedire teneatur ſecundùm Regulam.]

2. Quatuor in hac inſtitutione eſſentialia concurrunt. 1. vt à Miniſtro Generali inſtituatur, non tamen per ſe, vt Vicarius ſuus, ſed per canonicā electionem ab illius familiæ Vocalibus eligendus. 2. vt ſic electo Miniſter ipſe ſuas vices committat in illa familia. 3. vt eius authoritas talis concedatur, qualis Capitulo Generali videbitur. 4. vt Commiſſarius ipſe non minùs, nec differenter, quàm cæteri Fratres, & Prælati Ordinis ſecundùm Regulam ſit ſubditus Generali Miniſtro, eique per omnia obedire teneatur.

3. Ex prima conditione conſtat, quòd Commiſſarius huiuſmodi eſt Prælatus Ordinis in ſua familia, cum ſit per electionem canonicam, & ideò proprium habet tribunal, vt videmus in praxi, ſecundùm Ordinis conſuetudinem, & ſtatuta; quòd etiam præſente ipſo Miniſtro Generali ſuam exercet pleniſſimè authoritatem, & authoritate ſua, atque nomine proprio decreta, & ſententias expedit, & publicat inconſulto Miniſtro Generali; vnde non vt Vicarius Miniſtri, ſed vt Ordinarius ſuam exercet authoritatem. Ex ſecunda deducitur, quòd non obſtante Commiſſarij electione per legitima ſuæ familiæ ſuffragia, habeat ipſe nihilominùs à Miniſtro Generali ſuæ authoritatis influxum; ex quo nunquam vel ignorare, vel tergiuerſari valeat de ſua ad eundem Miniſtrum dependentia.

4. Ex

4. Ex tertia conditione habemus, quòd nec Miniſtro Generali omnino licitum ſit, facultatis ad regendam familiam neceſſariç limites eidem Commiſſario pro libito vel ampliare, vel reſtringere, ſed tantùm iuxta Religionis vniuerſæ in Generalibus Comitijs ordinationem: ex quo indubitanter apparet, eum non eſſe Generalis Miniſtri ſimplicem officialem, aut Vicarium, qualis eſt Epiſcopi Vicarius Generalis, qui ab illius nutu, tum in inſtitutione perſonali, tum in facultatis reſtrictione dependet; ſed Cõmiſſarij huiuſmodi authoritas expreſsè fundatur in iure communi Minoritico, ex quo dubitari non poteſt, ipſam eſſe ſimpliciter ordinariam; Vnde ad iudicandum tutò de illius amplitudine, ad ordinata in Capitulis Generalibus eſt recurrendum.

5. In quarta denique conditione, voluit ſapientiſſimus Pontifex ad conſeruandam Ordinis Vnitatem (quo nihil clarius, aut euidentius deſiderari poteſt) vt Commiſſarius iſte ſit, & ſemper eſſe debeat (vt per regulam præcipitur) Miniſtro Generali per omnia ſubiectus, vti ſunt cæteri Ordinis Prælati, & ei firmiter obedire teneatur. Cum ergo cæteri Ordinis Prælati ex officio Prælaturæ ſint veri Paſtores, & Iudices, & Prælati, & tamen hoc non obſtante ſunt veriſſimè ſubditi, atque ſubalternati Miniſtro Generali, ad quem ab ipſis non denegatur appellatio; ita de Cõmmiſſario Generali per ipſiſſima verba Bullæ, per quã hoc inſtituitur officium, diſponitur expreſsè, quòd ad inſtar cæterorum Ordinis Prælatorum ſit ſubditus Miniſtro Generali, eiq; per conſequens in ſuo foro ſubalternatus, cum reſeruatione appellationis ad ipſum.

Cum itaque de prima, & ſecunda conditione nulla poſſit eſſe difficultas, quoniam per multiplicata ſucceſſiuè Ordinis ſtatuta, nec non per praxim indubitabilem conſtet, eius officium eſſe à iure, atque per canonicam electionem; ordinariam inſuper authoritatem licèt à Generali Miniſtro dimanantem, & proprium habere forum, & tribunal; Vnde etiam pręſente ipſo Miniſtro Generali cum plenitudine poteſtatis in familia ſibi credita ſuam exercet iuriſdictionem, vt habetur in Salmaticenſ. de Anno 1553. cap. 8. *Poſſit Commiſſarius Generalis eadem authoritate vti in partibus ſibi creditis, tam in Prælatos, quàm in ſubditos, qua vti poſſet Generalis Miniſter, ſi præſens eſſet.* Et in Valliſolet. de anno 1565. ſic habetur. *Commiſſarius Generalis ſuum exercere officium, & vti ſua authoritate, etiam exiſtenti Miniſtro Generali &c. Niſi eidem præfatus Generalis ordinauerit, vt negotia aliqua ad ſuum deuoluantur officium &c.* Et vt alia plura breuitatis ergo dimittam; in Statutis Generalibus familiæ Ciſmontanæ anno 1663. ex decreto Generali Capituli Toletani Anno 1658. compilatis cap. 8. §. 23. num. 4. 5. & 6. magis expreſsè hæc omnia confirmantur; ſic enim habetur: *Ordinaria eius poteſtas ad omnes ſibi creditas Prouincias, Fratres, & Moniales tam Prælatos, quàm ſubditos ſe extendit &c.* quòd latiùs proſequitur ibidem nu. 5. & 6. Cum inquam ex his ſemper renouatis ſtatutis, & praxi continua conſtet, quòd eſt Prælatus ordinarius in ſua familia, ſicut eſt Miniſter Prouincialis in ſua Prouincia, & Generalis in Ordine Vniuerſo; eo quòd diſtinctum à Miniſtro Generali habeat tribunal, vnde etiam inconſulto Miniſtro Generali ſuo nomine ſua publicat edicta, & ſententias pronunciat, & leges præſcribit; ſupereſt, vt de ampliatione, ac reſtrictione ipſius iuriſdictionis videamus, qualis nempè ſucceſſiuis temporibus fuerit, & ſit in ordine.

7. Ab ipſo ſuæ inſtitutionis exordio in Generaliſſimo Capitulo Romano 1517. ſic legimus ordinatum. *Rebellantes Commiſſario miſſo à Commiſſario Generali ſiue &c. expellantur de Prouincijs veluti conſpirantes in Prælatum: ſi autem Prouinciales, ad quos miſſus fuerit Commiſſarius, habeant cauſam legitimam contra Commiſſarium, proteſtatione facta, ſcribant ad Generalem Miniſtrum &c.* ſic habetur in Chronol. Seraph. fol. 226. col. 1. §. *Item rebellant.* & in Orb. Seraph. tom. 3. fol. 237. col. 2. §. *Item ordinatur.* Hic Commiſſarius declaratur eſſe verus, & legitimus in ſua familia Prælatus, & tamen in inferioribus reſeruatur ab eo ad Miniſtrũ Generalem recurſus. In Capitulo Carpenſi ann. 1521. vt habetur in Chronol. Seraph. fol. 249. col. 2. & in Orb. Seraph. to. 3. ſub eodem capitulo plurimæ factæ fuerunt limitationes circa Commiſſarij Generalis authoritatem, (quæ tamen in Burgenſi anno 1523. fuerunt reuocatæ, duabus exceptis, nempe quòd non poſſit facere Congregationem Generalem, nec impedire Commiſſarios ſpeciales à Miniſtro Generali ad aliquas Prouincias in familia Commiſſarij deſtinatos) poſt autem integrum tractatum de ipſius Commiſſarij authoritate, ſic concludit: *Quicumque autem maluerit ad Reuerendiſſimum Patrem Miniſtrum Generalem habere recurſum, & ad eius præſentiam, cum benedictione Dei hoc nemini denegetur.* Ecce per clariſſima ſtatuti verba definitus recurſus à Commiſſario Generali ad Miniſtrum Generalem, quod nùllibi reperitur aut moderatum, aut reuocatum, ſed potius confirmatum, & explicatum, vt infra videbimus.

8. Congregationem item Generalem ſuæ familiæ celebrare non poteſt, ſeipſum vltra triennium continuare, vel ſucceſſorem inſtituere, Commiſſarium Curiæ de ſua familia aſſumendum conſtituere, Guardianos Hieruſalem, & alia ſimilia facere non poteſt, quæ Generali Miniſtro ſpecialiter reſeruantur, vt habetur expreſsè in Valliſ. 1593. in Segobienſibus 1621. & in Ciſmontanis præcit. 1663. & alibi ſæpe ex quibus apertè conſtat, quòd ex legibus, & praxi Religionis Commiſſarius Generalis æqualem in ſua familia non habet authoritatem cum Miniſtro Generali in toto Ordine.

9. Quòd autem ſit ſimpliciter ſubditus, & ideò Prælatus, & Iudex ſubalternatus Miniſtro Generali, patet ex ipſius celebrata inſtitutione per Bullam *Vnionis*, vt not. hic num. 1. & per ſæpius replicata Ordinis ſtatuta ſupracitata, quod vltimò literaliter innuitur in Barchinonenſibus Segobiæ recognitis, & compilatis anno 1621. cap. 7. de electionibus tit. de Commiſſario Generali §. *Ita tamen*, vbi ſic dicitur; *Ita tamen quòd prædictus Commiſſarius Generalis præfato Miniſtro Generali omnino ſubijciatur, vt cæteri dicti Ordinis Prælati ſubijciuntur, ac illi per omnia ſecundum Regulam obedire teneatur*, quæ verba ex præcit. Bulla *Vnionis* ſunt excerpta: Idem ſupponitur in Ciſmont. præcitatis tit. de off. & poteſt. Commiſſarij Generalis §. 23. num. 5. vbi ſic habetur, *Et quamuis Commiſſarius Generalis in omnibus ſubijciatur Miniſtro Generali &c.* quod etiam euidentiſſimum eſt ex ratione, quæ eſt anima legis, ſi enim Commiſſarius Miniſtro non ſit ſubiectus, plurima ſequentur, & quidem grauiſſima inconuenientia, inconuentia inquam irreparabilia: Primò etenim diſſoluitur primarium, & eminentiſſimum in Regula præceptum de ſubiectione, atque obedientia Miniſtro Generali ab omnibus præſtanda: Secundò aſtruitur monſtruoſa in ordine ipſo diuiſio, cum duo capita æque ſuprema in ipſo conſtituantur, nempe Commiſſarius, & Miniſter Generalis: Tertiò in eadem familia Commiſſario concredita, vel Miniſter Generalis non recognoſcitur vt ſupremus Prælatus, & caput; & ſic iam non erit Miniſter Generalis totius Ordinis, contra Regulæ textum, & contra Bullas Apoſtolicas, atq; Ordinis cõſtitutiones hac de re tractantes, nec non contra inuariatæ praxis euidentiã, vel recognoſcitur vt caput ſupremum; & ſic iterum erunt duo monſtruoſa capita: tunc quæro: ſi hæc duo capita ab inuicem diſcordant, cui erit obediendum? de quo latius infra.

Adde 4. Quòd Miniſter Generalis poſt electionem canonicam de ipſo factam debet eum in officio confirmare, vices ſuas committere, corrigere, ſindicare, deponere ſecundum exigentiam, in officio continuare, vel ſucceſſorem inſtituere; at hæc omnia ſine illius ad Miniſtrum omnimoda ſubiectione, atque ſubalternatione, quomodo poſſint ſubſiſtere omnino non video. his euidentiſſimè ſuppoſitis, ſit.

10. Concluſio 1. Commiſſarius Generalis non eſt ſimplex officialis, aut Vicarius Miniſtri Generalis, ſed Prælatus verus, & Iudex legitimus ſeparatus in ſua familia. Patet hæc concluſio: ſimplex officialis, & Vicarius fiunt per ſimplicem nominationem, & inſtitutionem à legitimo ſuperiore, nec habent forum, & tribunal proprium, ſed operantur nomine, atque authoritate ſui principalis, ipſiuſque perſonam repræſentant, & ab ipſo recipiunt ad momenta ſuæ authoritatis amplitudinem, aut reſtrictionem, vt patet in Vicario Epiſcopi; ſed Commiſſarius Generalis inſtituitur per electionem canonicam, habet officium ſuum, forum, & tribunal proprium à iure, ipſum exercet à ſe, abſq; alia repręſentatione, nec Miniſter Generalis poteſt eius authoritatem reſtringere abſque decreto Religionis, ergo non eſt ſimplex officialis, & Vicarius, ſed verus Prælatus, Iudexque legitimus in ſua familia. Confirmatur, quia officium ſuum etiam præſente, atque inconſulto Generali exercet Miniſtro, nomineque proprio, & authoritate ſua ordinaria ſententias, & edicta promulgat; ergo &c.

11. Concluſio 2. Officium Commiſſarij Generalis eſt prorſus diſparatum, & incompoſſibile cum officio Miniſtri Generalis: patet, quia Miniſter eligitur ab omnibus vniuerſæ Religionis Vocalibus; Commiſſarius autem à ſolis Vocalibus ſuæ familiæ: ſecundò, quia Miniſter pręſidet, & poteſt in Ordine vniuerſo; Commiſſarius autem in ſua ſola familia: tertiò, quia Commiſſarius recipit confirmationem, ſindicationem, atque ſuæ iuriſdictionis influxum à Miniſtro Generali, (iuxta Bullam *Vnionis* citat. hic num. 1.) tametſi ſecundum iura Religionis, ſed idem non poteſt habere duplicem electionem, nempe à toto, & à parte, nec authoritatem vniuerſalem, & dimidiatam; nec ſeipſum confirmare, ſindicare, aut ſibimet iuriſdictionem influere, ergo &c.

12. Dices dari poteſt caſus, quo nullus exiſtat Commiſſarius Generalis, ſed tunc vnus, & idem erit Miniſter, & Commiſſarius, ergo falſa concluſio: Maior eſt euidens, vt de facto euenit anno 1636. quando nulla celebrata congregatione Generali, nec facta noui Commiſſarij Inſtitu-

tione,

-tione, Reuerendiſſimus P. Ioannes Baptiſta Campanea Miniſter Generalis vtramque familiam immediatè gubernauit. Reſpondetur negando Minorem, cum enim illo anno ob peſtes, & bella conuenire non potuiſſent ad Commitia Vocales, ſupplere voluit nouas electiones S.D. Vrb. VIII. in particulari ad hoc diplomate deſignaras, vt videre eſt in Orb. Seraph. tom. 1. fol. 383. ſed cum nec ipſum Breue Apoſtolicum legi potuerit, nihil innouatum fuit, cum liberum non eſſet Miniſtro Generali ſcienti de Apoſtolicis huiuſmodi litteris alium nominare, aut inſtituere Commiſſarium: Vnde cum triennium Commiſſarij antecedentis tunc fuerit terminatum, nec nouus inſtitutus ſit, neceſſe fuit, vt Miniſter Generalis, qua talis (non verò vt Miniſter, & Commiſſarius) ex antiqua ſuæ inſtitutionis plenitudine familiam vtramque immediatè gubernaret, quod à contrario magis elucefcet; etenim nuſquam reperitur, quòd Commiſſarius Generalis vtramque familiam gubernauerit, quia ab vna, & pro vna tantum fuit electus, Miniſtro verò non repugnat, qua tali, vtramque regere, quia ab vtraque electus eſt vtriuſque legitimus, & veriſſimus Prælatus.

13. Concluſio 3. à Commiſſario Generali alterius familiæ ad Miniſtrum Generalem totius Ordinis datur ſimpliciter appellatio, & recurſus. Concluſio litteraliter habetur in Bulla Gregorij XIII. *Quoniam noſtro &c.* Datum Romæ die 8. April. 1575. vbi ſic habet; *Si ſe à Prælatis ſuis grauari prætendent, ad Generalem Miniſtrũ ipſius Ordinis, ſeu illius Protectorẽ, aut Vice-Protectorem in Rom. Curia, vel ad Nos, ſiue ad Romanũ Pontificem ſucceſſorem noſtrum ſupremum in Eccleſia Dei Iudicem, ſicut antiquitus ſemper fuit conſuetum, recurſum habeant.* Quid clariùs hac in re deſiderari poteſt? Ecce ſapientiſſimus Pontifex, qui habet omnia Iura in ſcrinio pectoris ſui non ignorat, eſſe in Religione noſtra Guardianos, Prouinciales, & Commiſſarium Generalem, à quibus omnibus poſſibile eſt, ſubditos aggrauari; & ab omnibus illis Prælatis ſtatuit Pontifex ſub grauiſſimis, & inſolitis pœnis, dari debere ad Miniſtrum Generalem appellationem, & recurſum.

14. Hinc etiam in ipſo vnionis capitulo, in quo primus eſt electus Commiſſarius Generalis anno 1517. ſtatutum eſt, vt grauari à Commiſſario, ſeu à Viſitatore miſſo à Commiſſario Generali recurrant ad Miniſtrum Generalem, vt ſupra notatum eſt n. 7.

15. Hinc etiam Pariſienſia ſtatuta de anno 1579. circa appellationes. Valliſoletana de anno 1593. cap. 7. tit. de appellat. & Segobienſia de anno 1621. cap. 6. de correctione delinquentium, tit. de appell. ordinant expreſsè, appellationem fieri debere à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem &c. euidens autem eſt ſub nomine Generalis venire primariò, & principaliter Miniſtrum Generalem; Vnde licèt ibi non exprimatur *à Commiſſario Generali ad Miniſtrum*; remanet indubium, hæc ita intelligi debere. Confirmatur, quia hæc omnia ſtatuta hic allegata fundantur expreſsè in præcitata Bulla Gregoriana *Quoniam noſtro &c.* quàm ſingula citant in margine; ſed in hac Gregoriana expreſsè nominatur ad Miniſtrum Generalem, ergo vel excluditur in ſerie appellationis Commiſſarius, vel ab eo ad Miniſtrum datur appellatio, vt meliùs videtur eſſe de intentione Bullæ dicentis, ab omnibus inferioribus Prælatis ad Miniſtrum Generalem dari appellationem.

16. Dices: Præfata Pariſienſia, Valliſoletana, & Segobienſia potiùs excludunt, quàm inferant appellationem à Commiſſario ad Miniſtrum, quia dicunt expreſsè fiendam eſſe appellationem à Prouinciali ad Generalem, & à Generali ad Protectorem. Quod confirmatur per decretum Sacræ Congregationis ſub Reuerendiſſimo Toloſa Miniſtro Generali editum, & in Congregatione Generali Neapolitana confirmatum c. 37. vbi ille ipſe ordo appellationis præſcribitur, dum ergo à Prouinciali ad Generalem (in ſingulari) ſtatuunt recurſum, clariùs ſe declarant, à Prouinciali ad Protectorem vnam eſſe tantùm intermediam appellationem, quæ ideo reſpectiuè debet intelligi, vt nempe ad Commiſſarium fiat in ſua familia, & ab ipſo immediatè ad Protectorem, non enim dubium eſt, per ſæpe repetita ſtatuta, Ordinis ſub nomine Generalis, tam venire Commiſſarium, quàm Miniſtrum, ſi enim voluiſſent Segobienſia, Præſidente Benigno Miniſtro Generali confecta, etiam à Commiſſario ad Miniſtrum dari appellationem, profectò ad tollendam in re tam graui omnem dubietatem, hoc expreſſiſſent, cum maximè per ipſa fuerint abrogata omnia præcedentia ſtatuta, per quæ illud poſſet inferri: *hic eſt Achilles oppoſitæ ſententiæ*. Reſpondeo tamen retorquendo argumentum ſic; in Pariſienſibus, Valliſoletanis & Segobienſibus hic allegatis præfigitur appellatio vnica à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, non exprimendo Miniſtrum Generalem, ergo intelliguntur de ſolo Commiſſario Generali; nego conſequentiam, cum omnibus eius probationibus: & ſic arguo, omne Analo-

gum poſi tũ per ſe ſt at pro ſuo famoſiori ſignicato, ſed ſub nomine *Generalis* (quod ſupponitur analogũ ad Commiſſarium, & Miniſtrum Generales) principale ſignificatum eſt Miniſter Generalis, vt omnes fatentur propter longè maiorem gradus, & authoritatis eminentiam; & quia Miniſter ipſe eſt primò, & per ſe talis ex Regulæ Cõſtitutione, abſque vlla intra Religionem dependentia; Commiſſarius autem nonniſi diù poſt introductus in adiutorium, & ſupplementum eidem Miniſtro, propter adauctam Religionis amplitudinem, & ideo ſecundariò tantùm, nec ſine continua ab ipſo Miniſtro dependentia, & ſubiectione, necnon cùm longe minori iuriſdictione, ergo appellatio in illis ſtatutis aſſignata intelligenda eſt, à Prouinciali ad Miniſtrum Generalem, vt ad principale ſignificatum in illo Analogo, *Generalis*, excluſo Commiſſario Generali, ſi velis vnicam hanc eſſe appellationem. Hæc illatio habet euidens fundamentum primò à ſtatutis Romanis anno 1517. & Carpenſibus 1521. ſuperiùs num. 7. allegatis: deindè in eis ipſis Pariſienſibus, Valliſoletanis, & Segobienſibus hic citatis; cum enim hæc omnia fundentur in Bulla præcit. Gregorij XIII. *Quoniam noſtro &c.* prout vbique citatur in margine; Bulla verò ipſa expreſsè declaret, appellationem fieri debere à Prouinciali ad Miniſtrum Generalem (& vtramque familiam expreſsè nominet ibidem, vndè præſumi non poteſt, Papam ignoraſſe Commiſſarium alteri familiæ præpoſitum) deducitur expreſsè, in omni caſu ſeruandam eſſe appellationem ad Miniſtrum Generalem; & hunc ipſum ſub nomine *Generalis* ibidem intelligi.

17. Addo ad maiorem huius irrefragabilis rationis euidentiam, quod cum hæc difficultas penetrata fuerit in Comitijs Valliſoletanis anno 1593. hic allegatis, nempè Commiſſarium Generalem poſſe in ſerie appellationis hic excludi; voluit eidem difficultati occurrere Capitulum Generale; cum enim in tit. de appellationibus, num. præcedenti allegat. inhærendo præcedentibus ſtatutis ibidem citatis ſeriem apppellationis conſtituiſſet, per verba antiqua *à Prouinciali ad Generalem*, vt ablata quacunque difficultate conſtaret, etiam à Prouinciali ad Commiſſarium Generalem in ſua familia, & nihilominus ab ipſo Commiſſario ad Miniſtrum Generalem dari debere appellationem, hoc expreſsiùs declarauit ipſum Capitulum Generale Valliſoletanũ 1593. in cap. 8. tit. *de Generali Miniſtro, & eius officio, & poteſtate §. ad eum ab omnibus*, ſic ſtatuendo. *Ad eum ab inferioribus quibuſcunque, in quibuſuis cauſis appellare, ad eum recurſum habere licet, antiquarum tamen conſtitutionum ordine ſeruato (vt ſupra cautum eſt) nimirum à Guardiano ad Prouincialem, à Prouinciali ad Commiſſarium Generalem, ab eo ad ipſum Generalem Miniſtrum, niſi vbi illi eſſent meritò ſuſpecti, quia tunc ad Generalem Miniſtrum immediatè appellare, & recurſum habere licebit*. Quid clarius hac in re deſiderari poteſt?

18. Dices, per ſtatuta Segobienſia caſſantur, & abolentur, omnia, & quæcunq; antecedentia, ergo non admittunt hanc prætenſam expoſitionem per antecedentia, vt ſemper per *Generalem* intelligatur Miniſter, excluſo Commiſſario in ſua familia, vbi habet plenitudinem poteſtatis. Confirmatur, quia tantam habet ibi iuriſdictionem, vt nulla remaneat inter ipſos differentia. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens, abolentur ſtatuta antecedentia, quæ ſint ipſis Segobienſibus contraria, concedo, abolentur illa, quæ faciunt ad ipſorum Segobienſium declarationem in rebus dubijs, nego antecedens. Hæc eſt communiſſima doctrina in Ordine noſtro, & extrà ipſum: quia quæ in legibus nouiſſimis reperiuntur non explicata (caſus enim omnes, & ſingulos comprehendere non poſſunt) certè declarari debent, non tamen ex mera voluntate declarantis, ſed per leges antiquas, in quibus illa dubia reperiantur explicata. Sic habet expreſsè Pater Sanctorius in Commentarijs ad conſt. Ord. dicens: quòd leges antiquæ etſi non valeant ad obligandum, valent tamen ad notitiam aliquorum dubiorum, ad coniectandam mentem Ordinis, antiquitatis normam, Religionis progreſſum, & inſuper vbi in modernis deciſio non reperiatur &c. tunc enim vti poſſumus antiquis, in quibus caſus repriretur in fonte, niſi ratio temporis dictaret aliud: vt enim habet de Caſtro Palao tract. 3. diſput. 1. part. 24. §. 6. de leg. etiam Clerici parere debent legibus ciuilibus, quæ Eccleſiaſticis non repugnant; & Regna, quæ municipalibus legibus reguntur, vbi iſtæ deficiant, ad Ciuiles, Cæſareaſque recurrunt: Et in noſtra praxi criminali tit. de applicat. pœnarum §. penult. ordinatur, quòd, quæ ibi expreſſa non ſunt, poterit Iudex ex ſtatutis Ordinis, ex Sacris Canonibus, vel ex probatis legibus, & conſuetudibus, prout ratio ſuaſerit, eligere. Tandem vt expreſsè dixit Iuſtinianus in ff. confirmatione §. 18. *vt ſi quid edicto poſitum non inuenitur, hoc ad eius regulas, & coniecturas, & imitationes poſſit noua inſtituere authoritas*. Et in ſequenti eorũdem ff. confirmatione dicit, *vt ſi quid præter*

P. Sanctor. comm. ſuper conſt. cap. 12. ſtat. 12. qu. 3.

id,

id quod iam ordinatum eſt, emerſerit, illud conari decidere ſecundùm eorum, quæ iam ordinata ſunt, conſequentiam, & imitationem. Ita in Ordine noſtro ad leges antiquas recurrendum non dubitatur, vbi nouæ vel deficiant, vel ſint ambiguæ, vt gratis de ipſis Segobienſibus ſupponitur; ergo hîc illę requirendæ ſunt, in quibus caſus expreſsiùs exprimitur; Segobienſia enim caſum (vt vos prætenditis) relinquunt obſcurum, quis ſub nomine *Generalis* in ſerie recurſus intelligi debeat; Ergo recurrendum eſt pro declaratione ad leges antiquas Ordinis, in quibus reperiatur explicatum, niſi Iudex (reiecta Religionis authoritate) velit lites ex ſuo cerebro dirimere, quod eſt ſtultè procedere, prout habetur in l. 2. §. *miſerabilus*, de veteri iure &c. ſed caſus noſter exprimitur in Vallisolet. citatis hic num. 17. Ergo per illa Valliſoletana debent explicari hæc Segobienſia.

19. Quòd autem hæc Segobienſia, ſint per ſe inſufficientia, & debeant per alia antiqua declarari, patet ibidem, quia licèt indubium ſit, poſſe non minus à Guardiano inferri grauamen ſubditis, de recurſu in eo caſu nihil aſſignant hæc Segobienſia, ergo ad eorum complementum, & intelligentiam eſt recurrendum ad antiqua.

20. Confirmatur ſecundò ex facto ipſiuſmet Religionis; cum hæc enim proceſſu temporis aduertiſſet, hæc Segobienſia ex cauſis prædictis eſſe inſufficientia; & per appellationem à Prouinciali ad Generalem, excludi poſſe Commiſſarium, ſolo Miniſtro incluſo, prout oſtenſum eſt ſupra num. 16. & oſtendetur num. ſequenti; ad tollendam hanc æquiuocationem in Congregatione Generali anno 1661. præſidente Miniſtro Generali, & aſſiſtente Commiſſario Generali alterius Familiæ, declarauit expreſſiùs, appellationem fieri debere à Prouinciali ad Prælatos Generales in numero plurali, non ampliùs in ſingulari, *ad Generalem*, à Generalibus ad Eminentiſſimũ Protectorem, oſtendens Commiſſarium excludi non debere in ſerie recurſus, &c.

21. Reſpondeo ſecundò ad obiectionem principalem, negando ſuppoſitum, & conſequentiam, non enim vel dubia ſunt illa Segobienſia, vel Commiſſarium vocant in ſerie appellationis ſub nomine Generalis, excluſo Miniſtro; ſic enim habent loco allegato cap. 7. de correct. tit. de appellat. §. *vbi vero appellation.* ſic inquam dicunt; *à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, &c. prout conſtitutione Apoſtolica iam cautum eſt*. Hæc autem Conſtitutio Apoſtolica citatur in margine Gregor. XIII. cum Pariſien. anno 1579. Hæc autem Gregoriana, vt etiam allegatur in Pariſienſ. eſt illa, quam ſupra citauimus; *Quoniam noſtro, &c.* quam ſuperiùs num. 17. allegauimus, in qua Pontifex & vtramque Familiam nominat expreſsè, & iubet appellationem fieri debere, à Prouinciali ad Miniſtrum Generalem, à Miniſtro ad Protectorem; ergo Segobienſia allegando Conſtitutionem Apoſtolicam non excludunt, ſed expreſsè includunt Miniſtrum Generalem, & potiùs excludunt Commiſſarium in ſerie appellationis, cui obuiare volendo Religio anno 1661. vt num. anteceden. notatum eſt, declarauit, appellationem à Prouinciali fieri debere ad Prælatos Generales.

22. Ad confirmationem obiectionis Reſpondeo, negando aſſumptum, maxima namque eſt differentia inter authoritatem Miniſtri, & Commiſſarij Generalis, vt certiſſimum eſt, & fuit ſemper in Religione vniuerſa; vt num. 7. & 8. demonſtrauimus; vt autem cætera nunc omittam; poteſt Miniſter Generalis ex ſe deſtinare ſuos Commiſſarios Viſitatores in Prouincias Generali Commiſſario concreditas; Quibus à Miniſtro miſſis, nec Commiſſarius ipſe Generalis, nec quicumque alius poteſt obſtare in ſuo officio, vt ſub grauiſſimis omnino pœnis ſtatuit Gregorius XIII. in præcitat. Conſtitutione. *Quoniam noſtro*; ergo Miniſter Generalis etiam abſens exercet plenitudinem poteſtatis ſuper Familiam Commiſſario Generali concreditam. Immo & per multiplicia Ordinis Statuta ſuperiùs allegata, poteſt Miniſter Generalis ordinare Commiſſario, vt ab aliquibus negotijs, & Prouincijs prorsùs abſtineat, ipſas ſibi reſeruando, & quòd cauſæ ad ſe deuoluantur; ergo plenitudinem habet Iuriſdictionis ſuper ipſum, & illius officium; ergo non ſunt pares in iuriſdictione.

23. Tandem probo concluſionem principalem euidenti demonſtratione. Appellatio eſt remedium ex natura conceſſum, & per leges declaratum contra grauamina, ab inferiori ad ſuperiorem, *cap. omnis oppreſſus* 2. quæſt. 9. ſed Commiſſarius Generalis eſt Prælatus, & Iudex ſimpliciter inferior ad Miniſtrum Generalem, ergo ab illo ad iſtum datur ſimpliciter appellatio. Confirmatur: ſi non datur appellatio ad Miniſtrum Generalem, ergo Commiſſarius non recognoſcit in ſua Familia Miniſtrum Generalem, vt ſuum, & totius Religionis caput ſupremum; quòd eſt contra ſenſum communiſſimum Religionis explicatum in Bulla *Vnionis*, per quam fuit inſtitutum hoc officium, & contra vniuerſa Ordinis Statuta ſuperiùs allegata; ergo Commiſſarius ipſe

erit

erit ſupremus, & independens in ſua Familia, ergo in Religione vna erunt duo monſtruoſa capita ſuprema, ſine ſubalternatione ad inuicem; ergo tandem Familia Commiſſarij Generalis erit diſmembrata à corpore totius Religionis, cuius non agnoſcitur ſupremum caput, niſi Miniſter Generalis.

24. Hac ratione corruit olim (vt notat. in Orbis Seraphici tom. 1. lib. 3. cap. 9. §. 1.) corruit inquam ſimilis vana prętenſio Commiſſarij Generalis Indiarum, qui ex argumento ſimili, quòd habeat ſuper Indicas Prouincias plenitudinem poteſtatis, & quòd Officium ſuum ſit à iure, prætendit aliquando; dari non poſſe appellationem à ſententia ſua ad Miniſtrum Generalem, ſed cecidit à cauſa, vt ibi notatur; & de facto anno 1668. Reuerendiſſimus Samaniego Miniſter Generalis præſente, atque cedente Commiſſario Generali Indiarum, cauſam appellationis cuiuſdam Indicę Prouincię acceptauit, & terminauit. Quid autem hìc reſponderi poſſit, omnino non video: meam fateor ignorantiam.

26. Dices; à Vicario Epiſcopi non datur appellatio ad ipſum Epiſcopum; ergo nec à Commiſſario ad Miniſtrum Generalem, cum ſit eius Officialis, & locum tenens. Reſpondeo, negando conſequentiam & paritatem, quæ in nullo conuenit, Vicarius enim Epiſcopi eſt ab homine; Commiſſarius verò à iure, & per canonicam electionem. Secundò quia Vicarius, & Epiſcopus habent vnum & idem tribunal, velut vna & eadem perſona: Vnde Vicarius ipſe ſententias ſuas, & edicta non ſuo, ſed Epiſcopi nomine publicare debet, at Commiſſarius Generalis habet officium, & tribunal à Miniſtro Generali omnino diſparatum, & à iure conſtitutum, nomine ſuo agit, non nomine Miniſtri Generalis, habet authoritatem propriam, etiam præſente Miniſtro Generali; Vnde non videtur eadem cum Miniſtro perſona, cum verò ex altera parte ſit ſimplicitèr ſubiectus, ſubditus, & ſubalternatus Miniſtro Generali, nulli dubium, quòd à tribunali, & Iudice inferiori ad ſuperiorem detur appellatio.

Dices: quid ſi extaret contra hanc noſtram concluſionem Apoſtolica conceſſio alicui Commiſſario Generali ſpecialitèr conceſſa? Reſpondeo primò, auditum quidem fuit, ſupplicatum eſſe apud Sanctiſſimum, vt ex cauſis, & in cauſis in memoriali recitatis, liceret Commiſſario Generali procedere, non attenta quacumque appellatione intra, vel extra Religionem, niſi ad Eminentiſſimum Protectorem immediatè; cui memoriali reſcriptum fuerit *Sanctiſſimus annuit, durante officio Oratoris*, & exinde formaſſe decretum Commiſſario fauorabile Eminentiſſimum Protectorem ſub die 22. Maij 1683. quòd poſſit Commiſſarius Generalis contra quoſdam criminoſos procedere omni appellatione poſtpoſita, tam intra, quàm extra Religionem, &c. prout in ipſo Decreto, &c. exorta autem exinde hac difficultate, declarare dignatus eſt idem Eminentiſſimus per aliud ſuum Decretum ſub die 10. Nouembris 1683. non tolli per antedictum primum ſuum Decretum appellationem ad Miniſtrum Generalem, in quacumque actu reperiatur Familia.

28. Addo autem; quòd etſi Breue Apoſtolicum contra huiuſmodi appellationem ad Miniſtrum Generalem fuiſſet impetratum; illud omnino iudicandum eſſet pro ſubreptitio; cum enim appellatio à Minori ad maiorem Iudicem ſit remedium naturale pro ſubleuandis oppreſſis; & inſuper reſpiciat dignitatem Iudicis Maioris, quæ in accipiendo appellationem eluceſcit, non poteſt omnino ſupponi piiſſimus Pontifex, qui eſt Pater omnium Chriſti fidelium, & ſpecialitèr Fratrum Minorum, niſi hoc expreſſiùs declaret, voluiſſe miſerè oppreſſos hoc appellationis beneficio à iure naturali, & canonico ad iuſtum intra ipſam Religionem leuamen conceſſo priuare; & Religionis, atque Miniſtri Generalis inauditi iura principalia conuellere: duo capita ſuprema in Ordine Minorum cum monſtruoſitate conſtituere: Iuri canonico, & Bullis plurimis Apoſtolicis, maximè verò præcitatæ Bullæ *Vnionis*, per quas MiniſterGeneralis Superior ſimpliciter declaratur ad Commiſſarium Generalem, cum maxima Religionis confuſione derogare.

29. Tandem hæc concluſio principalis habetur euidentèr determinata in Capitulis Generalibus, nempè Romanis de Anno 1517. Carpen. 1521. in Valliſolet. 1593. in locis ſuperiùs enumeratis, & expreſſiſſimè in præcitat. Conſtitut. *Quoniam noſtro, &c.* Gregor. XIII. Vnde difficultatem nec apparentem admittere poſſe mihi videtur. Quamuis enim Salmaticenſia, Pariſienſia, ipſaque Valliſolet. tit. de appellat. atque Segobienſia in ſuperioribus deſignata, & S.C. Decretum expreſsè non declarent, *ad Miniſtrum Generalem*, ſed ſolum *ad Generalem* abſolutè: nullo tamen modo præſumendum eſt, voluiſſe vnquam Religionem ſub nomine *Generalis* excludere principale ſuum ſignificatum, & quod primò, & per ſe ex vi Regulæ venit ſub nomine *Generalis*, nempè *Miniſtrum*, illum verò

verò priuatiuè includere, qui tantùm ſecundariò, & velut ex priuilegio venit ſub nomine *Generalis*, nempè *Commiſſarium* aut velle monſtruoſam facere, vel diuiſam ſub duplici capite ſupremo Religionem. Præterquam quòd ipſamet ſeſe declarant, de quo intelligant, dum ad præcitat. Gregor. XIII. Bullam ſe remittunt, in qua Miniſter Generalis ſolùm nominatur.

30. Denique vt omni euidentia veritas elucefcat, ſuppono Miniſtrum Generalem actu exiſtere in Familia Commiſſarij; Commiſſarius eo præſente ſuam cum eadem plenitudine iuriſdictionem exercet, ac ſi Miniſter abeſſet; vt per Statuta generalia præcitata diffinitur: tunc demus, ſubditum aliquem à Commiſſario Generali grauatum appellare ab ipſo ad Miniſtrum, (vel ſi ex iuſto metu, vt reuerentiali, aut alio appellare non audeat, proteſtetur coram honeſtis perſonis de grauamine ſaltem in genere, & de voluntate appellationis, quo caſu habetur, ac ſi appellaſſet, vt eſt in tit. de appellat. cap. finali) Miniſter Generalis cauſam illam ad ſe ex titulo appellationis deuolui mandabit, ne filio ſuo protectionem Patris iuſtè petenti, confugium naturale deneget iniuſtè; Commiſſarius autem negabit, talem admitti poſſe appellationem; Quæro, quis eorum alteri cedere debebit? ſi cedit Commiſſarius, habemus intentum (quòd autem Miniſter Generalis vel in ſua, vel in Commiſſarij Familia exiſtat, perinde eſt) ſi cedit Miniſter Generalis, iam non erit caput, & Prælatus ſupremus totius Religionis; ergo non eſt ſuperior Commiſſario, quia non poteſt ipſum compeſcere; ergo corruit principale Regulæ præceptum de obedientia Miniſtro Generali ab omnibus debita; ergo corruit forma eſſentialis pro inſtitutione Commiſſarij Generalis in Bulla *Vnionis* præſcripta; ergo tandem Commiſſarius Generalis erit ſimpliciter ſupra Miniſtrum Generalem; dum ſuper ipſum præualere contendit: Quis hæc audeat ſomniari?

De ſecundo principali, nempe de Commiſſario Viſitatore, ac Præſide Capituli (præſcindendo à formalitate recurſus ob grauamina) per Reuerendiſſimam Veſtram Paternitatem, eò deſtinando ex plenitudine ſuæ authoritatis ordinatiæ. Dico, quòd hoc abſque vlla controuerſia fieri poteſt. Probatur primò ex Conſtitutione expreſſa Gregorij XIII. quæ tergiuerſationem nullo modo admittit, ſic enim ait Bulla. *Quoniam noſtro*, *&c.* Dat. 8. April. 1575. *Volentes eundem Miniſtrum Generalem, quotieſcumque ſibi expedire videbitur, quos voluerit, Commiſſarios ad quaſcumque ſui Ordinis vtriuſque Familiæ Prouincias, quibuſuis conſuetudinibus, ac Statutis per quaslibet perſonas in contrarium factis non obſtantibus, liberè mittere poſſe.* Confirmatur per Statuta Carpenſia de anno 1521. §. 1. *licet*, vbi declarando aliquas limitationes factas ſuper authoritatem Commiſſarij Generalis, ſecunda limitatio hæc eſt: *Nec impediet Commiſſarios ſpeciales à Reuerendiſſimo Patre Miniſtro Generali ad aliquas Prouincias deſtinatos.* Quod confirmatum fuit à Burgenſibus anno 1523. §. *limitationes*; vbi ſic ait; *Nec Commiſſarios particulares per Reuerendiſſimum Patrem noſtrum Miniſtrum Generalem miſſos poterit impedire.* Et Salmanticenſia cap. 8. tit. de Commiſſario Generali, §. *idem Commiſſarius Generalis*, *&c.* Vbi punctum hoc expreſſiſſimè dilucidat, & definit. quæ conſtitutio Generalis nullibi reperitur vel correcta, vel reuocata, imò conformiter ad ipſam expedita fuit præcitata Conſtitutio Apoſtolica Gregorij, *Quoniam noſtro*, *&c.* quæ grauiſſimis, & inſolitis pœnis, & cenſuris eſt roborata.

Noui, Mirandam tom. 2. Manual. quæſtion. 11. cap. 4. controuer. 1. videri ad oppoſitum declinare, videlicet, non licere Miniſtro Generali pro libito limitare Commiſſarij Generalis authoritatem, aut illi viſitationem alicuius Prouinciæ adimere; niſi in ipſo Capitulo Generali, in qua eligitur ipſe Commiſſarius, ante, vel poſt electionem huiuſmodi facta fuerit talis coarctatio. Reſpondeo tamen, Mirandam, & alios, ſi qui cum ipſo ſentiant, teneri reſpondere ad allegata Statuta Generalia Ordinis Carpen. & Burgen. nuſquam reuocata aut moderata, ſimilitèr & ad Bullam Gregorij XIII. præcitatam, quæ etiam in cæteris in ipſa contentis in pleniſſimo eſt vigore in noſtra Religione; per quæ Statuta ſimpliciter, & abſolutè conceditur Miniſtro Generali, nulla appoſita cauſa, vel temporis limitatione, vt Commiſſarios à nullo alio impediendos, vel moleſtandos ad Prouincias vtriuſque Familiæ deſtinare valeat; ergo tunc non licebit Commiſſario Generali durante tali viſitatione, & delegatione facta à Miniſtro Generali, de tali Prouincia ſic delegata ſe intromittere. Reſpondeo ſecundò, etiam ex doctrina ipſius Mirandæ licere Miniſtro Generali, nulla appoſita cauſa, ſed prout ſecundùm Deum melius ſibi videbitur expedire, deſtinare Commiſſarios ſpeciales ad aliquas Prouincias in Familia Commiſſarij Generalis. Dicit enim ibi Miranda, quòd limitare poteſt authoritatem Commiſſarij Generalis, ante, vel poſt illius electionem in ipſo Capitulo, ſed per Capitula Generalia, & Bullam Papalem ſuperius allega-

allegata, & nuſquam reuocata, vel moderata, hoc ſpecialiter, & abſolutè licet Miniſtro Generali, & limitata fuit quoad hoc authoritas Commiſſarij Generalis, ergo abſolutè, & ſimpliciter licet, contra Mirandam Miniſtro Generali, &c.

Dices, hoc eſſe iniurioſum Commiſſario Generali, cuius per hoc præiudicatur authoritati; Confirmatur per Regulam Cancellariæ Apoſtolicæ de non tollendo iure quæſito alicui. Reſpondeo, negando aſſumptum: imò hoc explicat euidentiùs eſſentialem formalitatem ipſius officij, atque ſupremi in Religione capitis præeminentiam; nec enim talis delegatio Commiſſarij ſpecialis ad aliquam Prouinciam inducitur de nouo, ſeu ſtabilita eſt de nouo; ſed per antiqua Ordinis, & Apoſtolica iure firmata, vnde illi eſſe non poteſt iniurioſum, vt recognoſcat limites authoritatis in ſua creatione firmatas, ſicuti iniurium non eſt Equiti à Rege creato, vt in tali miniſterio debeat inſeruire, quod ſuæ promotioni fuerat annexum. Ad confirmationem negatur conſequentia, nec enim per talem deputationem tollitur, vel læditur aliquod ius acquiſitum Commiſſario Generali; cum ius nunquam habuerit ad excludendos Commiſſarios ſpeciales à Miniſtro Generali deſtinatos; imò id ſibi fuerit ſpecialiter prohibitum.

Confirmatur ſecundò Concluſio principalis per inuariatam praxim Religionis: ſic Petrus Manerus ad Seraphicam, Ioannes Merinerus ad Prouincias Seraphicam, & Mediolanenſem, tacentibus, nec opponentibus Gaeta, & Benigno Commiſſarijs Generalibus, & Salizanes pro varijs Prouincijs Italiæ, &c. Ioannes Baptiſta de Campanea hærens in Italia ad Granatenſem & Bethicam; Daniel à Dongo in Sardiniam, vt habetur in tom.1. Orbis Seraphici lib.3. cap.9. §.1. & Reuerendiſs. præſens pro Sardinia, ac Granatenſi Prouincijs nec non Caſtellæ; quod fundatur expreſsè in Salmanticen. &c. præcitatis cap.8. & citantur cum præfata Bulla, *Quoniam noſtro*, à Segobienſibus cap.7. tit. *de Viſitator. Prouinciarum*, §. *ſi quis auſu*; & confirmatur ibidem titulo de Commiſſar. Generali, §. *poterit tamen*; & in Valliſoletanis cap.8. tit. *de Commiſſarij Generalis officio, & poteſtate*, §. *& quamuis, &c.* & alibi ſæpè.

Confirmatur tertiò, quia nullo contradicente, per ſuperius allegata Statuta poteſt Miniſter Generalis per ſe ipſum immediatè viſitare aliquas Prouincias de Familia Commiſſarij Generalis, cum ſit ſupremum caput Ordinis, & ibidem præſidere Capitulo; & tunc non licebit Commiſſario Generali de tali Prouincia ſe ingerere; ergo idem poteſt per Commiſſarios Viſitatores à ſe ſpecialiter deſtinatos; quia in hoc nulla eſt differentia; imò Statuta illa dicunt, quòd hoc poſſit per ſe, vel per ſuos ſpeciales Viſitatores.

De tertio Principali; ſi poſtuletur, vt ex cauſa facti recurſus dignetur Benignitas Reuerendiſſimi Patris Miniſtri Generalis Prouinciam aliquam ſibi ſpecialiter reſeruare, atque ita iuriſdictioni Commiſſarij Generalis in toto ſubtrahere, Maior videtur eſſe difficultas primo intuitu; Hæc enim omnimoda reſeruatio Prouinciæ iam excedit tempus Viſitationis & celebrationis Capituli, de quo diximus num. præcedent, &c. Vnde ſpecialem inuoluit difficultatem; & duo puncta includere videtur, nempè ſyndicationem ipſius Vicarij Generalis, & arctationem ipſius ordinariæ poteſtatis. Primum apparet, quia poſtulatur ex titulo recurſus habiti ad Reuerendiſſimum Miniſtrum Generalem propter grauamina à Commiſſario Generali illata; & ad præcauenda, quæ ideo in poſterum timentur; cum autem ſyndicatio huiuſmodi, niſi grauiſſimis de cauſis aliter præueniendum eſſet, ſit neceſſariò in Congregatione Generali peragenda, non videtur aliquid interim hoc in puncto innouandum. Cum verò ex altera parte independenter à ſyndicatione huiuſmodi liceat per allegata ſuperiùs Ordinis Statuta Miniſtro Generali Prouincias aliquas, & aliqua negotia ſuæ immediatæ iuriſdictioni reſeruare, atque ideo à Commiſſario Generali amouere; Difficultas eſſe poteſt; an hoc in ſolo Capitulo, vel etiam extra Capitulum fieri liceat; an ad hoc faciendum cauſa rationabilis præcedere debeat, an verò ex ſe abſolutè id competat ſupremæ in Ordine Miniſtri Generalis authoritati.

De primo. Dico, quòd quocumque tempore etiam extra Capitulum licet Miniſtro Generali exercere ſuam, vt ſupremi capitis authoritatem, quoad aliquas Prouincias, aut negotia ſibi ſpecialiter reſeruanda. Probatur, quia in Bulla *Vnionis*, §. *quia conſpicimus*; inſtituitur hoc nouum Commiſſariatus officium in Ordine cum hac forma eſſentiali, vt authoritas eius ab ampliatione, aut reſtrictione per Capitulum Generale declaranda dependeat; ſed per Capitula Generalia Ordinis, Carpenſia, Salmaticenſia, Valliſoletanæ, Sambucana, item & Segobienſia (quæ ſunt propria Vltramontanæ Familię) in Superioribus allegata, licet Miniſtro Generali nulla data temporis limitatione, Prouincias aliquas, & ne-

& negotia ſibi reſeruare, ergo vera concluſio; ſic expreſsè atque in terminis docet Pater Sanctorius in ſuis doctiſſimis Commentarijs ad Conſtitutiones Generales Ordinis cap.8. ſtat.36. §.*quarta quæſtio*, nec in hoc fit iniuria vlla Commiſſario Generali; ſupponitur enim officium accepiſſe, cum hac ſua eſſentiali ſubordinatione, ac dependentia; vnde nihil noui per hoc ei ſuperuenit: imò ad explicandam ſupremi capitis in Ordine præeminentiam hoc ipſum pertinere cognoſcitur.

De ſecundo nempe, vtrum ex ſuppoſita cauſa, vel abſolutè id competat Miniſtro Generali? diſcrepare videntur inter ſe præallegata Statuta Ordinis: Etenim Valliſoletana de anno 1593. cap.8. tit. de Commiſſarij Generalis officio, & poteſtate, §. *& quamuis ipſe*. Sambucana cap.8. §.23. numer.5. dicunt expreſsè, hoc Generali Miniſtro ex rationabili cauſa competere. Salmaticenſia verò cap.8. tit. de Commiſſario Generali, §.*idem Commiſſarius Generalis*, & Segobienſia cap.7. tit. de Commiſſario Generali, §.*poterit tamen*, abſolutè, nullaque appoſita cauſa dicunt, hoc ius Miniſtro Generali competere, per hæc verba; *niſi Generalis Miniſter aliqua negotia, & nonnullas Prouincias reſeruauerit ſibi*. Ergo per ipſa Segobienſia, per quæ ſpecialiter Vltramontana Familia gubernatur, abſolutè licet Miniſtro Generali Prouincias aliquas, vel negotia ſibi reſeruare; hoc ergo ſimpliciter tenendum videtur, vtpotè ſupremam eius iuriſdictionem in Ordine declarans.

Quòd ſi cum alijs rationabilem cauſam velimus ad hoc requiri, cum mitior & Commiſſario fauorabilior videatur hæc opinio; Dico, quòd grauis ſuſpicio de auerſione Commiſſarij ad aliquam Prouinciam, & occaſio præcauendi, quæ inde oriri poſſent inconuenientia, citra omne dubium eſt cauſa rationabilis, & ſufficientiſſima pro reſeruatione huiuſmodi alicuius Prouinciæ: ſic tenet, & concludit expreſsè Pater Sanctorius loco præcitato numero antecedenti, per hæc verba. *Et licèt Generalis non debeat facilè credere querelis contra Commiſſarium Generalem delatis, tamen poteſt in altera Familia exiſtens probè noſcere auerſionem Commiſſarij Generalis ab aliquibus Prouincijs, & Fratribus, vel eorumdem ab ipſo, & ſic poterit eſſe cauſa legitima limitandi eius authoritatem*. Sed ſic eſt, quòd plurima in actis allegata certam probant auerſionem Fratrum N. à Commiſſario Generali; de auerſione verò Commiſſarij Generalis ab ipſis grauiſſimam inducunt ſuſpicionem (etſi de hoc inaudita parte firmiter iudicare non debeamus) periculum eſt etiam grauium inconuenientium & inquietudinum, quæ aliàs in Ordine poſſent ſuboriri, ergo citra omnem difficultatem licet Miniſtro Generali, ſaltem ad maiorem cautelam, & ad quietem publicam Prouinciæ, ipſam hanc N. Prouinciam immedietatè ſuæ iuriſdictioni reſeruare; ita vt Commiſſario Generali non liceat, donec aliter, in ipſam ſeſe vllo modo intromittere. Quinimò, cum ex vna parte Prouinciæ huiuſmodi per Reuerendiſſimum Generalem Miniſtrum reſeruatio nullo modo ſit Reuerendiſſimo Commiſſario Generali iniurioſa, eò quia per Generalia Ordinis, & ſpecialiter illius Vltramontanæ Familiæ Statuta præcitata independenter à demeritis Miniſtro Generali concedatur; ex altera parte, ſi hoc modo non reſeruetur, pergrauia probabiliſſimè timeri poſſunt in Ordine inconuenientia; videtur Reuerendiſſimus P. Generalis Miniſter (ſub correctione) ſimpliciter obligari ad tenendam partem tutiorem, & publicam quietem omnino præferre. Ita ſaluo meliori iudicio ſincerè in Domino ſentimus, & vnanimi calculo ſubſcripſimus; in Aracœlitano de Vrbe Conuentu; hac die 13. Iunij. D. Antonio Sacra.

Nec ſine fundamento diſputata fuit, & nullâ non diligentiâ diſcuſſa huiuſmodi controuerſia. Reuerendiſſimus quippe Commiſſarius Generalis Vltramontanæ Familiæ ſancto ardens zelo, pro relaxationibus (ſi quæ forent) in Prouinciarum viſitatione radicitùs eliminandis, eò progreſſus eſt, vt appellationem à ſe ad Reuerendiſſimum Miniſtrum Generalem vellet interclusam. Hoc enim inter alia, dato ſupplici libello, à Sanctiſſimo D. D. Innocentio XI. ſupplicauerat, vt omni, & quacumque appellatione intra, vel extra Religionem (præterquam ad Eminentiſſimum Dom. Card. Ordinis Protectorem) non attenta, liceret Commiſſario Generali etiam ad expulſionem à Prouincia deuenire, prout latiùs in ipſo memoriali, in Superioribus citato. Hinc læſa videbatur, in præiudicium Officij ſuprema in Religione Miniſtri Generalis authoritas; proindè cito citiùs pro legitima declaratione recurſum fuit ad Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Protectorem, à cuius inflexibili iuſtitia quod iuſtum eſt, fuit impetratum. Cum itaque Prouincia Portugalliæ Regularis Obſeruantiæ (ſic appellatur propriè, quæ antiquior eſt in Regno Luſitaniæ, antiquo conſeruato titulo) grauamina prætendens à Commiſſario Generali ſibi fuiſſe illata, recurſum interpoſuit ad Reuerendiſſimum

diſſimum Patrem Miniſtrum Generalem totius Ordinis; qui rationabilibus, iuſtiſſimiſque motiuis adactus, haud potuit recurrentes ad ſe filios ſuos non audire. Commiſſa itaque grauiſſimis, & doctiſſimis Patribus cauſæ diſcuſſione, auditoque, ac maturiùs ponderato ipſorum vnanimi, nemineque contradicente, voto, cauſaque ipſa coram ſe ſæpè ſæpiùs diſcuſſa, tandem eò deuenit ex ipſorum deputatorum conſilio; vt illæſo in omnibus Reuerendiſſimi Commiſſarij Generalis decore, cuius famam, ſuam propriam eſſe, ſemper dixit, ordinaria tantùm vtens authoritate ſua, ad præcauenda, quæ aliter oriri poſſent inconuenienria, Prouinciam illam per ſe, nec non per Viſitatorem à ſe ipſo deputandum ſuo rempore viſitandam, &c. ex nunc ſuæ immediatæ iuriſdictioni reſeruaret; quod vt optimè factum Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Cybo Protector Ordinis etiam decreto ſuo confirmauit; vt ſequitur.

Fr. Petrus Marinus Sormanus à Mediolano Lector Iubilatus, Ex-Guardianus Hieroſolymitanus, Vniuerſi Ordinis Seraphici P.N. Sancti Franciſci Miniſter Generalis, & ſeruus, &c.

Concredita Nobis à Patre Lnminum, & bonorum omnium largitore ſuper totius Ordinis Seraphici Gregem Paſtoralis Officij Cura aſſiduè nos admonet, vt eiuſdem Gregis fælici, proſperoque regimini, ac gubernio ſeriò incumbentes, quantum humanæ vires, noſtraque authoritas ſuffragantur, opportunè conſulere ſtudeamus. Cum igitur R. P. Miniſter Prouincialis, Diffinitores, & alij Religioſi Prouinciæ noſtræ Minorum Obſeruantium Portugalliæ conqueſti ſint apud Nos, quòd poſt peractam à Reuerendiſſimo Patre Commiſſario Generali præfatæ Prouinciæ Viſitationem, pax, & tranquillitas eiuſdem Prouinciæ turbata ſit, vt inde quàm plurima ſcandala timeri poſſint, niſi de opportuno, & ſalubri remedio pro conſeruanda priſtina tranquillitate, & quiete prouideamus, Nos Apoſtoli monitum ſectantes, quòd niſi charitatem habeamus, nihil ſumus, cupientes pro paterna dilectione, & Paſtorali ſollicitudine noſtra prædictorum Religioſorum animos componere, ad meliorem frugem reducere, & in viam Domini, qui pacis Anctor eſt, reuocare, prædictis rationabilibus de cauſis permoti, atque inhærentes faculraribus, quæ per Conſtitutiones Apoſtolicas præcipuè Gregorij XIII. incipien. *Quoniam noſtro Paſtorali officio*, & per Statuta Generalia Ordinis Nobis conceduntur, Prædictam Prouinciam Minorum Obſeruantinm Portugalliæ per Nos, aut per noſtros Commiſſarios Viſitatores ſuo debito tempore viſitandam ad effectum abnſus, & inobſeruantias, ſi qui fuerint, corrigendi, & eliminandi, lites, & querimonias componendi, aut prout iuris fuerit, definiendi, Capitulum Prouinciale conuocandi, & in eo ad electiones nouiter faciendas præſidendi, cæteraque omnia præſtandi, & decernendi, quæ iuxta Canonicas ſanctiones, & eiuſdem Ordinis noſtri Statuta in huiuſmodi Viſitationibus præſcripta ſunt, noſtræ immediatæ iuriſdictioni reſeruamus. Interim antem, ne res deteriores fiant, & noua in dies mala oriantur, noſtraque pia intentio ſuo defraudetur effectu, decernimus, & cum merito ſalutaris Obedientiæ mandamus omnibus Noſtri Ordinis Prælatis Nobis inferioribus, quòd donec, & quouſque prædictus Viſitator (in caſu quo ad dictam Prouinciam perſonaliter accedere non valeamus) à Nobis fuerit deputatus, eoque magis durante ipſamet Viſitatione, & Capituli Celebratione dumtaxat, nihil per ſe ipſos, & nobis inconſultis circa præſentem dictæ Prouinciæ ſtatum innouare, aut intentare præſumant; Alioquin quidquid ab ipſis actum fuerit, irritum, inane, ac nullius roboris ex nunc pro tunc eſſe declaramus, & tamquam attentatum contra Miniſtri Generalis authoritatem, & debitam Nobis Obedientiam iuris remedijs purgandum fore curabimus. Datum Romæ in Conuentu noſtro Sanctæ Mariæ apud Aram-Cæli die trigeſima Menſis Iunij Anno 1684.

Fr. Petrus Marinus Miniſter Gener.

De mandato ſuæ Reuerendiſſ. Paternit.

Fr. Ioſeph de Valdes Secret. Gen. Ord.

Alderanus Epiſcopus Portuenſis S.R.E. Cardinalis Cybo, Seraphici Ordinis Sancti Franciſci apud Sanctam Sedem Protector, &c.

Attentis narratis, & viſis præcitatis Conſtiturionibus Apoſtolicis, Statutiſque Generalibus Ordinis, omnibuſque marurè perpenſis decernimus, & declaramus, retroſcriptas litteras Parentes Patris Miniſtri Generalis fore, & eſſe exequendas prout exequi, & iuxta earum tenorem in omnibus obſeruari diſtrictè præcipimus, & mandamus, monentes, & in Domino hortantes cæteros omnes Prælatos Superiores, ne audeant, ſeu præſumant, ſub quouis præ-

prætextu, aut quæſito colore eas aliter interpretari, & per ſe, aut per alios earum executionem impedire; nam aliter facientes (præter expreſſam nullitatem omnium Actorum) animaduerſiones, & pœnas in eiſdem Statutis præſcriptas nouerint ſe incurſuros. Non obſtantibus quibuſcumque in contrarium facientibus. Romæ die 1. Iulij 1684.

Alderanus Cardin. Cybo Protector.

Locus ✝ ſigilli.

Ioannes Baptiſta Ruſca.

DE EX-MINISTRO, ET EX-COMMISSARIO GENERALIBUS.

Reuerendiſſime Pater.

AD dubium obiter propoſitum, an Ex-Miniſter, vel Ex-Commiſſarius Generalis per ſolam nominationem de ſe factam ad Epiſcopatum, ab ipſis acceptatam, etiam annuente Pontifice, decidant à iure Diſcretatus perpetui in Religione? ſic breuitèr ſub correctione reſpondeo.

1. Not. antiquis temporibus ſæpiſſimè fuiſſe Miniſtros Generales Ordinis ad Sacram Purpuram, & Infulas promotos, quorum multi à promotione Ordinem gubernare non ceſſarunt; ſed de ſpeciali mandato Summi Pontificis. Tales fuerunt Seraphicus Doctor S. Bonauentura omnium primus; Hieronymus Æſculanus (qui fuit deindè Papa Nicolaus IV.) Ioannes Minius, alijquè permulti: alij ſtatim ab electione de iure ordinario cadebant à gubernio, vt Marcus Viterbienſis, Thomas Farignanus, & alij: vnde Hieronymus præfatus ſtatim ac Pariſijs accepit Nuntium de ſua ad Cardinalatum promotione, ſtatim ceſſit officio Generalatus, nec reaſſumere conſenſit, donec per aliud Apoſtolicum Nicol: III. Breue ad illum repetendum, & continuandum fuerit adactus.

2. Proceſſu verò temporis cùm gubernandi pruritus adeò aliquos ex varijs Ordinibus perſtringeret, vt etiam renuntiato Epiſcopatu, quem regebant, ad Religionem redire tentarent; Paulus Papa IV. ad eliminandam ambitionis peſtem, datis litteris Apoſtolicis *In Sacra B. Petri &c.* Dat. Romæ die 19. Iul. anno V. Motu proprio ſeueriſſimè ſanciuit, ne Regularis quicumque ad Epiſcopatum promotus, & conſecratus, etiamſi renunciata dignitate regreſſum ad Ordinem à Sede Apoſtolica impetrauerit, dignitates in Ordine ſuo conſequi valeat, nec ſuper hoc à Pœnitentiaria Apoſtolica poſſit diſpenſari.

3. Quando verò, & quomodo Miniſter Generalis Ordinis Minorum præcisè per aſſumptionem ad dignitates extrà Ordinem, cadat ab officio, antiquitùs non erat deciſum. Bonauentura de Calataierone factus Patriarcha Conſtantinopolitanus adhuc per annum Ordinem gubernauit, nullo opponente. Primus omnium, qui turbas hoc ex capite ſuſcitauerit, fuit Bernardinus de Senis Luſitanus; qui ad Epiſcopatum promotus, & confirmatus à Pontifice ſub prætextu, quod conſecrationem non acceptiſſet, in Generalatu permanere volebat, ſed opponente Religione, cooperantibus etiam contrà eum Rege Catholico, & Nuntio Apoſtolico ad Eccleſiam ſuam, Generalatu dimiſſo fuit coactus intendere. Cùm verò ad præcauenda in poſterùm huiuſmodi incouenientia voluiſſet in Capitulo Romano 1651. Religio per ſpeciale ſtatutum occurrere; ſtatutum ipſum Manero Generali operante fuit alteratum; ſed Religione proclamante, numquàm voluit Sacra Congregatio ſtatuta illa confirmare, donec fuerint ad mentem Religionis, & ad iuris communis rectitudinem correcta, decretumque fuit, vt Miniſter Generalis (idem dic de cæteris ob eandem rationem) ſtatim à verbali Papæ confirmatione ad Epiſcopatum, etiam ante Bullarum expeditionem, caderet à gubernio; non enim per Bullas, ſed per Papæ confirmationem abſolutam in Conciſtorio habitam, fit Epiſcopus; ſi autem eſt Epiſcopus, iam non eſt de corpore Religionis, ergò nec Caput: in duobus enim corporibus ſimul eſſe non poteſt; ſi adhuc eſt verè Minorita, repugnat ei, prouentus Epiſcopales exigere, vt fuſiùs explicatur in Orbe Seraphico tom. 1. lib. 3. cap. 8. Salizanes tamen, vt etiam poſt acceptam Papalem in Epiſcopatu confirmationem, dilata tantùm conſecratione, gubernium Ordinis ad vſque Generale Capitulum incluſiuè retinere poſſet (quòd omninò benè non ſonat) ſpecialiſſimum Breue Apoſtolicũ à Clemente IX. impetrauit, quo ſuffultus cum grauiſſimis turbulentijs, & ſcandalis, in gubernio permanſit; quod ipſum & Generalis Rhinl fruſtra tentauit.

Tandem Reuerendiſſimus Samaniego, vt tantis malis occurreret, legem in ordine ſanciri obtinuit, vt Miniſter Generalis nouiter electus, pro confirmato in officio non haberetur, niſi prius (quod ipſe iam fecerat) publicum votum emitteret de non acceptanda extra Ordinem dignitate, vſque ad completum ſui Regiminis ſexennium, addita pœna, quod ſi aliquando in contra-

rium etiam accedente voti Apoſtolica diſpenſatione fieri contingat; ſtatim, ac conſtiterit, quòd Miniſter, aut Vicarius Generalis in dignitatem oblatam, vel in præſentationem, aut nominationem ad ipſam conſenſerit, intelligatur illicò à Generalatus officio cecidiſſe, nec vt talis ſub pœna excommunicationis poſſit ab vllo recognoſci; ſed ſtatim ad electionem Vicarij procedatur: Hoc ſtatutum in forma ſpeciali fuit confirmatum à Sanctiſſimo P. N. P. Innoc. XI. Dato Diplomate *Militantis Eccleſia &c.* die 22. Nouembris 1679.

Hic noto Conſtitutionem hanc eſſe merè pœnalem, nempe ob violatum votum publicum in fauorem Religionis emiſſum; vnde ad alias vel perſonas, vel officia extendi non poteſt, ſed in ſolis Miniſtro, vel Vicario Generali actuali totius Ordinis, vt ibi exprimitur; locum habere poteſt.

Noto ſecundò rigoroſam eſſe hanc pœnam, quæ Miniſtrum afficit, etiamſi Epiſcopus nondum ſit, ſed ſtatim ac in ſui nominationem conſenſit; vnde ſi poſt datum huiuſmodi conſenſum, quacumque de cauſa non obtineret Epiſcopatum, nec Epiſcopus, nec Generalis remaneret; vndè multo magis extra caſum non extenditur, in pœnalibus enim non fit extenſio.

Notandum tertiò, quòd ſecluſo hoc ſtatuto, Miniſter Generalis ex iure antiquo (vt & expreſſum fuit in Statutis de anno 1651. per declarationem Sac. Congregationis) non cadebat; nec cadere debebat ab officio, niſi poſt abſolutam confirmationem Papalem, poſt abſoluta omnia præmittenda de examine doctrinæ, vitæ, &c. poſt omnem præconizationem, atque propoſitionem in Conciſtorio completam per verbum, *eligimus, & confirmamus*, quia in antea nullo modo erat Epiſcopus.

His omnibus prænotatis concludo, nec ex-Miniſtrum, nec ex-Commiſſarium Generales iam officio functos, licèt in præſentationem, aut nominationem ſui annuente Pontifice, expreſsè conſenſerint cadere à perpetuo ſibi competente in Religone Diſcretatu, quia non per hoc fiunt Epiſcopi, nec educuntur à Religione, ſed tantùm poſt abſolutam Papæ confirmationem in vltimo Conciſtorio habitam, vt ſupra: Vnde in caſu propoſito, priuilegijs omnibus, iuribus &c. gaudere debent abſolutè, quæ Ex-Generalibus per Statuta conceduntur.

Dico ſecundò (ſaluo meliori iudicio) Miniſter Generalis actualis acceptans Epiſcopatum &c. contra voti præfati tenorem, à Generalatu quidem cadit, & ab eius adminiſtratione; priuilegia tamen Ex-Generalibus debita non amittit. Probo per Bullam Clem. X. *Exponi nobis fecerunt &c.* Dat. Romæ die 23. Septembris 1675. decernitur, vt Miniſter Generalis quocumq; longo, vel breui tempore duret in officio, nulla limitatione in hoc conſiderata, gaudere debeat priuilegijs poſt officium, quæ Ex-Generalibus debentur: ſed eo caſu talis Miniſter verè fuiſſet Miniſter Generalis, ergo licèt caderet ab officio actuali, non caderet tamen à præeminentijs habitualibus, quia in odioſis, & pœnalibus non fit extenſio.

Dices, obſtare præfatam Innoc. XI. Bullam *Militantis &c.* Reſpondeo negando aſſumptum, loquitur enim Bulla præciſè de officio actuali, non de habitualibus præeminentijs, ad quas non fit illatio, vel extenſio in pœnalibus. Ita ſaluo &c. cenſeo hac die 1. Aprilis 1684.

Declaratio Reuerendiſſimi Patris Miniſtri Generalis.

CVM reuera non fiat quis Epiſcopus, niſi per approbationem, & confirmationem Pontificiam per verbum *Eligimus, & Confirmamus* in Conſiſtorio prolatum: Pœna verò in Bulla *Militantis &c.* Innoc. PP. XI. non fit niſi contra Miniſtros, & Vicarios Generales totius Ordinis, qui durante officio ſui Gubernij, in dignitatem etiam ſibi oblatam extra Ordinem conſentiunt; Idcircò harum ſerie ex officij noſtri authoritate declaramus, Ex-Miniſtrum Generalem Ordinis, nec non Ex-Commiſſarium Generalem Familiæ, etiamſi nominationi de ſe factæ in Epiſcopum conſentiant, non cadere à iuribus, & præeminentijs ratione muneris exerciti in Religione ſibi debitis, donec per Apoſtolicam confirmationem vt ſupra verè, & realiter ſint Epiſcopi, prout in Statutis 1651. expreſsè decernitur.

Fr. Petrus Marinus Min. Gen.

De Officio Diuino.

CVM potiſſima Superiorum cura circa Diuini cultus integram puritatem, & ſanctam vniformitatem vel conſeruandam, vel reſtaurandam applicanda ſit; conſiderans A. R. P. Antonius Palumbus à Campobaſſo in Ciſmontana Familia pro Obſeruantibus Commiſſarius Generalis delegatus, & Vice-Commiſſarius Curiæ, deinde Procurator Generalis Ordinis, quàm multa ex varijs Sanctorum, & Beatorum officijs in Romano, nec non in Franciſcano Calendarijs nouiter appoſitis prouenißet in recitatione Diuini Officij variatio,

tio, & in locis pleriſque difformitas; dato memóriali ad S. R. Congregationem, & cauſis dubitandi expoſitis, ſupplicauit, vt Calendarium nouum pro Ordine vniuerſo de Regulari, & Strictiori Obſeruantia, nec non pro omnibus vtriuſque ſexus noſtro Miniſtro Generali ſubiectis authoritate Sacræ ipſius Cong. ederetur ex integro, in quo noua omnia, & ſingula officia in propria, & determinata Sede ſtabilirentur; rubricæ itidem dubiæ, vel dubietatẽ ex cauſa præallegata inferentes, clariùs explicarentur, ac definirentur, ex quo vniuerſa, vt dictum eſt, noſtra Religio, omni errore, vel dubietate prorsùs eliminata, in recitandis Officijs Diuinis ſancta vniformitate, Deo alacriùs, & ſanctiùs deſeruiret. Annuit hiſce pijſſimis poſtulationibus S. R. Congregatio; atque poſt diutinam, maturamque diſcuſſionem nouum, vt ſupra, Calendarium, eum rubricarum expoſitarum, & dubiorum propoſitorum integra explicatione publicauit, ab omnibus vtriuſque ſexus noſtris Religioſis inuiolabiliter obſeruandum, quod ad ſingulas Prouincias fuit tranſmiſſum. Tenor autem Decreti eſt, vt ſequitur.

Decretum.

CAlendarium nouum cum Rubricis expreſſis, ad vſum vtriuſque ſexus Regularium Ordinis Minorum Sancti Franciſci de toto corpore Obſeruantiæ, tam Regularis, quàm Strictioris, diligenter reuiſum, & maturè recognitum, Sacrorum Rituum Congregatio, inhærendo decretis aliàs editis, ac præſertim 21. Febr. 1666. & 30. Sept. 1679. aſſignata cuilibet Sancto eodem die ſimul occurrenti, propria die, ac perpetua Sede, ad preces Fratris Antonij à Campobaſſo in tota Ciſmontana Obſeru. Familia, nec non in Romana Curia Commiſſarij Generalis delegati, benignè approbauit. Ad vniformem verò iuxtà illius diſpoſitionem in Diuini Officij recitatione ritum ſtabiliendum, & retinendum; in eo, vel quid minimum addi, aut minui, inconſulta eadem Sac. Rituum Congregatione, omninò prohibuit, exceptis tamen aliquibus particularibus Sanctorum Officijs à Sancta Sede nonnullis dictorum Regularium locis, ex ſpeciali indulto fortè conceſſis, vel in futurum concedendis. Ac ſuppreſsis, & deletis quibuſcumque alijs in dicto Ordine hactenùs conſcriptis, ſupradictum Calendarium tantùm à Sac. Rit. Congregatione pro toto corpore prædictæ Regularis, & Strictioris Obſeruantiæ ſic, vt præfertur diſpoſitum, ab omnibus præfatis vtriuſque ſexus Religioſis in poſterùm inuiolabiliter ſeruari mandauit, & pro maiori ipſorum commoditate ad eorumdem vſum imprimi poſſe conceſsit.

Ac inſuper ad dubia, quæ in eiuſdem Calendarij ordinatione, ac Diuini Officij recitatione interdum contigiſſe, aut contingere poſſe, eidem Sac. Rit. Cong. expoſitum fuit; Reſpondit authenticè ad ſingula; quæ item reſponſiones, ſeu declarationes vnà cum præfato Calendario connexę fuerunt, vt ſuprà tranſmiſſæ. Et ita decreuit, declarauit, & obſeruari mandauit, ac pariter imprimi poſſe conceſſit. Die 13. Iunij 1683.

Cæſar Card. Fachenettus.
Loco † ſigilli.
Bernardinus Caſalius S.R.C. Secret.

Cum verò ſubinde antedicto ex Calendario nouo, rubricisque declaratis, nec non aliorum ex officiorum conceſſione in varijs locis, & regionibus, alia decẽ dubia ſuborta per eundem P. Antonium Palumbum à Campobaſſo Procuratorem Generalem Ordinis in Curia fuiſſent Sacræ Rituum Congregationi propoſita, fuerunt omnia, & ſingula ad relationem Emin. Cardinalis de Alterijs explicata die 20. Maij 1683. ſubſcripta N. Cardinalis Ludouiſius; Bernardinus Caſalius S.R.C. Secretarius, quæ idcirco ad maiorem diuini cultus puritatem, & vniformitatem vt ſeruari deberent, fuerunt ad ſingulas Prouincias tranſmiſſa.

Subrogatio pro Diffinitore Generali defuncto.

Fr. Petrus Marinus Sormannus de Mediolano totius Ordinis Minor. S. P. N. Franciſci Miniſter Gen. & Seruus &c.

CVM per mortem Patris Fauſtini de Claris Prouinciæ Obſeruantis Brixiæ Diffinitoris Generalis actualis, alius in ipſius locum ſubrogandus ſit iuxtà Ordinis ſtatuta; inſtiterunt apud nos pro dicta ſubrogatione.

Primò. P. Fr. Antonius Maria de Venetijs Prouinciæ Obſeruantis S. Antonij, Pater, & Ex-Diffinitor Generalis Ordinis, cuius prætenſionis præcipua fundamenta erant, quòd demortuus Diffinitor Generalis erat ex Veneta Natione, & ſub eiuſdem Principis dominio, ac propterea ipſi tamquam in dicta Natione, & Dominio digniori talis ſubrogatio debebatur.

Secundò. P. Leo Caromius Prouinciæ Obſeruantis S. P. N. Franciſci Pater, aſſerens

rens,talem ſubrogationem ſibi de iure cōpetere,tamquam digniori in tota natione, quæ ſecundùm ſtatuta Generalia componitur ex reliquis Italiæ Prouincijs extrà Regna vtriuſque Siciliæ, cum fuerit Ex-Procurator Generalis Ordinis, ac Curiæ Ex-Commiſſarius Generalis,ac propterea dignior in ſtatutaria natione, in qua continetur Prouincia demortui DiffinitorisGeneralis: & quamuis dictus P. Caromius ſit perpetuò impeditus propter notorias infirmitates, aſſerebat tamen hoc non obſtare, quia in dicta ſubrogatione habebat ius non ſolùm ad rem, ſed etiam in re, cum ad officium non aſſumatur per electionem,ſed per ſubrogationem, quæ digniori ſemper conuenit.

Tertiò. P. Archangelus de Roma huius Obſeruantis Romanæ Prouinciæ Pater, & Ex-Diffinitor Generalis; qui præfato Patri Caromio opponebat ſtatutū Capituli Generalis de anno 1664. quo decernitur, vt ſubrogatio fiat ſemper in Perſonam Patris dignioris,dummodò tamen P.ſubrogandus non ſit perpetuò impeditus; & cum huiuſmodi perpetuo, & notorio impedimento detineatur P.Caromius, quamuis de iure eſſet aliàs ſubrogandus, tamen à præfato ſtatuto excluditur tamquam impotens ad exequendum officium ſuum, & ſignanter ad interueniendum ad Generalia Comitia, in quo conſiſtit præcipua Diffinitoris Generalis obligatio; & ideo aſſerebat, dictum P.Caromium ab huiuſmodi ſubrogatione eſſe excludendum, & conſequenter ſe Patrem Archangelum Romanum eſſe de iure ſubrogandum, cum ex antiquitate electionis ſit dignior inter omnes, qui fuerunt Ex-Diffinitores Generales in præfata ſtatutaria natione, ex qua erat aſſumptus Diffinitor Generalis defunctus.

Nos igitur volentes in tali cauſa iuris Ordine, & cum matura deliberatione procedere, receptis à partibus ſcriptis allegationibus pro ſuis iuribus ſuſtinendis allatis;ipſiſque diligenter perpenſis non ſolùm à Nobis, ſed etiam ab aliquibus Patribus ex grauioribus in hac Curia reſidentibus, videlicet P. Procuratore Generali Ordinis, P.Commiſſario Generali Curiæ, P. Procuratore Generali Reformatorum, P.Franciſco Maria de Boniara Reformato actuali Diffinitore Generali, ac noſtro Secretario P.Baldaſſare à Meſſana Ex-Diffinitore Generali, & P. Laurentio de Suetia Sacrorum Canonum peritiſſimo: iiſdemque coram Nobis in Cella noſtræ Reſidentiæ hac die 10.Menſis Maij congregaris, ſinguliſq; in tali congreſſu auditis, vnanimi omnium conſenſu, & voto, nemineque diſcrepante fuit determinatum, concluſum, & decretum.

Primo. Excludendum eſſe à tali ſubrogatione P. Antonium Mariam à Venetijs, cum talis prætenſio nulli rationabili nitatur fundamento, imò directè aduerſetur omnibus Cōſtitutionibus Generalibus Religionis, quæ ab immemorabili, & ſuprà hominum memoriam, pro huiuſmodi Diffinitorum Generalium diſtributione iuxta Regulas iuſtitiæ diſtributiuæ, hanc Ciſmontanam familiam in tres diuiſit nationes, quarum prima vtriuſque Siciliæ Regnorum Prouincias complectitur; ſecunda, quæ ex Germaniæ, Poloniæ, Hungariæ, Bohemiæ, & Vltramarinis Prouincijs componitur; & tertia, quæ reliquas Italiæ Prouincias comprehendit, & in hoc vltima includuntur duæ tantùm Venetæ Ditionis Prouinciæ, ſcilicet S. Antonij, & Brixiæ. Talemque Nationum diuiſionem adeò ſemper ratam, & firmam, & inuiolabilem habuit Religio,quod cum in Capitulo Generali in anno 1670. Vallis-Oleti celebrato, ſex Diffinitoribus Generalibus, quos priùs hæc Ciſmontana habebat familia,alij tres fuiſſent additi, ne ex huiuſmodi additione aliqua inter tres præfatas Nationes oriretur controuerſia, vel ſubdiuiſio, eiuſdem Capituli Generalis decreto ſtatutum fuerit, vt ex dictis tribus Diffinitoribus Generalibus additis vnus ſemper aſſumendus ſit ex Regnis Neapolitano, & Siculo; alter ex reliqua Italiæ parte; & alius per alternas vices, nunc ex dicta reliqua Italiæ parte, nunc ex Vltramarinis Prouincijs eiuſdem familiæ. Cum igitur nunquam Religio alias Nationum diuiſiones in hac materia decreuerit, vel admiſerit, videtur nunc impropria, & contra Religionis intentionem ſubdiuiſio à P. Antonio Maria de Venetijs adinuenta, quod ſcilicet Venetæ Prouinciæ diſtinctam conſtituant Nationem. Nec obſtat, quòd dicitur pro parte dicti P.Antonij Mariæ, quòd cum in Veneto Dominio octo numerentur Prouinciæ, ſex videlicet Obſeruantes, & duæ Reformatæ, ac propterea rationabile videtur, vt ex his octo Prouincijs Natio vna conſtituatur,cui vnus competat Diffinitor Generalis; quia (præterquamquod hoc procedit hucuſque de congruo, vel de poſſibili, non autem de facto) hæc ſubdiuiſio Nationum diuiſionem à Religione factam omnino perüerteret,& confunderet,cum Prouinciæ Obſeruantes Dalmatiæ, Candiæ, Boſnæ, & Albaniæ contineantur in Natione Vltramarina,& Prouinciæ Obſeruantes, & Reformatæ S. Antonij, & Brixiæ ſint comprehenſæ in Natione, quæ ex reliquis

Ita-

Italiæ partibus conſtituitur. Qualia autem inconuenientia ex dicta excogitata ſubdiuiſione poſſent oriri, non ſolùm in hac Ciſmontana Familia, ſed in tota Religione, poterit ex ſe vir prudens excogitare.

Secundò, decretum eſt, ab hac præſenti ſubrogatione (ſine tamen præiudicio in futurum ceſſante impedimento) pro hac vice excludendum eſſe etiam P. Leonem Caromium propter notoriam infirmitatem, qua multo ab hinc tempore (quod certè dolemus) ad omnia redditur impotens, & præcipuè ad ſe conferendum ad Generalia Comitia, prout etiam experientia aliàs compertum eſt; cum in proximè tranſacto triennio fuiſſet ſubrogatus in locum P. Hieronymi à Velitris Diffinitoris Generalis defuncti, ad Capitulum Generale ſub anno 1682. vltimò Toleti celebratum accedere non potuit propter dictum infirmitatis impedimentum; Vnde pro tali ſubrogatione ipſi obſtat ſupra mentionatum ſtatutum Capituli Generalis 1664.

Tertiò demum decretum fuit, in locum demortui P. Fauſtini de Claris Diffinitoris Generalis ſubrogandum eſſe P. Archangelum de Roma ex antiquitate electionis digniorem inter omnes Ex-Diffinitores Generales dictæ Nationis ex reliquis Italiæ Prouincijs conſiſtentis, & in qua continetur Prouincia Brixiæ, ex qua aſſumptus fuit prædictus Diffinitor Generalis defunctus.

Cumque ideo poſt exactam cauſæ diſcuſſionem dc præfatorum Patrum per nos deputatorum vnanimi voto, & aſſenſu iudicatum ſit, prædictum Patrem Archangelum à Roma in locum demortui Patris Fauſtini de Claris in Diffinitorem Generalem eſſe ſubrogandum, prout ex eorum etiam ſcriptura à ſingulis ſubſcripta nobis conſtat, ideo in cauſa pronunciandum duximus, vt ſequitur.

Fr. Petrus Marinus Sormannus totius Ord. Min. S. P. N. Franciſci Miniſter Generalis, & Seruus &c.

In cauſa ſubrogationis iuxta Ordinis ſtatuta faciendæ per mortem P. Fauſtini de Claris Prouinciæ Obſeruãtis Brixiæ actualis Diffinitoris Generalis, auditis rationibus allatis pro parte P. Leonis Caromij Prouinciæ Obſeruantis S. P. Franciſci, Ex-Procuratoris Generalis Ordinis, & Ex-Comiſſarij Generalis Curiæ; Patris Archangeli de Roma huius Romanæ Obſeruantis Prouinciæ Ex-Diffinitoris Generalis; & Patris Antonij Mariæ de Venetijs Prouinciæ Obſeruantis Sancti Antonij pariter Ex-Diffinitoris Generalis pro dicta ſubrogatione prætendentium, & inſtantium; omnibuſque, & ſingulis pro partibus adductis, non ſolùm per nos, ſed etiam per Patres aliquot ex grauioribus, & peritioribus in hac Curia reſidentibus de ordine noſtro diligenter conſideratis, & diſcuſſis, vnanimi præfatorum conſenſu, & voto, nemineque diſcrepante in congreſſu coram nobis facto fuit decisum, & decretum in locum demortui Diffinitoris Generalis P. Fauſtini de Claris ſubrogandum eſſe P. Archangelum de Roma ex antiquioritate electionis digniorem inter omnes Ex-diffinitores Generales nationis, quæ ex reliquis Italiæ Prouincijs extra Regna vtriuſque Siciliæ conſtat, & ex qua fuit aſſumptus præfatus Diffinitor Generalis defunctus: & quamuis dicta ſubrogatio aliàs de iure competeret præfato P. Leoni Caromio: quia tamen ex notorio infirmitatis impedimento redditur impotens ad tale officium, & præcipuè ad ſe conferendum ad Generalia Comitia, in quo conſiſtit præcipua Diffinitoris Generalis obligatio; decretum fuit, eſſe pro hac vice excludendum à tali ſubrogatione, ſine tamen præiudicio in futurum, ceſſante impedimento.

Sicque authoritate officij noſtri, & de Præfatorum Patrum per nos deputatorum, ac Conuocatorum voto, & aſſenſu ad formam Conſtitutionum Generalium Religionis, præſentis decreti virtute præfatum P. Archangelum de Roma in locum demortui P. Fauſtini de Claris in Diffinitorem Generalem ſubrogamus; ac ſubrogatum declaramus iſto, & omni meliori modo &c. In quorum fidem &c. Datum Romæ in hoc noſtro Aracælitano Conuentu die 10. Maij 1684.

De ordinanda ſerie Prouinciarum iuxta Decretum Capituli Generalis anno 1676. & 1682.

PVſillum gregem quamuis ab Oriente in Occidentem, ab Auſtro ad Aquilonem iuxta cœleſtia promiſſa multiplicandum, adhuc tamen velut in infantia latitatem miſticus Abraham, Patriarcha Seraphicus immediatè gubernabat, præficiens, amouenſque ad nutum in locis, quos volebat. Anno verò 1216. octauo poſt inſtitutionem eius, approbata ſecundò, & publicata in ampliſſimo Lateranenſi Concilio ſua Fratrum Minorum Regula, conuocauit Aſſiſium iuxta primæ Regulæ tenorem ad primum Generale Capitulum Confratres, vbi de pleniori, atque fœliciori Ordinis gubernio, & ampliatione, necnon de Fidelium. Vvad. tom. 1. ann. 1216. Chron. 1. Seraph.

lium, & Infidelium firmiori ad Deum conuerſione maiori conatu promouenda tractaturus erat, vt filios ſuos per vniuerſas Mundi plagas ad excolendam Vineam Domini, euitatis confuſionibus, ſub ſecuro obedientiæ ducatu deſtinare liceret: Prouincias Ordinis taxauit, ſingulisq; ſingulos Miniſtros Prouinciales aſſignauit, quibus propterea iuxta Regulæ præſcriptum, quod antea nō fuerat conceſſū) recipiendi Nouitios ad Ordiné, legimus impertitā fuiſſe licentiam.

Vvad. ibidem 1216. n. 3. Prima ergo in Ordine Minoritico Prouinciarum repartitio hoc anno 1216. in primo Religionis eiuſdem Generali Capitulo facta fuiſſe comprobatur, quas cum earum Miniſtris ità recenſet Annaliſta. De Vmbriaca (quam nunc Seraphicam, ſeù S. Patris Franciſci quaſi antonomaſticè dicimus): nihil adnotatur, quod fortè ob Patriarchæ reuerentiam, qui ſatis ſuperque ſufficere non dubitabatur, nihil ſuper eam Patres decernere voluerint: In reliqua Italia Ioannes de Striachia ſuper Lombardiam; In Piceno, ſeù Marchia Anconitana Benedictus Aretinus, in Calabria Daniel à Beluederio Calaber (qui deinde cum alijs ſex Septæ Saracenorum Chriſti Martyr occubuit) in Apulia Frater N. (perijt eius nomen) in Campania fælici, ſeu Terra Laboris Auguſtinus Aſſiſias S. Patris Diſcipulus, & in Cœlum comes; in Thuſcia Elias Cortonenſis, qui demum Vicarius Generalis, & Miniſter totius Ordinis fuit: extra Italiam Ioannes Bonellus per Galliam Narbonenſem; Ioannes de Parma ſuper Germaniam (quamuis hac vice ſine fructu) per Hiſpanias Fr. Bernardus à Quinta-Valle primus S. Patris alumnus; in Galliam Pacificus Picenus, fuere deſtinati Miniſtri Prouinciales, dum ipſe S. Pater ab Hugolino Cardinali retentus Franciam, quam ſibi reſeruauerat, adire non potuit.

Vvad. ibidem 1219. n. 32. Anno 1219. in ſecundis, & celeberrimis Storearum (vt vocant) Ordinis Comitijs excreſcente tum Fratrum, tum Cœnobiorum numero; quinque ſuperadditas fuiſſe Prouincias, legimus; Benedictum enim Aretinum in Romaniam, ſeu Græciam; Chriſtophorum in Aquitaniam (qui Religionem ibidem longo temporis tractu ampliſſimè dilatauit) in Angliam denique Agnellum de Piſis conſtat eſſe deſtinatos Miniſtros. Similiter in Aphricam miſſus eſt B. Egidius Aſſiſias, qui tametſi Miniſtri Prouincialis titulo decoratus non legatur expreſsè; indubium tamen eſt, Minoritas omnino plurimos; maximè poſt Sanctorum Berardi, & Sociorum anno 1220. glorioſum Martyrium in Aphricæ partibus habitaſſe, atq; per vniuerſam Regionem diſcurriſſe, immò & Sedem Epiſcopalem fixiſſe: vnde ipſos ſine capite tamdiù perſeueraſſe non eſt veriſimile: Quin & plurimas Gregorij Papæ IX. literas, ad Tuneti Regis pro illorum commendatione habemus apud Annaliſtam: immo Gregorius ipſe Fratrum Minorum Miniſtrum Prouincialem in Barbaria, datis Peruſij, idibus Martij, anno 1235. ad ipſum literis, ob quædam arcana ſua negotia ad Tunetatū Regem deſtinauit. Quamuis ergo Fratribus ad operandū potiùs, quàm ad ſcribendum intentis, Prouinciæ huius, quæ diù permanere non potuit, memoriæ perierint, Prouinciam tamen ipſam aliquando ſtetiſſe, non immeritò credere poſſe mihi videor. De quinta hoc anno ſuperaddita, maiori nobis euidentia conſtare non dubitatur: Syriam quippe, ac Ægyptum, cum S. Pater etiam furente bello intrepidè penetraſſet, regionem vtramque integro anno de Soldani licentia perluſtrando, verbo, & exemplo, miraculorumque portentis, vt ſuo loco dicemus, gentes adeò in ſui admirationem, necnon in veri Dei cultum attraxit, vt viros quampluri- mos, atque Conuentus, integra etiam antiquorum Monachorum Cœnobia Religioni ſuæ aggregare potuerit: ex quibus omnibus Prouinciam Syriæ, ſeu Terræ Sanctæ, etiam in Cathalogo S. Bonauenturæ recenſitam coaluiſſe comprobatur. Anno tandem 1221. per B. Cæſarium de Spira Miniſtrum à S. Franciſco conſtitutum ſtabilita Prouincia Germaniæ, numerum 16. in Ordine Minoritico Prouinciarum compleuiſſe comprobatur.

(margin: ibid. 1235. n. 32. — ibid. 1219. n. 21.)

Poſt Seraphici Patriarchæ glorioſum tranſitum, fratrum, atque cœnobiorum multitudine mirum in modum in dies excreſcente, cum impoſſibile videretur, eos per Miniſtros in maxima diſtantia conſtitutos poſſe commodè gubernari; Romanis in Comitijs anno 1239. Gregorio Pontifice Ordinis amantiſſimo Patre Præſidente, atq; iubente; Haymone Anglico Generali, cœteriſque Vocalibus approbantibus, tum in Italia, tum in Germania, & Hiſpania pro faciliori, atque fœliciori Ordinis gubernio multiplicatæ ad numerum 31. Prouinciæ, varias in Cuſtodias fuere repartitæ.

(margin: ibid. 1239. n. 9. — Ex Chronol. Seraph.)

Doctor Seraphicus S. Bonauentura ex allegata incrementi quotidiani neceſſitate, anno 1260. Miniſter Generalis exiſtens de Patrum Capitulatium Narbonæ congregatorum aſſenſu, additis Prouincijs duabus, & Vicarijs; (quæ erant minoris amplitudinis Prouinciæ) quatuor, Ordinem vniuerſum in Prouincias 33. & Vicarias quatuor, hasque in Cuſtodias 230. voluit eſſe firma ſtabilitate repartitas; quæ deſignatio,

(margin: Vvad. tom. 2. 1260. n. 24.)

vt firmior permaneret, Nicolans IV. Papa, edito diplomate, quod exſcribo, grauiùs interdixit, nè abſque Romani Pontificis licentia Prouinciatum aliqua vel diſtinctio, vel mutatio, vel multiplicatio fieri permitteretur in ordine.

NICOLAVS PAPA IV.

Dilectis Filijs Generali, & Prouincialibus Miniſtris, ac Vniuerſis Fratribus Ordinis Minorum.

Ibid. in Regeſt. an. 1288. Bull. 1. Nicol. IV.

QVia Prouinciatum Ordinis veſtri diſtinctio in Generali Capitulo pridē, dum adhuc felic. record. Gregorius Papa IX. Prædeceſſor noſter viueret, celebrato, ſuam in Capitulo ipſo Prædeceſſore præfato præſentiam exhibente, facta fuit: licèt poſtmodum fuerit duarum Prouinciarum diuiſio ſubſecuta. Nos volentes vt prædicta diſtinctio ſolemniter edita, ſiue facta, & etiam præfata poſtmodum ſubſecuta diuiſio robur obtineat perpetuæ firmitatis, Apoſtolica authoritate ſtatuimus, & ordinamus, & diſtrictiùs inhibemus, ne de cœtero aliarum Prouinciarum prædictarum alia diſtinctio, vel diuiſio, ſeù nouarum Prouinciarum multiplicatio, abſque Romani Pontificis præſentia, ſeu ipſius licentia ſpecialiter per eius patentes literas concedendas, facientes plenam, & expreſſam de huiuſmodi ſtatuto, ordinatione, & inhibitione mentionem; necnon de aſſenſu dilecti Filij noſtri M. Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconi Cardinalis, cui gubernatio, protectio, & correctio fratrum veſtri Ordinis per Sedem Apoſtolicam ſunt commiſſæ, vel eius, cui eas committi contingerit in futurum, fieri quomodolibet præſumatur. Nos enim nihilominus irritum decernimus, & inane, ſi ſecùs in hac parte contigerit attentari. Nulli ergo &c. Datum Reate 3. idus Maij, Pōtificatus noſtri anno primo.

Hoc idem à Iulio III. Pontifice fuiſſe innonatū legimus in quadam Gregorij XIII. Bulla, pro Terræ Laboris Prouinciæ diuiſione, quam in ſequenti libro deſcribemus. Vndè quamuis in Regulari, atque Strictiori Obſeruantia iam ſupramodum multitudo Prouinciarum excreuerit; de ſingulis tamen habemus in Regeſtis Ordinis Apoſtolicas conceſſiones.

Series autem Prouinciarum, & Cuſtodiarum, à S. Bonauentura deſcripta hac fuit.

1	Prouincia S. P. Franciſci habet Cuſtodias	9
2	Prouincia Franciæ cuſtodias	9
3	Prouincia Romæ cuſtodias	7
4	Prouincia S. Iacobi cuſtodias	8
5	Prouincia Marchiæ cuſtodias	7
6	Prouincia Coloniæ cuſtodias	7
7	Prouincia Thuſciæ cuſtodias	8
8	Prouincia Angliæ cuſtodias	7
9	Prouincia Bononiæ cuſtodias	5
10	Prouincia Turoniæ cuſtodias	5
11	Prouincia S. Antonij cuſtodias	4
12	Prouincia Caſtellæ cuſtodias	8
13	Prouincia Ianuæ cuſtodias	6
14	Prouincia Argentinæ cuſtodias	6
15	Prouincia Mediolani cuſtodias	5
16	Prouincia Burgundiæ cuſtodias	6
17	Prouincia Terræ laboris cuſtodias	5
18	Prouincia Aragoniæ cuſtodias	7
19	Prouincia Siciliæ cuſtodias	5
20	Prouincia Saxoniæ cuſtodias	12
21	Prouincia Calabriæ cuſtodias	4
22	Prouincia Aquitaniæ cuſtodias	10
23	Prouincia Apuliæ, ſeu S. Nicolai cuſtodias	5
24	Prouincia Prouinciæ, ſeu S. Ludouici cuſtodias	7
25	Prouincia S. Angeli cuſtodias	4
26	Prouincia Hiberniæ, ſeu Scotiæ cuſtodias	5
27	Prouincia Pennæ (nunc S. Bernardini) cuſtodias	6
28	Prouincia Daciæ cuſtodias	8
29	Prouincia Dalmatiæ cuſtodias	4
30	Prouincia Romaniæ cuſtodias	3
31	Prouincia Bohemiæ cuſtodias	7
32	Prouincia Terræ Sanctæ cuſtodias	2
33	Prouincia Hungariæ cuſtodias	8
1	Vicaria Boſnæ cuſtodias	8
2	Vicaria Orientis cuſtodias	3
3	Vicaria Aquilonis cuſtodias	2
4	Vicaria Corſicæ cuſtodias non habebat, ſed tantum Conuentus	8

Mirabile quidem, atque Diuinæ Prouidentiæ (vt ita dicam) palpabilis atteſtatio, quam amplè vix in non tempore puſillus grex Minorum ſola extrema paupertate ditiſſimus ad vniuerſos terræ terminos domicilia ſua protenderit?

In diſtributione verò Prouinciarum, Vicariarum, & Cuſtodiarū anno 1400. per P. Bartholomaum Piſanum in Conformitatum libro deſcripta, ſuperaddita leguntur Prouincia Auſtria, Vicaria Ruſſiæ, Vicaria Tartariæ, atque Vicaria Sardiniæ, itaut Prouincia 34. Vicariæ 7. recenſerentur, hoc ordine.

Vvad. tom. 4. 1399. n. 10.

Prouincia S. Franciſci habet 9. Cuſtodias. Prima Cuſtod. Aſſiſij habet 9. loca.

1. S. Franciſci Aſſiſij. 2. S. Mariæ Angelorum ſiue Portiunculæ. 3. S. Claræ. 4. S. Damiani. 5. Carcerum. 6. Spelli ſeu Hiſpelli. 7. Bethoni. 8. Inſulæ. 9. Rocheciolæ.

II. Cuſtodia Peruſij habet loca 14.

1. Peruſinum intra Ciuitatem. 2. Montis Petuſij. 3. Agelli. 4. Luctoli, Libotelli ſeu Aboctoli. 5. Dirutæ. 6. Marſciani. 7. Corciani, ſeu Agelli Corciani. 8. Pregij. 9. Farneri, ſeu Farneti. 10. Ciuitellę, Curatellæ. ſeu Cunctellæ. 11. Montis Iouis. 12. Inſulæ laci. 13. Montis lucidi. 14. S. Mariæ Angelorum.

III. Cuſtodia Caſtelli habet loca 6. 1. Caſtelli. 2. Burgi S. Sepulchri. 3. Fractę. 4. Montorij. 5. Baroli, ſeu Cerbaroli. 6. Citernæ, ſeu Ciſternæ.

IV. Cuſtodia Tudertina habet loca 9. 1. Tuderti. 2. Ameliæ. 3. Aqueſpartæ. 4. Eremitæ. 5. S. Illuminati. 6. Moncionis. 7. Pantanellarum. 8. Lugniani. 9. Mualles, ſeu de Canali.

V. Cuſtodia Eugubina habet loca 5. 1. Eugubij. 2. Gualdi. 3. Nuceriæ. 4. Caproni, ſeu Capricornij. 5. Colleſtacioli.

VI. Narnienſis habet loca 7. 1. Narniæ. 2. Interamnis. 3. S. Gemini. 4. Pedis luci. 5. Stronconij. 6. Carbij. 7. Arionis.

VII. Cuſtodia Vallis Spoletanæ habet loca 8. 1. Fulginci. 2. Spoleti. 3. Treuij. 4. Ianij. 5. Piſciæ, ſeu Piſtiæ. 6. Montis Falconis. 7. Meuanij. 8. Montis luci, prope Spoletum.

VIII. Cuſtodia Montanorum habet loca 9. 1. Nurſiæ. 2. Caſſiæ. 3. Viſſi ſeu Iuſſi. 4. Montis S. Martini. 5. Cereti. 6. Vallis. 7. Hoſpitalis. 8. Occoſij, ſeu Occuſij. 9. S. Mariæ Magdalenæ.

IX. Cuſtodia Regni habet loca 9. 1. Montis Regalis. 2. Leoniſſæ. 3. Lapoſtæ. 4. Montis Leonis. 5. Arquati. 6. Matricis. 7. Monticelli. 8. Accumuli. 9. Ciuitatis Regalis.

Prouincia Marchiæ ſeu Piceni habet 7. Cuſtodias. Prima Cuſtodia Eſculana, ſeu Aſculana habet loca 14. 1. Eſculi ſeu Aſcoli. 2. Pignani ſeu Pigiani. 3. Venæ-Ruptę. 4. S. Victoriæ. 5. Pullegij ſeu Polegij. 6. Mōtis Alti. 7. Caſtellionis. 8. Ripæ tranſonis. 9. Montisfalconis. 10. Offidæ. 11. Montis florum. 12. Aquæ viuæ. 13. Furcæ. 14. Conſignani, ſeu Caſſignani.

II. Cuſtodia Camerini habet loca 12. Prim. Camerini. 2. Tolentini. 3. S. Seuerini. 4. Montis Sancti. 5. Ciuitatis Nouæ. 6. Maceratæ. 7. Montis lupoſ[illegible]-Bonantis. 9. Serræ. 10. Murri[illegible] ati. 12. Montis Milonis.

III. Cuſtodia Anconitana habet loca 12. 1. Anconæ. 2. Forani. 3. [illegible] 4. [illegible] 5. Cinguli. 6. Forani alterum. 7. Monticuli. 8. Tornoſani. 9. Caſtri Milij. 10. Camorani. 11. Caſtrificardi. 12. Siroli.

IV. Cuſtodia Æſina habet loca 12. 1. Aeſij, ſeu Eſij. 2. Pitæ ſeu Puræ. 3. Mattelicæ. 4. Serræ S. Quirici. 5. Rocchæ. 6. Serræ Comitum. 7. Saxi ferrati. 8. Stabuli. 9. Montis Noui. 10. Senogaliæ. 11. Montis Bodij ſeu Montis Albodij.

V. Cuſtodia Firmana habet loca 18. 1. Firmi. 2. Lauri. 3. S. Geneſij. 4. Molliani. 5. Ceſſæ Columbi. 6. Montis Cubani. 7. Faleroni. 8. Brufortij. 9. Montis Vlmi. 10. Montis granatij. 11. Montis-Actonis. 12. S. Elpidij. 13. Montis S. Mariæ. 14. Montis S. Petri. 15. Maſſæ. 16. Amandulæ. 17. S. Angeli. 18. Pennæ S. Ioannis.

VI. Cuſtodia Fanenſis habet loca 10. 1. Fani. 2. Montis Auium. 3. Fori Sempronij. 4. Piſauri. 5. S. Victoriæ. 6. Pergulæ. 7. Corinalti. 8. Saltariæ. 9. Scotoneti. 10. Montis Formoſini.

VII. Cuſtodia Feretrana habet loca 11. 1. Vrbini. 2. Saxi Corbarij. 3. Frigiolæ ſeu Fugiolæ. 4. Montis Florentini. 5. S. Martini, ſeu Pennę S. Martini. 6. Leonardi. 7. Duranti. 8. Marcatelli. 9. S. Angeli in Vado. 10. S. Leonis. 11. Caluij.

Prouincia Romana habet 7. Cuſtodias. Prima Cuſtodia Romana habet loca 6. 1. S. Mariæ Aræcæli. 2. S. Franciſci tranſtyberim. 3. Sutrij. 4. Campagnani. 5. Ciuitatis Caſtellanæ. 6. Montis Compatrum.

II. Cuſtodia Viterbienſis habet loca 6. 1. Viterbij. 2. Tuſcanellæ. 3. Corneti. 4. Montis Alti. 5. Montis Flaſconis. 6. Ortæ.

III. Cuſtodia Vrbeuetana habet loca 6. 1. Vrbis-veteris. 2. Balneoregij. 3. Bolſenæ. 4. Aquæ pendentis. 5. Proceni. 6. Pitiliani.

IV. Cuſtodia Reatina habet loca 13. 1. Reatis. 2. Fontis Columbæ. 3. Ciuitatis Ducalis. 4. Longoni. 5. Vallis ſeu Vallis introduci. 6. Arcis ſinbaldi. 7. Grætij. 8. Podij-Buſconis ſeu Baſtonis. 9. Tarami, ſeu Taranij. 10. Maliani. 11. Montis Leonis. 12. S. Alexandri. 13. Radicaniæ. S. Iacobi.

V. Cuſtodia Tiburtina habet loca 6. 1. Tiburis. 2. Rubiani, Ruuiani, ſeu Rimani. 3. Cellarum. 4. Sulſagij ſeu Sublaci. 5. Vicouarij. 6. Cnirellæ.

VI. Cuſtodia Maritima habet loca 7. 1. Terracinæ. 2. Piperni. 3. Secciæ. 4. Nynphæ. 5. Albani. 6. Neptuni. 7. Velletri.

tis Eccleſiæ &c. conſtituti, titulumque cuſtodientes vltra integrum ſæculum, anno tandem 1639. ab omnimoda Miniſtrorum de Obſeruantia Prouincialium dependentia penitus abſoluti, & in proprias Prouincias ab Vrbano VIII. per Bullam; *Iniuncti nobis &c.* 12. Maij 1639. fuerunt euecti. Cum verò ex certiſſima illa Regula Primogenituræ, ſeu primæ fundationis haud poſſent inter ſe diſtingui, eo quod omnes ſimul, quæ tunc de nouo prodierunt, eodem temporis momento, eiuſdem Bullæ vigore Prouinciæ dignitatem habere inceperint; peroptimè eodem in diplomate §. 3. Sapientiſſimus Pontifex ordinauit, ad euitandas confuſiones, atque controuerſias, ad tuendum Ordinis decorem, pacemque ſeruandam inter ipſas, vt Prouinciæ ſic, *vt præfertur, erectæ retineant proprium nomen, addito ſolummodò, quòd ſunt Reformatæ, ac habeant locum, & præcedentiam iuxta conſuetudinem dicti Ordinis poſt Prouincias iam erectas, ita vt eo loco permaneant, quo, dum Cuſtodiæ nominabantur, erant.*

Ex hoc Apoſtolico contextu plura colligere licet, nempè Tyrolenſem, Bauaricam, Auſtriacam, & Bohæmicam aliaſque Prouincias in Germania Reformatas, quæ ante annum 1639. iam ſub titulo Prouinciæ vigebant, omnibus Italicis Prouincijs eſſe loco præferendas, prout nunc hæ Reformatæ de Italia partem tantùm totius corporis Religionis à Prouincijs de Regulari Obſeruantia condiſtinctam efformant; hoc euidens eſt in allegato textu; *locum habeant, & præcedentiam poſt Prouincias iam erectas.* Etſi enim illarum aliquæ Reformationem acceperint, poſtquam Italicæ Reformæ titulum Prouinciæ habuerunt, cum tamen illæ in Prouinciæ dignitate iam præexiſterent, niſi nocuerit illis eſſe pium, eaſque ob acceptatam Reformationem caſtigare, ac in pœnam adimere velimus illis præcedentiam, ſuo in antiquo loco ſunt interim conſeruandæ. Contrarium enim eſſet iniquum, eas punire ob affectatam ſtrictiorem Regulæ obſeruantiam, imò, & contra Religionis praxim: Prouinciæ ſiquidem Franciæ, & aliæ, quæ anno 1518. reiectis priuilegijs Obſeruantiæ nomen dederunt, ab antiquo ſuo loco non receſſerunt: Quin & in Statutis Romanis de anno 1642. *tit. pro Reformatis*, ordinatur expreſsè, vt illæ Prouinciæ Auſtriæ &c. quæ iam inter Obſeruantes præfuerant, & deinde Reformatæ ſunt, adhuc præcedentia inter Obſeruantes gaudeant, quam, antequam titulo Reformatorum potirentur, habebant.

Colligo ſecundò ex ipſo præcitato Bullæ contextu, quòd illæ Prouinciæ Reformatæ inſimul, vt præfertur, ab Vrbano VIII erectæ, cum non poſſint Ordinem ſuum ex ſimultanea erectione diſtinguere: ex ordine, quem priùs ſub Cuſtodiarum titulo reſpectu Prouinciarum, quarum erant Cuſtodiæ, inter ſe conſeruabant, debent ad inuicem ordinari; dicit enim eadem Bulla: quòd eo loco permaneant, quo, dum Cuſtodiæ nominabantur, erant; Nullibi verò reperitur Ordo præcedentiæ inter antiquas huiuſmodi Cuſtodias aſſignatus; quia erant veluti pars, membrum, & acceſſorium propriæ reſpectiuæ Prouinciæ: Cum ergo membrum, & acceſſorium ſequatur naturam ſui principalis, indubium profectò remanere debet, quòd iuxta præeminentiam Prouinciarum Obſeruantium locum habuerũt inter ſe ipſæ Cuſtodiæ; atque Cuſtodes in Comitijs eodem ordine ſedebant, ſicut eorum reſpectiuè Miniſtri: vt & in præſenti Cuſtodes conſimilem in ſedendo ſeriem obſeruare comprobantur. Itaque de primo ad vltimum, Prouinciæ Ciſmontanæ Reformatæ anno 1639. ſimul erectæ ordine illo ſe ſe præcedere tenentur, quo ſe inuicem præcedebãt Obſeruantium Prouinciæ, quarum ipſæ fuerant Cuſtodiæ, antequam ſic in Prouincias erigerentur. Cum ergo Prouinciæ Reformatæ Siciliæ, Vallis Mazzariæ, Vallisque Nethi fuerint ex æquo vſque ad annum 1623. in menſe Iulio Cuſtodiæ vnius Obſeruantium Siciliæ: atque ab hoc primùm tempore diuiſa in tres illa Obſeruantium Prouincia Siciliæ, tunc ſolũ potuerit incipere Cuſtodia Vallis Mazzariæ eſſe Cuſtodia Prouinciæ Obſeruantis Vallis Mazzariæ; ſimiliter, & Cuſtodia Vallis Nethi eſſe Cuſtodia Prouinciæ Obſeruantis Vallis Nethi, & conſequenter vti (Siciliæ Prouincia, quæ titulum antiquæ, & indiuiſæ retinuit in antiquo ſuæ dignitatis loco remanente) Prouincijs Obſeruantibus Vallis Mazzariæ, & Vallis Nethi præcedẽria nõ debetur, niſi ab anno 1623. in menſe Iulio, quando inſtitutæ fuiſſe prænotantur; ita Prouinciæ Reformatæ Vallis Mazzariæ, Valliſque Nethi digniorem inter alias Italiæ Reformatas locum prætendere non poſſunt, quàm illis Obſeruantibus competat, quarũ ab eodem anno 1623. cæperunt eſſe Cuſtodiæ.

Nec aliquid in contrarium releuat, ſi dicatur, haſce duas Cuſtodias, nempe Vallis Mazzariæ, atque Vallis Nethi, anno vno antecedente à diuiſione Prouinciæ Siciliæ Obſeruantium, fuiſſe à Cuſtodia Reformata Siciliæ, & ab inuicem diuiſas: & per hoc ab eo diuiſionis propriæ, nempe ab anno 1622. locum habere cæpiſſe. Hoc, inquam, nihil eſt, quia etſi eſſent ab inuicem diuiſæ,

reue-

reuera tamen extiterunt ſemper Cuſtodiæ Prouinciæ vnius Obſeruantium Siciliæ, donec hæc fuerit actualiter diuiſa, ita vt vnaquæque Cuſtodia ſuæ propriæ Prouinciæ reſponderet; Non enim repugnat, plures eſſe Cuſtodias vnius Prouinciæ; Veriſſimè tamen repugnat, dari Cuſtodiam aliquam, niſi detur Prouincia, cuius ſit Cuſtodia, vt habemus ex Stat.Rom. de anno 1628. in Chronolog. fol. 681. col. 1. in fine in hæc verba: *Declaratur, duas Cuſtodias Reformatorum Poloniæ fuiſſe benè inſtitutas, eaſq; &c. & præſertim quòd votum habeant in Capitulis Prouincialibus illarum Prouinciarum, quibus ſunt annexæ*. Conſtant enim, Cuſtodias Reformatorum à primo ſuo exordio fuiſſe ſingulas ſemper alicuius Prouinciæ Obſeruantis Cuſtodias, ad quas proinde tranſire deberent, qui ex illa Prouincia reformationem appeterent; Vnde, & obſeruatum eſt, quòd ſi Miniſter Prouincialis aſſumptus eſſet ab Obſeruantibus, Cuſtos eſſe deberet ex Reformatis; Si Miniſter eſſet ex Reformatis, Cuſtos ad Ordinis Comitia mittendus eſſe deberet ex Obſeruantibus: quod in decretis Vrbani VIII. anno 1628. fuit renouatum ſic: *Quartò determinatum eſt, vt Miniſter Prouincialis eligi poſſit ex familia, vel ex reformatione, iuxta antiquam conſuetudinem Religionis, & iuxta Conſtitutiones ſanctæ memoriæ Clementis VIII. & Pauli V. &c. Inſuper vt quandocumque Miniſter Prouincialis fuerit Reformatus, tunc Cuſtos mittendus ad Comitia Generalia eligatur ex Patribus de familia; & vice verſa, quando Prouincialis fuerit ex Patribus de familia, tunc Cuſtos ſupradictus ſit Reformatus, vt vtraque pars vnum Vocalem habeat in dictis Comitijs Generalibus*. Ex quibus liquidò apparet, quòd ex antiqua Religionis conſuetudine, item ex decretis Clementis VIII. & Pauli V. per Vrban. VIII. renouatis, vnaquæque Prouincia duo haberet vota in generalibus Comitijs, alterum ex Obſeruantibus, alterum ex Reformatis: Vnde ſi illo vno anno, quo Siculæ Cuſtodiæ Reformatę fuerunt ab inuicem diuiſæ, antequam diuideretur ipſa Obſeruantium Prouincia Siciliæ, celebrata fuiſſent Comitia generalia, non in illis votum habuiſſent omnium (ſecluſa diſpenſatione) Cuſtodes, ſed vnicus ex eis: vt patet ex ſupradictis: ex quo vlteriùs apparet, quod veriſſima (ſi effectũ habuit) illa Cuſtodiarum diuiſio, vt apparet in Apoſtolico Breui Greg. XV. ſuper id expedito, ſed quãtum attinet ad regimen particulare illorum locorum, vt dicitur in eodem diplomate; non tamen vt reſpectu totius Ordinis illæ triplex votum habere permitterentur; De primo itaque ad vltimum ſemper illæ tres ex æquo fuerunt Cuſtodiæ vnius Prouinciæ Siculæ Obſeruantium, donec ex huius diuiſione potuerint etiam illæ Cuſtodiæ ſingulæ ſingulis Prouincijs attribui, & ex propriæ Prouinciç antiquitate ſuam antiquitatem dimetiri.

Non ignoro, in contrarium adduci poſſe Statuta Religionis de anno 1639. confirmata per Breue Vrbani VIII. in forma ſpecifica, quod ſupra dedi; In iſtis enim inſeritur talis ordo Prouinciarum, quod poſt Prouinciam Siciliæ, quæ inter Ciſmõtanas in ordine vndecima eſt, immediatè ſequuntur Vallis Mazzariæ, & Vallis Nethi. Vnde cum per cõfirmationem Apoſtolicam Statuta illa ſint roborata, videtur dicendum, talium Prouinciarum præcedentiam decreto Apoſtolico fuiſſe firmatam, & proinde tollendam non eſſe.

Nullã tamen faceſſit hæc oppoſitio difficultatem; contradicit enim ſtatuto huic motus proprius Vrbani VIII. *Iniuncti &c.* ſupra citatus in quo ſtatutum illud fundatur; Siquidem in allegato motu proprio, lege vniuerſali, & quidem iuſtiſſima præſcribit Pontifex ijs omnibus Prouincijs ibi nouiter erectis, vt præcedentiam habeant inter ſe, *ſecundum conſuetudinem Ordinis*; de quo egimus in antecedentibus. Cum ergo Conſtitutio illa de Prouincijs omnibus loquatur, atque conformiter ad iuſtitiam, etiam generaliter ſit interpretanda, & exequenda, (9) ita vt ab hac generali diſpoſitione nulla poſſit eximi Prouincia: ſed omnes, & ſingulæ iuxta conſuetudinem Ordinis, vt diximus, debeant inter ſe præcedere: Aduertere iuuat, verba illa ſtatuti, quòd Sanctiſſimus ordinẽ Prouinciarũ taxauerit iuxta ſeriem ibi diſpoſitã, gratis fuiſſe appoſita; cum conſtet, ordinem Prouinciarum in motu proprio allegato, qui eſt illius ſtatuti fundamentum, non in particulari iuxta ſeriem prætenſam apponi (quæ eſſet contra ipſum motum proprium) ſed tantùm in genere, & generaliter mandat, ſeriem illam formandam eſſe ſecundùm Ordinis conſuetudinem: vnde particula hæc gratis, (vt mox dicetur) fuit in ſtatuto adiuncta, niſi alia ſpecialis diſpenſatio producatur, quæ nullibi apparet. Quomodo ergo ſolæ Prouinciæ Vallis Mazzariæ, Vallisque Nethi cum iniuſto grauamine antiquiorum ordinem in motu proprio generaliter præfixum non ſeruant? Statutum illud nullo modo ſuffragatur, quia ipſi Bullæ diametraliter opponitur, niſi per aliam maioris roboris Apoſtolicam diſpoſitionem roboretur; cum prioris Bullæ derogatione; ſed ſic eſt, quod nulla huiuſmodi reperitur; imò erectio ipſa Prouinciarum ad hæc vſq; tempora vigore ſolo

(9) l. 3. ff. de legat. præſtit. l. Propexit ff. qui, & à quibus.

ſolo illius motus proprij ſuſtinetur,& ſtatutis illarum Prouinciarum præfigitur. Nulli ergo poteſt eſſe dubium, quòd illa ſtatuti verba gratis fuerunt adiecta, contra tenorem Bullæ, in qua fundantur, & ſine ipſius Bullæ derogatione,aut diſpenſatione. Idem autem iudicium eſt in iure de ijs, quæ non apparent, & de ijs, quæ non ſunt; Vnde concluderem,gratis eſſe formatum;aut modeſtiùs loquendo, & fortè meliùs; dicendum, quòd verba illa Statuti verè ſubſiſtãt in eo ſenſu,vt ſcilicet intelligatur, à Pontifice fuiſſe in genere præfixum Ordinem Prouinciarum; vt reuera iuxta Pontificium Ordinem ordinantur Prouinciæ cœteræ; Vallis Mazzariæ,& Vallis Nethi exceptis, cui ob cauſas antea recitatas,& infra repetendas,indebita præcedentia fuit attributa. Tandem cum hoc ſit quid facti, aduerſarijs incumbit onus, huiuſmodi ſpecialem diſpenſationem oſtendendi; quam certè nuſquam oſtendent.

Sed multis ducor, quòd tale ſomniatum diploma factum non ſit; quia ſi illud fieri debebat, pater, quòd debebat eſſe motui prædicto contrarium, & ipſum corrigere. Correctio autem iurium inducenda non eſt, niſi neceſſitas cogat, vt volunt Canoniſtæ, (10) at quæ neceſſitas anteuertendi ordinem iam optimè diſpoſitum? Fortè ad ſedandas controuerſias? Minimè; Imò potiùs fuiſſet hoc ſeminarium litium,& religioſæ pacis interrumpendæ occaſio. Sed, oro, quiſnam fuit finis Vrbani in ferendo illo Motu proprio? Attendatur eius Proæmium, in legis enim proæmio declaratur legiſlatoris intentio finalis, vt iura volunt. (11) Sic ait ergo. *Vt pax, & concordia inter eos (nempe Fratres Reformatos) conſeruetur, ipſique fælicioribus in dies proficiant incrementis.* Finis ergo illius Bullæ fuit inter Reformatos concordiam tueri, & pacẽ fouere ad eorum vberiorem fructum procurandum. Quomodo ergo potuit Pontifex condere decretum aliud nõ ſolùm iuſtitiæ aduerſum, ſed & eius menti contrarium? Rurſus fictum hoc diploma,ſi fuit,vel fuit Bulla plumbata, vel in forma Breuis, vel reſcriptum. Si primum (quòd incapibile eſt) quando latum, quando publicatum, vbi affixum, quibus lectum, aut intimatum? Nuſquam certè, & nullibi reperietur, & facta diligentia inter Pontificia Regeſta, de tali nullum penitùs apparet indicium; ſi fuit in forma Breuis, vt aſſolet,ad partis inſtantiam expeditum, vitio ſubreptionis,aut obreptionis laborabit; pro illo ſiquidem obtinendo falsò fuit Põtifici repræſentatum, talem præcedentiæ ordinem pro Prouincijs Vallium Mazzariæ,& Nethi in ordine iam eſſe conſuetum, quòd nullo modo eſt. Si fuit reſcriptum, in quo talis præcedentia ipſis decerneretur ex priuilegio, nec etiam valet; Princeps enim non poteſt tollere ius quæſitum tertio, niſi de graui cauſa, & manifeſta, eſto quòd Priuilegium eſſet conceſſum Motu proprio, & ex certa ſcientia, vt vult celeberrimus Canoniſta, (12) ergo multò minùs ad inſtantiam partis,maximè non auditis ex aduerſo ijs,de quorum intereſſe agebatur. Et ſi pars oppoſita ſe fundat in tali ſomniato priuilegio, debet tale priuilegiũ probare ſaltem per immemorabilem conſuetudinem, (13) vt volunt Doctores, ſed hoc nunquam præſtabunt.

(10) Abb.in c. eum ſam quæ n. 1. de Reſcript. Gutier. pract. qu. 15. nu. 24. lib 1. Sãch. de matrim. lib. 1. diſp. 13. nu. 6.

(11) l. fin. ff. de hæred. inſt. l. Titia. §. idem reſpondit, ff. de verb. obl. l. itẽ §. final. ff. de pactis.

(12) Panorm. in c. certific. nu. 9. de Reſcript.

(13) Nauar. conſ. 9 n. 4. de Regul. Moron. reſp. 49. n. 149.

Dicent fortè contineri in Breui Vrbani confirmatiuo Statutorum, vt dictum eſt, in quo apponitur grauiſſima clauſula derogatiua eorum, quæ aduerſantur ijs, quæ inibi diſpoſita ſunt. Sed hoc nihil eſt; Quia cõfirmatio nullum nouum ius addit, ſed antiquum,ſi quod eſt,conſeruat, vt dicunt Canones, (14) Si ergo confirmatio Statutorum per tale Breue debet in caſu noſtro operari,oportet,quòd Statuta iam condita, & per ipſum poſtea confirmata, eſſent in iure fundata, & ſic à ſemetipſis legitimum ius haberent. Talis autem Ordo præcedentiæ in Statutis diſpoſitus, non erat ad formam iuris, imò iuri oppoſitus, quandoquidem cõtra formam iam in Motu proprio Vrbani per aliquot Mẽſes prius emanato, contentam. Nihil ergo quoad punctum diſputatum facit cõfirmatio Apoſtolica per illud Breue. Quod fortiùs ſuadeo, quia ſeries Prouinciarum ſic diſpoſita erat quid facti, & non iuris; nequibat ergo Pontifex eam ſcire ex ſe, ſi de ea aliũde non informatus fuiſſet. Informatus ſanè fuit, ſed à quibus? ab illis certè, qui Statuta illa præſentarunt Pontifici,vt conſona iuri,& hoc ſiue circa illa,quæ ibi Decreta erant, ſiue circa ea, quæ in facto repræſentabantur eſſe iuri conformia. Sed facta diſpoſitio in Ordine Prouinciarum nõ erat vera, & legitimè facta,ergo quoad illam partem Breue fuit ſubreptum ob falſi repræſentationem, vt volunt Doctores, (15) & ita nullum in hac parte. Augetur argumentum ex præſumptione, quòd non tantùm ius Prouinciarum non fuerit Pontifici expoſitum in illis Statutis, inſerendo allegatam particulam *de ſerie Prouinciarum*; ſed quod etiam Patres Diffinitorij decepti fuerint: Præſidebat enim pro Ciſmontanis Pater Benignus Ex-Miniſter Generalis, & tunc Commiſſarius Generalis actualis, habebatque in Secretarium Patrem Sambuceam, qui fuit etiam Miniſter Generalis:

(14) Cap. ex parte de Priuil. c. quia ingrent, eo tit. c. 1. tit. dilectos ver. Cæterum de fide Inſt.

(15) Graff. 1. p. deciſ. l. 4. in explic. Bullæ Can. c. 6. n. 88 Iaſ. in l. 2. n. 8 c. ſi quis, &c. Layman. l. 1. Tract. 4. c. 23. nu. 4. Lezan. Sum. V. litteræ nu. 38

qui

qui vterque cum eſſent de Prouincia Vallis Mazzariæ, ſuſpecti legitimè creduntur; Cum enim Prouinciæ ſuæ dignitatem promouere cuperent, ipſam ſimul cum Prouincia Vallis Nethi, ob inſeparabilem cauſæ connexionem potuerũt indebitè præponere. Hoc exinde mihi non improbabile videtur, quia Statuta, quæ ad gubernium Reformatorum ordinantur, ſemper poſt Statuta pro Obſeruantibus edita recitantur, addita hac Epigraphe *Pro Reformatis*, quod per omnia, & ſingula Statuta ante, & poſt hæc edita poteſt, nullo excepto, probari: Hic autem, vt patet intuenti, eo titulo ſuppreſſo, qui Diffinitores Reformatos ad ſpecialem aduertentiam excitare potuiſſet, inter Statuta Ciſmontanæ Familiæ, vbi ſemper Statuta pro Obſeruantibus præponi ſolent, huiuſmodi clauſula de Prouincijs Reformatis abſque diſtinctione inſeritur; vnde doloſè inuoluta potuit habuiſſe ſubſcriptionem: Vel ſi factum aduerterunt, in reuerentiam Ex-Miniſtri, & actualis Commiſſarij Generalis, eiuſque Secretarij Generalis, qui ad honorem ſuæ Prouinciæ ita diſpoſuerant, auſi non ſunt reſiſtere, eo vel maximè quòd ipſorum cauſa particularis non agebatur; Vel fortè meliùs dicendum, quòd Ordo debitus in originali ſeruatus fuerit, & in Tranſumpto per Amanuenſem mutatus. Quod inde fortiùs euincitur; quia poſt recitatum ſuperiùs Toletanum Decretum anni 1645. pro reſtituendo Prouincijs ſingulis iure ſuo; iterum Reuerendiſſimus Sambucca Generalis in ſua noua Statutorum compilatione anno 1663. facta, in ſuæ Vallis Mazzariæ Prouinciæ gratiam ordinem debitum inuertens Vallibus Mazzariæ, & Nethi (ob inſeparabilem rationis connexionem) indebitam præcedentiam attribuit. Et ſi verò ſic haberetur in Originali, quod iam non eſt reperire, non tamen exinde caderent à cauſa Prouinciæ cœteræ, firmiſſimis iam allegatis rationibus innixæ. Maximè verò facit ad comprobandam alteratam Prouinciarum ſeriem, & præcedentiam, quòd ſtatim ac prima vice publicatus eſt ipſarum ordo, & diſpoſitio, vt diximus per Statuta Merineri annò 1642. vbi conformiter ad Prouincias Reformatas (ne militarent pro iſtis rationes in contrarium ſuperiùs allegatæ) etiam in Cathalogo Obſeruantium Prouinciæ Vallis Mazzariæ, Valliſque Nethi, cum Prouincia Siciliæ velut vnitæ, Prouinciæ Sancti Nicolai, & alijs præponuntur, illico ſubortæ ſunt præiudicatarum querimoniæ Toletanis, vt diximus, in Comitijs 1645. terminatæ, & per Sambuccana Statuta renouatæ, euſque ſuſtentatæ, donec in Capitu- (1676. confirmat. 1676.)

lo Generali Romano pro conſeruatione iuſtitiæ Decretum fuit, *vt ad tollendas diſſenſiones ortas cauſa præcedentiæ inter aliquas Prouincias tam Obſeruantes, quàm Reformatas, decreuit Diffinitorium Generale, ſeruandam eſſe ſeriem præcedentiæ iuxta Chronicon Reuerendiſſimi Gonzaga, ita vt Prouinciæ nouiter inſtituta teneant locum iuxta Ordinis antiqua Statuta, præſcindendo à Conſtitutionibus compilatis per Reuerendiſſimum Sambuccam.*

Nec iuuat aduerſarios allegare, quòd ſint in poſſeſſione. Quia talis non fuit legitima poſſeſſio, contra quam fuit continua reclamatio tot aliorum intereſſe habẽtium, ex qua factum eſt, vt emanarit Decretum aliàs ſupra allegatum ad reformandum ordinem præcedentiæ, ad tollenda litigia. Et quantumuis Prouinciales Sancti Didaci, & alij, ad quos, &c. in Comitijs Generalibus non reclamaſſent, & in ordine ſibi debito non fuiſſent poſiti, non tamen ipſis proprium ius fuiſſet ademptum. Quia præcedentiæ ius non amittitur eo non vtẽdo, vt vult quidam Doctor, *(16)* & tali iuri in præludicium aliorum ſucceſſorum non poterat, nec tacitè, nec expreſsè ab ipſis renunciari; vt in puncto decidit Decian. (17) Vnde cum cauſa Prouinciæ, ſicut & Eccleſiæ gaudeat priuilegio pupillorum, & ſemper minor ex notis iuribus cenſeatur, ſemper poteſt petere reſtitutionem in integrum in ſuis primæuis iuribus. Quapropter concludendum eſt, quòd Prouinciæ Vallium Mazzariæ, & Nethi debent poni poſt Prouinciam Sancti Didaci, & Sancti Thomæ ante illas formaliter erectam, vel ſi volunt frui ordine illius Prouinciæ, à qua diſmembratæ ſunt, etiam Prouinciæ Sancti Didaci, & Sancti Thomæ debet habere locum immediatum poſt Prouinciam Genuæ, à qua natæ ſunt. Sed cum hoc ſecundum eſſet cauſa inextricabilium difficultatum in cœteris Prouincijs diſponendis, vt ſupra notauimus, tutius eſt, eas poſt Prouinciam Sancti Didaci, & Sancti Thomæ collocare, vt de iure.

(16) Gratian. diſcept. forens. cap. 298.

(17) Lib. 1. conſ. 21. n. 74.

DECRETVM.

INhærendo Statuto Romano de anno 1676. nihil addendo, vel imminuendo, vel immutando; eiuſdem Statuti executionem meram intendentes, ordinamus, & præcipimus, vt iuxta eiuſdem illius Statuti mentem, & litteram, ad imponendum litibus de Præcedentia inter Prouincias finem, Cathalogus Prouinciarum vtriuſque Familiæ de nouo componatur; itaut quæ in

iu Chronico Gonzagæ iam fuerât ordinatæ, ſuo loco interim remaneant, quæ verò exinde fuerunt erectæ, iuxta primogenita ſua (prout antiqua, & moderna Ordinis Statuta diſponunt) locum, & præcedentiam obtineant: Cathalogum verò, vt ſupra diſponent iuxta nouas Prouinciarum erectiones in Comitijs Ordinis ſucceſſiuè ſtabilitas; Pater Archangelus de Roma, & Carolus Franciſcus de Variſio pro Ciſmôtanis,& Patres Sebaſtianus Arrojo, & Laurentius à Sancto Paulo de Suetia pro Vltramontanis. Datum in Conuentu noſtro Ara-Cœlitano Vrbis die 12. Iunij 1684.

Fr. Petrus Marinus Min. Gen.

Loco ✝ ſigilli.

Votum Patrum in hac cauſa deputatorum.

Reuerendiſſime Pater.

HOnorifica Reuerendiſſimæ Veſtræ Paternitatis mandata, ſicuti debita cum reuerentia ſuſcepimus, ſic nulla non adhibita diligẽtia adimplenda curauimus, & ſi in negotio per Ordinis Statuta generalia euidentiſſimo non diù fuiſſent immorandum; tamen ad ſtabiliendam veritatem, omnia adamuſſim examinata vidimus, atq; ſi ita Reuerendiſſimæ Veſtræ Paternitati videbitur, prout ſequitur, reſpondendum iudicauimus.

Series Prouinciarum iuxta decretum Capituli Romani de anno 1676. & Toletani anno 1682. ordinanda: præſcribitur, itaut quæ in Chronico Gonzagæ reperiuntur, eo modo permaneãt, quo ibi deſcribũtur; reliquis iuxta ordinis ſtatuta, immò, & axioma iurium, *prior in tempore, potior in iure*, locus aſſignetur, prout ex annalibus Ordinis de Prouincijs poſt Seraphici Doctoris S. Bonauenturæ Cathalogum adiectis legimus indiſpenſabiliter obſeruatum.

De Prouincijs Obſeruantium, *vbi non ſunt Reformati*, & de Reformatis, *vbi non ſunt Obſeruãtes*, de quibus videri poſſet eſſe difficultas aliqua ſpecialis; abſq; vlla difficultate à die ſuæ erectionis locus eis aſſignetur.

De Prouincijs Reformatis inter Obſeruantes euidentiùs ex motu proprio Vrbani VIII. *Iniunẽti nobis die 12. Maij 1639.* iubemur eis nomen, & locum ex ſua Prouincia Obſeruantiæ decernere, qualiter habebant, dum erant ipſius Obſeruantiæ Cuſtodiæ; vnde facta pro Obſeruantibus aſſignatione, facta illico intelligitur & pro Reformatis.

Ergo in magno Gonzagæ Chronico Prouinciæ Ciſmontanæ ſerie hic annexa deſcribuntur.

Prouincia S.P.Franciſci, folio mihi	166
Romana	193
Marchiæ	216
Thuſciæ	248
Bononiæ.	310
S.Antonij	332
Genuæ	375
Mediolani	394
Principatus	424
Septem Martyrum	434
Siciliæ.	442
S.Nicolai	459
S.Bernardini	472
S.Angeli	483
Dalmatiæ	497
Candiæ	505
Boſnæ Croatiæ	509
Auſtriæ	513
Bohemiæ	518
Poloniæ	529
Corſicæ	543
Raguſij	552
Brixiæ	556
Baſilicatæ	573
Hungariæ S.Saluat.	580
Boſnæ Argentinæ	583
Hungariæ S.Mariæ	590
Terræ Laboris	593
Tyrolenſis	609
Calabriæ	613

Omnium vltima Albaniæ adhuc ſub nomine Cuſtodiæ.

Ergo poſt Chronicon Gonzagæ adiunctas legimus in ſerie Prouinciarum ſubſequentes eo ordine, quo hic adnotantur.

Prouincia Albaniæ ex Decreto Gener. Congregationis Neapolitanæ erecta anno 1590. Orbis Seraphicus tom. 4. fol. 495. col. 1. & ſemper eo ordine conſeruata.

Prouincia S.Didaci à Prouincia Genuẽſi authoritate Apoſtolica diſmembrata, & per Reuerendiſſimum Gener. Bonauenturam à Calatayerone erecta anno 1593. ex Chronicis ipſius Prouinciæ.

Prouincia S.Thomæ Apoſtoli per Breue Apoſtolicum Gregorij XV. à Prouincijs Genuenſi, Mediolanenſi, S. Ludouici, & S.Didaci diſmembrata, & per Nuntium Apoſtolicum in Capitulo Prouinciali Taurinenſi erecta anno 1622. Menſe Septembri, ex eius Chron.

Prouincia Vallis-Mazzariæ à Prouincia Siciliæ diſmembrata per Breue Apoſtolicum Gregorij XV. & per Commiſſarium Apoſtolicum in Capitulo Prouinciali erecta anno 1623. Menſe Iunij, ex Chron. Prouinciæ Sicil.

Licèt

Licèt autem hęc, (& Prouincia Vallis Neti) eodem loco cum Prouincia Siciliæ præcedentiam pluriès habere contenderit (immo, & aliquando ſupra ipſam Siciliæ prouinciam) obſtat nihil hominus contra iniuſtam huiuſmodi pretenſionem ius commune; *Prior in tempore, potior in iure*; nec enim ſuſtineri poteſt, vt Prouincia S. Nicolai, quę ab immemorabili ſuæ erectionis duodecima erat; nunc nouiſſimis locum, cedens multo inferiùs reponatur; & ſic de alijs eo modo præexiſtentibus. Obſtant & grauiſſima inconuenientia, & confuſiones exinde neceſſariò conſequentes. Siquidem eodem modo (cum nulla ſit ratio diſparitatis) Prouinciæ S. Didaci, & S. Thomæ cum Genuenſi locum habere prætendent, ex qua fuerunt ſeparatæ; Brixienſis cum Mediolanenſi; Poloniæ Maioris cum Polonia Minori; s. Vigilij cum Veneta S. Antonij: Bulgariæ, & s. Ladislai cum Hungaria, pręter innummera huiuſmodi exempla, quæ in Vltramontana Familia occurrunt. Obſtant rationes ſolidiſſimæ de mandato ſuæ Reuerend. Paternitatis congeſtæ, & in Tomo IV. Orbis Seraphici hic deſcriptæ: Obſtant præallegata Capituli Romani anno 1676 & Toletani 1682 decreta; & in horum vim Decretum ſuæ Reuerend. Paternitatis anno 1684. die 12. Iunij nobis intimatum, per quæ pręcipitur, vt ſeries Prouinciarum in Chronico Gonzagæ inconcuſſa conſeruetur; & quę poſtinde fuerunt erectæ, locum habeant, & præcedentiam iuxta Ordinis Statuta à die ſuæ erectionis, ſed ſpecialiùs, & in indiuiduo obſtat Decretum, ſeu deciſio hac de re Capituli Toletani anno 1645. ante noui Generalis electionem, præſente Reuerendiſſimo Patre Sambucca huius Prouinciæ Vallis Mazzariæ alumno, actuali Diffinitore Generali, & iuxta ſuæ Prouinciæ defendente, ſed iam Religione in ſua libertate poſita, impedire non potuit, quin pro cauſæ iuſtitia ad fauorem Prouinciæ s. Nicolai (& aliarum intereſſe in cauſa habentium) promulgaretur decretum; quòdque Prouinciæ Vallis Mazzariæ, & Vallis Nethi pręcedentiam à die ſuarum erectionum haberent, iuxta veterèm Religionis conſuetudinem: ſic fuit ibi Decretum die 30. Maij 1645. vt deſcribitur ex copia impreſſa in Tom. 4. Orbis Seraphici hic. Vnde omni iure poſt Prouinciam S. Thomæ Apoſtoli eſt collocanda.

Prouincia Vallis Nethi eodem modo, eodem tempore anno 1633. fuit à Prouincia Siciliæ diſmembrata, & erecta.

Prouincia Bauariæ per Breue Apoſtolicum Vrbani VIII. in eius Chronicis, & in *Orbis Seraph. Tom. IV.* Bullario Lantuſcæ deſcriptum erecta fuit anno 1626.

Prouincia Maioris Poloniæ anno 1630. per Commiſſarios Apoſtolicos Apoſtolica authoritate fuit à Polonia Minori diſmembrata, & in Prouinciam erecta, & in Capitulo Generali Romano 1639. confirmata ex Chronicis eius.

Prouincia Ruſſiæ circa annum 1637. fuit à Polonia minori diuiſa, & in Prouinciam erecta, eundemque locum ſemper retinuit: ex eius Chron.

Cuſtodiæ Reformatorum in Prouincijs Obſeruantibus iam præexiſtentes erectæ fuerunt in Prouincias per Breue Apoſtolicum Vrb. VIII. anno 1639.

Prouincia S. Vigilij à Prouincia S. Antonij Veneta fuit per Breue Apoſtolicum diuiſa, & in Prouinciam erecta anno 1643. & anno 1645. in Capitulo Toletano confirmata.

Prouincia S. Ladiſlai per Breue Apoſtolicum Alexand. VII. fuit à Prouincia Hungariæ diuiſa, & in Prouinciam erecta anno 1661.

Prouincia Bulgariæ ab Vrbano VIII. fuit in cuſtodiam erecta, & anno 1676. die 19. Iunij a Clemente X. in Prouinciam.

Omnibus itaque penſatis ſeries, & pręcedentia Prouinciarum in Ciſmontana Familia deſcribenda videtur, & aſſignanda, prout ſequitur.

Series Prouinciarum Regularis, & ſtrictioris Obſeruantiæ in Ciſmontana Familia.

Prouincia S. P. Franciſci Obſeruantiæ
Romana Obſeruantiæ
Marchiæ Obſeruantiæ
Thuſcię Obſeruantiæ
Bononiæ Obſeruantiæ
S. Antonij Obſeruantiæ
Genuæ Obſeruantiæ
Mediolani Obſeruantiæ
Principatus Obſeruantiæ
Septem Martyrum Obſeruantiæ
Siciliæ Obſeruantiæ
S. Nicolai Obſeruantiæ
S. Bernardini Obſeruantiæ
S. Angeli Obſeruantiæ
Dalmatiæ Obſeruantiæ
Candiæ Obſeruantiæ
Boſnæ Croatiæ Obſeruantiæ
Auſtriæ Reformat.
Bohemiæ Reformat.
Poloniæ Min. Obſeruan.
Corſicæ Obſeruantiæ
Raguſij Obſeruantiæ
Brixiæ Obſeruantiæ
Baſilicatæ Obſeruantiæ

Vngariæ S. Saluatoris Reform.
Boſnæ Argentinæ Obſeruantiæ
Vngariæ S. Mariæ Reform.
Terræ Laboris Obſeruantiæ
Tirolenſis Reform.
Calabriæ Obſeruantiæ
Albaniæ Obſeruantiæ
S. Didaci Obſeruantiæ
S. Thomæ Apoſtoli Obſeruantiæ
Vallis Mazzariæ Obſeruantiæ
Vallis Nethi Obſeruantiæ
Bauariæ Reform.
Poloniæ Maioris Obſeruantiæ
Ruſſiæ Obſeruantiæ
S. P. N. Franciſci Reform.
Romana Reformata
Marchiæ Reform.
Tuſciæ Reform.
Bononiæ Reformat.
S. Antonij Reformat.
Genuæ Reformat.
Mediolani Reformat.
Principatus Reformat.
Septem Martyrum Reformat.
Siciliæ Reformat.
S. Nicolai Reformat.
S. Bernardini Reformat.
S. Angeli Reformat.
Poloniæ Minoris Reformat.
Corſicæ Reformat.
Brixiæ Reformat.
Baſilicatæ Reformat.
Terræ Laboris Reformat.
Calabriæ Reformat.
S. Didaci Reformat.
S. Thomæ Apoſtoli Reformat.
Vallis Mazzariæ Reformat.
Vallis Nethi Reformat.
Poloniæ Maioris Reformat.
S. Vigilij Reformat.
S. Ladislai Obſeruantiæ
Bulgariæ Obſeruantiæ
Cuſtod. Terræ Sanctæ
Cuſtodia Tranſiluaniæ Reform.

Ita cenſeo ego Fr. Carolus Franciſcus de Variſio ſuper hoc Conſultor deputatus.

Ita cenſeo ego Fr. Laurentius a S. Paulo ex Suetia, &c.

Ita cenſeo ego Fr. Archangelus de Roma ex Prouincialis, & Diffinitor Gener.

Sic ſentiendum eſſe iudico ego Fr. Sebaſtianus de Arroyo Commiſſarius Generalis Curiæ Romanæ.

Fr. Petrus Marinus Min. Gen.

Locus † Sigilli.

Tabula Prouinciarum Familiæ Vltramontanæ.

Difficultates non minoris, immo maioris momenti occurrerent in aſſignanda Prouincijs Vltramontanæ Familiæ loci dignitate, niſi per allegata de anno 1676. & 1682. Statuta expediremur à lite. Anglicana ſiquidem (vt interim de Coloniensi, & alijs huiuſmodi taceam) alium à communiter ſibi præfixo etiam in Gonzagæ Chronico locum in Serie Prouinciarum, etiam conteſtata lite pluribus in Ordinis Comitijs expoſtulauit, cuius iura per P. Fratr. Franciſcum à S. Clara eiuſdem Anglicanæ alumnum, & Chronologum in additionibus ſuis ad Chronicon Angliæ Duaci typis Baltaſſaris Brelleri ann. 1671. fuerunt euulgata. Cum verò ex poſterioribus abinde ſtatutis præallegatis Seriem à Gonzaga deſcriptam ſeruare debeamus inconcuſſam, ſatis erit ad ſtabiliendum etiam in Vltramontana Familia ordinem Prouinciarum, illarum, quæ in Gonzagæ Chronico recenſentur, locum exinde deſumere; cæterarum verò poſt opus Gonzagæ inuectarum præciſum cuiuſque tempus erectionis inquirere, vt ex omnibus, & ſingulis ſuo reſpectiuè loco congeſtis integer atque ad Statutorum generalium præſcriptum inuariabilis Catalogus efformetur atque ſtabiliatur.

Duo tamen ibi obſeruatione digna, quæ negotium non leue faceſſunt, præterire non licet; primum eſt, quòd Vltramontanæ Familiæ non vna in ſerie ibi recenſentur, ſed Europææ in tertia parte, in quarta verò ſeparantur, quæ ad Orbem nouum attinere dicuntur; vnde neceſſe erit, omnium omnino erectionem adamuſſim examinare, ad hoc vt Vltramarinę inter Europęas iuxta verum ipſarum fundationis exordium inſerantur, ſicque iuſtitia nulli denegetur. Alterum eſt, quod Prouinciæ S. Crucis in Hiſpaniola, ſiue Caracarum, & S. Thomæ Apoſtoli in India Orientali cæteris Indianis (vna excepta Canarienſi) à Gonzaga præponantur, quia æuo ſuo reuerà inter Prouincias recenſebantur, vel recenſitæ fuerant; Cum verò ſubinde à Dignitate Prouinciæ ceciderint, à die reſtitutionis earum, in Prouinciarum ordine locum iam habere debebunt.

Reperimus ergo apud Gonzagam Prouincias ſui tēporis hoc ordine deſcriptas.

Prouincia Franciæ folio mihi	*627*
Franciæ Pariſienſis	*663*
Caſtellæ	*690*

Saxo-

Saxonia S.Io:Bapt.non apponitur, quia ab hæreticali furore deſtructa iacebat.

Saxoniæ S.Crucis	761
Turoniæ	768
Turoniæ Pictauien.	779
Arogoniæ	805
Argentinæ	822
Aquitaniæ Antiquioris	831
S.Iacobi	848
Coloniæ	889
S.Bonauenturæ	898
Portugalliæ	919
S.Ludouici	948
Hiberniæ	980
Scotiæ	983
Daniæ	987
Angliæ	988
Conceptionis	998
Brittanniæ	1031
Bethicæ	1037
Burgenſis	1066
Angelorum	1081
Pietatis	1095
S.Gabrielis	1104
Carthaginenſis	1125
Flandriæ	1145

Thuringiam non apponit ob cauſam iam in Saxoniam delatam.

Germaniæ inferioris	1154
Algarbiorum	1188
Aquitaniæ recentioris	1194
S.Michaelis	1206
Cantabriæ	1223
S.Andreæ	1242
Sardiniæ	1253
Valentiæ	1259
Cathaloniæ	1281
Arabidorum	1310
S.Ioſeph Diſcalceat.in Hiſpania	1318
S.Antonij in Luſitania	1345
S.Ioannis Bapt. in Hiſp.	1356
Granatenſis	1360

Deinde Prouincias Vltramare ſic recenſet.

Canariæ fol.mihi	1385
S.Crucis Hiſpaniolæ	1394
S.Thomæ in India Orientali	1400
S.Euangeli in Mexico	1423
SS.Petri,& Pauli de Mechioacan	1500
S.Ioſeph de Iucatan	1530
SS.Duodecim Apoſtolorũ de Lima	1536
S.Franciſci de Quito	1548
S.Nominis IESV	1554
S.Georgij de Nicaraguas	1563
S.Fidei Nouæ Granatæ	1569
S.Trinitatis de Chile	1576
S.Gregorij Philippinarum	1580

Quòd autem Gonzagæ Catalogus in multis à Catalogo S.Bonauenturæ diſcordare conuincatur, inde factum crediderim, quòd ordinem Prouinciarum à ſtabilita in ipſis ſerie ſub Vicarijs Gener.& Prouincialibus per ſeparationẽ ab ordinis Communitate(ijs exceptis,quę in Capitulo Lugdunenſi ſub Liehero Generali fuerunt priuilegiatæ) & iuxta ſeriẹm Prouinciarum in Obſeruantia Regulari anno 1506. in Generaliſſimo Capitulo deſcriptam obſeruare voluerit; ſiue alia fuerit huius varietatis cauſa; pro nunc ob allegata nouiſſima Ordinis decreta non inquiro; nec tamen cum illo de anno 1506.per omnia concordat,vt facile eſt videre.

Ab Ordine Prouinciarum in Gonzaga recenſito diſcordant etiam in aliquibus Catalogus anno 1593. (ideſt ſexto poſt expletum Gonzagæ Generalatum.) Valliſoletanis in Comitijs enarratus, & alius in Segobienſibus anno 1621. deſcriptus. Hi namque duo Danię Prouincias,& Angliæ, Prouincijs Conceptionis, & Britannicę apertè præponunt;atque Indiarum Prouincias variata Gonzagæ Serie deſcribunt; nec apud Gonzagam Prouincia S. Antonij Charcarum anno 1565.erecta reperitur.

E contra Prouinciam S.Thomæ in India Orientali Gonzaga recenſet, quia per ipſum anno 1583. in Toletana Congregatione Apoſtolica fuerat authoritate ad Prouinciæ dignitatem euecta, quia tamen fuerat deinde ad ſtatum Cuſtodiarum redacta, primogenita ſua pro tunc amiſiſſe conuincitur. Iterum verò anno 1612. Romanis in Comitijs ad gradum Prouinciæ reſtituta, etiamſi poſtmodum in contrarium reclamante Prouincia Portugalliæ, cuius prędextiterat membrum,ab Antonio de Trejo Vicario Generali Ordinis fuerit executio illius ſuſpenſa, & ad futurum Capitulum Generale remiſſa, Benignus Miniſter Generalis anno 1618. in Salmaticenſibus Comitijs Prouinciæ dignitatem illi anno 1612.adiudicatam confirmauit, & ſtabilitam eſſe decreuit; vnde ab hoc tempore primogenita eius recenſenda eſſe videntur.

Nec diſformiter Prouinciam S. Crucis Caracarum, ſiue Hiſpaniolæ, tametſi anno 1505. in Lauallenſi Capitulo ad Prouinciæ dignitatem euecta fuerit, cum tamen in Aquilano Capitulo anno 1559. ex Decreto Pauli Papæ III. anno 1534. edito ad Religionis petitionem fuerit inter Cuſtodias redacta, recenſet tamen Gonzaga ante cæteras Indiarum Occidẽtalium Prouin-

uincias, dicendo illam fuiſſe anno 1565. inſtitutam. In hoc fortè fuit æquiuocatio, inſtitutionem dicendo pro reſtitutione; quia reuera fuit anno 1505. vt dixi ex Vuadingo, & ex regiſtro Comitiorum Generalium Vltramontanæ Familiæ ſub Vicarijs Generalibus: anno vero 1534. creſcente in noua Hiſpania Sanctæ Fidei dilatatione, ſupplicatum eſt apud Apoſtolicam Sedem, vt extincta illa S. Crucis Prouincia, alia ſub titulo S. Euangelij erigeretur in Mexico, quod & Pontifex edito diplomate conceſſit, & in Nicienſibus Comitijs anno 1535. fuit executioni demandatum, nõ tamen niſi quoad Nouæ S. Euangelij Prouinciæ erectionem, iſta Sancta Crucis ob Patrum oppoſitiones adhuc in ſuo gradu permanente, donec anno 1559. in Aquilano Capitulo fuit in Cuſtodiam redacta, & Nouæ S. Ioſeph de Iucatan Prouinciæ incorporata. Quando autem ad gradum Prouinciæ fuerit reſtituta, expreſsè non conſtat, præterquamquod anno 1593. in Catalago Valliſoletano inter alias cum titulo Prouinciæ recenſetur, & anno 1612. Romanis in Comitijs eam eſſe veriſſimè Prouinciam definitur; in recenſitione verò Prouinciarum anno 1565. de nouo inſtitutarum, vbi eam Gonzaga reponit, non reperitur.

Quicquid autem ſit de omnibus huiuſmodi controuerſijs, quæ Gonzagæ Chronicon quoquomodo præcedunt, quas in proprijs reſpectiuè locis examinare debebimus; cum iam, vt dixi, à Gonzagæ Catalago recedere non liceat omnino, ſupereſt, vt de Prouincijs poſt Gonzagæ Generalatum erectis ipſarum ex Chronicis, ex Generalibus ſtatutis, ex Aracælitano, atque Matritenſi regiſtris, ex Bullis etiam Apoſtolicis (quæ omnia in exarando ſtatu Seraphicæ Religionis anno 1680. euulgato habere nõ licuit, erectionis vniuſcuiuſque tempus iam fideliter eruamus.

Suppoſita itaque Serie Gonzagæ vſque ad introductionem Prouinciarum in Orbe nouo, ſupplenda priùs occurrunt ea, quæ apud Gonzagam omiſſa, in poſterioribus Ordinis Comitijs fuere ſucceſſiuè declarata, & definita; deinde ab inſtitutis in Orbe nouo Prouincijs, debemus ſingularum exordium aſſignare, ad hoc vt Vltramarinæ cum Europæis abſque iuſtitiæ læſione inſerantur; earum itidem, quæ poſt Gonzagam fuerunt erectæ non poſſumus non inquirere tempus erectionis, ad hoc vt vnaquæque ſuo in loco perſiſtat.

Ergo Gonzaga Prouinciam S. Ioannis Baptiſtæ in Saxonia ſuo æuo ab hæreticis funditus euerſam non commemorat, eademque de cauſa nec Prouinciam S. Eliſabeth in Thuringia, etſi Angliæ, Daciæ, atque Scotiæ non inferiori damno illam hæreticorum rabiem perpeſſas enumeret, quorum tamen Conuentus, & memorias ex allegata cauſa, ſe habere non potuiſſe proteſtetur. Saxonia igitur S. Io: Baptiſtæ Prouincia, quæ de Conuentibus ex ordinis Communitate reformatis anno 1518. in Lugdunenſibus Comitijs ſub Lichetto Generali fuit à Saxonica Sanctæ Crucis antiqua Obſeruantium diſtincta, & Obſeruantię Regulari poſt Francicam immediatè incorporata, fere per ſæculum nec rem, nec nomen habuit, anno 1633. cum iam illis in partibus hæreſi aliqualiter cadente, fide verò Catholica nonnihil reſurgente, cum ſpes Monaſteria recuperandi affulgeret, fuit ex Patrum decreto reſtituta, & gradui ſuo, ſed addito, vt Saxonicam Sanctæ Crucis pręcedere deberet ex eo, quod eidẽ præponatur in ordinatione Capituli Generalis Aſſiſiatis; at quale ſit illud Capitulũ, non apponit; Aſſiſij vero 1526. Congregat. Gen. celebrauit Generalis Quinonius; & Capitulum Generale Clemens de Monelia Vicarius Generalis Ordinis anno 1549. In neutro iſtorum ordinatiõ illa legitur; nec alia Comitia Ordinis poſt bullam *Vnionis* ibi celebrata fuiſſe comperio, vnde conſiteri licet, aliquod exiſtere actorum Capitularium exemplar iam alicubi deliteſcens; etenim in prima ſui à Saxonica Sanctæ Crucis allegata ſeparatione huic illa poſtponitur: in reuerentiam tamen Toletani decreti in hoc nouo catalogo illi præponetur.

Prouincia S. Eliſabeth in Thuringia, vt dixi, in Chronico Gonzagæ omiſſa, erecta fuit vnà cum Flandrica in Capitulo Burgenſi anno 1523. ante Prouincias Germanię inferioris, & Algarbiorũ; ideoq; in Cap. Toletano anno 1633. præcipitur, vt ſuo in antiquo loco poſt Flandricam reponatur: Has itaque duas in præſenti Catalogo iuxta propriam reſpectiuè dignitatem recenſebimus. Cum verò de cæteris vſque ad Vltramarinas erectas nulla ſit difficultas ſpecialis hìc diſcutienda, illo à tempore ſingularum erectionis tempus exquiremus. Algarbiorum 1533.

Algarbiorum Prouincia per Paulum Piſottum Generalem anno 1533. quoquomodo fuit inſtituta.

S. Euangelij noua in Hiſpania per Breue Pauli III. Papæ fuit anno 1534. erecta, & anno 1535. in Capitulo Nicienſi confirmata; ideoque notatur in Gonzaga ad calcem Prouin. Algarbiorũ; quòd ibi ſit immediatè collocanda Prouin. S. Euangelij de Mexico. S. Euangeli 1534.

Maioricenſis in Gonzagæ, in Valliſoletano, & in Segobienſi catalogis immediatè

tè ſubnectitur Mexicanæ prædictæ: licèt enim ibi à Gonzaga inſtituta dicatur anno 1512. credere debemus, hunc abachi numeralis errorem vitio typographi fuiſſe intruſum, aliàs & Algarbiorum,& S.Euangelij,aliaſque multas antecederet: reuera tamen anno 1517. in Capitulo Vnionis conceſſum fuiſſe legimus, vt erigi poſſet ſi ad id Aragonenſis Prouinciæ conſenſus accederet, de quo non conſtat vſque ad Maioricarum circa annum 1541. in quo facta ſupponitur, & approbatur vnde virtute illius antedicti decreti inter Capitulum Niceenſe de anno 1535. & Mantuanum de anno 1541. potuit ab Aragonenſi Matre ſua diuiſionis habuiſſe conſenſum, & in Prouinciam erigi.

Aquitan. recent. 1538. Aquitaniæ recentioris Prou. poſt Maioricenſem in omnibus antedictis Catalogis recenſetur, etſi per ſe antiquiſſima, & in Obſeruantia Regulari per Piſotum Gener. anno 1533. quoquo modo incorporata, & Nicienſi demùm in Capitulo anno 1535. confirmata, deinde anno 1538. per Apoſtolicum Breue Pauli III. reualidata.

S. Michaelis 1548. S. Michaelis Prouinciam dicit Gonzaga fuiſſe ab Andræa Inſulano Miniſtro Generali conſtitutam.

Canthabrica 1549. Cantabricam ab eodem Generali anno 1549. ſcribit erectam, quam Iulius Papa III. edito diplomate confirmauit, & fortè ſimul cum præcedenti.

Poſt Cantabricam notat Gonzaga collocandas eſſe Limenſem, atque Canarienſem.

Limenſis 1553. LImenſis duodecim Apoſtolorum erecta notatur à Gonzaga in Capitulo Salmaticenſi anno 1553.

Canarien. 1553. Canarienſis eodem anno eodem in Capitulo inſtituta dicitur ab eodem Gonzaga.

S Andreæ 1558. S. Andreæ Prouincia Canarienſi per Gonzagam immediatè ſubnectitur, erectaque dicitur anno 1558.

Sardiniæ. Sardiniæ poſt S. Andreæ Prouinciam locus in Gonzaga tribuitur, etſi poſt varias viciſſitudines non niſi anno 1581. per Gonzagam ipſum tunc Generalem in Vltramontanis incorporata fuerit.

Valentina, & Cathalaunica 1559. Valentinam, & Cathalaunicam immediatè apponit, vtpotè anno 1559. in Aquilano Capitulo ab Aragonenſi Prouincia iuxta præcedentes Pontificum conceſſiones auulſas, & erectas.

Poſt

Poſt illas notas Gonzaga collocandam eſſe, quæ ſequitur.

S. Ioſeph de Iucatan eodem in Capitulo, eodem anno fuit inſtituta. Iucatan 1559.

Arabidorum in Luſitania Prouincia Iucatanicæ ſubnectitur anno 1561. erecta. Arabid. 1561.

S. Ioſeph Diſcalceatorum in Hiſpania anno 1561. ad Prouinciæ dignitatem erecta. S.Ioſeph Diſc.1561.

S. Antonij Diſcalceatorum in Luſitania conſtituta fuit anno 1565. de qua cauetur in Capitulo Valliſoletano anno 1593. vt poſt Hiſpanicam S.Ioſeph. immediatè locum habeat, fortè ad euitandas contentiones, quia poſt alias eodem tempore nouiter erectas ibidem recenſebatur. S. Antonij Luſit.1565.

Prouinciæ SS. Petri, & Pauli de Mechioacan. Mechoacan.
S. Nominis Ieſu de Guatimala. Guatimalæ.
S. Fidei in Noua Granata. NoueGranatæ.
S. Franciſci de Quito. De Quito.
S. Trinitatis de Chile, atque De Chile.

S. Antonij Charcarum eodem tempore 1565. in Valliſoletano Capitulo fuerunt erectæ eo præcedentiæ ordine, quo hic recenſentur; illa tamen S.Antonij Luſitanica erat iſtis poſtpoſita, ſed in alio Valliſoletano, vt dixi, fuit antepoſita. In Catalogo Segobienſi Prouincia S. Trinitatis de Chile præfertur illi S. Franciſci de Quito, & his omnibus Prouincia S. Ioannis Baptiſtæ, de qua ſtatim. Charcarum omnes 1565.

Prouincia S. Io: Bapt. Diſcalc. in Hiſpania per Gonzagam adnotatur inſtituta anno 1577. authoritate Gregorij Papæ XIII. & exequente Chriſtophoro de Capitefontium Miniſtro Generali. S. Ioannis Bapt. in Hiſpan.1577.

S. Georgij de Nicaraguas dicitur in Gonzaga inſtituta fuiſſe anno 1575. & tamen illam antedictis anteponit, etſi fateatur ibidem, eam vltimo loco fuiſſe tunc inter Indicas erectam. Cum verò non niſi ex authoritate Commiſſarij Generalis Indiarum fuerit inſtituta, potuit eſſe, vt à tempore ſuæ confirmationis authenticæ primogenita ſua dimetiatur. Nicaraguas 1575.

De Prouincia S. Crucis in Hiſpaniola, ſiue Caracarum, iam diximus in Superioribus. Hiſpaniola.

Granatenſis, quæ antedictæ immediatè ſubnectitur anno 1585. fuit ab ipſo Gonzaga tunc Generali Miniſtro, iuxta facultatem iam antea per Gregorium XIII. conceſſam in Congregatione Toletana erecta. Granaten. 1585.

Philippinarum Prouincia, quæ hoc in loco ab omnibus collocatur anno 1586. fuit à Sixto V. inſtituta, & in ſubſequentibus Capitulis anno 1587. & deinceps

con-

confirmata; vnde mirum, quòd anno 1593. in Catalago Valliſoletano non adnotetur.

Hic terminatur Gonzagæ Chronicon, excepta Prouincia S. Thomæ in Indijs, de qua inferiùs.

S. Pauli Diſcalc. in Hiſpania erectio fuit anno 1594. per Clementis VIII. Breue Apoſtolicum, & anno 1600. in Romano Capitulo confirmatur.

S. Franciſci de Zacathecas anno 1606. inſtituta ſupponitur, & confirmatur, etenim anno 1603. fuit à Clemente VIII. erecta.

S. Didaci Diſcalc. de Mexico anno 1606. Toleranis in Comitijs erigitur.

S. Iacobi de Xaliſco eodem modo, & tempore conſtituirur.

S. Bernardini Recoll. in Gallia, &

S. Dioniſij Recoll. in Gallia anno 1612. in Romano Capitulo eriguntur, & primæ hic recenſitæ adiudicatur præcedentia ſupra ſecundam anno 165 8. Toleri.

S. Thomæ in India Orientali fuit, vt benè dicit Gonzaga, per ipſum tunc Generalem anno 1583. authoritate Apoſtolica in Toletano Congreſſu erecta: vnde & ab ipſo alijs longè Antiquioribus in quarta parte præponitur: at reclamantibus aduerſus illam erectionem Luſitanis Patribus, fuit ad titulum Cuſtodiæ reuocata, vtque talis in Catalago Valliſoletano recenſetur. Annò deinde 1612. Romanis in Comitijs fuit iterum ad Prouinciæ dignitatem eueċta; & non obſtante contraria Fr. Antonij de jerro Vicarij Generalis ſuſpenſione, fuit à Benigno Miniſtro Generali Salmaticenſibus in Comitijs poſt plenam cauſæ diſcuſſionem anno 1618. die 30. Iunij confirmata, Romani Capituli de anno 1612. acta reualidando.

S. Helenæ de Florida, &

Aſſumptionis de Paraguai, & Tucuman Prouinciæ anno 1612. eodem in Romano Capitulo inſtitutæ Ordine ipſo quo hic recenſentur.

Conceptionis Recoll. in Gallia de Mandato Pauli Papæ V. ab Antonio de Trejo Vicario Generali Ordinis anno 1614. fuit inſtituta.

S. Mariæ Magdalenæ Recoll. in Gallia fuit per Breue Apoſtolicum Pauli V. anno 1619. die 20. Maij ad Prouinciæ dignitatem eleuata.

S. Didaci Diſcalc. in Bethica per Apoſt. Breue Pauli V. anno 1620. fuit erecta, eoque pro anno Romanis in Comitijs anno 1625. confirmatur.

S. Franciſci Recoll. in Gallia per Benignum Generalem ex authoritate Pauli Papæ V. fuit etiam anno 1620. inſtituta: Breue ipſum fuit anno 1620. die 22. Ianuarij expeditum; eodem anno receptum, & admiſſum in Prouincia, & tamen in Segobienſi Catalago hæc Prouincia non apponitur; fortè qnia Capitulum ſuum Prouinciale nonniſi anno 1621. in Septembri celebranit.

Matris Dei de Malaca Diſcalc. in India Orient. Prouinciam erexerat Gregorius XV. anno 1622. & ſi verò pro tunc ſuſpenſus fuerit huius erectionis effectus; anno tamen 1633. in Toletano Capitulo confirmatur, vt antea facta.

S. Ioſeph Recoll. in Belgio per Breue Vrb. VIII. inſtituta fuit anno 1628. & vt talis ſupponitur, atque confirmatur anno 1633. in Capitulo Toletano.

S. Sacramenti Recoll. in Gallia per Breue Apoſt. Vrb. VIII. anno die 12. Martij anno 1635. erigitur.

S. Ioannis Euangeliſtæ in Inſulis Azoriarum per Breue Apoſt. Vrb. VIII. anno 1639. die 12. Iulij; tuncque confirmatur in Romano Capitulo.

S. Saturnini in Sardinia eodem modo, eodem tempore ſeparatur à Prouincia S. Mariæ de Gratijs in Sardinia; ideoque huic antiquum præcedentiæ locum Sardiniæ Prouinciæ debitum concedere iubetur.

S Antonij Diſcalc. in Braſilia erecta fuit, vt patet in prima ſtatutorum illorum impreſſione anno 1651. at cum erectio illa non ſubſtiterit, habito S. Antonij de Luſitania (cuius erat Cuſtodia) anno 1654. aſſenſu, anno 1657. per Brene Apoſtolicum Alexand. VII. fuit ad Prouinciæ dignitatem euecta.

S. Petri de Alcantara Diſcalc. in Hiſpania per Breue Apoſt. Alex. VII. anno 1659. expeditum fuit anno 1660. à Prouincia S. Ioannis Baptiſtæ auulſa, & erecta.

S. Antonij Recoll. in Arteſia fuit per Breue Apoſt. Clementis X. aſſentiente Reuerendiſs. Salizanes Generali anno 1667. dic 19. Septembris inſtituta; dic vero 15. Aprilis 1668. erecta.

Solitudinis in Luſitania per Breue Apoſt. Clementis X. anno 1670. erecta.

S. Petri de Alcanrara in Regno Neapolitano per Breue Apoſt. Clemen. X. anno 1675. erigitur.

Immaculatæ Conceptionis in Braſilia per Breue Apoſt. Clemen. X. die 15. Iulij anno 1675. fuit inſtituta; In Capitulo denique Romano anno 1676. hæ tres vltimæ inter Ordinis Prouincias receptæ fuerunt, & confirmatæ; ordineque hic deſcripto recenſitæ.

Pro-

Prouinciæ Tertiariorum in Bethica, & in Luſitania ſunt antiquæ : in Gallia ab anno 1614. in tres reformatas repartitæ ; addita deinde quarta ; omnium vltima fuit Legionenſis.

De ijs omnibus fuſiùs,& clariùs in proprio ſingularum loco, in ſecunda huius operis parte tractabimus. Hæc interim ad exequenda præfata Capitulorum Romani 1676. & Toletani 1682. ſtatuta collegiſſe, & ſecuriùs adnotaſſe ſufficiat.

Cathalogus ergo,& ordo Prouinciarum in Vltramontana Familia ex his tota ſecuritate prænotatis, ſi ita Reuerendiſſimæ ſuę Paternitati videatur, prout ſequitur recenſendus eſſe iudicatur.

Tabula Prouinciarum Familiæ Vltramontanæ ordinata ſecundùm Statuta nouiſſima.

1	Franciæ	Obſer.
2	Franciæ Pariſienſis	Obſer.
3	Caſtellæ	Obſer.
4	Saxoniæ S. Ioannis Bapt.	Recoll.
5	Saxoniæ S.Crucis	Recoll.
6	Turoniæ	Obſer.
7	Turoniæ Pictauienſis	Obſer.
8	Aragoniæ	Obſer.
9	Argentinæ	Recoll.
10	Aquitaniæ Antiquioris	Obſer.
11	S. Iacobi	Obſer.
12	Coloniæ	Recoll.
13	S. Bonauenturæ	Obſer.
14	Portugalliæ	Obſer.
15	S. Ludouici	Obſer.
16	Hiberniæ	Strict. Obſer.
17	Scotiæ	Obſer.
18	Daniæ	Obſer.
19	Angliæ	Refor.
20	Conceptionis in Hiſpania	Obſer.
21	Brittanniæ	Recoll.
22	Bethicæ	Obſer.
23	Burgenſis	Obſer.
24	Angelorum	Obſer.
25	Pietatis	Obſer.
26	S. Gabrielis	Diſcalc.
27	Cartaginenſis	Diſcalc.
28	Flandriæ	Obſer.
29	Thuringiæ	Recoll.
30	Germaniæ inferioris	Recoll.
31	Algarbiorum	Recoll.
32	S. Euangelij in mexico	Obſer.
33	Maioricarum	Obſer.
34	Aquitaniæ recentioris	Obſer.
35	S. Michaelis	Obſer.
36	Cantabriæ	Obſer.
37	Limenſis XII. Apoſtolorum	Obſer.
38	Canariæ	Obſer.
39	S. Andreæ	Recoll.
40	Sardiniæ S. Mariæ de Gratijs	Obſer.
41	Valentiæ	Obſer.
42	Cathalauniæ	Obſer.
43	S. Ioſeph in Iucatan.	Obſer.
44	Arabidorum	Diſcal.
45	S. Ioſeph in Caſtella	Diſcal.
46	S. Antonij in Luſitania	Diſcal.
47	SS.Petri,& Pauli de Mechiocan.	Obſ.
48	S. Nominis Ieſu Guatimalæ	Obſer.
49	S. Fidei in noua Granata	Obſer.
50	S. Franciſci de Quito	Obſer.
51	S. Trinitatis de Chile	Obſer.
52	S. Antonij Charcarum	Obſer.
53	S. Io: Baptiſtæ in Hiſpania	Diſcal.
54	S. Georgij de Nicaraguas	Obſer.
55	S.Crucis Caracarũ in Hiſpaniola	Obſ.
56	Granatenſis	Obſer.
57	S. Gregorij Philippinarum	Diſcal.
58	S. Pauli in Hiſpania	Diſcal.
59	S. Franciſci de Zacathecas	Obſer.
60	S. Didaci de Mexico	Diſcal.
61	S. Iacobi de Xaliſco	Obſer.
62	S. Bernardini in Gallia	Recoll.
63	S. Dioniſij in Gallia	Recoll.
64	S. Thomæ in India	Obſer.
65	S. Helenæ in Florida	Obſer.
66	Aſſumpt.deParaguai,&Tucuman.	Obſ.
67	Imm.Conceptionis in Gallia.	Recoll.
68	S.Mariæ Magdalenæ in Gallia	Recoll.
69	S. Didaci in Bethica	Diſcal.
70	S. Franciſci in Gallia	Recoll.
71	Matris Dei de Malacca	Diſcal.
72	S. Ioſeph in Belgio	Recoll.
73	S. Sacramenti in Gallia	Recoll.
74	S. Ioannis Euang Azoriarum	Obſer.
75	S. Saturnini in Sardinia	Obſer.
76	S. Antonij in Braſilia	Diſcal.
77	S. Petri de Alcant.in Hiſpania	Diſcal.
78	S. Antonij in Arteſia	Recoll.
79	Solitudinis in Luſitania	Diſcal.
80	S.Petri deAlcant.inRegnoNeap.	Diſc.
81	Imm. Conceptionis in Braſilia	Diſcal.

Magnus Conuentus Pariſienſis.

Prouincia Tertij Ordinis in Bethica.
Prou. Tertij Ordinis in Luſitania.
Prou.TertijOrdinis S.Frãciſci in Gallia.
Prou. Tertij Ordinis S.Elzearij inGallia.
Prou. Tertij Ord. S. Ludouici in Gallia.
Prou. Tertij Ordinis S. Iuonis in Gallia.
Prou. Tertij Ordinis in Legione.

Sequuntur Cuſtodiæ.

Cuſtodia S.Trinitatis in Gallia Recoll.
Cuſtodia S.Pauli in nouo Mexico Obſ.
Cuſtodia S.Nicolai inLotharingia Rec.
Cuſt.S.Catharinę Fluminis Viridis Obſ.
Cuſtodia S. Antonij de Cochin. Obſ.
Cuſtodia S. Iacobi in Inſula Maderæ, ſiue Lignorum Obſ.

Ita eſt Fr. Carolus Franciſcus de Variſio Qualificator S. Officij.
Fr. Laurentius à Sancto Paulo ex Suetia.

Fr. Archangelus de Roma Ex-Prouincialis, & Diffinitor Generalis.
Fr. Sebaſtianus de Arroyo Commiſſarius Generalis Curiæ.
Ita obſeruari mandamus in vtraq; Familia
Fr. Petrus Marinus Miniſter Generalis.
Loco † Sigilli.

Ad perfectiorem catalogi ſuprapoſiti intelligentiam, vbi multa Prouinciæ de nouo diuiſæ, vel erectæ leguntur abſq; ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia contra Nicolai IV. prohibitionem ſuperius deſcriptam, conducit eſſentialiter ampliſſima Iulij III. conceſſio de Prouincijs indifferenter pro Religionis vtilitate diuidendis, vel de nouo erigendis, Andreæ Inſulano Miniſtro Generali expedita, cuius virtute plures & diuiſit, & erexit, quam appono.

IVLIVS PAPA III.

Dilecto filio Andreæ Inſulano Generali Ordinis Fratrum Minorum &c.

Dilecte fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Arch. Arace. Curiæ Vltra. Regeſt. 1. fol. 144.

CVm, ſicut accepimus, ſub Prouincia Aragoniæ Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia, iuxta ipſius Ordinis morem, diuerſa Regna, & diuerſarum linguarum Nationes exiſtant, vt ob ipſorum Regnorum diſtantiam, perſonarumq; diuerſitatem, & multitudinem, vnus Miniſter totam Prouinciam, prout dicti Ordinis ſtatuta, & inſtituta exigunt, per ſe ipſum commodè viſitare non poſſit; & ob id ſæpe ſæpiùs intra Religioſos dictæ Prouinciæ diſſenſiones, & controuerſiæ exoriantur in Religionis dedecus, & opprobrium, & ſcandalum plurimorum: Nos Ordinem ipſum non ſolùm vbique florere, ſed etiam fœlicibus incrementis proficere deſiderantes, ac præmiſſis, ne deteriora parturiant, quantùm cum Deo poſſumus, occurrere volentes, per præſentes tibi committimus, & mandamus, quatenus illam, nec non omnes, ſi, & pro vt in Religionis augumentum, ac illius Religioſorum ſalubrem ſtatum, & quietem cedere iudicaueris, dicti Ordinis Prouincias cum illius Fratribus, & Sororibus præſentibus, & futuris, in tot, quot tibi videbitur Prouincias, quæ illiſmet, quibus antea vtebantur, priuilegijs, exemptionibus, & gratijs vti, potiri, & gaudere valeant, in Capitulis Prouincialibus, & ante noui Miniſtri Prouincialis electionem diuidas, ſepares, & ſegreges, ac illarum cuilibet Prouincialem Miniſtrum, qui in ſibi commiſſa Prouincia eamdem poteſtatem, dominium, & authoritatem, quam ante diuiſionem eamdem illius Miniſter Prouincialis habebat, habeat, & exercere poſſit, vt ei Prouincia, illiuſque Fratres, & Sorores huiuſmodi pleno iure immediatè ſubſint in omnibus, & per omnia perinde ac ſi diuiſio Prouinciarum, & deputatio Miniſtri huiuſmodi in Capitulo Generali dicti Ordinis facta fuiſſet iuxta morem dicti Ordinis, deputes, & conſtituas; ſuper quibus omnibus, & ſingulis plenam, & liberam poteſtatem, & authoritatem tibi per eaſdem præſentes concedimus, omneſque, & ſingulos iuris, & facti defectus, ſi qui forſan in diuiſione, ſeparatione, & ſegregatione huiuſmodi interuenerint, ſupplemus; in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 1. Septembris 1550. Pontificatus noſtri anno primo.

Conſimilem Generali Gonzagæ authoritatē à Gregorio XIII. conceſſam fuiſſe, credere debemus; cum & ipſe Prouincias aliquas & diuiſiſſe, & erexiſſe legamus, quod ipſe (de cuius Canonizatione iam agitur) authoritate Apoſtolica ſe feciſſe affirmat.

De Præeminentijs emeritorū S. Theologiæ Lectorum inter Reformatos.

Cum in nuperrimo Toletano vniuerſi Ordinis Capitulo, ad fortius virtutis incitamentum, iuxta Pontificia decreta, fuiſſent emeritis S. Theologiæ Lectoribus inter Reformatos aliqua præeminentia, iuſtaque laborum præmia (& ſi tot, tantiſque, atque tam vtilibus pro tota Religione laboribus imparia) cum vniuerſali Reformatorum Vocalium aſſenſu deſignata; deinde verò à Prouincia quadam contra ſtatutum illud, & præminentias antedictas nonnullæ fuerint oppoſitiones adductæ; R. A. P. Ludouicus Maria ab Ameno Lector emeritus, atque Sacrorum Canonum peritiſſimus pro ſtatuti eiuſdem ampliſſimam defenſione doctiſſimam elucubrationem edidit, à Reuerendiſſimo P. Miniſtro Generali authentico decreto confirmatam; quam ideo ad communem legentium vtilitatem debui hic apponere.

Reſponſio A. R. P. Ludouici Mariæ de Ameno ad rationes oppugnantium ſtatutum conditum in nuperrimo Capitulo Generali Toletano pro Lectoribus Sac. Theologiæ emeritis inter Reformatos.

Adſit Dominus.

NOdum in ſcyrpo quærere, (vt vetus ſonat parœmia) proprium animoſitatis eſt. Volenti ardua quæque complanantur;

nantur; nolens planiciem ipſam, vt alpes inaceſſas, præruptam ſomniatur. Nihil non mouet zelus (vtinam bonus) Typhonis turbinati ad inſtar omnia rapit, turbat, verſat, vel vt mergat, vel vt eradicet. In aduentu Meſſiæ, nempè in exortu Veritatis *Praua facta ſunt in directum* (teſte Propheta) *& aſpera in vias planas* (1) & hæc teſſera eſt ambulantium cum veritate. Qui verò mendacium ſinceritate obducunt, plana, quæque aſperant, & omnia quamuis plana, & certa vertunt in dubium. Præambulones Dei ſpiritum ipſius (ſimulati tamen) mentiuntur, ſed talem, quem præ oculis ſcriptura ſtatuit (2) *Spiritus grandis, & fortis ſubuertens montes, & conterens petras ante Dominum; At, non in Spiritu Dominus*. Tali ſpiritu ducuntur ij, ni fallor, qui ſtatutum à poſtremo Capitulo Generali factum in fauorem Lectorum habitualium impugnát vt nullum, traducunt vt ridiculum, vt perniciosūm calumniantur. Excuſent alij priuilegium ignorantiæ, quæ vt ſola regnet, à throni ſui prærogatiuis doctrinam conatur arcere. Ego non hoc cuiquam iniurius afferam. Dico zelum, ſed non ſecundùm ſcientiam, cuius feruor in damnum tendens infrigidat charitatem. Hac languente omnia rigent, quæque dureſcunt; ſol ipſe tenebras pro luce diffundit. Ita experimur in oppoſitionibus factis contra Statutum, de quo eſt lis. In re enim clariſſima difficultatis obſcuritates ſomniantur, & vt perueniant nonnulli, quo ducit paſſio animoſa, ſophiſmata ſtruunt. Trutina ergo iuſtitiæ (rationis nempe) librentur, & apparebit in ſtatera Iudicij appenſa eſſe eorum ſententia *Minus habens*. (3)

(1) Iſai. c. 40. v. 4.

(2) Regum 3. cap. 19. v. 11.

(3) Daniel c. 5. v. 27.

Prima ipſorum ratio fundatur ſuper Bulla Vrbani Octaui, in qua ſtabilitur Reformatos gubernari debere per ſola ſtatuta Reformationis, quæ nec alterari, nec immutari poſſunt, quàm à Reformatis ipſis in Capitulo Generali. Vnde inferunt non potuiſſe Capitulum Generale huiuſmodi ſtatuta condere.

Reſpondeo. Admiſſa Bullæ diſpoſitione, eſt inepta prorsùs conſequentia, quæ deducitur. Etenim vel Bulla Vrbani excludit à Reformatis omnia alia Statuta, ita vt priuatiuè quo ad alia debeant gubernari per ſola ſtatuta Reformationis, vel alia admittit ab eiſdem pro tempore, & occaſione ſeruanda.

Non primum, quia in ſtatutis ipſis Reformatorum (4) ità decernitur. *In caſi à ciò non ripugnanti, vogliamo, che ſi riccorra a' ſtatuti generali dell' Ordine*. Ergo etiam alia ſtatuta à Reformatis ſeruanda ſunt, & ex conſequenti alia ſtatuta ipſos obligantia validè condi poſſunt; quę ſcilicet diſponant de ijs, de quibus in ſtatutis Reformatorum nulla habetur mentio: A quibus autem fieri debeant talia ſtatuta, declaratur; nempe quòd debent condi à Reformatis in Capitulo, ſeu Congregatione generali. In caſu autem noſtro hæc diſpoſitio ſeruata eſt; quandoquidem per hoc ſtatutum, de quo controuertitur, nec *alterata*, nec *immutata* ſunt ſtatuta Reformatorum, ſed ad plus *modificata*, & hoc ab habentibus legitimam facultatem. Quæ vt ſingillatim omnia probentur; aducero cum Philoſopho, quòd *Alteratio eſt tranſitus de contraria in contrariam qualitatem*; & *mutari eſt aliter ſe habere nunc quàm prius*. Hæc autem in naturalibus dicta, ad moralia transferuntur. Dicetur ergo lex *Alterata* cum à contraria in contrariam diſpoſitionem tranſit. *Immutata* verò cum ſublata legis diſpoſitione non ſubſtituitur illi alia lex; & hoc à Iureconſultis (5) vocatur *Abrogatio legis*. In caſu autem noſtro nulla diſpoſitio ſtatutorum Reformationis tranſit à contrario in contrarium; ſiquidem in ſtatuto hoc non dicitur, quòd deinceps aliquod ſtatutum Reformatorum circa Lectores corrigatur, & aliter ſeruetur; inmo firma manente omni prædictorum diſpoſitione, nouæ imponuntur, & graues Lectoribus obligationes, ob quas certo certiùs ſi ſeruentur, vt par eſt, multi, qui ſunt minus ad legendum idonei, lecturæ renunciabunt, quia pro talibus exercitijs, ad normam ſtatuti perficiendis, habilitatem ſe non habere cognoſcunt; & ſic non tantus erit numerus eorum, qui lecturam ambiunt, ſed ad legendum aſpirabunt tantùm docti, & habiles; & ex hoc maior erit Studentium vtilitas; quæ omnia non contrariantur, immo congruunt ſtatutis Reformatorum, quæ per plures leges profectum ſtudioſorum procurant, vt patet intuenti. Nequit proinde dici per hoc ſtatutum, *Alterata* fuiſſe ſtatuta Ræformatorum contra Bullam Vrbani. Multo minùs *Immutata* ſunt ab hoc ſtatuta prædicta, quandoquidem nec verbum quidem in hoc reperitur, per quod ſtatuta Reformatorum, aut in toto, aut in parte ſint *Abrogata*. Remanet ergo, quòd ſolùm poſſunt dici *Modificata*; in quantum ſcilicet nouus *Modus* decernitur circa Lectores habituales, qui *Modus* in ſtatutis reformatis non continebatur. Videamus nunc, an talis Modificatio facta fuerit ab habentibus legitimam poteſtatem. Aperti∫ſimi iuris eſt apud Doctores (6) Capitulum generale facultatem habere condendi leges obligantes omnes, qui ſibi ſub-

(4) Stat. Gener. Reform. c. 13. n. 3.

(5) Bart. in l. quoties, Cod. vbi ſenat. Bal. in l. qui, & l. quibus, C. de legib. Felyn. in c. fin. de reſcipt.

(6) D. Tho. 2. 2. q. 40. art. 1. ad tertium Sylueſter v. Relig. qu. 6. Sot. de iuſtitia lib. 1. q. 1 ar. 1 Sanch. lib. 6. moral. c. 2. n. 37 Caſtro de legib. pœnal. c. 3. Rodri. to. 1. qu. 68. ar. 1. Suarez, Salas. Bonacin. poſt Innoc. in cap. nouit de his, quæ fiūt à Prę latis, c. ſi quis lit de ſtatu Monachorum ſanctorum, Cóm. in ſtat. c. 12. q. 2 ſtat. 12.

ſunt. Quia cum leges ad totam Communitatem ſpectent, debent fieri à tota Communitate, vel à repræſentantibus ipſam, cuiuſmodi eſt Capitulum generale, quod vniuerſam Religionem repræſentat. Et ita ſtatutis Capituli generalis etiam Generales Miniſtri ligati ſunt, vt ex legibus Canonicis (7) & ex ſtatutis Ordinis (8) probant graues Doctores (9) In ſpecie autem pro Reformatis habetur diſpoſitio citatæ Bullæ Vrbani, in qua decernitur, quòd ſtatuta pro ipſis debeut condi in Capitulo, ſeu Congregatione generali per vota Reformatorum. Stat autem quòd ſtatutum controuerſum factum fuit in Capitulo generali per vota concordia Reformatorum. Ecce textus ſtatuti. *Capitulum generale perpendens multos præmio magis, quàm pœna ad virtutes excitari, omnium Vocalium, Strictioris Obſeruantiæ vnanimi conſenſu, ac nemine prorſus diſcrepante, ſtatuit eos &c.* ergo erit latum iuxta normam ab Vrbano præſcriptam, & ita omnes, ad quos pertinet, obligabit. Et hoc fuit fundamentum, cui innixa Sac. Congr. Regular. decreuit, quòd debeat ſuſtineri ſtatutum factum à Capitulo generali Toletano 1658. de præcedentia danda Prominiſtris etiam Reformatis, qui ad Capitulum generale in Hiſpanijs ex Ciſmontana Familia accedunt, eo quia ſtatutum illud factum fuerat in Capitulo generali iuxta formam ab Vrbano præſcriptam, vt dicit Auda (10) & nos infra recitabimus.

(7) Cap. cum omnes, de cóſtit. c. iuſtum eſt. diſ. 9. c. nó licet Papæ u. 2 q. 1.

(8) Stat. Ord. c. 8. tit. de his, quæ in generali Capitulo §. quibus auditis & §. quibus inſtitutis. Valliſo. 1353 Salman. & Segouien. c. 8. §. 7.

(9) Emman. Roderig. to. 1. qu. 68. art. 3. Hierony Rodrig. reſol. 90 n. 3. Sáct. lib. cit. q. 4.

(10) Theatr. Regul. v Prœminitra.

Secunda ratio eſt. Quòd ſtatutum hoc non fuit conditum tanquam lex firma, ſed tantùm propoſitum per modum conſilij: Quia inter alia ſtatuta in illo Capitulo habetur (11) ita. *Deinceps ſi aliquod pro bono Religionis prouidendum fuerit, fiat per modum decreti, & conſtante per curſum duorum Capitulorum generalium neceſsitate, vel vtilitate huiuſmodi prouiſionis in tertia Capitulo generali proponatur, & acceptetur tanquam ſtatutum perpetuò valiturum*: Ex quo deducitur, quòd hoc ſtatutum ſit propoſitum pro nunc à Capitulo generali tanquam conſilium ſuo poſtea tempore ſtabiliendum, non tanquam lex firmata, & proinde non obligat.

(11) Toletan. 1682.

Reſpondeo ad hoc tripliciter. Primò, quòd textus ſtatuti adducitur truncatus, quòd ſi recitetur integer, ſtatim apparebit, quòd nihil facit ad intentum aduerſariorum. Do ego ſincerum, prout iacet. Poſtquàm numero primo decreuit correctionem ſtatutorum Sambucanorum, numero ſecundo imitando Conſtitutiones Sacri Ordinis Prædicatorum, qui idem ſanxit (12) ſic habet: *Decreuit Capitulum Generale, vt præfata ſtatutorum correctione pe acta, ſi deinceps aliquod pro bono Religionis &c.* Vult ergo quod ſtatuta, quæ fieri contingent poſt correctionem Sambucanorum, prius proponantur, vt decreta in duobus Capitulis. Non autem loquitur de ſtatutis in illo Capitulo conditis, quæ vtpotè legitime facta voluit habere vim obligandi, inter quæ ſtatuta eſt hoc, de quo controuertitur. Præterquamquod, aut omnia ſtatuta ibi facta ſunt tamquam conſilia: vel omnia tamquam leges; vel cœtera tamquam leges, & hoc ſolum tamquam conſilium. Non primum, quia tunc nullum ſtatutum ibi poſitum obligaret, & ita neq; obligaret hoc ſtatutum de facienda propoſitione per modum Decreti conſiliatiui antequam aliquid, vt ſtatutum firmetur, & ſic ſtatutum ipſum, ſeipſum deſtrueret. Et vlteriùs aliud ſtatutum ibi poſitum (13) puniens, pœna Apoſtatarum, exequentes obedientias Generalium non expectata reſponſione à Prouinciali eſt vſu receptum, & eſt in vigore, & à Superioribus Prouincialibus, vt lex firma ſeuerè cuſtoditum, ergo ſignum eſt omnia in illo Capitulo ordinata non haberi tamquam conſilia. Neque dicendum eſt, omnia alia eſſe ſtatuta obligantia, hoc autem pro Lectoribus eſſe conſilium tantum; quia hoc eſt voluntariè dictum, quia eodem modo ſub eiſdem verbis, ſub præciſa forma, ſub qua omnia alia ibi ſtatuta feruntur, etiam hoc latum eſt, vt patet intuenti. Ergo concludendum eſt, omnia ibi comprehenſa eſſe ſtatuta firmata, quæ vim obligandi, vt leges habent. Reſpondeo aliter ad obiectionem. Gratis concedo omnia in Capitulo ſtabilita eſſe per modum decreti, quæ ſi conſtabit per curſum duorum Capitulorum Generalium eſſe neceſſaria, & Religioni vtilia, in tertio generali Capitulo debent proponi, vt euadant ſtatuta. Quæro quomodo de huiuſmodi decretorum neceſſitate, & vtilitate in tempore inibi requiſito conſtare debet, niſi in praxi ponantur? fortè ponentur ibi tantum vt motiua, circa quæ debeant Vocales ſpeculari, & cognoſcere, vt in Capitulo, quod celebrari debet decem, & octo annis. poſt illorum publicationem, iudicent conſtare de eorum neceſſitate, & vtilitate? Hoc eſt ridiculum aſſerere, & temerarium eſſet dicere grauiſſimos Patres, totum corpus Seraphicæ Religionis repræſentantes, legem ineptam, & ridendam tuliſſe. Oportet ergo, quòd ſenſus illius diſpoſitionis ſit, quod ſtatuta ibi tamquam decreta ad tempus duratura, aut vt in leges perpetuas ſuo tempore redigen-

(12) Conſtit. Gener. Prædicatorum ſeu. 9. Prolog Donat. Praz. Regui. to. 2. trac. 18. q. 2. n. 2.

(13) Toletan. 1682. fol. 25. nu. 10.

digendá (ſi eorum cognoſ ceretur vtilitas) ſeruentur. Ita vt ad cognitionem euidentem eorum vtilitatis neceſſaria eſt praxis. Si ergo ita eſt diſpoſitio iſta ſtatutalis; ſit decretum, ſit ſtatutum, ſit conſilium Capituli Generalis non curo, debet ad praxim reduci vſque ad Capitulum Generale de anno 1700. (ſi Deus dederit) celebrando. Detur ergo Lectoribus decreta Paternitas, & Lectores inuicem iniuncta onera proſequautur. Si ex praxi apparebit ex hoc præmio magis ad laborem Scolaſticum accendi lectores, & maiori ſedulitate ſtudijs eos incumbere, certè tunc apparebit Decreti huius vtilitas, de qua alio modo non poteſt cõſtare niſi practicetur. Et ita ſit ſtatutum, ſit Decretum hoc nihil refert, quandoquidem, ſiue ſic, ſiue ſic eſt in praxi ponendum. Tertiò aliter reſpondeo ad rationem oppoſitam.: Dicis ſupra ex citata Bulla Vrbani, non poſſe à Capitulo Generali fieri leges, quæ obligent Reformatos. Hoc admitto. Rogo te, ſtatutum hoc modo enunciatum de proponendo per modum decreti ea, quę poſt duo generalia Capitula debent euadere in ſtatuta, à quo conditum eſt? A Capitulo Generali; Reſpondebis. Ergo ex tuo principio nõ poterit obligare Reformatos, nec ipſis ligare manus, quin in Generali Capitulo ipſi pro ſe poſſint condere ſtatuta iuxta Bullam Vrbani.: At ſtatutum controuerſum factum eſt à Reformatis ipſis in Diſcretorio eorum nullo penitus reclamante; ergo eſto, quod alia ſtatuta in illo Capitulo facta eſſent Obſeruantibus decreta conſiliatiua, & non Statuta firma, tale non erit hoc factum prò Reformatis ipſis, ſed erit verum ſtatutum, & firma lex.

(14) Cap. cum acceſſiſſent de conſtitutio Cap. final. de Tel. cap. quę gentes de his quę ſunt &c. Cap. Nouit. Cap. non eſt de conſuetudine.

Tertia ratio eſt, quod Statuta illius Capituli Generalis non fuerunt ab Apoſtolica Sede confirmata, proinde non habent vllam vim obligandi.

Reſpondeo quod Capitulum Generale habet ex ſe facultatem condendi leges; Quia poteſtas legiſlatiua naſcitur à iuriſdictione ordinaria ex poteſtate, quam Capitulum Generale habet in ſubditos, vt volunt iura (14) & Doctores (15) & proindè poteſt de re etiam minima (ſi tamen ad Religionis profectum conducit) facere præceptum obligans ad mortale, vt volunt Theologi (16) & ad eius leges obſeruandas, vt ſupradictum eſt, etiam Superiores Generales obligantur, vnde maior apparet, authoritas Capituli, quàm Miniſtri Generalis. Hinc eſt; quod ſi Generalis Miniſter habet authoritatem præcipiendi, & ferendi leges ad bonum Regimen Religionis, & ad obediendum illi, adſtringimur

(15) Vaſq. 1. 2. d. 153. cap. 5. Sua. deleg. l. 4 cap. 5. Bonacina eadẽ diſt. 1. P. Portel. V. ſtatutum n. 1. Roderic. T. 1 q. 88. ar. 1. Caſtro deleg. penal. li. 1. ca. 1. Don. Praz. Regul. Tom. 1. Tra. 149. a. n. 1.

(16) Caiet. Sum. V. præceptũ & in 2. 2. q. 104. art. 4. Donat. Praz. Regul. l. cit. q. 4. num. 1.

ex præcepto eminentiſſimo Regulæ à fortiori talis, & tanta authoritas erit pariter in Capitulo Generali. Si ergo hoc habet ex ſe authoritatem ferendi leges obligatorias, ad quid neceſſaria erit confirmatio Apoſtolica ad hoc, quod ab illo ſtatuta ſint valida? Neceſſaria eſt confirmatio Apoſtolica in forma ſpecifica, quando in ſtatutis continetur aliquod, quod Pontificijs decretis aduerſetur, aliter ſtatuta non valent, cum non poſſit Religio contrarium quid Sanctionibus Apoſtolicis ſtatuere; & ad hoc vt valeant, neceſſaria eſt confirmatio in forma ſpecifica, quæ habet vim nouę conceſſionis, & firmat id quod inualidum eſt, vt tenuit Rota (17) quia non dicitur ſimplex confirmatio ſeu innouatio, ſed ampliatio, & noua conceſſio, vt dicunt Canones (18) quando autem ſtatuta ſunt a Generali Capitulo legitimè facta, nulla indigent confirmatione. Et ſi confirmantur in forma communi, nullum ius ipſis accreſcit, etenim confirmatio in forma communi, nullum ius nouum tribuit, ſed antiquum ſolum conſeruat, vt habetur in pluribus Decretalibus (19) quia non eſt noua conceſſio, ſed pura roboratio, vt colligitur ex quibuſdam Canonibus (20), & hoc ideo quia confirmare, non eſt de nouo facere, ſed roborare iam factum, vt tenent Doctores (21) Nec tamen dicendum, confirmationem Apoſtolicam eſſe perperam, vel otioſam, quia licèt nouum ius legi factæ non addat ad obligandum; tamen magis certificat ſubditos de ſua obligatione ad talem legem ſeruandam; ſicut per confirmationem conceſſionis habitæ poſſeſſor rei confirmatę tutior, & ſecurior euadit, vt dixit Baldus (22). Cum ergo ſtatutum hoc controuerſum nulli Apoſtolico decreto obuiet, vt infra magis patebit, & iuxta formam ab Vrbano præſcriptam ſtabilitum ſit, inſulſi eſt, ipſum dicere inualidum, eo quia non ſit confirmatum; etenim vt ſolide (more ſuo) *concludit Sanctorius; criminari Statuta Ordinis ex eo quod a Sede Apoſtolica confirmata non fuerint, eſt negare vniuerſaliſſimum principium lumine naturali notum* (23) & quamuis ex huc vſque dictis euerſata ſit oppoſita ratio. Tamen adhuc conceſſo (quod falſum eſt) neceſſariam eſſe confirmationem Apoſtolicam ad hoc, quod vim legis habeant ſtatuta Regularium, non tamen ſequeretur aduerſariorum intentum. Quia ſtatuta facta a Capitulis Generalibus hoc ſpeciale habent, quòd ſi facta ſint iuxta diſpoſitiones iuris, ſtatim ac publicata ſunt, à S. Sede confirmata cenſentur abſque alia ſpeciali confirmatione, & hoc ex priuilegio conceſſo à Clemente VII. Congrega-

(17) Rot. Roman. apud Farina. dec. 913. n. 6. p. 2. recent.

(18) Cap. ſi Apoſtolicæ, & ibi gloſ. in V. Cõfirmamus de Præbend. in 6. cap. Quia diuerſitatem de conceſſ. Præben.

(19) Cap. ex Parte. Cap. quia intentionis de Priuileg. cap. inter dilectas V. cæterum de Fid. Inſtrũ.

(20) Cap. quia diuerſitatem de Conceſſ. Preben cap. Dudum in fin. de decim.

(21) Roder. Tom. 1. q. 5. ar. 2. Suar. de leg. lib. 8. cap. 20. Menoc. Conſi. 192. Rot. apud Farin. deciſ. 183 P. 1. recent.

(22) Conſil. 212. Salue. Donat. Praz. Regul. Tom 1. Trac. 119. 2. n.

(23) De Pœn. cap. 2. & q. 4 Ver Ad primum reſpõdeo fol. m. 365.

grega-

(24) Peregr. Compen. Priuil. P. 1. Tit. de conſtitutione Peytin ad Conſtito Prę. mini 54. n. 10.

gregationi Clericorum Regularium, & à Paulo III. Societatis Ieſu (24) quo ratione decantarę communicationis priuilegiorum, participant omnes Mendicantes, & ita Statutum controuerſum etiam ipſum confirmatum cenſetur a Sede Apoſtolica, quia à Generali Capitulo legitimè factum.

Quarta ratio eſt, quod ſicut electiones, quæ fiunt à Capitulis tum Generali, tum Prouinciali, niſi electi vel à Papa, vel à Generali Superiore reſpectiuè in eorum officijs confirmentur,ità paritèr dicendum eſt de ſtatutis, cum non maior ſit eorum authoritas in condendis legibus, quàm in electionibus celebrandis. Vndè ſtatuta Capitulorum Generalium non confirmata, nullius eſſe roboris, concludendum eſt.

(25) Cap. Nihil. §. Cæterum de Elect. cap. Auaritiæ eo tit. in 6. cap. Abbas ibid.

(26) Clem. Exiuj. de Verb. ſignificat.

(27) Elect. Gener. Ord. cap. 8. Stat. 12.

(28)

Reſpondeo, & nego paritatem; ſiquidem legem habemus ſcriptam in corpore iuris (25) quòd omnis electio ab immediato Superiore confirmari debet, aliàs electus exercens ſuum officium, eo priuatur; quod etiam diſponitur reſpectu Miniſtri Prouincialis in quadam Decretali (26) & reſpectu eiuſdem, & omnium aliorum inferiorum in ſtatutis Generalibus Ordinis (27.) Falſum eſt autem, quòd Miniſtri Generalis electio, quæ à Capitulo Generali fit, indigeat confirmatione. Quia ex priuilegio Clementis IV. Generalis Miniſter totius Ordinis Minorum eo ipſo, quòd electus eſt, ſtatim cenſeri debet confirmatus, & proinde validè ſui officij adminiſtrationem exercet, de quo famoſo priuilegio loquuntur multi Doctores (28.) Quòd ſi confirmationem Apoſtolicam vt ex conſuetudine inualuit, recipit, hoc eſt ad demonſtrandam omnimodam obedientiam Sanctæ Sedi, & ad ſolemnitatẽ potius, quàm ad neceſſitatem. Ex alia parte nulla extat lex ſiuè in corpore, ſiuè extra corpus Iuris, quę requirat Apoſtolicã confirmationem ad hoc, vt ſtatuta à Capitulo Generali facta valida ſint, immò contrarium habetur priuilegium, vt dictum eſt. Proinde non cõcludit argumẽtum petitum à confirmatione electionis ad confirmationem ſtatutorũ.

Silueſt. V. Confirmatio Elect. qu. 1. Roderic. to. 2. q. 52. ar. 2 Mirand. Manual. tom. 2. q. 23. ar. 32. Peytin. tom. 2. q. 1. cap. 31. §. 21. Comp. Priui. Sorb. V. Elec. §. 3. Sanctor. Comment. in ſtat. cap. 8. ſtat. 12.

Quinta ratio eſt, quia nulla lex eſt obligatoria, niſi acceptetur. Renuunt autem nonullæ Prouinciæ hoc ſtatutum acceptare, licèt Prouincia Romana ipſum acceptauerit. Et exemplum huius alias non debet cogere; etenim in hac Prouincia Patres non habent præcedentiam, & proinde Paternitas data Lectoribus neminem lędit. Non ſic autem in cæteris Prouincijs, in quibus Patres iuxta Bullam præcedunt.

Reſpondeo, falſam eſſe, quòd nulla lex obliget, niſi acceptetur. Si quidem lex omnis ſiue layca, ſiue Eccleſiaſtica ſubditorum receptione, vel approbatione non indiget, vt vim habeat obligandi, dummodò ſit honeſta, iuſta, & poſſibilis, prout docent Canoniſtæ (29), aliter poteſtas legislatoris eſſet eluſoria, inutilis, & exilis, ſi ad conſtituendam legem deberet expectare voluntatem, & approbationem ſubditorum, vt nntant quidam celebres Theologi (30.) Et proinde ſubditi non acceptantes iuſtas leges ſuorũ ſuperiorum peccant mortaliter, ſi ſint in re graui, quia iniuriam faciunt Legislatori, quem priuant iure ſuo, violant obedientiæ vinculum, & dum recuſant ſubeſſe, diuinæ ordinationi reſiſtunt. Hinc ſi ſubditi nollent acceptare rationabilem Conſtitutionem, debent per Conſtituentem compelli, & puniri, vt probant Iuriſtæ (31.) Et in facti contingentia cum Epiſcopi Veneti, & Ligures noluiſſent recipere Decreta Concilij Conſtantinopolitani, gladio excommunicationis fuere percuſſi à Pelagio, & à Narſete de eiuſdem Pontificis mandato vi armata compulſi ad obediendum, vt habetur in quodam capitulo (32) Non eſt ergo verum, leges non obligare, niſi acceptentur; hoc enim nullo iure Cæſarco, aut Apoſtolico cautum reperitur. Vndè nullam eſſe requiſitam acceptationem à ſubditis ad hoc quod lex à Capitulo Generali lata abſolutè obliget, concludit in terminis doctiſſimus Regularium rerum ſcriptor (33.) Quod autem exemplum Prouinciæ Romanæ non quadret pro alijs, quia in illa nulla eſt Patrum præcedentia, vt eſt in alijs Prouincijs; dico, quòd non cogeret, ſi loqueremur de vſu, aut priuata ipſius conſuetudine; vſus namque Prouinciæ vnius non habet vim trahendi cæteras in conſenſum, cum vnaquæque Prouincia peculiares, & locis accomodas habeat conſuetudines. Non ſic autem in noſtro caſu. Quia agitur de ſtatuto vniuerſali legitimè lato, quod ſi in vſu poſitum eſt in Prouincia Romana, quæ eſt norma cæterarum, & in qua ſunt viri doctiſſimi, & Reformationis rigoris zelantiſſimi Cuſtodes, conuincit eſſe ab omnibus recipiendum tanquam legitimum, & reformatæ vitæ non diſſonum: & eius exemplum alias Prouincias refractarias ſtatuto illi, aut nimis ſciolas, aut parum obſequentes Superiorum legibus conuincit. Quod ſi in Romana Prouincia Patres præcedentiam non habent, quid tum? Etiamſi eam haberent, non minus ſtatuto paruiſſent, hoc enim ſuadet omnium Patrum illius Prouinciæ religioſa perfectio. Dicere autem, quòd in facti contingentia contrarium eſſent facturi, eſt temerè diuinari.

(29) Zabarel. in Proem. Clementin. V. Vniuerſitati q. 2. Turrecremat. in §. Ideo. diſt. 4. Gregor. Lopez. lib. 6. diſt. 1. P. 1. n. 4.

(30) Bartholom. Medin. t. 2. q. 90. art. 3. in fine in reſp. ad 2. Suar. de leg. lib. 3. cap. 9. n. 9.

(31) Archidiacon. in §. Ideo diſt. 4. Hug. in eod.

(32) Cap. de Liguribus 23. q. 1.

(33) Donat. Prax. Regula. tom. 1. tract. 8. q. 17. per tot.

Sexta

Sexta ratio, quæ opponitur, eſt Breue Vrbani VIII. *Alias pro Congregatione Generali &c.* in quo decernitur ordo ſeruandus inter Reformatos circa præcedentiam; & ibi ponitur clauſula irritans omnem contrariam diſpoſitionem. In illo autem Breui de Lectoribus habitualibus nulla ſit mentio, proinde ſicut alij gregarij fratres debent habere locum iuxta habitus antiquitatem. Vnde eum per hoc ſtatutum ijſdem Lectoribus præcedentia decernatur, patet, illud eſſe contrarium diſpoſitioni Breuis, & proinde nullum.

Reſpondeo ad hanc obiectionem dupliciter. Primò, quòd confirmatio ſtatutorum facta per illud Breue non ligat manus Capitulo Generali, quin poſſit circa præcedentiam ſtabilire aliquid in contrarium ordini in illis ſtatutis poſito; aut nouum aliquem præcedentiæ gradum in Religione inſtituere. Quia confirmatio in forma communi, cum ſit quid acceſſorium, & fauorabile non coactiuum, non impedit, quin ſtatuta ſic confirmata à Papa poſſint à Capitulis reuocari, aut mutari, vt dicunt Doctores (34), ſecus retorqueretur in odium, quod eſt impetratum ex gratia. Confirmatio autem, etiam *ex certa ſcientia*, ſi manauerit ad inſtantiam Religionis, (prout communiter accidit) æquiparatur, quo ad hoc, confirmationi in forma communi, quia vtraque eſt acceſſoria, & non principalis; & cum Religio habeat ius renunciandi priuilegijs ex conceſſione Leonis X. & Gregorij XIII. vt refertur à quodam noſtro Doctore [35]; & confirmatio in *forma ſpecifica, & ex certa ſcientia* ſit quoddam priuilegium, ſequitur, poſſe Capitulum Generale huic priuilegio renunciare, & ita ſtatuere alias leges contrarias ſtatutis ſic *ex certa ſcientia Papæ* (ſed ad petitionem Religionis) confirmatis; & ita firmat celeberrimus ſtatutorum noſtrorum Illuſtrator (36.) Conſtat autem confirmationem illam ſtatutorum, & Ordinis præcedentiæ fuiſſe quidem *in forma ſpecifica*, ſed ad petitionem Religionis, dicitur enim ibi. *Nobis propterea idem Commiſſarius Generalis ſupplicari fecit, vt præmiſſa (ſcilicet Reformatorum ſtatuta, & ordinem præcedentiæ,) pro illorum ſubſiſtentia firmiori Apoſtolicæ noſtræ confirmationis patrocinio communire dignaremur*. Sequitur ergo, quòd Capitulum Generale, non obſtante tali confirmatione, ſi ſibi expedire videbitur, ad Religionis bonum, circa præcedentiam ordinem contrarium decernere, & legitimè ſtabilire poteſt: Hinc ſequitur, quòd ſi poteſt Generale Capitulum *contra* ordinem præcedentiæ, ſtabilitum decernere, poterit à fortiori aliquid *præter* illum ordinem ſtabilire, & ita nouum gradum præcedentiæ in Religione, non pro perſonis, ſed pro officio inſtituere, & ita in terminis firmat Auda (37.); & indubitabili hoc argumento probatur. Statuit Capitulum Generale Toletanum 1658. quòd Prominiſtri, qui ex Ciſmontana Familia ad illud Capitulum acceſſerunt, vel in poſterum ad alia in Hiſpanijs celebranda accedent, gradum (vt ibi decernitur) præcedentiæ habeant. Accidit quòd Prouincialis, & Patres Reformatæ Prouinciæ Bononiæ nolebant huic ſtatuto obedire, ex eo quod dicebant, non poterat Capitulum Generale tale ſtatutum condere contra Breue Vrbani circa præcedentiam Reformatorum; & ſic nolebant mittere in poſſeſſionem ſuæ præcedentiæ P. Saluatorem à Placentia, qui fuerat Prominiſter. Iſte recurſum habuit ad Sac. Congregationem, quæ audito Miniſtro, & Procuratore Generali Reformatorum, nec non Miniſtro Prouinciali Bononien. ſtatuit, ſeruandum eſſe illud ſtatutum factum in fauorem Prominiſtrorum, vt habetur in Theatro Regularium (38), & fundamentum Deciſionis Sac. Congregationis fuit, quia ſtatutum illud fuit legitimè factum, & iuxta normam ab Vrbano præſcriptam, vt innuit idem Auctor (39.) & nos ſupra tetigimus. Patet ergo ex hoc Decreto, poſſe nouum gradum præcedentiæ à Religione in Capitulo Generali inſtitui, non obſtante illo Breui Vrbanij VIII., & tale eſſe ſtatutum controuerſum, quod ex hac ratione probatur vt legitimum, & vt tale ſuſtinendum. Aliter reſpondeo ad argumentum oppoſitum. Statutum, de quo eſt lis, non eſt contrarium diſpoſitioni Breuis, ergo illud non infringitur à Breui, per quod tantùm irritantur ea, quæ fient ipſi in contrarium. Aſſumptum patet, quia ſtatutum hoc Lectoribus habitualibus confert primò, & principaliter Paternitatem Prouinciæ, & ius paſſiuæ ſubrogationis in Diffinitorio, & hæc, vt potè ſubſtantia ſtatuti tanquam id, quod peculiarius eſt, debet attendi, præcedentia autem eſt quid conſectaneum. Non adimitur autem per illud Breue facultas Capitulo Generali, beneméritos de Religione viros ob eorum labores in Patres Prouinciæ creare, vt pluribus probatur in Orbe Seraphico (40); aliter damnandi eſſent tanquam attentatores, non verò cenſendi vt Legiſlatores legitimi tot grauiſſimi Patres, qui Paternitatem Ordinis, & Prouinciæ contulerunt aliquibus gradibus, qui ab antiquo in Religione non fuerunt, & à modernis Capitulis Generalibus decreti fuere; & hoc temera-

(34) Portell. V. Statutum nu. 11. Mirand. tom. 1. q. 29 art. 8. Vuar. lib. 6. de leg. cap. 29. n. 14. Rodric. to. 1. q. 68. ar. 5. & 9.

(35) Hyeronim. Rodric. in Summ. Reſolut. 126. n. 26.

(36) Stadtnr. de Penis cap. 28 q. 4. Verſ. Ad ſecundum dico. fol. m. 365

(37) Theat. Regular. Verb. Præcedentia. num. 8.

(38) Sac. Congr. Regular. 7. Septeb. 1661. apud Aud. V. Prominiſtri fol. m. 577.

(39) Auda Verb. Præcedentia, num. 8.

(40) Orb. Seraph. tom. 1. lib. 3 cap. 29. n. 11 fol. 471. col. 1

merarium eſſet aſſerere. Si ergo ſtatutum controuerſum creat Lectores habituales in Patres, & illis ius ſubrogationis tribuit, in hoc nihil ſtatuit contra Breue. Si iiſdem Lectoribus præcedentia decernitur, nihil itidem fit contra Breue, immo iuxta Breue, quia Patres Prouinciæ iuxta illud debent præcedere. Quod ſi dicas, eſſe contra Breue, quia Lectores habituales ſunt ſicut gregarij fratres, & non ſunt nominati in Breui, & ita alium locum nequeunt habere, vt diſponit Breue, niſi iuxta antianitatem Ordinis. Et ſi modò præcederent, fieri contra Breue. Reſpondeo negando, quòd Lectores huiuſmodi cenſeantur inter gregarios; quia per Capitulum Generale, (quòd hoc poteſt) creati ſunt in Patres Prouinciæ, & inter Exminiſtros. Quod ſi Breue Exminiſtris præcedentiam decernit, etiam Lectoribus creatis in Exminiſtros (vigore Breuis) præcedentia debetur, & ita non habetur ſtatutum hoc vt contrarium, ſed vt conſonum Breui Vrbani.

Septima ratio eſt, quia ex multiplicatione Patrum Prouinciæ, qui ſatisfactiones prætendunt in Capitulis, oritur confuſio in Religione, & apud Superiores diſcrimen. Et multoties iſti coguntur pro ſatisfactione danda Prouinciæ Patribus creare in Superiores locales nonnullos defectuoſos in ſufficientia, vel moribus, cum publici boni iactura. Et ob id debent potius minui, quàm augeri Patres Prouinciæ.

Reſpondeo, huic incommodo poſt Vrbanum VIII. ſatis eſſe prouiſum (vtinam cum fructu) à S. D. N. Innocentio XI. per Bullam ſuam (43) per quam adimuntur omnibus Prouinciæ Patribus, quantumuis graduatis prætenſiones ſatisfactionum in Capitulis, & Congregationibus. Vnde ceſſat adducta ratio pro deneganda Lectoribus Paternitate. Dico inſuper debilem rationem illam, ſiquidem argumentum hoc militat contra Patres Exminiſtros. Iſti ſiquidem dominatui aſſueti maiores habent adhærentias, & dominationem etiam priuati protendere geſtiunt, & ſunt in maiori numero, quàm vnquam poſſint eſſe Lectores. Siquidem vnus tantùm poteſt eſſe Lector habitualis Pater, & antequam euadat talis, requiritur ſpatium duodecim annorum. At hoc tempore quatuor adminus euadent Exminiſtri Patres; & poteſt eſſe, quòd Lector habitualis Pater viuat in Paternitate per triginta annos, & hoc tempore multiplicabuntur decem Exminiſtri, & vnus tantùm erit Lector Pater Prouinciæ. Vbi nunc ſomniata periculoſa Patrum multiplicatio, ſi in vnaquaque Prouincia vnus tantùm Lector habitualis fiat Pater? Confuſiones ergo allatæ præciſè naſcuntur ab Exprouincialium Paternitate. Si ergo negari debet illarum cauſa Paternitas Lectoribus, à fortiori debet à b Exminiſtris auferri. Quod ſi hoc iſti renuunt, non debent Lectores ſibi collato præmio fraudari. Bone Deus! quæ iuſtitiæ regula inter Reformatos ſeruatur? Homines nullius frugis, ad genium tantùm, & ingenium dominantium (quorum beneuolentiam vili obſequio ſibi comparant) conformati, poſt duos Guardianatus, vel tres ad Diffinitoriatum, & Prouincialatum aſſumuntur quo benè, vel malè abſoluto, nullo præuio ſyndicatu puniente, remanent Prouinciæ Patres priuilegiati; ex alia parte Lector, qui in ſpeculando, ſcribendo, docendo, tot noctes duxit inſomnes, ſudores ſparſit, & complexione viciata ſanitatem in ſtudijs conſumpſit cum tanto Religionis decore, & profectu in tot Iuuenibus diſciplinatis, poſt quindecim annos laboris parua hac mercede donatur, & erunt homines ira inuidi, ira virtutis oſores, vt & hanc qualemcumque velint ipſi denegare, retenta alioquin tanquam ſacroſancta Exminiſtrorum Paternitate? Quid iniuſtius? Reſpondent iſti religioſæ perfectionis Sycophantæ, Lectores debere à Domino expectare mercedem laboris. Non abnuo. Sed replico, & quare vos non vultis expectare ab eodem præmium laboris exantlati in Prouincijs regendis, & quare non renunciatis priuilegio Paternitatis? Hoc nolunt ipſi; ſed volunt à Deo, & ab hominibus præmiari, eo quia in gubernando & Deo ſeruiunt, & hominibus proſunt. Et ego ſubiungo; idem præſtant Lectores, quia in docendo Deo famulantur, cuius Diuina myſteria explicant; ſtudent profectui proximorum, quorum mentes ſcientia illuſtrant; æquum ergo eſt, vt & ab hominibus eo modo, quo poſſunt, & à Deo ea menſura, qua merentur, recompenſentur. Quod ſi Eccleſia Militans Triumphanti ſe debet coaptare, quomodò Lectores habituales in Minoritica Reformata Familia nullam habebunt præcedentiæ mercedem? ſi iuxta dictum Saluatoris in Triumphante *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus eſt in regno cælorum* (44), *& Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, fulgebunt ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates.* (45).

Vltima ratio eſt, quia hoc priuilegium (aiunt) eſt ambitionis incentiuum, quia quilibet quaquauerſum volet eſſe Lector, vt tali Paternitate fruatur, & ex hoc magnæ ſuſcitabuntur in Prouincijs violentiæ. Proinde vt quietis publicæ turbatiuum non debet admitti.

(43) Bull. de reſtituen. eandere incip. Militantis 1679.

(44) Matth. cap. 5. verſ. 12.

(45) Daniel. cap. 13. verſ. 3.

Reſpon-

Reſpondeo, quòd hæc ratio magis vrget ad Paternitates Exprouincialium eliminandas, quàm ad ipſam Lectoribus denegandam. Siquidem Paternitas, quæ remanet Exminiſtris, eſt ſtimulus ambitionis, ad quam explendam confundunt diuina, & humana quęque ambitioſi, vt cum deplorabili pariter, & irremediabili iactura, vbique cernimus. Non omnes poſſunt lecturam prætendere, quia non omnes habent habilitatem ad legendum, multo minùs ad publicè defendendas Theſes, vt ſtatuitur, ſi debent Paternitate potiri. Credite mihi cum hoc penſo, pauci admodùm inter Reformatos ambient lecturas, & hi erunt ſoli docti, & habiles, quia publicè debent facere periculum ſui. Mala ambitio hæc, fateor, ſi ſolo inſtinctu ambitus præcedendi lecturam procurabunt, non tamen erit ita monſtruoſa ambitio Lectorum, ſicut eorum, qui nullis fulti meritis inhiant Prouincialatui, ad quem frequentiùs, & faciliùs peruenitur, vel muneribus, vel obſequio, quo Prædominantium in Prouincijs beneuolentiam ſordidiſſimè aucupantur. Fateor, Paternitatis prærogatiua exitioſa Religioni eſt, quia pernicioſus ambitionis eſt fomes. Si ergo hoc à Lectoribus tolli debet, tollatur ab omnibus alijs, in quibus eſt antiquior, & frequentior abuſus, quàm poſſit timeri in Lectoribus, in quibus nuperrimus eſt, & adhuc radices non egit. Remaneat ſola Paternitas Ordinis apud Ex-miniſtros Generales, ab Exprocuratoribus Ex-Diffinitoribus Generalibus, & ab Ex-miniſtris auferatur ſaltem inter Reformatos, qui zelantur ſuper eradicatione ambitionis. Tunc æquo animo erunt Lectores. Intantum quærunt hanc prerogatiuam, in quantū vident alios cum minori labore pręmiatos. Iter ſemeſtre ad Hiſpanias, (vt & Secretariatus Generalis per ſolum triennium) inter Reformatos in Cuſtodibus, & Prominiſtris Paternitate præmiatur; & nullus contra hoc muſſitat, nec Lectores de ſibi adempta præcedentia ab illis ſunt conqueſti; & curſus tanti laboris per 15. annos non præmiabitur in Lectoribus; & ſi æquiſſimum præmium decernit Capitulum Generale, omnes ad arma ad lectores impugnandos conuolabunt, Quid Monſtri eſt? Mira loquar. Paternitates Prouinciæ priuilegiatas in Ordine abrogauerat Clemens VIII. & Gregor. XV. (46) nullam Paternitatem concedebant Cuſtodibus guberníj ſtatuta Reformata de anno 1625. ſed abſoluto officio incedebant juxta Ordinis antianitatem. Anno 1642. decernitur Ex-miniſtris Reformatis Paternitas, & priuilegium pręcedentiæ, & conſtretur Commiſſarius Generalis Reformatus, ordinem illum præcedentię pugnare contra Apoſtolicas Conſtitutiones (*Ordinem in eiuſdem Statutis circa præcedentiam, ſtabilitum, cum nonnullis Conſtitutionibus Apoſtolicis non concordare* ſunt verba Breuis Vrbani (47) Et tunc nullus ex reformatis zelatus eſt pro matre ſua, nec impugnauit huiuſmodi ſtatutum inuectiuum ambitionis in Reformationem. Sed omnes laudarunt, & receperunt. Nunc vult pro vno Lectore Paternitatem decernere Capitulum Generale, nulla lege in contrarium reclamante, & claſſicum inſonant omnes armati zelo exterminandæ, ambitionis? Si zelus hic bonus eſt, debet eſſe iuſtus; & ſi iuſtus, omnibus debet eſſe æqualis: Si arceri debet à Lectoribus ambitionis incentiua Paternitas, arceatur etiam ab omnibus alijs, Ex-generalibus exceptis: Tunc quieſcent Lectores. Nec tamen laudabile per hoc dixerim è medio tollere in reformatione graduatorum Patrum præcedentiam, & meriti Religioſorum dignitatem à ſola antiquitate habitus; Dignitas enim hęc eſt præſtantia vini, & caſei, quibus ſola annoſitas pretium dat; turpiſſimum namque eſſet Ariſtocraticum laudabile regimen ad turpem oligarchiam inflectere. Tantùm inſto, quòd ſi Paternitas eſt deneganda Lectoribus, eſt etiam ab alijs tollenda; & ſi alijs relinquitur, etiam Lectoribus, vt par eſt, concedatur. Quod nam ius labores vnquam ſine præmio reliquit? Diuinum decernit, *Non alligabis os boui triturantis, & dignus eſt operarius mercede ſua* (48) Cæſareum Magiſtros ac Doctores, qui in ſcholis legerunt, dignitatis prærogatiua ornat, & inter comites illuſtres Imperialis Palatij aſſumit (49) Militare decreuit quod *Is gradu cæteros antecedat, quem labor prolixior, & ſtipendia meliora fecerint anteire* (50) Canonicum *Statuit Iuſtum eſſe, vt illi honoris conſequantur ſtipendium, qui laboris impendunt obſequium* (51) ſi ergò per quindennium tantum laborem exhibent Lectores, quomodo debita poterunt mercede fraudari? Nec iſta à ſolo Deo expectari debet. Siquidem *ſi laborantes pro Eccleſia ſtipendia debent recipere ab Eccleſia* vt habet Canon. (52) etiam Lectores debent non ſolùm à Deo, ſed etiam ab illa Religione, pro qua laborant, conſequi honoris ſtipendia. Nec hoc cum reformata profeſſione pugnat, quia remuneratio laboris in docendo fuit coæua Religioni Minorum, in qua viuente adhuc Seraphico Patre primus lector S. Antonius de Padua Bononiæ docens fuit a noſtro

(46) Clemens VIII conſtit. Seraphicum Ordinum 10. Ap. 1600. Greg XV. conſt. Militantis 12. Feb. 1622.

(47) Vrban. VIII. Alias pro cōgreg. 22. Decemb. 1642.

(48) 1. Corint. 9. verſ. 8.

(49) Bart. in lib. 1. n. 15. C. de dignis & in l. 1. C. de nono Cad. Fac. n. 11 & in lib. Alexandrinus n. 2 de deuotion.

(50) l nemo C. de off. Mag. off.

(51) Cap. Sacerdos 1 q. 2. cap. charitatem. 12. q. 2.

(52) cap. Eccleſiaſtic 12. q. 2.

ſtro Patriarcha vocatus eius Epiſcopus exercitij legendi prærogatiuam comparando dignitati Epiſcopi, cuius munus eſt ex præcepto Apoſtoli (53) *Eſſe Doctorem.* In primo itidem ſæculo, dum puriſſima vigebat Regulæ obſeruantia, & cum cæteris virtutibus humilitate fulgebat Minorum Religio, Magiſterij gradu multis cum alijs priuilegijs decorabatur, qui lecturæ curſum fuerant emenſi. Non eſt ergo, cur cauſetur hoc ſtatutum tamquam reformatæ perfectionis læſiuum, cum multò maiores pterogatiuas habuerint Lectores, quando defęcata ſanctitate florebat non adhuc relaxata Religio.

53 1. Timot. cap. 3. v. 3.

Perpendite ergo ſapientiſſimi Patres, ac æquiſſimi Iudices debilitatem, & apparentiam puram rationum, cui innituntur iuſti, honeſti, ac vtilis huius ſtatuti impugnatores. Cognoſcite iſtas non bono zelo, ſed liuenti inuidiæ oculo duci. Animoſam ponderate cenſuram iſtorum, qui ſe Eminentiſs. Protectori iniurios, Reuerendiſs. Generali refractarios, Capitulo Generali rebelles, & contumaces produnt impugnando ſtatutum à Reformatis in Capitulo Generali nullo penitus repugnante ſancitum, à Reuerendiſs. Generali paternè publicatum; ab Eminentiſs. Principe, ac vigilantiſſimo Protectore conſideratum, examinatum, laudatum, approbatum, confirmatum. Nec diffido, vos pro iuſtitia in fauorem Lectorum ſentẽtiam laturos, dum ad Lectores Theologos honorandos præeminentia, & venerandos dignitate ſuorum memorialium in vltimis ipſius tabulis obſeruatores filios, ita monuit Seraphicus Patriarcha (54) *Et omnes Theologos, & qui miniſtrant nobis Sanctiſſima verba diuina, debemus honorare, & venerari, ſicut qui miniſtrant nobis ſpiritum & vitam.* Ita ſalua, ſemper &c.

54 Teſtam. S. P. Franciſci.

Frater Ludouicus Maria ab Ameno Lector Sacrę Theologię, & Prouinciæ Pater.

Sententia lata à Reuerendiſs. P. Miniſtro Generali Petro Marino Sormanno de Mediolano ſuper controuerſia exorta occaſione præfati ſtatuti, in qua eius obſeruantia inter Reformatos ſtabilitur.

IN controuerſia coram Nobis excitata inter Diffinitorium, & nonnullos alios Patres Prouinciæ Sancti Didaci Strictioris Obſeruantiæ ex vna, & P. Ludouicum de Ameno ex altera parte, de, & ſuper validitate, & obſeruantia Statuti facti à Diſcretorio Reformatorum in nuperrimo Capitulo Generali Toletano circà Paternitatem Prouinciæ conferendam antiquiori ex Lectoribus, qui per duodecim annos Sacram Theologiam docuerunt, vel docebunt; Viſis per Nos, & examinatis rationibus hinc inde adductis, & audito voto quinque Patrum ex grauioribus, nempe Bernardini à Biſignano Ex-Procuratoris Generalis, & Reformatę Prouinciæ Romanæ Miniſtri Prouincialis, Franciſci Mariæ de Boniara Diffinitoris, ac noſtri Secretarij Generalis, Ioſeph à Leone noſtri itidem Profecretarij Generalis pro Vltramontana familia, Caroli Franciſci de Variſio Romanæ Prouinciæ Patris, & Supremæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis Qualificatoris, & Philippi à Caſtro S. Petri Lectoris Sac. Canonum in noſtro Conuentu S. Petri in Monte Aureo; Dicimus, & decernimus, præfatum Statutum eſſe ſeruandum in vnaquaque Prouincia Reformata, & executioni demandandum, ſeruata forma in nouiſſimo Capitulo Generali Toletano pręſcripta ſub pænis latis in noſtris Conſtitutionibus Generalibus contrà inobedientes, & contumaces, & alijs arbitrio noſtro, & ſucceſſorum noſtrorum infligendis. Dat. Romæ 30. Decemb. 1684. Subſcripta Fr. Petrus Marinus Miniſter Generalis. In calce: Reg. fol. 132. In angulo Locus † ſigilli.

Supplementum ad Tomum tertium in Cap. Salmat. 1553.

IN Tomo tertio fol. 298. in Capitulo Generali Salmaticenſi, non apponuntur ſtatuta propria, & ſpecialia eiuſdem Capituli Salmaticenſis, ſed ſola Generalium Statutorum collectio pro Familia Ciſmontana; quia ſic habetur in Chronologia Hiſtorico-legali, & in Regeſtro Ciſmontano; quia tamen inceſſanti diligentia poſtmodum illa reperta ſunt in Vltramontano, ideo ibidem col. 2. ſic addenda ſunt. In titulo medio, *Statutum Capituli* Salmaticen. dicendum eſt, *Statuta Capituli &c.* & poſt illud primum §. *Viſum eſt &c.* poſt lineas duodecim, ſic addendum. Deinde &c.

Ex Arch. Ara-cæl. Cer Vltr. Reg. f. 1 f. 355 fol. 2.

Deinde ſtatuit idem Reuerendiſs. Pater cum ipſo Generali Capitulo, vt ſi Generalis Miniſter in adminiſtrando ſuo munere deceſſerit ex hac vita ante officij ſui quadriennium, qui tunc ſuffectus fuerit Vicarius Ordinis eo modo, quem præſcribunt Aſſiſina Statuta, is protinus cogat Vocales ſuffragatores eius familiæ tantùm, ex qua erat Miniſter Generalis defunctus, ad cooptandum alium Miniſtrum Generalem, in eamque cooptationem, & electionem, indicetur vltrò compromiſiſſe, ſuiſque

ſen.

ſententijs iuiſſe altera familia; ita vt quod egerit ea familia, ex qua erat mortuus Generalis, & quæ alium ſola elegit, altera ratum, fixumque habeat: Id quod propterea fit, ne toties breui tempore commoueatur, conturbeturque vniuerſus ordo eum ſumma ſecularium admiratione, & innumeris expenſis factis, cum paucis poſt annis ſint habenda Comitia ex vniuerſo Ordine ad eligendum Miniſtrum Generalem ex altera familia, eaque compromiſit, quemadmodum fert familiæ vtriuſque viciſſitudo: Idem omnino intelligatur, & de electione noui Generalis Miniſtri, & de compromiſſione, ſi etiam viuens generalis Miniſter aliqua de cauſa, vel infirmæ valetudinis, vel alterius iuſtæ rei voluerit renunciare muneri, officioque ſuo; vt ipſemet Generalis Miniſter conuocet familiæ ſuæ Patres Vocales, & eligendum curet alium Miniſtrum Generalem, & nomine ſuo, & alterius familiæ, donec appareat tempus legitimum ereandi Generalem Miniſtrum cunctis totius Ordinis ſuffragijs.

Idem Capitulum Generale decernit, vt Miniſter Generalis ſuo functus officio habeatur pro Patre, atque Definitore vtriuſque familiæ; æquum namque eſt, vt qui vtramque familiam per ſex annos moderatus eſt, ab vtraque verus, ac legitimus Pater cenſeatur, & colatur. Itaque ſi contigerit, vt Generalis Miniſter, vel mortuus fuerit, vel ſuo renunciauerit officio, quemadmodum ſupradictum eſt, talis Pater, ac Diffinitor vtriuſque familiæ olim Generalis vocari debeat ad electionem Generalis Vicarij per mortem Miniſtri Generalis, vel per renunciationem. Eadem quoque ratione Commiſſarius Generalis ex quacumque eligatur familia, iſque, vel accedat, vel maneat, ſi ſecus non poterit, quantùm de cætero munere ſuo fungetur, habendus cenſetur Pater, & Diffinitor in ſua familia quamquàm ante geſtum munus tali honore non fuerit decoratus: Et idem ipſe, non ſecus atque dictum eſt de Generali Miniſtro olim defuncto, habebit vocem in electione Vicarij Generalis.

Romanæ Curiæ Procurator, & Commiſſarius non plus tribus annis talibus officijs fungantur, ne temporis diuturnitate conuertát cogitationes ſuas ad rationes priuatas, omiſſa cura negotiorũ Ordinis; ideoque ne plus æquo fiant inſolentes, ſubditi ſunto, ac pro ſubditis habeantur auctoritati, & obedientiæ Commiſſarij Generalis illarum partium, ſiue electi, ſiue inſtituti, dum ab eiſdem partibus Generalis Miniſter aberit, itaut ab ipſo Commiſſario Generali poſſint corrigi etiam ad vſque ſuſpenſionem à ſuis officijs, ſaltem quouſque ea de re fuerit factus certior idem Miniſter Generalis.

Renouatur, ac reintegratur illud Reuerendiſſimi Patris Fratris Andreæ Inſulani ſtatutũ in Comitijs Burgen. factũm; nimirum ne vllum celebretur Capitulum Prouinciale, vbi nouus Miniſter eſt eligendus, niſi eidem Capitulo interfuerit, vel ipſe Generalis Miniſter, vel Commiſſarius Generalis: Id autem ita intelligi debet, ſi modò ipſe Generalis, vel Miniſter, vel Commiſſarius degerint apud eam nationem, vbi celebrandum eſſet Capitulum, vt de illo celebrando facilè certiorari queat.

Miniſtri Prouinciales ſi acciderit, vt tranſacto ſuo triennio, tantùm differatur celebratio Capituli, & electio aliorum Miniſtrorum, ne vocentur amplius eo nomine Miniſtrorum, neque id ſubſcribant in ſuis litteris, ſed ſolum Commiſſarios ſuæ quiſque Prouinciæ, & ſe vocari faciant, & ipſi ſubſcribant, cum nomen cum re conuenire debeat.

Patres Germaniæ ſi deinceps ad generalia comitia non conuenerint, vicem illorum gerant alij Patres aliarum nationum eiuſdem familiæ; ijdem pro Germanis poſſint eligi Diffinitores, atque occupare loca deſignata pro dignitate, & antiquitate ipſarum Prouinciarum, è quibus non conuentum fuerit: Si verò conuenerint nil illis ſui honoris adimatur.

Qui Conuentus poſthac Monialium vſque adeo perfrictæ frontis erit, vt ſpretâ ſuorum Prælatorum authoritate, ruptoque obedientiæ vinculo confugerit ad Principum, & Conſiliariorum eorum, vel Dominorum opem implorandam contra iuriſdictionem Ordinis noſtri, is continuò abdicetur ab ipſius Ordinis noſtri cura, & tutela, & ab eo amoueantur, & omninò amoueantur ij Fratres quicumque ei gubernando, atque adminiſtrando præfecti erant, idque per omnia obſeruetur ſub excommunicationis ſententia. Quòd ſi non vniuerſus Conuentus Monialium, ſed vna ex eis tale facinus commiſerit, ea ſola veluti morbus peſtilens à ſuo Monaſterio eximatur, ac expellatur in aliud noſtræ obedientiæ, cuius vtriuſque Monaſterij Abbatiſſæ ſub excommunicationis pœna teneantur, altera, à cuius Monaſterio rea, perniciosaque Monialis amouebitur, ſuppeditare illi impenſas in victum, atque veſtitum annuum in omne poſterum vitæ ſuæ tempus: Altera, ad cuius Monaſterium transferetur, eam recipere, & perpetuò retinere. Quod etiam ſtatutum ſemper eſt obſeruandum, quotieſcumque aliqua Mona-

nialis quaq; de cauſa è ſua domo ad aliam iuſſu Prælatorum transferenda erit.

Pro Hiſpanis.

Conſeſſarij Monialium inſtituantur in ſingulis capitulis Prouincialibus eriã intermedijs, neque in eodem loco manere poſſint, niſi à capitulo in Capitulum.

Sacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum peruium ſit in templis noſtrarum Monialium Sacerdotibus, puta in aliqua exteriori Eccleſiæ parte, vel in theca portatili conditum, quæ extrahi non facilè poſſit, vel alio opportuniori modo poſitum; adeo vt pro illius venerabilis Sacramenti vſu, ſeu cõtrectatione neceſſarium nequaquam ſit Confeſſario, aut earum Vicario intra Monaſterium introire.

Pro Italis.

Tertiatiæ apud Italos concludantur omnino, vbi ſine magna ſæcularium offenſione fieri poterit, aſſignatis prius illarum Conuentibus, quæ pauperes ſunt, aliquot quæſtuarijs, vt vocant, mulieribus, quæ circumeuntes concluſis mendicent; Repugnantes verò à noſtra cura repellantur tamquam publicæ honeſtatis inimicæ.

In illis Monaſterijs Monialium, in quibus laicæ, ſeu extraeuntes commiſcentur cum ijs alteris, quæ laicæ non ſunt, & quæ ſemper intus manent, nulla deinceps talium laicarum habeat ſuffragium, neque actiuum, neque paſſiuum, vt vocant, & vt perſonarum ſit diſcrimen, & vt alijs occurratur emergentibus malis.

Pro omnibus.

Quo ad acceſſum ad Monaſterium Monialium, & cum eis colloquium, & reliqua eòdem ſpectantia, obſeruentur Aſſiſina ſtatuta: Illudque inprimis ſtatutum obſeruari debet, quod ibidem conditum eſt in dogmatizantes, prædicantes, tuentes, probantes doctrinam aliquam, concluſionem, aut ſententiam hæreticam, damnatam, erroneam, ſuſpectamue, aut talia dogmatizantibus, prædicantibus, defendentibus, opem, fauoremue præſtantes, aut cum talibus conſuetudinem facientes, aut libros damnatos, & libros hæreticos apud ſe retinentes.

Suſcepit Familia Vltramontana calendarium commune, prout eſt apud Hiſpanos.

Profeſſio Fratrum, & ætas profitentium iuridicè, & manu profitentis conſcribantur, & in arca Conuentus includantur.

Pro Gallis.

Viſitator Sororum ſemper ſubdatur Miniſtro Prouinciali, à quo etiam poſſit deponi. Viſitator Sororum non aliud habeat officium à ſua viſitatione in Prouincijs, vbi tantùm ſunt duodecim Monaſteria.

Studentes Pariſijs non recipiantur, niſi habeant, à quibus in ſuis ſtudijs alantur, ac ſuſtententur, ne cauſa prædicationum, & eleemoſynarum conquirendarum diuagētur, quod & ipſum ne permittatur, prorſus prohibetur; alioquin à ſuis Miniſtris reuocati poſſint.

Feſtum Sancti Dioniſij fiat duplex apud Gallos.

Quod impetratum eſt diploma ad augendum numerum Doctorum, fiat commune tribus Prouincijs, Franciæ, S. Bonauenturæ, & Turoniæ.

Abbatiſſæ non habeant copiam vocandi Fratres ad collocutorium.

Conuentus noſter Pariſienſis, vt ſuo iure infigniot eſt, præ cæteris, florere debet: Quamobrē ordinatum eſt; vt in noui Guardiani electione ſeruetur prorſùs, atque reuocetur illa antiquior pridem vſitata in eodem Conuentu conſuetudo, quòd nimirum communibus omnium ibidem commorantiū Scholaſticorum ſuffragijs nouus eligatur Guardianus; ablegatis nihilominus ab eligendi eiuſmodi munere ijs, qui annum vnum eo in gimnaſio integrum nō conſumauerunt. In eo Conuentu etiam ſaltem quo ad vſque Reuerendiſſimus Pater Generalis illuc contenderit de præſentia, retinebuntur immutabiliter, & Lectores, & lectiones præſertim Alexandri Halenſis, ac Scoti, prout Reuerendiſſimum Miniſtrum Generalem Patrem Andream Inſulanum magno cum ſenſus libramine ſanxiſſe, compertum eſt.

Non recipiantur Dominæ ſæculares in Monaſteria Monialium, & ſiqua recepta fuerit, expellatur omninò ſub pœna priuationis Abbatiſſæ, & etiam Miniſtri Prouincialis, niſi curauerit expellendam, vel ſaltem priuauerit Abbatiſſam non expellentem.

Statuit Capitulum Generale, vt ſingulis diebus Sabbatinis dicatur in Ciſmontanis partibus Officium Cõceptionis Mariæ Virginis tam in horarijs precibus, quàm in Miſſa, & reliquis rebus incipiendo à primis Veſperis, & à Capitulo (vt vocant) ita vt omnia fiant ſolemniter, quòd namque feſtum hoc videatur Ordinis noſtri proprium, atque peculiare, quia continuum gerimus bellum pro eo, noſtri quoque officij

ficij eſt, frequentem de illo facere commemorationem.

Feſtum Sanctæ Crucis, ſcilicet Exaltationis, & Inuentionis fiant duplicia maiora.

In duplicibus minoribus non intermittatur officium fieri Virginis.

Octauæ feſti Omnium Sanctorum, Aſcenſionis, Patris noſtri Franciſci habeantur deinceps clauſæ, hoc eſt in eis non fiat officium Virginis.

Electiones Abbatiſſarum non fiant tertio quoque anno, ſicut hactenus fieri conſueuerunt; ſed quandocumque videbitur earum Viſitatori, cum multa incommoda hoc modo vitentur, tum quòd hoc ſit regulæ illarum conuenientius.

Renouatur hic, ac denuo ſtatuitur, quod iterum ſtatutum à Reuerendiſſimo Inſulano fuit, ne Fratres ruri vagentur duos menſes, aut eò plus corradendi frumenti gratia, cum id & ſuperfluum, & à noſtro ſtatu alienum eſſe, declaratum ſit: Id igitur ipſum nunc iterum ſtatuitur, atque mandatur.

Ordinat Capitulum Generale, vt Monaſterium Monialium Sanctæ Mariæ *del Roſal* in oppido *del Pliego*, quòd multos iam annos geſſit bellum inteſtinum cum vniuerſo Ordine noſtro ob vnam Monialem vagantem per totam Hiſpaniam, ruptis modeſtiæ, ac Religionis vinculis, & in præſenti exempta ab Ordinis noſtri obedientia, inſoleſcit agendo eandem cauſam in foro publico, ſi cauſam vicerit, omnino repudietur ab Ordinis noſtri regimine in omne poſterum tempus; & ne ab vlla vnquam Prouincia recipiatur, præcipitur omnibus, & ſingulis Hiſpaniæ Fratribus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & priuationis officiorum ipſo facto; Interim verò dum agitur Romæ cauſa, ordinatur, atque mandatur, vt Prouincia Carthaginenſis quod ſuum eſt, agat, & proſequatur cauſam, quouſque ab alterutra parte ſtetur, qua cauſa pro nobis victa; erit hoc Monaſterium Prouinciæ Carthaginenſi ſubiectum.

Ordinat idem Capitulum Generale, vt Miniſtri, & Cuſtodes ad hæc Comitia generalia deſtinati ex duabus illis Prouincijs Coloniæ, atque Germaniæ inferioris ſuſpendantur à ſuis officijs; Si etiam Cuſtodes fungantur aliquo munere publico, ita vt vtrique, & Miniſtri ſuarum Prouinciarum, & Cuſtodes ſuorum Conuentuum non alia fungantur neque auctoritate, neq; appellatione quàm Commiſſariorum, deleto nomine Miniſtrorum, & Guardianorum: quoniam neque venerunt ipſi, neque loco ſuo miſerunt ad hæc noſtra generalia Comitia, vbi agebatur de ſumma rerum Ordinis noſtri, ad quæ comitia, & opportunè ſunt ex Regulæ noſtræ præcepto vocati, & ipſi tutò venire poterant, cum haberent copiam duarum magnarum claſſium, alijque Fratres de Prouincia Flandriæ in eiſdem Claſſibus venerint: Cenſet ipſum Capitulum generale, vt ne iterum impunè deludant Ordinis authoritatem, & ſuæ perfectionis debitum, aliquas dent pœnas. Interea tamen ne querantur, in dicta cauſa ſe damnari, quamquam res ipſa per ſe nullam excuſationem admittere videatur, tamen decernitur, vt aliquis Commiſſarius ad prædictam vtramq; Prouinciam mittatur, qui publica fungens auctoritate, quærat, cur ita fecerint, & quidquid deprehenderit, mittat, & deferat ad Reuerendiſſimum Patrem, vel Miniſtrum Generalem, vel Commiſſarium, vt ipſe ſtatuat commeritas pœnas.

Pater Guardianus Hieroſolymitanus cū ſua Familia non hic inſtituitur, quòd nondum ſuppeditata ſit eleemoſyna, neque exacta illa, quæ à Sicilia debetur, cum ſine ea nequeant Fratres ad loca tam longè diſiuncta ire, & in eis commorari.

Miniſter Prouinciæ Cretenſis inſtituitur P. Frater Ludouicus de Cotignola Prouinciæ Bononiæ.

Concedit Reuerendiſſimus P. Miniſter Generalis omnibus, & ſingulis Ordinis noſtri Fratribus, vt ab eo die, cum intellexerint de hac conceſſione, in triginta ſequentes dies poſſint confiteri, cui volent, Ordinis noſtri Confeſſario, & per eum abſolui ab omnibus caſibus.

Vltramontana ſtudia litterarum inſtituentur in Italia à Reuerendiſſimo Patre Generali Miniſtro, ac Patribus Diffinitoribus.

Capitulum Generaliſſimum celebrabitur in Italia in loco per Reuerendiſſimum Patrem Miniſtrum Generalem determinando anno 1559.

Sequuntur ſuffragia.

Pro Sanctiſſimo Papa Iulio III. & pro Sacroſancta Romana Eccleſia, & orthodoxæ Fidei, & Reipublicæ Chriſtianæ bono quilibet Frater Sacerdos faciet bis rem ſacram.

Pro Reuerendiſſimo, ac Illuſtriſſimo Protectore ſimiliter bis.

Pro Sacra Catholica, ac Cæſarea Maieſtate ſemel.

Pro Chriſtianiſsimo Rege Francorum, qui publicam nobis libenter conceſsit fidem,

dem, ac ſecuritatem tranſitus, ſemel.

Pro Sereniſſimo Portugalliæ Rege, ſemel.

Et pro cunctis Principibus Chriſtianis, pro quorum pace, & concordia ſemel omnis Sacerdos Frater Miſſam celebrabit.

Pro Reuerendo Admodum, ac de Religione noſtra benemerito Domino Garſia Roderico Archidiacono Salmantino, à quo præſens Capitulum omnes ex aſſe ſuſcepit impenſas, quilibet Sacerdos ſemel ſacrificabit.

Pro vniuerſis Ordinis noſtri benefactoribus vnuſquiſque Sacerdos vnam Miſſam celebrabit.

Similiter, & pro defunctis Fratribus noſtris, pro quibus & Clerici binas quinquagenas pſalmorum, & Laici centum Pater Noſter, & totidem Aue Maria perſoluent.

Pro ſanitate, & proſperitate Reuerendiſſimi P.N. Miniſtri Generalis, & Sociorum, Reuerendi Admodum Commiſſarij Generalis, ac aliorum Miniſtrorum Ordinis noſtri, vt in laboribus pro Chriſto ſuſceptis perſeuerare cum fructu animarum, augmentoque Religionis poſſint, ſinguli Conuentus binas Miſſas dicent.

E Cõtra mirabitur aliquis, quòd Ciſmõtanæ Familiæ Statuta Generalia iuxta Decretũ Capituli Toletani de anno 1658. per Reuerendiſſimum de Sambuca compilata, ſuo loco non appoſuerim; quæ tamen ex induſtria omiſſa fuiſſe, declaro. Cum etenim non modò in ſtatutorum deſcriptione, ſed & in Prouinciarum Catalogo ſæpiùs, grauiùſque defecerit, & plurima deinde per Apoſtolicas, necnon per Ordinis conſtitutiones fuerint mutata; ideoque ſubſequentium ex Decreto Comitiorum ſint corrigenda, ne inani labore, vel expenſa librum implere videamur, illis prorsùs obliuioni traditis, quia omnia legitima ſtatuta per Religionem approbata hoc in opere ex integro continentur, ex iſtis noua vtriuſque Familiæ Statutorum compilatio iuxta Decretum Capituli Romani 1676. & Toletani 1682. poſt hoc opus abſolutum, colligenda, & ad Prouincias tranſmittenda præcipitur. Breuia itidem Apoſtolica, & SS. CC. Decreta ibi congeſta, quæ in hoc opere ſuis locis aptata reperiuntur, hic non repeto; quæ deſunt, hic appono.

SVPPLEMENTVM

AD CAPITVLVM GENERALE ROMANVM 1651.

In Dei nomine, Amen.

Hæc eſt Tabula celeberrimi Capituli Generaliſſimi Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia Seraphici Patris Noſtri Franciſci.

Celebrati Romæ, in Conuentu Sanctæ Mariæ de Aracœli, die 27. Maij Anno Domini 1651.

Præſidente Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo Domino D. Franciſco Epiſcopo Sabinen. Card. Barberino, S. R. E. Vicecancellario, Protectore noſtro, a Sanctiſs. D. N. Innocentio X. ſpecialiter delegato.

In quo ſuper vnum ducenta, & ſexaginta ſuffragia ex toto Orbe terrarum ad electionem conuenerunt.

Sanctiſſimo Domino Noſtro Innocentio X Summo Pontifice.

Miniſter Generalis.

IN primis expleto ſexennio, in quo Reuerendiſſimus Pater Fr. Ioannes à Neapoli Miniſter Generalis præteritus, quadriennium attingens officij ſui (ſummo dolore Religionis) è viuis ſublatus eſt, & Reuerendiſſimus Pater Fr. Daniel à Dongo, iuxta Ordinis noſtri ſtatuta, in Vicarium Generalem totius Ordinis electus, Suoque munere vltra biẽnium feliciter abſoluto, præmiſſa diſpenſatione Sanctiſſimi D.N. Innocentij Papæ X. ex ſuo motu proprio, ſcientia, & deliberatione, vt, non obſtantibus ordinationibus Apoſtolicis, & Conſtitutionibus Ordinis, poſſet eligi in Miniſtrum Generalem, talique promulgata prius diſpenſatione Apoſtolica.

Reuerendiſſimus P. Fr. Petrus Manero, Prouinciæ Aragoniæ Pater, Lector Iubilatus,

tus, Qualificator ſupremæ Inquiſitionis Hiſpaniarum, olim Miniſter Prouincialis, Diffinitor, & Secretarius Generalis Ordinis, & actu exiſtens Vicecommiſſarius Generalis Vltramontanæ Familiæ, cunctarum nationum animis, & ſuffragijs ad ipſum confluentibus, incredibili omnium applauſu in Miniſtrum Generalem totius Ordinis Fratrum Minorum, canonicè electus eſt.

Commiſſarius Generalis Familiæ.

Reuerendiſſimus Pater Fr. Sebaſtianus à Caieta, Prouinciæ Terræ Laboris Pater emeritus, fere cunctorum ſuffragijs, & omnium applauſu in Commiſſarium Generalem Familiæ Ciſmontanæ, canonicè electus eſt in abſentia.

Pater vtriuſque Familiæ.

Reuerendiſſ. Pater Fr. Daniel à Dongo Prouinciæ Mediolanenſis Reformatorum, Vicarius Generalis præteritus.

Pater Ordinis, & Diſcretus Vltramontanæ Familiæ.

Reuerendiſſ. Pater Fr. Ioſeph Maldonado Excommiſſarius Generalis Vltramontanæ Familiæ, & actu Commiſſarius Generalis Indiarum.

Procurator Ordinis in Curia Romana.

Adm. R. P. Fr. Iulianus Perez Lector Iubilatus, Qualificator Inquiſitionis Hiſpaniæ, olim Miniſter Prouinciæ Carthaginenſis, & actualis Cuſtos, & Secretarius Ordinis.

Commiſſarius in eadem Curia Romana.

Adm. R. P. Fr. Fulgentius Meliorutius Lector Iubilatus, & Vicarius Prouincialis Prouinciæ S. Franciſci.

Procurator Reformatorum in Romana Curia.

Adm. R. P. Fr. Innocentius à Cruce, donec officij ſui tempus expleat.

Diffinitores Generales Vltramõtanæ Familiæ.

Adm. R. P. Fr. Gregorius Santillan Lector Iubilatus, ſupremę Inquiſitionis Hiſpaniæ Qualificator, Concionator Regis Catholici, & Miniſter Prouinciæ Bethicæ.

Adm. R. P. Fr. Alphonſus Mendoza, Lector Iubilatus, ſupremæ Inquiſitionis Qualificator, & Miniſter Prouinciæ Granatæ.

Adm. R. P. Fr. Matthæus Ricaul Prædicator Regis Chriſtianiſsimi, & Miniſter Prouinciæ Sancti Ludouici.

Adm. R. P. Fr. Seuerinus Vannier, Miniſter Prouinciæ Sanctæ Mariæ Magdalenæ Recollectorum in Gallia.

Adm. R. P. Fr. Bernardinus Vetuuys Lector Theologiæ, & Miniſter Prouincię Coloniæ.

Adm. R. P. Fr. Antonius Oudenhonem, Sacræ Theologiæ Lector Iubilatus, ac Miniſter Prouinciæ Germaniæ Inferioris.

Diffinitores Generales Ciſmontanæ Familiæ.

Adm. R. P. Fr. Honoratus de Luca Prouinciæ Romanæ Miniſter. de Capistranas.

Adm. R. P. Fr. Euangeliſta de Gabbiano, Prominiſter, & Pater Prouinciæ Brixiæ.

Adm. R. P. Fr. Coſmas de Panormo Lector Iubilatus, Pater, & Cuſtos Prouinciæ Vallis Mazzariæ.

Adm. R. P. Fr. Euſebius Velles, Miniſter Prouinciæ Mediolanenſis Reformatæ.

Adm. R. P. Fr. Angelus de Giupana Miniſter Prouinciæ Raguſiæ.

Adm. R. P. Fr. Franciſcus Mendoza, Miniſter Calabriæ Reformatorum.

Guardianus, & Commiſſarius Terræ Sanctæ Ieroſolymorum.

Adm. R. P. Ambroſius à Polla, Prouinciæ Principatus Pater.

Vicarius R. P. Fr. Petrus Maboul, olim Lector Linguæ Arabicæ in Vrbe; continuatur.

Guardianus Conſtantinopolitanus.

Linquitur arbitrio Reuerendiſſ. Miniſtri Generalis.

Confirmatio electionis Reuerendiſs. Patris Fratris Petri Manero in Miniſtrum Generalem totius Ordinis Minorum Sancti Franciſci regularis Obſeruantiæ.

INNOCENTIVS Papa Decimus.

Dilecte fili, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CVM, ſicut nobis nuper exponi feciſti, tu in Capitulo Generali Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum, in Alma Vrbe noſtra nouiſſimè celebrato, in Miniſtrum Generalem eiuſdem Ordinis canonicè electus fueris, & electionem huiuſmodi, pro maiori illius validitate, & ſubſiſtentia, Apoſtolicæ confirmationis robore communiri plurimùm deſideres. Nos, ſperantes, electionem huiuſmodi de perſona tua, vt præfertur, factam, ob tuum Religionis zelum, fidem, prudentiam, integritatem, & doctrinam, eidem

ſidem Ordini plurimum profecturam; teque ſpecialibus, fauoribus, & gratijs proſequi volentes,& à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti,alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris,& pœnis, à iure,vel ab homine quauis occaſione,vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis,ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harumſerie abſoluentes,& abſolutum fore cenſentes,ſupplicationibus, tuo nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis,inclinati; Electionem de perſona tua in Miniſtrum Generalem dicti Ordinis factam,Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, approbamus,& cōfirmamus, illique inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, omneſque, & ſingulos, tam iuris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus,& ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, dicti Ordinis, etiam iuramento,confirmatione Apoſtolica,vel alia quauis firmitate, roboratis,ſtatutis,& conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrariū præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis; Quibus omnibus, & ſingulis,illorum tenores præſentibus,prò plenè, & ſufficienter eſpreſſis habentes; illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem,ſub annulo Piſcatoris, die 15. Iunij 1651.Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Ioannes Iacobus Card.Panzirolus.

Fr. PETRVS MANERO Miniſter Generalis, & ſeruus totius Ordinis Fratrum Minorum Seraphici P.N. Franciſci.

Dilectis nobis in Chriſto Patribus, & Fratribus, tàm Prælatis, quàm ſubditis noſtra Seraphicæ Religionis, ſalutem in Domino ſempiternam

ALtiſſimus ille Spiritus, qui in eligendis Superioribus Regularium,perenni luce ſolet irradiare dictamina, hiſce diebus in electione noſtra in Generalem Miniſtrum totius Ordinis Fratrum Minorum, nouo illapſu, miro arcano, etiam eligentium pulſauit, & conflagrauit affectum, vt eligendus Miniſter, non ſolùm à iudicio mentis probaretur enixus, ſed ab affectu voluntatis prodiret Seraphica proles, ſubditorum mentes incendij exemplo inflammatura. Vnde vt memorabilis feruor influxus charitatis veſtræ, quo nos elegit in Seraphici Patris ſucceſſorem,etiam in indigno hærede non deficiat, debitis iuuare precibus, quem ſuffragijs eximij amoris expetiſtis: vt conformiter fiduciæ veſtræ, combuſtis transgreſſionum ſpinis ſolùm obſeruantia præcepti ardeat in Seraphica rubo, ac ſeruētia pectora ſuccendat viuida flamma. Aſſumpti igitur in Miniſtrum Generalem Seraphicæ Religionis, ſtudio vnanimitatis veſtræ, confidenter alloquimur chariſſimos filios noſtros;non tam animo concelebrandi fauorem arbitrij,quàm gratificandi iuditij confidentiam, quo tenuitatem noſtram iudicauit idoneam ad diſcernendum inter innumerabilem multitudinem ſubditorum, quorum mores debemus inſtruere, merita ponderare, ſcrutari indoles, cogitationes diſcutere, explorare conatus, frænare motus, greſſus dirigere, & voluntates incendere deuotionis igne, à flagrantiſſimo deſiderio veſtro mutuato. In officio igitur Miniſtri Generalis tria munera coniunxit Seraphicus Pater, quando capite 8. Regulæ ſuperiorem Generalem appellat Miniſtrum, Seruum, & Cuſtodem. Vt Miniſter, miniſtrare debemus neceſſitatibus ſpiritualibus, & temporalibus ſingulorum. Igitur quicumque Frater ſe ſentiat aliqua tentatione pulſatū, aut corporali neceſſitate ſenectutis, vel ægritudinis oppreſſum, confugiat ad officium noſtri miniſterij certa fiducia: nam in ipſo adſtabimus fugitiuis aſylum,tribulatis ſolamen, & cunctis egentibus promptiſſima pietatis,officina. Vt ſeruus,curabimus adimplere ſeruorum munera. Officia autem ſeruorum ſunt,voluntatem exequi Dominorum, ipſorum honorem zelari, & eorumdem bona fideliter cuſtodire. Igitur quicumq; Fratrum voluerit vti officijs noſtrorum obſequiorum,primò religiosè procuret bonas habere voluntates, ſcilicet ſequeſtratus à negotijs ſæculi inter cœteros florere virtutibus, & excellere meritis pietatis,nam his voluntatibus inſeruiemus immenſa menſura obſequij.Honorem etiam Fratrum, tanquam Dominorum Patrimonium, ardentiſſimo zelo protegemus;nam opinio deflorata extremum eſt Fratrum præcipitium,& impolluta fama eſt vitę Monaſticæ pretioſiſſima gemma, & arrha profeſſionis. Deinde eorumdē Fratrum patrimonialia bona ſeruabimus fideli depoſito: ſed cùm Fratrum Minorum bona patrimonialia ſint, nulla habere; tunc ditiſſimos, arbi-

arbitrabimur effeciſſe Fratres noſtros,quādo in nuda paupertate, & in ſtricta carentia rerum continuerimus Dominos noſtros, omnimoda expoliatione terreſtrium. Vt Cuſtos exquiſitas vigilantiæ formas ſpeculabimur, vt gregem nobis conmiſſum à luporum inſidijs cuſtodiamus illæſum. Inuadunt Religionem ferociſſimorum malignantium externæ calumniæ, quibus abuti ſolet inimicus, in perniciem candoris Religionis,quæ ægrè retundi poſſunt induſtria, & vigilantia Cuſtodis; ſine deuota tolerantia Monachorum, qnorum virtutis exercitia his oppreſſionibus comprobantur: nam in grano ſinapis virtus habetur occulta,ſi in integritate perſeueret, & tunc flagrantiùs odorat, quando teritur, & vehementiùs viuificatur, quando muteſcit laceſſita. Alij ferociores ſunt domeſtici hoſtes,qui occulta vi pernicioſiùs vexant cœleſtem diſciplinam in clauſtris: nam opulentia tentat infringere paupertatem, diſcordia pacem trudere,ſingularitas communitatem ſcindere,otioſitas hebetare ſtudia, arrogantia cōfundere humilitatem, ira irritare patientiā, & ſuperbia opprimere charitatem crimina decolorando prætextibus. Contra hos igitur domeſticos inſultus præſertim procurabimus cuſtodire Seraphica caſtra robore cœleſtis præſidij,fouendo pauperes,amplectendo humiles, protegendo zeloſos, ſtudioſos iuuando, & præferendo pacificos,vt exulet à clauſtris pauperum,à ſocietate Minorum rixarum auctor, incentor ambitionis, hoſtis pacis. Locum non demus inimico (amantiſſimi Fratres) qui in tritici ſegete ambit ſeminare zizania, & in ipſa meſſis maturitate vult perdere fructum veſtri Monachatus flammis diſcordiæ. Procul rixæ, procul contentiones abigantur: quia non eſt morum ſecura cuſtodia, vbi perpetua ſunt iurgia.

Vos nunc alloquimur Superiores, præcipuè Prouinciales Miniſtros,qui vices noſtras habetis in cuſtodia Seraphici caſtri, defendite prius hoſtis ingreſſus: attendite rimas murorum: cuſtodite abuſuum oſtiū: nam ſemel porta cuſtri ſuperata, omnia deuaſtat ſæuus inimicus, conculcat Regulam,inuertit Statuta, proſtrat cæremonias, opprimit diſciplinam,& obſeruantiam dilacerat irreparabili ſtrage. Nè igitur diabolico ſtratagemmate arx Minorū deuaſtetur; tria Oſtia debent Miniſtri Prouinciales cōtinua vigilantia cuſtodire. Primum Oſtiū illud eſt, per quod è ſæculo in Religionem intratur,examinando ſpiritus vocationum, dotes naturæ,ingenij indolem,& qualitates venientium.Nam ſi Religionem intrant ſegnes, viles, ignoti, indeuoti, & non vocati cœleſti auxilio; ſemper manent peſſimi tyrones,in confuſiouem Militiæ Seraphicę, & nunquam ſunt feruidi,& Milites veterani. Nec vos fallat vanum deſiderium multitudinis, quando Seraphicus Pater dixit: *Vtinam in mea Religione eſſent tam rari Fratres, vt qui videret vnum, tanquam de nouo ſpectaculo miraretur.* Igitur ambiamus numerum virtutum, & abigamus numerum muſcarum, quæ Religionem non mellificant, ſed conſpurcant. Aliud Oſtium à Miniſtris Prouincialibus cuſtodiendum eſt, ſcilicet perfecta Obſeruantia Regulæ, & ſtatutorum, etiam in minutiſſimis; nam, ſi paruula rima ad inobſeruantiam pateſcit, tota Fabrica Religionis miſerè cadet proſtrata ineuitabili ruina. Debent etiam Prouinciales tertium Oſtium cuſtodire, ſcilicet aditum conuerſationis ſæcularis, & commercium rerum ſæculi: nam nullus Religioſus poteſt eſſe in oratione integer, in Miſſa deuotus, in Choro feruens,in Mēſa parcus,in Clauſtro modeſtus,& in diſciplina compoſitus, ſpiritu rerum mundanarum agitatus; nam Frater deſiderijs ſæculi irrequietus,eſt ſæcularis ſpiritu, & habitu tenus phantaſticus Religioſus.

Aliud in exordio officij noſtri cupimus cordibus Fratrū inſerere, & penetrare propoſitum,nè fluctuantes diuinationibus ſubditi, priùs errent,quàm attingant genium ſuperioris Miniſtri in diſtribuendis officijs, & impartiendis dignitatibus. Normam igitur noſtræ diſtributionis faciet vitæ meritum. Vnde qui Chorum frequentent, orationi ſtudeant, communitates ſequantur, humilitatem exerceant, paupertatem diligant, ſtudijs vacent, & exemplis polleant virtutum; certiſſimè obtinebunt prærogatiuam noſtri præſidij in receſſu. Siſtāt Fratres,quieſcant in abſcondito clauſtri,fugiant contagium fauoris,& patrocinij ſæcularis, toties cenſura Apoſtolica prohibiti: nam quodcumque meritum, ſub extraneo fauore commendatum, infallibiliter confundetur, turpi ac verecunda repulſa.Sciat igitur vnuſquiſque Fratrum, quòd euidentiſſimum ſuę repulſæ inditium erit,externū pro ſua promotione rogaſſe. Nec ſe fallant vltro vano prætextu, dicentes,ſe non compulſaſſe fauores, quaſi ipſis inuitis, aliena præſidia intercueniſſe magnatum, quia ſe totis viribus non applicaſſe ad impediendos fauores externos, erit in culpa ad repudium:officioſior enim negotiatio Fratrum debet verſari in continendis poſtulationibus, interceſſionibus,& fauoribus extraneorum, in quibus latet præter cenſuras Apoſtolicas, certiſſima ſuorum aſcenſuum ruina; nam non impediſſe pro fouiſſe in-

terpretabimur. Denique, vt hæc pietas (chariſſimi) quam erga humilitatem noſtram vnanimiter exhibuiſtis, ſtudij ſui fructum conſequatur; clementiam Domini noſtri Ieſu Chriſti ſupplices obſecrate, vt in diebus noſtri miniſterij confundat ſcãdaloſos, muniat exemplares, multiplicet deuotionem, augeat pacem: meque ſeruulum ſuum, quem, ad oſtendendum diuitias potentiæ ſuæ, voluit tam illuſtri Religioni præſidere, ſufficientem operi, & vtilem veſtro ſeruitio, & defenſioni dignetur efficere. Interim pro incolumitate Summi Pontificis, pro exaltatione Fidei, pro pace Principum Chriſtianorum, pro victoria cõtra Infideles, & pro incremento noſtræ Seraphicæ Religionis, fundite Deo preces, & iuſſa in Statutis ſuffragia. Et nos in nomine Seraphici Patris noſtri Franciſci, damus vobis ſanctam benedictionem cœleſtem: præcipientes, quòd prima die Dominica, poſt receptionem iſtarum literarum, in ſingulis Conuentibus, tàm Fratrum, quàm Monialium, omnes Sacerdotes celebrent, Clerici, Laici, & Moniales communicent pro iſta intentione, præmiſſa priùs præmeditata confeſſione ſacramentali peccatorum, ad quorum ampliſſimam abſolutionẽ Sanctiſſimus Dominus noſter Summus Põtifex Innocentius Papa X. pro ſua benignitate Apoſtolicam ſuam pro vna vice auctoritatem indulſit. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. Datis Romæ in noſtro Conuentu de Aracœli die 29. Iunij 1651.

Reuerendiſsimus P. Fr. Benignus à Genua, olim Miniſter Generalis totius Ordinis, & multoties Commiſſarius Generalis Familiæ Ciſmontanæ, mortuus eſt Romæ die 15. Aprilis huius anni 1651. maxima opinione ſanctitatis qui ob rarum integritatis, & religioſitatis exemplum, poſſet annumerari inter præclaros Miniſtros Generales, qui in exordio Religionis floruerunt. Mandamus itaque, quòd in ſingulis Conuentibus, cum omnium Fratrum aſſiſtentia, Miſſa ſolemnis Defunctorum pro ipſius anima decantetur, & quòd ſinguli Sacerdotes dicant vnam Miſſam priuatam, Clerici, Laici, & Moniales generale officium Defunctorum.

Fr. Petrus Manero Miniſter Generalis.

Locus † Sigilli.

De mandato Reuerendiſsimi P.

F. Franciſcus Serra Secretarius Ordinis.

De Prædicatoribus, & Confeſſarijs Imperatorum, & Regum.

CVM inficiari nemo poſſit, per Imperatorum, & Regum Prædicatores, & Confeſſarios honoris non parum accedere Religioni; Vrbanus VIII. dum expedito diplomate, inſequendo Gregorij XV. Apoſtolicam diſpoſitionem, priuilegia quæcumque Paternitatis ex gratia conceſſa, Fratribus, caſſare voluit, Regios Prædicatores, & Confeſſarios declarauit eſſe ab illa caſſatione immunes. Breue vtrumque in primo tomo deſcripſimus. Reuera tamen nullo priuilegio ſpeciali legimus, eos vnquam fuiſſe donatos: iam in Congregatione Victorienſi anno 1648. ſtatutum fuit, nullam ex hoc præciſo titulo eis præeminentiam deberi, cum ſatis ex tam eminenti miniſterio decorentur. Tandem verò Romanis in Comitijs anno 1651. in cap. 2. ſtatutorum §. 1. decretum fuit, vt Regij Prædicatores, & Confeſſores (non quidem nomine tenus) effectiuè tale munus exercentes, titulo Paternitatis, & præcedentia (ſine iure ſubrogandi) inter Prouinciæ Patres eſſent honorandi. Cum autem anno 1654. Pater Leonardus Galtery Regis Chriſtianiſſimi Concionator, præfatam Vrbani VIII. exceptionem de Regijs Prædicatoribus allegando, prætenderet in ſua Aquitaniæ antiquioris Prouincia Diffinitorium intrare cum ſuffragio ad inſtar Patrum Prouinciæ antiquorum; reclamante contra iniuſtam huiuſmodi prætenſionem Petro Gaſſardi eiuſdem Prouinciæ Miniſtro, Eminentiſſimus Barberinus Ordinis Protector decreuit, vt ſequitur.

Franciſcus Miſeratione Diuina Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Barberinus, S. R. E. Vice-cancellarius, nec non totius Ordinis S. Franciſci Protector, Corrector, & Gubernator.

EXpoſuit Nobis P. Petrus Gaſſardi Prouinciæ Aquitaniæ antiquioris Minorum de Obſeruantia Prouincialis, quatenus in Congregatione Toloſæ habita die 26. Aprilis 1654. P. Leonardus Galtery eiuſdem Prouinciæ Alumnus, & Prædicator Regis Chriſtianiſſimi, fundatus ſuper Bullam fæl. mem. Vrbani VIII., quæ caſſando omnes Patres priuilegiatos in Ordine, excipit Prædicatores Regum, nec non ſuper conſuetudinem prætextatam Galliæ, prætendebat intrare Diffinitorium, & habere omnia alia priuilegia Patrum Pro-

Prouinciæ in illa Prouincia; & humiliter petijt à Nobis, vt pro bono pacis, & pro fæliciori Capituli Prouincialis celebratione dignaremur declarare priuilegia, Prædicatoribus Regum conceſſa. Nos ea, quę ad RegularemObſeruantiã promouendam maximè expedire videntur, enixiùs fouentes, nec non his, quæ quoquomodo impedimento eſſe poſſe reperiuntur, quantum cum Domino poſſumus, opportunè occurrentes, audito à grauioribus Ordinis Patribus, quòd citata Bulla fæl.mem. Vrbani VIII. nihil facit ad prætenſionem, & quòd nec ante, nec poſt præfatam Bullam, vnquam in Religione Prædicatores Regum hoc iure habuerunt ingreſſum in Diffinitorium, nec non ex relatione Procuratorum Galliæ, in Curia Romana pro negotijs ſuarum Prouinciarum reſidentium ſub ſigillo eorum manuali, nullam eſſe talem conſuetudinem in Gallia, inhærentes ſtatutis Generalibus Romæ 1651. à Sacra Congregatione approbatis, & reſolutioni nouiſſimæ datæ à Reuerendiſſimo Patre Generali, decernimus, & ordinamus, quòd P. Leonardus Galtery, & alij in dictaProuincia, iure Prædicatorum Regum non poterunt intrare Diffinitorium, ſed quòd habebunt tantùm titulum Paternitatis, & præcedentiam, & ita præcipimus obſeruari ſub pœnis nullitatis eorum omnium, quæ in contrarium attentata fuerint. Dat. Romæ in Palatio Apoſtolicæ Cancellariæ die 19. Aprilis 1655.

Quod deinde fuit per Breue Apoſtolicum ab Alexandro VII. confirmatum, vt ſequitur.

Breue Apoſtolicum de Prædicatoribus Regum.

ALEXANDER PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Miniſter Prouincialis Prouinciæ Aquitaniæ antiquioris Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum, quòd cum aliàs à fel. rec. Vrbano Papa VIII. prædeceſſore noſtro per ſuas in ſimili forma Breuis die xxiij. Iulij M.DC.XXXIX. expeditas litteras omnia priuilegia perſonalia quibuſuis Fratribus Ordinis prædicti, exceptis Imperatoris, ac Regum Confeſſarijs, & Concionatoribus tam à Romanis Pontificibus, quàm à S.R.E. Cardinale eiuſdem Ordinis apud Sedem Apoſtolicam Protectore conceſſa, abrogata fuiſſent; orta poſtmodum contentione, an virtute talis exceptionis competeret prædictis Imperatoris ac Regum Confeſſarijs, & Concionatoribus ius ingrediendi Diffinitorium, in eoque ſuffragandi Capitulum Generale dicti Ordinis, Romæ de anno M.DC.LI. celebratũ; ad quod res fuerat delata, decreuit, ac ſtatuit, prædictos Confeſſarios, & Prædicatores Patres Prouinciæ quoad titulum Paternitatis, & præcedentiam dumtaxat ſine iure ſuffragandi exiſtere, ſi actu exercerent talia munera, non verò ſi nomine tenus. Et quia hoc non obſtante nonnulli Fratres Prouinciæ prædictæ in Congregatione habita Toloſæ anno proximè elapſo ſub prætextu, quòd eſſent Concionatores, ſeu Confeſſarij Chariſſimi in Chriſto filij noſtri Ludouici Francorum Regis Chriſtianiſſimi, Diffinitorium ingredi, in eoque ſuffragium ferre prætenderint, habito per exponentem ea ſuper re ad Venerabiles Fratres noſtros S. R. E. Cardinales negotijs Epiſcoporum & Regularium præpoſitos recurſu, emanauit ab ijſdem Cardinalibus decretum tenoris ſequentis, videlicet. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita cenſuit, Concionatoribus, ac Confeſſarijs Regum huiuſmodi nullum ius fuiſſe quæſitum per prænarratum Breue fęl. rec. Vrbani VIII. ſed tantum ea priuilegia præſeruata, quæ vel vigore Conſtitutionum Ordinis, vel Indultorum Apoſtolicorum, aut Cardinalis Protectoris eiſdem antea competerent. Romæ xxx. Aprilis M.DC.LV. M. Cardinalis Ginettus. Cum autem ea firmiora ſint, quibus Apoſtolicæ auctoritatis robur accedit, idcirco Nobis idem Miniſter Prouincialis humiliter ſupplicari fecit, vt decretum præinſertum confirmare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictum Miniſtrum Prouincialem ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa laris, de quibus quomodolibet innodatus extiterit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati præinſertum Cardinalium prædictorum decretum Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis vim, & robur adijcimus, decernentes, præſentes litteras firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fo-

re, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inuiolabiliter obſeruari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, & cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die xxix. Maij M.DC.LV. Pontificatus noſtri anno primo.

G. Gualterius.

DE LECTORIBVS IVBILATIS.

Statuit, quæ obſeruanda ſint circa Iubilationem Lectorum in Ciſmontana Familia Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſeruantia.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Ex Sambuc. Compil. ſtatut.

CVM, ſicut accepimus, ex frequentiſſima, immeritaque Lectorum iubilatione in Ciſmontana Familia Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum, quamplures querelæ, multaque, & grauia incommoda in eandem Familiam redundarint, ac de remedio incommodis huiuſinodi adhibendo, cũ primum illa ad Dilecti filij noſtri Franciſci Sancti Laurentij in Damaſo Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati S.R.E. Viceecancellarij, noſtri ſecundùm carnem ex Fratre Germano nepotis, dictique Ordinis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectoris, aures peruenerunt, tractatum fuerit. Nos, qui Religioſorum Ordinum pacem, & vnitatem ſinceris deſideramus affectibus, vt querelis, & incommodis huiuſmodi obuiam eatur.

Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine tenore præſentium ſtatuimus, vt Lectores iubilati iuxta præſcriptum litterarum fel. rec. Clementis Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, necnon Generalium dicti Ordinis Conſtitutionum pluries renouatarum, ac poſtremò in Capitulo Generali dicti Ordinis in Ciuitate Toletana celebrato inſtituantur, ita quod nullus poſt hac ad Iubilationem admittatur, quin prius, Logicam, & Philoſophiam tres annos, ac Theologiam decem, abſq; vlla intermiſſione docuerit, vel ſi intermitti contigerit, duodecim annos Theologiæ Lector extiterit: de quo ſingulis quibuſq; annis publica, & authentica atteſtatio à Guardiano, & Diſcretis, eorum manu propria, & iuramento firmata, Conuentuſque Sigillo obſignata conficiatur; & in publico Conuentus Archiuio ſeruetur, vbi, cum opus fuerit reperiatur.

Vt Theologiæ lectio in ordine ad futuram Iubilationem non introducatur, niſi vbi ſtudia formata viguerint, & Generalia, atque à Capitulo, & Congregatione Generalibus inſtituta. Quòd Lectores, qui non interuenientibus prædictis conditionibus per Prouinciam, vel per Superiores Generales ad Iubilationem admiſſi reperientur, eo ipſo nullitei Iubilati cenſeantur: vt numerus Lectorum Iubilatorum reſtringatur iuxta diſpoſitionem Capituli Generalis in Alma Vrbe anno 1612. celebrati pro Vltramontana Familia, videlicet, pro vnoquoque ſtudio Generali in ſingulis Prouincijs exiſtenti, duo tantum iubilati permittantur: & quolibet deficiente, loco ipſius alter ſufficiatur, qui lectionis curſum priùs abſoluerit. Demum pro ſeruanda in Prouincijs dicti Ordinis tranquillitate, reprimendiſque querelis in hac Curia in dies exurgentibus, eo quod plurimi non probato legitimè lectionis tempore, & cum maiorum deceptione Superiorum Iubilationem obtinuerunt, ſtatuimus pariter, & ordinamus, vt præfato more informationes, & temporis ad lectionem conſtituti atteſtationes per Miniſtros Prouinciales de nouo conficiantur, & ad Generales Superiores firmatæ, ſigillatæque remittantur, vt hac ratione relaxationibus, & abuſibus obuiam eatur.

Mandantes propterea omnibus, & ſingulis dictæ Ciſmontanæ Familiæ Ordinis huiuſmodi Superioribus, Fratribus, & perſonis, quocunque nomine nuncupatis, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit, in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac ſub indignationis, alijſque arbitrij noſtri pœnis, ne circa prædictorum Lectorum Iubilationem, quicquam aliàs, quàm in prædictis ſtatutis diſponitur, vllo vnquam tempore de cætero facere, vel attentare audeant, ſeu præſumant: ac decernentes, ſtatuta huiuſmodi, necnon præſentes literas valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non

Non obſtantibus quibuſuis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, & Ciſmontanæ Familiæ huiuſmodi etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, priuilegijs, quoque indultis, & literis Apoſtolicis quibuſuis dicti Ordinis Superioribus, Fratribus, & perſonis ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & alijs decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum tenores præſentibus pro ſufficienter, expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis; eadem prorſus fides in Iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 2. Martij 1638. Pontificatus noſtri anno decimo quinto.

M.A. Maraldus.

DE CLAVSVRA MONIALIVM.

Bulla S. D. N. B. Pij Quinti ſuper Clauſura, & reformatione quarumcumque Monialium.

PIVS EPISCOPVS

Seruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Circa Paſtoralis officij nobis, meritis imparibus, deſuper commiſſi, curam, quantum nobis ex alto permittitur, inuigilantes aſſiduè, ad ea, per quæ, ſingulis erroribus, & exceſſibus obuiatur, ac perſonis quibuslibet, præſertim fœminei ſexus, virginitatem ſuam Altiſſimo vouentibus, ſub Religionis iugo Chriſto Saluatori, in Caſtitatis holocauſto famulari affectantibus, in ſemita iuſtitiæ, & honeſtatis, ne quicquam in eis reperiatur incongruum, quod in Regularis ponat honeſtatis gloria maculam, & Diuinam meritò poſſit offendere Maieſtatem, opportunè ſuccurritur, libenter intédimus: ac in his, noſtræ vigilantiæ partes propenſiùs impartimur, prout in Domino ſalubriter expedire conſpicimus. Hac igitur perpetuò valitura Conſtitutione, inhærentes etiam Conſtitutioni fel. rec. Bonifacij Papæ Octaui, prædeceſſoris noſtri, quæ incipit *Periculoſo*, & decretis Concilij Tridentini ſuper Clauſura Monialium editas, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus, atque perpetuò decernimus, vniuerſas, & ſingulas Moniales præſentes, atque futuras, cuiuſcunque Religionis, Ordinis, vel Militiarum etiam Hieroſolymitanarum ſint, quæ vel iam receptæ ſint, vel in poſterum in quibuſuis Monaſterijs, ſiue Domibus recipientur, & tacitè, vel expreſsè Religionem profeſſæ, etiamſi conuerſæ, aut quocunque alio nomine appellentur, etiáſi ex inſtitutis, vel fundationibus earum Regulæ ad Clauſuram non teneantur, nec vnquam in earum Monaſterijs, ſeu Domibus etiam ab immerabili, ea ſeruata non fuerit, ſub perpetua in ſuis Monaſterijs debere de cætero permanere Clauſura, iuxta formã d. Cõſtitutionis fel. rec. Bonif. præd. noſtri, *Periculoſo* in S. Conc. Trid. approbatã, & innouatã, quam nos authoritate præfata, etiam approbamus, & innouamus, in omnibus, & per omnia, ac illam diſtrictè obſeruari mandamus. Quòd ſi aliquę Moniales forſan reperiantur, quę conſuetudine, ac etiam immemorabili inſtituto, vel fundatione Regulæ ſuæ fretæ, animo obſtinato, huic Clauſuræ reſiſtant, aut quoquomodo reluctentur, Ordinarij, vnà cum Superioribus earum, omnibus iuris, & facti remedijs compellant eaſdem, tanquam rebelles, & incorrigibiles, ad præcisè ſubeundum dictam Clauſuram, & perpetuò obſeruandam. Mulieres quoque, quæ Tertiariæ, ſeù de pœnitentia dicuntur, cuiuſcunque fuerint Ordinis in Congregatione viuentes, ſi et ipſæ profeſſæ fuerint, itaut ſolemne votum emiſerint, ad Clauſuram præcisè, vt præmittitur, & ipſæ teneantur: quod ſi votum ſolemne non emiſerint, Ordinarij vnà cum Superioribus earum, hortentur, & perſuadere ſtudeant, vt illud emittant, & profiteantur; ac poſt emiſſionem, & profeſſionem, eidem Clauſuræ ſe ſubjiciant: quòd ſi recuſauerint, & aliquæ ex eis inuentæ fuerint ſcandaloſè viuere, ſeueriſſimè puniantur. Cæteris autem omnibus, ſic abſque emiſſione profeſſionis, & Clauſura, viuere omnino volentibus, interdicimus, & perpetuò prohibemus, ne in futurum, vllam aliam prorſus in ſuum Ordinem, Religionem, Congregationemque recipiant. Quòd ſi contra huiuſmodi hanc noſtram prohibitionem, & decretum, aliquas receperint, eas ad ſic viuendum, omnino

nino inhabiles reddimus, ac illarum quaſlibet profeſſiones,& receptiones irritas decernimus, & nullas, prout etiam præſenti decreto, irritas facimus, & annullamus; Porrò, ne Moniales, vel Tertiariæ prædictæ,propter hanc Clauſuram detrimentum, aut incommodum aliquod in earum neceſſitatibus, maximè in pertinentibus ad illarum victum, patiantur, ſed vt eis opportunè conſulatur, authoritate Apoſtolica præfata, ſtatuimus, decernimus, præcipimus, atque mandamus Ordinarijs, & Superioribus earum, vt curent colligi fidelium eleemoſynas,per Conuerſas,quæ non ſunt profeſſæ, vel ſi profeſſæ fuerint, tamen ætatis annorum quadraginta,& in Domibus contiguis extra tamen Monaſterium degant, & non ingrediantur Clauſuram aliarum Monialium, niſi in caſibus ex earum Conſtitutionibus permiſſis, & de earum Domibus exire non poſſint, pro huiuſmodi eleemoſynis colligendis, niſi de licentia Ordinarij, vel earum Superiorum. Et de cętero, nullæ aliæ Conuerſæ profeſſæ recipi amplius etiam de conſenſu ſuorum Superiorum, vel Prælatorum poſſint: quòd ſi aduerſus hanc noſtram prohibitionem receptæ fuerint, illarum receptio nulla, irrita, & inanis ſit, prout ex nunc nullam, irritam facimus, & annullamus. Quod ſi prædicto modo, neceſſitatibus Monialium, & Mulierum Tertiariarium prædictarum, ſuccurri ſufficienter non poterit, mandamus ipſis Ordinarijs, & Superioribus earum, vt ipſi prouideant de alijs perſonis pijs, & Deo deuotis, quæ fidelium eleemoſynas colligant, vel alias eo meliori,& commodiori modo, quo fieri poterit,etiam ex opere manuum ipſarum Monialium, & Mulierum prædictarum, arbitrio Ordinariorum, & Superiorum earundem,& prout eis congruentiùs expedire videbitur, prouideatur, & ſuccurratur. Et ne propter Monialium numerum exceſſiuum, Clauſuræ obſeruatio violetur, inhęrentes etiam ſimiliter diſpoſitioni dictæ Conſtitutionis Bonifacij, & Concilij Tridentini, decreto, Monialibus prædictis, & illarum Superioribus,& Ordinarijs diſtrictè inhibendo pręcipimus,& mandamus, ne plures in earum Monaſterijs recipiant, & admittant, ſiue recipi, & admitti permittant,quàm ex proprijs redditibus ipſorum Monaſteriorum, vel conſuetis eleemoſynis commodè ſubſtentari poſſint. Mandamus propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ, ſub obteſtatione Diuini Iudicij, & interminatione maledictionis æternę, vniuerſis Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quatenùs in Ciuitatibus, & Diœceſibus proprijs, præſentes noſtras literas publicari faciant, ac in Monaſterijs Monialium ſibi ordinario iure ſubiectis, in his verò, quæ ad Romanam mediatè, & immediatè ſpectant Eccleſiam, Sedis Apoſtolicæ Authoritate,vnà cum Superioribus eorundem Monaſteriorum Clauſuram, vt præmittimus, quamprimum poterint ſeruari procurent. Contradictores, atque Rebelles, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo,inuocato adhoc,ſi opus fuerit, auxilio brachij Sæcularis. Ac vt hoc tam ſalutare decretum faciliùs obſeruetur, omnes Principes ſæculares, & alios Dominos, & Magiſtratus temporales rogamus, requirimus, & obſecramus per viſcera miſericordiæ Domini Noſtri IESV Chriſti,eiſdem in remiſſionem peccatorum iniungentes, quòd in præmiſſis omnibus eiſdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & alijs Monialium Superioribus aſſiſtant, ac ſuum fauorem, & auxilium præſtent, ac impedientes,pœnis etiam temporalibus afficiant;præmiſſis Conſtitutionibus,& Ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis, & conſuetudinibus,etiam immemorabilibus, etiam per Sedem Apoſtolicam approbatis, & confirmatis priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam in fundatione, & inſtitutione eiſdem Monaſterijs, vel Domibus, & Monialibus ſub quibuſcunque verborum formis, & clauſulis irritantibus, & alijs decretis, quibuslibet conceſſis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus, approbatis,& innouatis, quibus omnibus, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, & indiuidua, non autem per clauſulas Generales idem importantes, mentio,ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum infererentur,pro ſufficienter expreſſis habentes, quoad effectum validitatis noſtræ Conſtitutionis tantùm derogamus, contrarijs quibuſcunque. Aut ſi aliquibus communiter,vel diuiſim,ab eadem ſit Sede Indultum, quod interdici, aut ſuſpendi non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiuſmodi mentionem; per hoc autem in Monaſterijs exemptis Ordinarij locorum, quoad alia, nullam ſibi credant iuriſdictionem, vel poteſtatem aliquatenus eis attributam. Volumus autem, quòd præſentes literæ, ad valuas Baſilicæ Beati Petri Apoſtolorum Principis, & in Cancellaria noſtra, ac acie

Cam-

Campi Floræ publicentur, & inter Conſtitutiones extrauagantes perpetuò valituras conſcribantur. Et quia difficile foret, præſentes ad ſingula quæcunque loca deferri, volumus, & etiam declaramus, quòd earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorſus fides vbicunque adhibeatur; quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtræ approbationis, innouationis, ſtatuti, decreti, mandati, interdicti, prohibitionis, annullationis, præcepti, inhibitionis, requiſitionis, obſecrationis, iniunctionis, derogationis, declarationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, quarto Kalendas Iunij, Pontificatus noſtri Anno primo. *Ca. Glorierius. H. Cumyn.*

Viſa de Curia Io: Riuetius ſubſcripſit.

Pro Terra Sancta, & ſubſidio Belli Sacri.

Pro recuperandis de manu Græcorum Schyſmaticorum reliquis Terræ Sanctæ locis factum memorabile Reu. P. F. Petri Mariani Sormanni de Mediolano, totius Ordinis Min. Miniſtri Generalis cum eleemoſyna valdè conſiderabili in ſubſidium belli ſacri contra Otthomanum Tyrannum Apoſtolica authoritate tranſmiſſa.

NVlli vel leuiter in Sacris Hiſtorijs verſato non eſſe manifeſtum, haud ignoro, quàtùm à Seraphici Ordinis exordio deſudauerint omni cum laude Minoritæ pro colligendis ex Orbe Chriſtiano fidelium eleemoſynis in belli ſacri contra Infideles ſubſidio. Hoc grauiſsimæ, atque multiplices Gregorij IX. Innocentij IV. & Succeſſorum in Petri Cathedra Pontificum, præſertim Eugenij IV. Nicolai V. Callixti III. & aliorum epiſtolæ deprædicant, quibus eis hoc ſanctiſsimum negotium inceſſanti applicatione committitur; hoc Reges in ſacrum fœdus adducti, hoc milites Cruce ſignati, & pro ſacro bello per Franciſcanos conſcripti, hoc etiam exercitus ab eiſdem conducti altè conteſtantur. At pro locis Terræ Sanctæ pretioſo Sanguine Ieſu Crucifixi conſecratis, debita cum veneratione conſeruandis, nulla non diligentia, contemptis euidentibus vitæ periculis, ipſaque morte, Sacrum Ordinem Minorum ſemper adlaboraſſe, non eſt, qui dubitet. Ex quo etenim Seraphicus Patriarcha furente bello anno 1219. Soldanum Ægypti voluit intrepidus adire, Fidemque Catholicam ei publicè prædicare, tametſi ſpe martyrij, ad quod feruentiùs anhelabat, Deo ipſum ad plurium ſalutem reſeruante, fruſtratus, licentiam tamen (inter cætera) impetrauit ab ipſo, vt per Ægyptum, & Syriam vniuerſam Sanctum Ieſu Chriſti Euangelium (Cardinali de Vitriaco, præter S. Bonauenturam, alioſque innumeros poſt ipſum, teſte oculato) cum Fratribus, filijſque ſuis liberè prædicare valeret; ex quo multiplicatis ibi Ordinis ſui Cœnobijs, Prouincia Syriæ, ſeu Terræ Sanctæ non breui tempore ſanctiſsimè ſtetit, vt ex Ordinis Annalibus, atque Pontificijs litteris ad Prouincialem Syriæ Ordinis Minorum directis habemus indubiè; quaſi verò tunc Seraphicus Pater pro filijs ſuis Terræ Sanctæ poſſeſsionem acceperit. Nec tamen immeritò: cum etenim Sanctus ipſe Franciſcus tam grandi miraculo per expreſſa, atque patentia Sacra Stigmata ſibi à Chriſto collata factus fuerit viua Chriſti morientis Imago, non incongruum videri potuit, vt ad illius SS. Sepulchrum ſacras excubias obſeruaret, Cuſtoſque permaneret, qui Chriſti eiuſdem ſignifer adeo ſingularis apparebat. Cum verò ex occultiſsimis Dei iudicijs, id etiam expoſcentibus Chriſtianorum peccatis, vniuerſæ Terræ Sanctæ Regnum in manus barbarorum deueniſſet; non ideo à ſacra peregrinatione ceſſare voluerunt Minoritæ, quantùm per barbaros liceret in veneratione S. Sepulchri perſiſtentes, donec Fr. Rogerius Guarini ex Aquitaniæ Prouincia Miſsionis Armeniçæ Præfectus Apoſtolicus anno 1333. Soldanum adiens, in Dei nomine confidens, impetrauit, vt Conſodalibus ſuis in Terræ Sanctæ locis ſacras excubias exercere liceret; ex quo Roberti (S. Ludouici Minoritæ fratris vterini) & Sanciæ illius Vxoris, vtriuſque Siciliæ Regum ſancta pietas exarſit, vt deſtinatis ad eundem Soldanum Legatis, æreque grandi ſoluto euicerit, vt Fratribus Minoribus in perpetuum vacaret, ad S. Domini Noſtri Ieſu Chriſti Sepulchrum, aliaque Terræ Sanctæ loca in tabulis ad perpetuam rei memoriam exaratis explicata, cum debita veneratione, atque Catholica pietate conſeruanda permanere.

Confirmata exinde à Clemente VI. Pontifice, atque ſupplicantibus eiſdem pijſſimis,

nis, Ordinique Minorum abſque exemplo deuotiſsimis Regibus Neapolitanis, Seraphicę Minorum Religioni Terræ Sanctæ Cuſtodia, non obſtanre inſatiabili Turcarum auaritia, & ſæuitia, deuictis etiam ſub Martino V. Pontifice per definiriuam Apoſtolici Delegati ſententiam aliquorum oppoſitionibus, in hodiernum vſque diem Sacer Ordo Minorum ſub Miniſtro Generali totius Ordinis per Regularis, atque Strictioris indifferenter Obſeruantiæ Religioſos, illorum ſacrorum locorum in ſancta Cuſtodia, prægrandi cum gloria, cum vniuerſi Chriſtiani Orbis ædificatione, nec ſine maximis Sedis Apoſtolicæ priuilegijs iugiter perſeuerare comprobatur.

Admirandum tamen, quomodo Franciſcana Religio bonis omnibus ſæcularibus in communi, & in particulari denudata, inter auariſsimos, Fideiq; datæ ſemper violatores Agarenos loca illa cuſtodire potuerit, in quo Diuinæ Prouidentiæ potentiſsimum teſtimonium non venerari non poſſumus. Hinc Leo X. alijque Romani Pontifices, vt continuo ex inexplebili Turcarum auaritia eadem perdendi periculo prudẽter occurrerẽt, aſsignatis Eccleſiaſticis prouentibus, qui omni in occaſione præſto eſſent, prouidere voluerunt; quod tamen Franciſcani paupertatis euangelicæ, quam ſanctè profitentur, tenaciſſimi cũ debita humilitate, atq; gratiarum actione recuſarunt, exponentes (quod ſub Martino V. & Vrbano VIII. approbatũ fuit) meliùs, & tutiùs ſub Franciſcana paupertate, quàm ſub certis prouentibus illa ſancta loca cuſtodiri. Quæ omnia fuſiùs in tomo de Terra Sancta declarabimus.

Sciendum ergo, quòd duobus à principaliſsimis, & implacabilibus hoſtibus (haud tamen in eadem linea) in Cuſtodia Terræ Sanctæ diuexatur acerrimè Religio Seraphica, ſumptibuſque obnoxia fit immenſis: Maumetani ſiquidem in D. N. Ieſum Chriſtũ, eiuſque Immaculatam (vt fatentur & ipſi) Matrem alioquin reuerentes, vnde & illius ſacrum Præſepe, atque Sanctiſſimum Sepulchrum, huiuſque itidem in Valle Ioſaphat ſepulturæ locum altè venerantur; tamen & in odium Chriſtianorum, ac potiſſimùm ob inexplebilem auri ſitim; præter ordinaria, grauiſſimaque tributa, quotidianis, & contra leges ipſorum maximis, vt vocant, Auanijs, ſeu extorſionibus aggrauare non ceſſant. Præ Turcis autem, & vltra quàm credi poſsit, Schiſmatici Græci Eccleſiæ Romanæ infenſiſsimi hoſtes, quòd ſacris illis in locis noſtræ Redemptionis obtineant Latini permanentiam in pace, atque præeminentiam pleno iure poſsideant; noſterque Montis Syon, ſiue (vt hodie vocant) S. Saluatoris Guardianus, Romani Pontificis in Oriente Commiſſarius Apoſtolicus, & Vicarij Patriarchalis officio ſulgens (quod anno 1655. die 15. Septembris Sacra Congregatio voluit eſſe decreto perpetuo confirmatum) & S. Congregationis de Propagãda Fide reſponſalis deputatus per Paleſtinam, Soriam, Montem Libanum, Ægyptum, aliaſque finitimas regiones, tanta cum Maieſtate ſub ſacco Minoritico Catholicis omnibus præſideat, abſque tremitu tolerare non valentes, nouis quotidie machinamentis, falſis accuſationibus, ampliſsimiſque donarijs Ottomanicæ Portæ, ſponte oblatis, amotionem Minoritarum à Terræ Sanctæ Cuſtodia intentare, aut eis loca principaliora, ſi poſsint, adimere non intermittunt; quæ omnia ſuo loco, vt diximus, ex integro deſcribentur.

Itaque ad reſiſtendum Græcorum huiuſmodi oppoſitionibus continuis, Thracemque Tyrannum (ſi fieri poſsit) in promiſſorum obſeruantia continendum, imploratis ſępe ſępiùs, & ſæpiſsimè, nec tamen cum grandi fructu, Chriſtianorum Principum fauoribus, & patrocinijs, hoc vnum ex non interrupta experientia remedium ſupereſſe probatum fuit, vt malleum malleo, clauum clauo trudamus; vt emendicatis indefeſſo labore fidelium eleemoſynis, decreta Otthomanicæ Portæ Latinis contraria, Gręcorum profuſionibus emendicata, grandem nos etiam pecunię cumulum Turcæ refundentes, hoc vnico medio redimamus, venalemque Turcarum fidem auri pondere faciamus ſtabilem.

Hoc in genere Fr. Petrus Marinus de Sormãnis à Mediolano, qui ab anno 1678. Hieroſolymitanus Guardianus, Cuſtodiam illam, ea zeli, prudentiæ, pietatiſque laude gubernauit, vt exinde anno 1682. in generalibus Ordinis Comitijs ad ſupremum Religionis Seraphicę Generalatum promoueri meruerit; nihil in ſua mente habuit antiquiùs, quàm vt aliqua in S. Domini Sepulchro loca à Gręcis Schiſmaticis auri profuſione occupata, auro redimeret; egit inceſſanter cum Terræ Sanctæ Commiſſarijs per Orbem Chriſtianum, ſpecialiter per Hiſpanias, & Indias conſtitutis, vt ad huiuſmodi ſanctiſſimum opus indefeſſa vigilantię cura fidelium eleemoſynas procurarent. Nec inaniter: pijs eius votis annuit Omnipotens: ad Ordinis Generalatum exaltatus inuenit, abundantem piarum largitionum copiam eſſe collectam; vnde in ſpem recuperandi deperdita lętiſſimus aſſurrexit. Dum verò de tutiori

pium

pium exequendi conſilium modo conſuleret, ecce de repente fideifragus Thraciæ Tyrannus Auſtriam iniuſto bello aggreditur, Viennam præcipuum Italiæ antemurale grauiſſima obſidione circumcingit, iam de victoria ſuperbiens ante pugnam. Indigniſſimum iudicauit Sapientiſſimus Generalis ea in occaſione aurum ſuppeditare implacabili hoſti, quo in Chriſtianum excidium milites eſſet armaturus: at otioſas dimittere fidelium eleemoſynas tanto labore quæſitas, & contra donantium intentionem abſcondere in terra non credidit eſſe ſecurum. Implorata itaque humiliter ope Diuina, incidit in conſilium bonum, atque peroptimum; vt videlicet pecunia illa ex authoritate Apoſtolica (vt etiam in hoc Pontificijs decretis circa Terræ Sanctæ eleemoſynas publicatis morem gereret) Cæſari traderetur in ſacri belli ſubſidium; ad hoc vt vno de duobus modo iuxta Benefactorum pijſſimam intentionem, ad recuperanda ſacra loca per Græcos vſurpata eleemoſynæ illæ omnino deſeruirent; nempe vt Inuictiſſimus Cæſar de Fœdifrago Tyranno ex ſpeciali Dei aſſiſtentia triumphans arma victricia deportaret in Paleſtinam, atque efficaciùs loca illa Sacra Ordini Seraphico reſtitueret, quo pijſſimum eiuſdem obſequium, & zelum in ſui fauorem fuiſſet expertus; aut ſaltem, vt ſi cum potentiſſimo hoſte foret, aut pacem tractaturus, aut inducias, hoc ante omnia firmaretur in pactis, vt ſubitò loca eadem ex Thracis edicto reſtituerentur ex integro Minoritis; quod ex Imperatoris authoritate foret ſtabilitate firmiori conſeruandum.

Sapientiſsimum æquè, atque pijſsimum conſilium vbi prudens Generalis, & diù, & ſeriò examinaſſet, omneſque, quæ interſeri poſſent, oppoſitiones iudicaſſet inualidas, voluit, & coram Deo, & coram hominibus operationes ſuas reddere tota ſinceritate ſecuras, vt is, qui ex aduerſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis; & cuicumque de facto rationem poſcenti, non difficile foret, plena ſecuritate ſatisfacere. Quamuis enim eleemoſynæ illæ ad recuperanda loca Terræ Sanctæ deſtinatæ, à fine ſuo hac via re vera non declinarent; immo ſecuriùs ad intentum applicarentur; poſſent tamen à lingua doloſa apud rudiores in partem ſiniſtram detorqueri. Satisfacturus itaque primum coram Deo conſcientiæ ſuæ, negotium ex integro Sanctiſsimo in terris Chriſti Vicario Innocentio XI. qui verè Apoſtolico zelo pro Fidei Catholicæ defenſione, atque propagatione in ſacro bello totus incumbebat, exponendum eſſe decreuit; quod & fecit ſumma reuerentia ad ſanctos Pontificis pedes genuflexus; Vt etiam mundo innoteſceret, quanta cum ponderatione, quanto cum certæ ſpei de recuperatione præfata fundamento negotium huiuſmodi ſuſcepiſſet; cum ab Apoſtolica Pontificis pietate tum approbatum, tum commendatum negotium audiſſet, porrecto ſupplici libello exorauit, vt etiam ex eiuſdem Chriſti Vicarij parte rogaretur Inuictiſsimus Cæſar, vt pro reſtituendis Ordini Minorum quoquomodo Sanctuarijs illis fidem ſuam interponere non dedignaretur: Catholicæ itidem Reginæ Catholici Regis Matri ſupplicibus litteris negotium ipſum ſignificandum iudicauit, quatenus Inuictiſsimo Cæſari fratri ſuo efficacia tota recuperationem antedictam commendare dignaretur: quod & fecit pijſsima Regina pietate Auſtriacis Principibus digna, ſub die 16. Martij anno 1684. Miniſtro Generali reſpondens, pium non minùs, quàm prudens eius hac in cauſa conſilium commendans, Regiam ſuam pro hac recuperatione protectionem ex animo promittens, literaſque ſupra fidem efficaces ad Cæſarem directas eidem Generali remittens. His omnibus, & alijs certæ ſpei fundamentis innixus Generalis ipſe ſuas cum Pontificijs, & Hiſpanicis antedictis litteras ad Cæſarem deſtinandas indicauit; indicando, quòd vltra inceſſantes in tota Religione Seraphica preces pro impetranda contra Tyrannum Otthomanum victoria, hunc etiam filiorum ſuorum laborum fructum, eleemoſynas à fidelibus tanto ſudore comparatas tranſmitteret, obſecrando, vt pro integra ſacrorum locorum recuperatione Imperatoriam authoritatem omni modo interponere non grauaretur. Vti reuera piſsimus ille Leopoldus Cæſar, S. Franciſco, eiuſque filijs aliàs addictiſſimus, non ſolum Romano Pontifici, ſed & Patri Generali dignatus eſt reſponſum dare, quod appono.

INTVS.

Leopoldus, Diuina fauente clementia, electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus &c.

HOnorabilis, Religioſe, Deuote, Nobis Dilecte: prudenti conſilio, & medio ad efficiendum multum proficuo

inſtituiſtis, quod centum ſcutorum millium donum, Turcarum Tyranno pro redimendis locis ſacris Hieroſolymitanis deſtinatum, Nobis in belli cum illo gerendi vſum attribuere cogitetis, rogantes, quatenus in articulis futuræ pacificationis tranſigendis, reſtitutionem dictorum locorum paciſcamur. Nos profectò Seraphicæ Religioni cęteroquin propenſi, deſiderium veſtrum in futuris cum Tyranno ineundis inducijs, probè, ſanctèque obſeruabimus: Cæterum Reuerendiſsimo Cardinali Pio Germaniæ Protectori in commiſsis dedimus, vt oblatas pecunias à vobis Romæ accipiat, & quàm celerrimè hùc ad vſum belli ſacri remittat; quod vt opere etiam veſtro propediem efficiatur, à vobis benignè petimus, & gratiam noſtram Cæſaream vobis clementer deferimus. Datum in Arce noſtra Lincij 21. Iulij, anno 1684., Regnorum noſtrorum Romani 27., Hungarici 30. Bohemici 28.

Leopoldus &c.

Loco † Sigilli.

Extra Honorabili, Religioſo, Deuoto, Nobis dilecto Fr. Petro Marino Ordinis S. Franciſci ſtrictioris Obſeruantiæ Generali.

ITaque ſumma prudentia, ſimul & pietate factum eſt, vt Benefactorum non fraudetur intentio, & pecunia illa in manus inimici non deuenerit in noſtram perniciem, immo contra implacabilem hoſtem pro re Chriſtiana deſeruierit, atque pro recuperandis exinde ſuſpiratis adeo ſanctuarijs certiſſimam (Deo dante) debeamus habere fiduciam.

Pro equitibus S. Sepulchri.

HIſce non potuit, vel arctari, vel concludi terminis eximia pietas, atque pientiſſimi Generalis zelus, quem pro Terræ Sanctę nunquam ſufficienti veneratione ex diuturno incolatu, gubernioque concepit. Vix fuerat ad ampliſſimæ Religionis clauum aſſumptus, cum pro augendo illius cultu, de reſtituendo ſacro militaris Ordinis S. Sepulchri decore cogitauit attentiùs. De clariſſimi huius Ordinis exordio, nobilitate, progreſſibus, iuribus, priuilegijs, ac exemptionibus tum ſpiritualibus, tum temporalibus ſcripſere diffuſiùs Ioannes Cotouicus nobilis Belga ex profeſſo, Franciſcus Quareſmius in Elucidario Terræ Sanctæ, Blaſius Buiza, Bernardus Caſtillius, Didacus de Cea, Vuadingus in Tom. 3. Annalium ad ann. 1342. & Haroldus ibidem in Epitome; Noſque ſimiliter in tomo de Prouincia Terræ Sanctæ ad operis complementum ſcribemus (Deo dante) per extenſum. Interim adnotaſſe ſufficiat; quòd huius Sacræ Militiæ Equites probata nobilitate, cæteriſque conditionibus requiſitis, ad habitum, & profeſſionem in Sacro Domini Sepulchro à P. Guardiano Hieroſolymitano debeant admitti, eiuſdem S. Sepulchri protectionem, atque defenſionem, ſeque illa pro cauſa ad bellum ſacrum paratos ſemper fore, ſolemni iuramento promittant.

Cum verò temporalia illorum priuilegia, & exemptiones, eo quod Principem nullum temporalem habeant ſuæ Religioni præpoſitum, ferè nullibi iam obſeruarentur, ideo quaſi vileſcens tendebat ad interitum. Huic grandi malo vt occurreret P. Generalis, apud Catholicum Monarcham Carolum II. egit ſuppliciter, (exemplum hoc pietatis apud alios exinde Principes profuturum non immeritò confidens) vt in omni ditione ſuæ ampliſſimæ coronæ rata, valida, & efficacia, ac in praxim adducenda temporalia Equitum præfatorum S. Sepulchri priuilegia præcipere dignaretur. Haud difficile fuit, à piiſſimo Principe, qui pietatem in Deum, deuotionemque omninò ſingularem ad Ordinem Seraphicum habuit ab Atauis, & Proauis hæreditariam, haud (inquam) difficile fuit, gratiam huiuſmodi, tum iuſtitiæ conſonam, tum rei Chriſtianæ futuram grandi emolumento impetrare; ſpecialiter ad Comitem Melgarium ſuum in Mediolanenſi Ducatu Gubernatorem, hoc expreſsè dedit in mandatis; Regias litteras ex Hiſpanico in Latinum verbaliter tranſlatas exhibeo.

Carolus ex Dei gratia Rex Caſtellæ, & Legionis, Aragoniæ, & vtriuſque Siciliæ, Hieruſalem, & Nauarræ, atque Indiarum &c. Dux Mediolani, &c.

ILluſtris Comes de Melgar Conſobrinus, & Nobilis de mea Camera, pro me Gubernator, & Capitaneus Generalis in Statu Mediolanenſi: Pro parte Fr. Petri Marini Sormanni de Mediolano Miniſtri Generalis Ordinis S. Franciſci mihi expoſitum fuit, quòd dum ipſe Guardianum ageret Hieroſolymis, cognouerit, antiquum Ordinem Equitum S. Sepulchri remanſiſſe valde derelictum, à primæuo ſuo ſplendore ferè collapſum, ex eo quòd in varijs mundi partibus, in noſtris præſertim dominijs eorum priuilegia, iuxta ſanctum eorum Inſtitutum, debitum non ſortiantur

tur effectum; cupiens itaque ipſe tam celebrem, ſanctumque Ordinem militarem, pro viribus, reſtaurare, atque ampliare, me rogauit, quatenus Miniſtris meis primarijs præcipere dignarer, vt quantùm ipſorum intereſt, omnibus præfatis Equitibus S. Sepulchri Protectoribus, & Conſeruatoribus ex animo fauere debeant, in hoc præſertim, vt ipſorum exemptiones, ac prærogatiuæ cum integra obſeruantia omnimodum ſortiantur effectum. Cum verò deuotioni meæ ſit hæc petitio per omnia conformis, me adduxit, vt vobis idipſum omninò exequendum iniungam, vt harum ſerie iniungo; quatenùs, quantùm in iſto meo Mediolanenſi ſtatu occurrere poſſit, id exequendum curetis, conſuetas ipſorum prerogatiuas, & exemptiones obſeruetis, & obſeruari faciatis illæſas; ſic enim iubeo. Datum Matriti die 24. Septembris 1682. Ego Rex.

Locus ✝ Sigilli.

Eodem modo, eodem tempore ſcribere dignata fuit eadem Caroli II. Catholica Maieſtas ad Marchionem de Veles ſuum in Regno Neapolitano Proregem; & ſimiliter ad Comitem S.Stephani ſuum itidem in Sicilia Proregem; quod & in reliqua ditione ſua, obſeruari præcepit; vnde diffuſo ad alios Chriſtianos Principes huiuſmodi pietatis exemplo, confidere debemus, hunc S. Militarem Ordinem ad Dei gloriam, & Rei Chriſtianæ non leue emolumentum fore citiùs ad priſtinam dignitatem reuocandum.

Peroratio cum gratiarum actione.

O Diuina, atque Incarnata Sapientiæ Mater, & Virgo ſemper Immaculata, per quam Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt, ecce ſpeciali ex gratia Æterna illius Sapientiæ, quæ attingit à fine vſque ad finem fortiter, ſuauiterque diſponit omnia, quam in vtero tuo Virginali carne noſtra veſtire meruiſti, Teque, ò pijſſima Mater, intercedente, Minoriticas leges, tertio, & quarto huius operis Tui tomis comprehenſas, mihi iam datum eſt abſoluere. Deo, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, vniuerſa non poſſum non accepta referre, quæ ad eius laudem, ad animarum profectum ibi congeſta leguntur. Negligentias verò, ſomnolentias, & defectus recognoſco meos, quos in opere ſancto ex naturali, atque vitiata filiorum Adæ conditione interpoſitos non diffiteor. Si autem finis omnis legis eſt charitas, & plenitudo legis eſt dilectio; cum vniuerſa ſtatutorum ſeries, duobus hiſce voluminibus digeſta, nihil aliud intendat, quàm Regulæ illius expoſitionem, quæ eſt norma vitæ, & arrha gloriæ, quam ex interceſſione tua, dictante Incarnato Verbo Dei Filio Tuo, Tibi dilectiſſimus famulus, & Filij Tui ſignifer S. Franciſcus ad noſtram inſtructionem exſcripſit; Tu vera Mater pietatis charitatem veram, Tu ſinceram dilectionem infunde pectoribus noſtris, quatenus à lege peccati, ſub qua eramus, liberati, ſub ſuauiſſimo Chriſti Filij Tui iugo, quod indicatur benedicto fune, quo præcingimur, exultemus in lege libertatis, vt poſt innumeros Tibi deuotiſſimos, & dilectiſſimos Heroes, qui Tibi hac ex lege ſummoperè placuerunt, dilatetur cor noſtrum ad currendam viam horum mandatorum; donec ſub vmbra alarum tuarum, ad eum peruenire mereamur, qui dixit Abrahæ, ego ſum merces tua magna nimis. Omnibus etenim, quæ in mundo ſunt, altè pro Deo renuncians Tuus Ordo Minorum, nihil aliud, quàm Deum ipſum expoſtulat. Denique poſt gratias non quà debeo, ſed quà maiori poſſum humilitate, Tibi pro completa iſta legum compilatione perſolutas, Te ſuppliciter exoro, vt Vnigenitum Tuum, qui miſit operarios in vineam ſuam, propitium facere digneris, quatenus ex infinita ſua pietate qualeſcumque labores iſtos omneſque, qui exinde procedent, fructus, benignè reſpicere, & ſaltem in dilectarum ſibi ſpecialiter, interim tamen in Purgatorio igne languentium Animarum leuamen acceptare non dedignetur. Amen.

F I N I S.

Iam tandem ad errata principalia in vtroque Tomo, quæ Lectorem poſſunt offendere deuenimus.

Errata in Tomo primo.

Pagina 174. col.2.num.1.lin.19. *poſt verbum* præfecit eis *ſic adde*; quæ accreuerant in Prouincia S. Angeli Fr.Nicolaum Auximanum; & in Prouincia Thuſciæ Fr.Nicolaum de Vzano.

In Tomo Tertio.

Errata	corrige
Pag. 242. col.1.lin.10.ſuum compleuerit;	ſuum non compleuerit
Pag. 249. col.2.lin.1.renouatur *lege.*	reuocatur
Pag. 267. col.1.lin.7. reddantur *lege*	radantur,
Pag. 283. col.2.lin.41.pro 1534. *lege*	1538.
Pag. 398. col.1.lin.54.ſequuntur ſtatuta *lege*	ſequuntur ſtudia
Pag. 406. col.1.lin.10. Miniſtri *lege*	Magiſtri
Pag. 595. col.2.Capitulum generale CXXVI.*lege*	CXXV. & ſic ſucceſsiuè corrige cætera vſque ad vltimum.

In Tomo Quarto.

Errata	corrige
Pag. 87.lin.24.Miniſtrorum *lege*	Prominiſtrorum

Pag.122.col.1.lin.9.poſt coronari viuit *adde* vt & Innocentius XI.creatus in feſto S.Matthæi Apoſtoli.

Pag. 143. col.2.lin.24.Vrbani *lege*	Clementis
Pag. 171. col.1.lin.34.Themannos *lege*	Hermannos
Pag. 203. col.2.lin.29.electio *lege*	eiectio

Pag. 240. col.1.lin.38.Congregationis totius Ordinis *lege* Congregationis generalis.

Pag.253.col.1.lin.42.dele illud verbum *vt ſupra*, & *adde* ſic. Dat. Romæ in noſtro Aracælitano Conuentu &c.Fr.Petrus Marinus à Mediolano Miniſter Generalis.

Pag.261.col.1.lin.32.vlla mora *lege*	nulla mora

Pag.331.col.2.lin.31.poſt ly; Generalis Ordinis, *adde ſic*; conſultos volui, quorum omnium aſſenſum.

DE INDICE
RERVM NOTABILIVM
AD LECTOREM
PRÆNOTATIO.

PROPTER inſeparabilem rerum connexionem, quæ in Tertio præcedenti, & hoc Quarto Tomis continentur, præmonui ad finem illius Tertij, copioſiſſimum vtriuſque Indicem hic ex integro fore reponendum. Quod promiſimus, iam exſoluimus. Placuit tamen de Patrum prudentium conſilio illarum Conſtitutionum Indicem, quæ ab Ordinis initio ad vſque Bullam *Vnionis* anno 1517. excluſiuè in Ordinis Comitijs editæ leguntur, ſeparatim à reliqua Statutorum congerie, quæ poſt Bullam *Vnionis* ad Regulæ puritatem in ſolius Obſeruantiæ Corpore conſtituta fuerunt, apponere. Id cauſæ fuit, quia cum etiam ante qualemcumque Ordinis diuiſionem fuerint aliqui (pauciſſimi tamen) Miniſtri Generales libertatis amatores, & alij, qui irrumpentes abuſus radicitùs extirpare non poſſent; deinde verò poſt primam Obſeruantium, & Conuentualium ſeparationem, remanentibus in Ordinis ampliori Communitate Sigillis, & dignitate Miniſteriatus Generalis, Statuta primò Benedictina, deinde Alexandrina, & alia vel procurata, vel introducta fuerunt, quæ ſiue vt tempori ſeruirent, atque multitudinem iam laxiori vitæ methodo deditam non illaquearent, vel quia ad hotum ſpirituale remedium impetrata fuiſſet Apoſtolica diſpenſatio, cum omnimoda Regulæ puritate nullatenus poſſunt cohærere; ideoque ab vniuerſo Corpore Obſeruantiæ per authenticam Comitiorum Generalium proteſtationem Apoſtolica confirmatione roboratam omnino repelluntur.

Ne itaque diſpenſatiuas huiuſmodi Conſtitutiones, ſeu modificatiuas impermixtim legendo in ſerie Statutorum, per quæ Seraphicus Ordo nunc temporis gubernatur, putaret Lector, illas ad Ordinem vniuerſum pertinere, ideoque præſenti noſtro gubernio eſſe conformes, contra vniuerſales, & authenticas Religionis vniuerſæ proteſtationes; Statuta, vt diximus, Ordinis quæcumque ante Bullam *Vnionis* edita hic ſeparatim præponenda putaui; quatenus Lectoribus innoteſceret, illas in Regulæ præceptis modificationes, quæ ibidem occurrunt, pro Ordinis Communitate diſpenſationes tunc non abhorrente, ſolùm deſeruiſſe: Ab Obſeruantia verò illa ſola de antiquis fuiſſe recepta, quæ cum omnimoda Regulæ puritate cohærere non dubitantur; quo in genere Conſtitutiones etiam ab Ordinis initio factas, & ſpecialiter hucuſque non reuocatas debita cum veneratione amplectitur.

Elenchus rerum notabilium, quæ in Orbis Seraphici Tomo Tertio continentur ad vſque Bullam Vnionis Leon. X. anno 1517. excluſiuè.

Tomus in ſingularibus rebus non indicatur; quia hæc omnia ſunt in Tertio Tomo: duo itaque numeri apponuntur; primus paginam, ſecundus indicat Columnam.

A

ABbatiſſarum obligationes. 45. 2. Adminiſtratio qualis eſſe debet. 45.2. deponuntur ob malam adminiſtrationem. ibid. & 205. 1. Duratio non poſſit eſſe niſi ſexennalis. 78. 1. limitatur ad triennium. 107. 2. Regeſta bonorum omnium Monaſterij qualiter, & quando facere teneantur & computa reddere. 45 2. 46. 1. 205. 1. Clauſuram in ſe, & in alijs quo rigore cuſtodire; ibid. pene contrauenientium. ibid. & 206. 1. & 2. Vide v. Carcer. V. Clauſura. V. Computa. V. Monaſteria. V. Regeſta.

Abſentia Generalis à Capitulo General. quomodo ſupplenda. V. Capit. Generale. V. Præſidentia in Capitulo. Abſentia Min. Prou. à Capitulo. V. Capit. Gener. V. Cap. Prou. V. Min. Prou. Abſentia Cuſtodis à Cap. V. Cap. Gen. Capit. Prouinciale. V. Cuſtos. Abſentia Guardiani. V. Guardianus. V. Conuentus. Abſentia Lectorum. V. Lectores.

Abſolutio à reſeruatis, qualis, à quibus, quando, & quo-

quomodo facienda, 59. 1. facta in foro ſecreto non iuuat pro foro externo ibid. Abſoluere, & abſolui à Caſibus Papalibus, & cenſuris, & diſpenſare in irregularitatibus, quando, & quomodo poſſint Generales, & Prouinciales. 60. 1. in quibus non poſſint. 109. 1. Authoritas ad hoc delegata quomodo valeat. 120. 1. Authoritas ſpecialis ad hoc à Papa conceſſa quomodo intelligenda. 114. 2. obſeruantes quoad hoc vti non poſſunt authoritate Generalis, aut Prouincialis Conuentualium. 133. 2.

Abuſus in habitibus, in Tonſuris, & in pecunia tollendi. 82. 2. Vide Diſpenſatio. V. Equitare. V. Habitus. V. Pecunia.

Acceſſus ad Capitulum Generale, quales, quibus, & quãdo competat. 72. 2. 184. 2. pœnæ non accedentium. ibid. Acceſſus illegitimi qui ſunt, quomodo puniendi. ibid. & 184. 2.

Acceſſus ad Capitulum Prouinciale: quibus competat. 69. 1. & 2. 188. 1. pœnæ non accedentium. ibid. illegitimè, & ſine licentia accedentes, quomodo puniendi. 71. 2. 184. 2.

Acceſſus ad Curiam Romanam. V. Curia R. V. Forenſes.

Acceſſus ad Indulgentiam Portiunculæ. V. Indulgentia Portiunculæ.

Acceſſus Fratrum ad loca, vbi ſunt Conuentus. Vide Forenſes. V. Hoſpites.

Acceſſus ad Monaſteria Monialium quo rigore prohibitus. 46. 1. 89. 2. 103. 1. 106. 1. 114. 2. pœnæ contrauenientium. ibid. qualis intelligatur. ibid. quibus permiſſus. ibid. Vide v. Clauſura. v. Monaſterium.

Acceſſus, ſeu recurſus ad Superiores difficilè concedendus, maximè Polonis, & alijs diſtantibus. 120. 1. Eorum remedium, ibid. quibus, & quomodo licitus. 149. 2. pœnæ tranſgreſſorũ. ibid. Vide v. Recurſus.

Accuſantium nomina non reuelanda. 63. 2. & 172. 2. quando peti, vel concedi poſſunt. ibid. pœnæ contrauenientium. ibid.

Accuſatio falſa, ſeu depoſitio, ſeu denunciatio, qualis, quomodo, & quando punienda. 174. 2. quomodo deferendæ ſint. 202. 1. pœnæ contrauenientium. ibid.

Accuſator quis ſit. 63. 2. malè accuſantium pęnę. ibid. & 174. 2. 175. 1.

Acta Capitularia, quibus, & quomodo intimanda. 131. 1.

Actus legitimi. Vide v. Priuatio officiorum.

Adminiſtrationis computa. Vide v. Abbatiſſa. v. Computa. v. Miniſter Gener. v. Miniſter Prou. v. Procurator. v. Regeſta. v. Syndicus.

Aduenæ Fratres. Vide v. Curia. v. Forenſes. v. Hoſpites.

Ædificiorum qualitas. 3. 1. 10. 2. exceſſus in ijs quicunque puniendus. 21. 1. 22. 2. nec deſtruantur, nec ædificentur ſine licẽtia Miniſtri. 44. 2. & 52. 1. contrauenientium pœnæ. ibid. quomodo regulanda. 52. 2. Sumptuoſa non ædificentur, aut recipiantur, ſed habita non dimittantur ſub pœn. excomm. 93. 2. quomodo erigenda, & quę pacta in eis canenda. 155. 1. contrauenientium pœnæ. ibid.

B. Ægidius Aſſiſias moritur. 12. 1. eius gratia ſpecialis. ibid.

Ægidius Delphinus ab Amelia Proc. Gen. & Vic. Ordinis, fit Miniſter Generalis. 138. 1. Reformationẽ prætexit in Ordine vniuerſo. ibid. ſed nemini gratus. ibid. nihil ad intentum obtinet. 212. 2. & 215. 1. cur à Cardinalibus obiurgatur. ibidem. quomodo deponitur. 215. 1.

Agentes Principum. Vide v. Ambaſciatæ. v. Literæ. v. Negotia.

Agentes Nationum in Curia Romana. Vide v. Curia Rom. & 67. 1.

B. Albertus de Piſis Miniſt. Gen. 6. 1.

B. Albertus de Sarthiano tranſit ad Obſeru. 78. 2.

Alchimiæ operationes, alięque artes ſuſpectæ prohibitæ. 62. 2. & 162. 1. pœnæ. ibid.

Alearum, taxillorum, & ſimiles ludi, quo rigore prohibiti, & puniti. 62. 1. 136. 2. & 175. 2. V. Ludi, & V. Taxilli.

Alemanorum, & Bohemorum concordata. 135. 1. V. Concordata.

Alexander ab Alexandria Communitatem Ordinis defendit. 22. 1. ſit Miniſt. Gen. ibid.

Alexander IV. Papa in Cap. Generali præſidet, & prædicat. 8. 2.

Alienatio bonorum nobis repugnantium, à quibus, & quomodo facienda. 89. 1. vbi applicanda. ibid.

Almutia, & capitergia quomodo prohibita. 51. 1.

Alfonſus Boroxius Vic. Caſtellæ fit Com. Gen. Obſer. Vltr. 111. 1.

Alternatiua Capitulorum Generalium qualis eſſe debeat. 184. 1.

Aluernæ locus deputatur pro Capitulis Gener. Obſeru. 127. 2.

Amadei, Clareni, Coletani, & Guadalupenſes, vel ad Conuentuales, vel ad Obſeruantes tranſire iubentur. 215. Vide ſub hiſce titulis; Amadeorum Cuſtos habet votum in Comitijs

mitij; Generalibus.184.2

Ambaſciatæ, ſiue legationes, & literæ Dominorum extra Ordinem, cum aliorũ ſcandalo, vel præiudicio à Fratribus non deferantur. 56. 2. pænæ. ibid. & 61. 1. 102. 1. & 126. 1. & 173. 1. V. Legationes. V. Literæ

Angelica ſalutatio ad Virginem in ſero facienda, à quo inducta. 15. 1.

Angelus de Clauaſio Vicar. Gener. Obſer. Ciſm. 121. 1. 125. 1. impetrat à Põtifice, vt ampliùs promoueri non poſſit. 129. 2. ſed tertiò acceptare compellitur, & quomodo. ibid. & 133. 1.

Angelus Saluettus Senenſis Min. Gen. 81. 2. moriens reformationem Ordinis complere non potuit. 82. 1.

Animalia quæ permiſſa, quæ prohibita in Cõuentibus. 11. 1.

Annui prouentus ad quid principaliter conceſſi Cõuẽtualibus, & quomodo. 158. 1. & 163. ad 167.

Anti-Capit. Gener. Neapoli. 76. 2. Gebennæ. 77. 1.

Anti-Miniſter Generalis. 76 2. 78. 1. 107. 1.

Antiphona *Plangeturba paupercula*, à quo compoſita. 6. 2. ad quid, quando, & quaudiu cantanda. 181. 2.

Antonius Angelus à Pireto Min. Generalis. 77. 2.

Antonius à Monte Falcone Vic. Gen. Obſ. Ciſmont. 113. 2.

Antonius de Ruſconibus Min. Gener. 94. 2. quomodo electus; & cur à Papa confirmatus. ibid. deſignat Vicarios Gener. Obſer. in vtraque familia. ibid.

Ad apices iuris non obligamur in iudicijs. 176. 1.

Apoſtatæ qualiter releuari non poſſint ad officia. 61. 2. Eos capiendi qualis facultas, & quibus. 64. 2. Apoſtata quis ſit. ibid. & 119. 1. Qualiter denunciãdus. 65. 1. A quibus capi poſſit, & debeat. ibid. Quando, & quomodo ad alia loca traſmittendus. 65. 1. Volens redire ad ordinem non repellatur. ibid. Retineri non debeant in alienis Prouincijs. 75. 2. 117. 1. 118. 1. Pœnæ retinentium. ibid. per nullum priuilegium poſſunt in aliena Prouincia detineri. 178. 2. 217. 1. Quo rigore habendi. 148. 2. Etiã ſi ſint de aliena Prouincia. 178. 1. A quocunque cogi poſſunt. ibid. fauere debent contra ipſos locorum Ordinarij. 178. 1. Denunciandi ſunt pro excommunicatis, &c. 177. 2. Ipſorum, & ipſos non punientium pœnæ. 220. 1. A Generali puniti de Apoſtaſia poſſunt de alijs ſuis criminibus puniri in ſua Prouincia. 124. 1. Apoſtatarum Clericorum, & Laicorum pœnæ particulares. 118. 2.

Appellatio qualis Fratribus illicita. 59. 1. 176. 1.

Appropriatio Conuentuum damnatur. 22. 1. Punitur. 62. 2. In quo conſiſtat. 63. 1. & 167. 1. Nullo modo toleranda. 101. 1. Quomodo contingat. 150. 2. Pœnæ. ibid.

Aquilanorum Ciuium pietas in Cap. Gener. 75. 1. 111. 1. 121. 1. 136. 1.

Aragonum Regum pietas in ordinem. 22. 1.

Arbitri, Iudices, vel Aduocati litium, vel negotiorum ſæcularium non poſſunt eſſe Fratres. 57. 2. 162. 1. pœnæ. ibid. v. Negotia.

Arborum inciſio prohibita. 155. 1.

Arctatio criminoſi ſuſpecti quando, & quomodo fieri debet. 41. 1.

Archiuia Ordinis. V. Regeſta.

Argentinenſium liberalitas in Cap. Gen. 74. 1.

Arlotus de Prato Min. Gen. 16. 2. Ordinis Reformationem intentat. ibid.

Arma non habenda, nec retinenda à Fratribus. 174. 2. Qui arma quinquennio exercuit, non eſt recipiendus ad ordinem. 93. 1. niſi, &c. ibidem.

Arnaldus de Pelagrua Cardinalis Protector Ordinis. 22. 1.

Artes fabriles, & ſtrepitoſæ prohibentur Fratribus. 162. 1. pœnæ. ibid. artes ad peccatum ſeruientes, quæ dicantur. ibid. quo rigore probibentur. ibid.

Ars Medicinæ, & Chirurgiæ prohibentur Fratribus ibid.

Aſſiſienſis Conuentus. v. Conuentus.

Auditores cauſarum vbi, quando, & ad quid inſtituendi. 185. 1. 186. 1. 221. 1

Authores ædificiorum ſumptuoſorum puniendi. 155. 1. etiam authores ędificiorum nouorum ſine licentia. ibid. qualiter fieri debeant. ibid.

Authores libelli famoſi. v. Libelli.

Authoritas Guardianorum abſentium quando, & quomodo remaneat in Vicarijs. 214. 1.

Authoritas Miniſtrorum in abſoluendo, & diſpenſando. 171. 1. & 2. Vide. v. Abſoluere. v. Caſus reſeruati. v. Diſpenſare. v. Min. Gen. v. Min. Prouincialis.

Authoritas abſoluendi à reſeruatis quibus competat. Vide eoſdem titulos: in omni Conuentu eſt alicui committenda. 171. 1. & 2. Quandiu duret. ibid.

B

BAccalaureus promouendus quid iurare debeat, quid legere. 156. 2. Quomodo promouendus. ibid. v. Lectores.

Balneatio in neceſſitate quo-

modo accipienda. 102.1. 106.1.

Baptiſta de Leuanto Vicar. Gen. Obſer. Ciſm, 112.2. 114.2. 118.2.

Bellum ſacrum commendatur orationibus, & concionibus Fratrum. 14.2.

Benedictio, & gratiarum actio in Menſa. 132.2.

Benedictio quando petenda à Prælato flexis genibus. 26.2.

Benedictus XI. conceſſit officium SS. Stigmatum. 21.2.

Benedicti XII. conſtitutiones ordinis. 27.1.

Benefactorum qualis habenda memoria. 17.1. in Libro Conuentus qualiter deſcribenda, quando Fratribus legenda, & ſuffragijs iuuanda. 31.1. 179.1.

Bernardinus Pratus de Cherio Min. Gen. 220.2.

Bernardinus Ptolomæus Senenſ. Com. Gener. Obſer. Ciſm. 221.2.

S. Bernardinus Senenſ. inſtituitur prædicator. 77.2. primus Vicar. Generalis Obſer. Ciſm. 92.2.

Bertrandus de Portu Card. Oſtienſ. preſidet Cap. Gen. Bononienſi. 23.2.

Bertrandus de Turre ex-Minor. Card. Tuſcul. Vicar. Gener. ord. 24.1. celebrat Cap. Gener. Pariſienſe. 25.1.

Fr. Bertrandus Card. ex-Minorita Vicarius ord. celebrat Cap. Gen. 74.2.

Bireta Fratribus prohibita. 143.2. qualiter, quibus, & vbi conceſſa. ibid. v. Almutia.

Bizzochæ à quo, & quomodo viſitandæ. 119.2. ad eas in Congregatione viuentes nemo accedat, niſi pro audiendis earum confeſſionibus. 93.1. quis poſſit earum confeſſiones audire. ibid. & 116.1. ingreſſus ad earum Monaſteria quomodo prohibitus 211.2 nec confeſſarij poſſunt earum clauſuram intrare, 223.2. niſi in caſu, &c. ibid quis earum curam habere debeat. ibid. v. Clauſura. v. Monaſterium. v. Tertiariæ.

Bona Monaſteriorum. Vide. v. Monaſteria. v. Regeſta.

Bona Conuentuum, & Fratrum ad quos pertineant. 16.3. & 163.2 quomodo curanda. ibid.

Fr. Bonagratia Legatus Apoſtolicus. 15.2. præſidet Capitulo Gener. ibid. fit Vicar. deinde Min. Gen. Ord. ibid.

S. Bonauentura quando electus in Min. Gen. 9.1. Moritur. 15.1.

Bonifacius VIII. Papa præſidet Cap. Gen. 19.1.

Boſnæ Cuſtodia qua occaſione fundata. 42.2. Eius cauſa cum Dalmatinis committitur Vicario Gener. 116.2. fit Prouincia à ſe. 120.2.

Breuiarium, & Diurnum ſimul à Fratribus haberi non poſſunt. 110.1.

Brocata; & paramenta aurea, &c. nullo modo Fratribus permittantur. 114.1. v. Paramenta. v. Paupertas. v. Supellex. v. Superfluitas.

Burſarius pro itinerantibus nullo modo concedendus. 56.1. 150.1.

C

Cæremoniæ Sacræ qualiter conſeruandæ. 80.1. in omni communitate præſertim, tum ſpirituali, tum temporali. 189.1.

B. Cæſarius de Spira quid impetrauerit à S. Franciſco. 3.2. fit Min. Germaniæ. 5.1. cur carceratus, & occiſus. 6.2.

Calceamenta Fratribus prohibita. 51.1. 86.1. ea deferentium pœnæ. ibid. quibus, & quando, & quomodo concedenda. 51.1. Pro miſſis celebrandis ſunt neceſſaria. 51.1. 80.2. 143.2.

Calices, Cruces, Thuribula, imagines, &c. qualiter haberi debeant, & qualiter prohibita. 11.1. 114.2. v. Paramenta. v. Suppellex. v. Superfluitas.

Caliſtus III. Papa commendat Fratres de Obſeruantia, ſex de ijs iubet ad ſua negotia ſeligēdos in Comitijs. 112.2. fauet Capit. Gen. Mediol. 113.2. & Romano. 114.1.

Calumniaror. Vide. v. Accuſator.

Camiſię quo rigore prohibitæ Fratribus. 51.1.

Canariæ Commiſſarius malè recipiebat Obſeruantes. 121.2.

Candelæ non habeantur venales in noſtris Eccleſijs. 221.1.

Candiæ, & alia Orientalia loca vniuntur Prouinciæ Terræ Sanctæ. 115.2. Proca, eiuſque Prouinciali, & Fratribus prouiſiones. 127.1. & 212.1. 213.1. 215.2.

Canes in Monaſterijs prohibiti. 207.2.

Campanilia ad modum Turris Fratribus prohibita. 10.2.

Canonicè electus, ſine cauſa renuncians eſt inobediēs. 121.2.

Canonica portio danda d.d. Curatis. 53.1.

Cantus Eccleſiaſticus laudatur. 86.2. vtilis etiam audientibus ibid. quando, & vbi ab eo diſpenſandum. ibid. Cantus fractus grauiſſimè interdicitur. 21.1. 28.1. 86.2. & 97.2.

Capella Pontificia eſt origo ordinis S. R. E. in modo officiandi. 97.2. eidem in Diuinis Officijs ſe conformare tenentur Fratres Minores. ibid.

Cappellaniæ à Fratribus nō acceptentur. 159.1. in caſu, quid faciendum de eleemoſina Capellaniæ. ibid.

Capellani Monialium, vbi,

quomodo, & quales ſunt inſtituendi 183. 2. V. Cō feſſarij. V. Moniales.
Capitergia prohibita fratribus. 51. 2. V. Almutia.
Capitula Generalia præſcribuntur per Sacros Canones. 1. 1. etiam in Regula Fratrum Minorum, ibid. quid in eis tractandum. ibid. Honores Capitulorum noſtrorum Generaliū vbi deſcripti. ibid.

Capitula Generalia in Ordinis Communitate.

I. Aſſiſij. 1. 2. eius acta ibid.
II. Aſſiſij. 2. 2. eius Statuta ibid. honoratum à S. Patre Dominico, & à Cardinali Hugolino ibid.
III. Aſſiſij. 3. 2. eius acta ibid.
IV. Aſſiſij. 5. 1. eius acta ibid.
V. Aſſiſij. 5. 1. eius acta ibidem. Capitulum Generale Apochryphum. ibid.
VI. Romæ. 5. 2. eius acta ibid.
VII. Romæ. 5. 2. eius acta ibid.
VIII. Soriæ in Hiſpania. 6. 1. eius acta ibid.
IX. Aſſiſij. 6. 2. eius acta ibid.
X. Romæ. 6. 2. cuius acta ibid.
XI. Romæ. 6. 2. eius acta ibid. Capitulum intermedium. 7. 1.
XII. Bononiæ. 7. 2. eius acta ibid.
XIII. Genuæ. 7. 2. eius acta ibid.
XIV. Auenione. 8. 1. eius acta ibid.
XV. Metis in Gallia 8. 1. eius acta ibid.
XVI. Romæ. 8. 2. eius acta ibid.
XVII. Narbonæ. 9. 1. eius acta, ibid.
XVIII. Piſis 12. 1. eius acta, ibid.
XIX. Pariſijs. 12. 2. eius acta, ibid.
XX. Aſſiſij. 14. 2. eius acta, ibid.
XXI. Piſis. 15. 1. eius acta, ibid.
XXII. Lugduni. 15. 1. eius acta, ibid.
XXIII. Patauij. 15. 2. eius acta, ibid.
XXIV. Aſſiſij. 15. 2. eius acta, ibid.
XXV. Argentinæ. 16. 1. eius acta, ibid.
XXVI. Mediolani. 16. 2. eius acta, ibid.
XXVII. Apud Montem Peſſulanum. 17. 2. eius acta, ibid.
XXVIII. Reate. 18. 1. eius acta, ibid.
XXIX. Pariſijs. 18. 1. eius acta, ibid.
XXX. Aſſiſij. 18. 2. eius acta, ibid.
XXXI. Anagniæ. 19. 1. eius acta, ibid.
XXXII. Lugduni. 19. 1. eius acta, ibid.
XXXIII. Genuæ, 19. 1. eius acta, ibid.
XXXIV. Aſſiſij. 20. 2. eius acta, ibid.
XXXV. Toloſæ. 21. 2. eius acta, ibid.
XXXVI. Patauij. 21. 2. eius acta, ibid.
XXXVII. Barchinone. 22. 1. eius acta, ibid.
XXXVIII. Neapoli. 22. 1. eius acta, ibid.
XXXIX. Marſiliæ. 23. 1. eius acta, ibid.
XL. Peruſij. 23. 1. eius acta, ibid.
XLI. Lugduni. 23. 2. eius acta, ibid.
XLII. Bononię. 23. 2. eius acta, ibid.
XLIII. Pariſijs. 25. 1. eius acta, ibid.
XLIV. Perpiniani. 25. 2. eius acta, ibid.
XLV. Aſſiſij. 26. 2. eius acta, ibid.
XLVI. Cathurci. 27. 1. eius acta, ibid. vſque ad 47.
XLVII. Aſſiſij. 47. 2. eius acta, ibid.
XLVIII. Marſiliæ. 47. 2. eius acta, ibid.
XLIX. Venetijs. 48. 1. eius acta, ibid.
L. Veronæ. 48. 2. eius acta, ib.
LI. Lugduni. 48. 2. eius acta, ibid.
LII. Aſſiſij. 48. 2. eius acta, ibid.
LIII. Barchinone. 73. 2. eius acta, ibid.
LIV. Genuæ. 74. 1. eius acta, ibid.
LV. Argentinæ. 74. 1. eius acta, ibid.
LVI. Florentiæ. 74. 1. eius acta, ibid.
LVII. Aſſiſij. 74. 2. eius acta, ibid.
LVIII. Neapoli. 74. 2. eius acta, ibid.
LIX. Toloſæ. 74. 2. eius acta, ibid.
LX. Aquilæ. 75. 1. eius acta, ibid.
LXI. Strigonij. 75. 1. eius acta, ibid.
LXII. Ferrariæ. 76. 2. acta, ibid.
LXIII. Patauij. 76. 2. eius acta, ibid.
LXIV. Florentiæ. 77. 1. eius acta, ibid.
LXV. Mantuæ. 77. 1. eius acta, ibid.
LXVI. Coloniæ Agrippinæ. 77. 2. eius acta, ibid.
LXVII. Arimini. 77. 2. eius acta, ibid.
LXVIII. Aſſiſij 77. 2. eius acta, ibid.
LXIX. Aſſiſij. 77. 2. eius acta, ibid.
LXX. Monachij in Bauaria. 77. 2. eius acta, ibid.
LXXI. Aquilæ. 78. 1. eius acta, ibid.
LXXII. . . . . 78. 1.
LXXIII. Lauſánæ in Sabaudia. 78. 1. eius acta, ibid.
LXXIV. Mantuæ. 81. 2. eius acta, ibid.
LXXV. Ad forum-Liuij, in Emilia. 81. 2. eius acta, ibid.
LXXVI. Ferrariæ. 82. 1. eius acta, ibid.
LXXVII. Caſalis. 82. 1. eius acta, ibid.
LXXVIII. Aſſiſij, 82. 2. eius acta, ibid.
LXXIX. Bononiæ. 91. 2. eius acta, ibid.
LXXX. Toloſæ. 92. 1. eius acta, ibid.

Ge-

LXXXI. Genuæ. 94. 2. eius acta, ibid.
LXXXII. Patauij. 94. 2. eius acta, ibid.
LXXXIII. Ad Montem Peſſulanum. 107. 1. eius acta, ibid.
LXXXIV. Florentiæ. 110. 2. eius acta, ibid.
LXXXV. Romæ. 110. 2. acta, ibid.
LXXXVI. Peruſij. 111. 1. eius acta, ibid.
LXXXVII. Bononiæ. 111. 2. eius acta, ibid.
LXXXVIII. Mediolani. 113. 2. eius acta, ibid.
LXXXIX. Romæ. 114. 1. eius acta, ibid.
XC. Diuione in Burgundia, 115. 1. eius acta, ibid.
XCI. Peruſij, 116. 2. eius acta, ibid.
XCII. Florentiæ 117. 2. eius acta, ibid.
XCIII. Venetijs. 119. 1. eius acta, ibid.
XCIV. Ferrariæ. 121. 1. eius acta, ibid.
XCV. Vrbini. 122. 1. eius acta, ibid.
XCVI. Romæ. 124. 2. eius acta, ibid.
XCVII. Brixiæ. 129. 2. eius acta, ibid.
XCVIII. Caſali. 130. 2. eius acta, ibid.
XCIX. Cremonæ, 133. 1. eius acta, ibid.
C. Aſſiſij. 134. 1. eius acta, ibid.
CI. Bononiæ. 136. 1. eius acta, ibid.
CII. Mediolani. 137. 1. eius acta, ibid.
CIII. Interamnæ. 138. 1. ad 212. eius acta, ibid.
CIV. Trecis in Gallia, 212. 2.
CV. Romæ. 215. 1. eius acta, ibid.
CVI. Romæ. 217. 1. eius acta, ibid.
CVII. Aſſiſij. 220. 1. eius acta, ibid.
CVIII. Cherij in Pedemontio. 222. 1.

Capitula Generalia Obſeruantium Familiæ Ciſmontanæ, ſub ſuis Vicarijs.

I. Romæ 107. 1. eius acta, ibid.
II. In Conu. Nemoris de Mugello. 110. 2. eius acta, ibid.
III. Aquilæ. 111. eius acta. ibid.
IV. Bononiæ. 112. 2. eius acta, ibid.
V. Mediolani. 113. 2. eius acta, ibid.
VI. Romæ. 114. 2. eius acta, ibid.
VII. Auximi. 115. 1. eius acta, ibid.
VIII. Aſſiſij. 116. 2. eius acta, ibid.
IX. Mantuæ. 118. 2. eius acta, ibid.
X. In Inſula Biſuntina Lacus Vulſini, 119. 1. eius acta, ibid.
XI. Aquilæ, 121. 1. eius acta, ibid.
XII. Neapoli. 123. 1. eius acta, ibid.
XIII. Papiæ. 124. 2.
XIV. Ferrariæ. 126. 2. eius acta, ibid.
XV. In S. Monte Aluernæ. 129. 2. eius acta, ibid.
XVI. Aſſiſij. 131. eius acta, ibid.
XVII. Vrbini. 133. 1. eius acta, ibid.
XVIII. Florentiæ. 134. 2. eius acta, ibid.
XIX. Aquilæ. 136. 1. eius acta, ibid.
XX. Mediolani. 137. 1. eius acta, ibid.
XXI. Vrbini. 211. 1. eius acta, ibid.
XXII. Mantuæ. 213. 1. eius acta, ibid.
XXIII. Aſſiſij. 215. 2. eius acta, ibid.
XXIV. Ferrariæ. 217. 2. eius acta. ibid.
XXV. Neapoli. 220. 2. eius acta, ibid.
XXVI. Aſſiſij. 222. 1. eius acta, ibid.

Capitula Generalia Obſeruantium familiæ Vltramontanæ ſub eius Vicarijs.

I. Bercorij. 78. 2. eius acta, ibid.
II. Choleti. 81. 2. eius acta, ibid.
III. Audomari. 109. 1. eius acta, ibid.
IV. Argentonij, 110. 1. eius acta, ibid.
V. Barchinone. 111. 1. eius acta, ibid.
VI. Baſileæ. 111. 2. eius acta, ibid.
VII. Mediolani. 113. 2. eius acta, ibid.
VIII. Romæ. 114. 2. eius acta, ibid.
IX. Salmanticæ, 115. 2. eius acta, ibid.
X. Melchliniæ. 117. 1. eius acta, ibid.
XI. Ad Montem Lucium, 118. 1. eius acta, ibid.
